ACTA SYNODALIA SACROSANCTI CONCILII OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN IV

PERIODUS QUARTA

PARS II

CONGREGATIONES GENERALES CXXXIII-CXXXVII

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXVII

CONGREGATIONES GENERALES

CONGREGATIO GENERALIS CXXXIII
22 septembris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CXXXIII

22 septembris 1965

Unus ex Caeremoniariis ante Missae celebrationem: Missa celebratur, hodie, de feria IV Quattuor Temporum. Cantus proprii: a n. 36 usque ad 41. Oratio fidelium: n. 91.

In missa hodierna, ad verba « Flectamus genua » ante primam orationem, opportunitatis causa, Patres non genuflectant, sed tantum se inclinent.

Missam celebrat exc.mus D. Franciscus Ndong, aux. Liberopolitanus (Libreville, Gabon).

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Exeant omnes! Patres venerabiles, velitis audire. Illi qui nondum acceperunt versionem schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* ne accedant ad officium mechanographicum, ne accedant, sed dicant propriis assignatoribus locorum, qui humanitate qua pollent ad eos deferent. Em.mis DD. cardinalibus et patriarchis suis locis versio deferetur.

Dominis Observatoribus et Auditoribus versio dabitur per proprium secretarium vel assistentem, non directe. Periti possunt versionem habere exeunte hac congregatione, non nunc, ne confusio fiat.

Dico iterum: Exeant omnes, cum omni sollicitudine!

Congregationem generalem 133 moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis.

Patres venerabiles, mihi gratissimum est omina, gratulationes dicere et felicia cuncta apprecari em.mo ac rev.mo D. card. Hamleto Ioanni Cicognani, a secretis Status, qui crastina complebit sexagesimum annum sui sacerdotii. [*Plausus*]. Em.mus vir crastina Missam celebrabit iubilarem.

Durante hac congregatione, distribuetur vobis Patribus *kalendarium suffragationum schematis decreti de apostolatu laicorum,* ut heri praenuntiavi, et suffragatio circa hoc schema incipiet postquam suffragationes factae sint de schemate quod nunc tractamus, scil. *de divina revelatione.*

Lego vobis exitum suffragationis ultimae heri factae, nempe super integro cap. III:

Praesentes votantes		2.109
Dixerunt	*placet*	1.777
	non placet	6
	placet iuxta modum	324
Vota nulla		2

Ergo cap. III congregationi placuit.

Et lego nomina eorum qui nomine 70 virorum verbum adhuc facere desiderant super schemate *de libertate religiosa.* Hi quidem sunt exc.mi DD. Carolus Wojtyla, arch. Cracoviensis in Polonia; Michaël Doumith, ep. Sarbensis in Libano; Iucundus Grotti, ep. tit. Thunigabensis (Tunigaba) in Brasilia; Alfredus Ancel, ep. aux. Lugdunensis (Lyon) in Gallia.

Postea fit transitus, vel melius, prosequetur disceptatio *de Ecclesia in mundo huius temporis,* et Patres, qui petierunt verbum facere sunt: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus in Italia (Palermo); Ioseph Siri, arch. Ianuensis in Italia (Genova); Franciscus König, arch. Vindobonensis in Austria (Wien); Iulius Döpfner, arch. Monacensis in Germania; exc.mi ac rev.mi DD.: Ioseph Amici, arch. Modenensis in Italia; Antonius Jordan, arch. Edmontonensis in Canada; Ioannes Carolus Aramburu, arch. Tucumanensis (Tucumán) in Argentina; Angelus Ioseph Jelmini, ep. adm. ap. Luganensis in Helvetia (Lugano); Ioseph McVinney, ep. Providentiensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Marcellus Lefebvre, ep. sup. gen. Congregationis S. Spiritus; Ioseph D'Avack, arch. tit. Leontopolitanus in Pamphylia; Paulus Rusch, ep. Oenipontanus (Innsbruck) in Austria; Ioseph Fernandes, arch. coad. Delhiensis (Delhi) in India.

Et propono vobis, Patres, suffragationem I huius congregationis, circa schema *de divina revelatione.* Videatis pag. 28 [*cf. vol. IV, pars I, pag. 362-363, nn. 14-16*].

Cum sit hoc integrum caput, suffragium proponitur triplici formula, nempe per *placet, non placet, placet iuxta modum.*

Moderator: Antequam disceptatio incipiat, em.mus D. card. Decanus precem de ritu incipiet.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: *Adsumus, Domine Sancte Spiritus* ... (prosequitur una cum omnibus Patribus).

PATRUM ORATIONES
(*De libertate religiosa*)

1

Exc.mus P. D. CAROLUS WOJTYLA
Archiepiscopus Cracoviensis

Venerabiles Fratres,

Loquor iterum nomine episcoporum Poloniae ...[1] Animadversiones meae *respiciunt*[2] essentialiter maiorem claritatem totius documenti, cuius momentum certo certius magnum est.

1. ...[3] *Sub aspectu doctrinali.* In titulo documenti vocamus ipsum declarationem, res tamen ipsa, quae tangitur in illo, ad doctrinam moralem Ecclesiae pertinet. In declaratione conciliari non sufficeret tantum repetere illa, quae in civili legislatione plurium nationum et etiam in declarationibus internationalibus iam de libertate religiosa dicta sunt. Oportet illa supponere, quod in textu schematis utique invenitur. In documento conciliari declaramus habitudinem Ecclesiae ad istam libertatem, quae in Ecclesiae doctrina fundamentum suum habet. Ecclesiae autem doctrina est revelata et simul rationi sanae consona in illis, quae rationi ipsi perspicua sunt. In hoc sensu mundus hodiernus et omnes bonae voluntatis homines declarationem Concilii de libertate religiosa exspectant.

En, doctrina illa, quae in cap. II et III invenitur, eadem est doctrina Ecclesiae; in cap. III modo scripturistico i. e. positivo, in cap. autem II modo magis speculativo praesentata. Melius tamen videretur, rationem et revelationem in istis capitibus non tam separare, prout in titulis videtur. Verum enim est in revelatis, immo in ipso facto Revelationis veram et profundam includi doctrinam libertatis religiosae, cuius etiam doctrinae homines eo magis conscii fiunt, quo humanae personae dignitatem theoretice et practice magis agnoscunt. Proinde quaedam mutatio titulorum mihi *videretur*[4] opportuna, i. e. ut cap. II intituletur « Doctrina de libertate religiosa in dignitate humanae personae fundata », et cap. III « Doctrina de libertate religiosa ex Scriptura et Traditione illustrata » ...[5]

2. Declaratio de libertate religiosa seu de iure personae et communitatum ad libertatem in re religiosa, respicit utique potestates civiles,

sed primario et directe respicit ipsam personam humanam. Eius significatio ethico-socialis significationem ethico-personalem praesupponit. Secundum hanc significationem constituit etiam fundamentum dialogi inter credentes et *inter credentes et* [6] non credentes. Cum tamen illud ius personae ad libertatem in re religiosa a Concilio declaratur, declarari debet etiam responsabilitas in hac re, i. e. in isto iure utendo. Responsabilitas illa autem maxima est, quia res ipsa i. e. religio — relatio ad Deum — maximi est momenti. Et hoc quidem primo, respectu personae cuiuslibet: maximi est momenti pro persona humana qua tali, quomodo ipsa suo iure nativo ad libertatem in re religiosa usa fuerit, quomodo ad Deum sese habuerit. Secundo autem momentum istud responsabilitatis personalis in ordinem socialem transit. Quilibet homo debet vi nostrae conciliaris declarationis etiam ipse declarare posse non tantum suam libertatem sed etiam suam personalem responsabilitatem in re religiosa. Non tantum dicere « in hac re liber sum », sed etiam « responsabilis sum ». Haec est doctrina in viva traditione Ecclesiae confessorum et martyrum fundata. Responsabilitas est quasi culmen et necessarium complementum libertatis. Ipsa debet sublineari, ut declaratio nostra videatur intime personalistica in sensu christiano, non tamen liberalismo vel indifferentismo obnoxia.

Civiles potestates libertatem religiosam tam personalem quam communitariam strictissime et delicatissime observare debent etiam propter responsabilitatem, quae in hac re cuilibet personae humanae incumbit, i. e. pro ipsius religionis humana etiam profunditate.

Notare adhuc vellem, quod sublineando responsabilitatem libertati correlativam, hoc modo etiam — saltem mediate — significationem et vim obiectivam religionis exprimamus. Ius quidem subiectivum est, i. e. ius subiecti scil. personae, immo est ius ad libertatem; sed cum libertati adnexa sit tam magna responsabilitas, et iuri tam gravis obligatio interna, tunc — etsi in perspectiva subiecti, quae nostro schemati aliqualiter connaturalis videtur — optime tamen apparet valor obiectivus religionis, *qui ultimatim ex veritate emanat.* [7]

3. Consequenter *alia* [8] vellem adhuc dicere de limitibus libertatis religiosae determinandis. Ad hanc rem iterum invocandum videtur principium legis moralis observandae, quod quidem in pag. 9, nn. 15 ss. innuitur tamquam prima norma moderans *usum* [9] libertatis religiosae in societate humana, sed non videtur constituere fundamentum ipsius « declarationis » in pag. 5 et 6; immo limites usus libertatis religiosae determinantur « secundum normas iuridicas, quas necessitates ordinis publici postulant » ...[10] ergo secundum legem positivam tantum (*pag. 9*).[11] Ad hanc difficilem quaestionem clarificandam oportet dicere, quod ius

ad libertatem religiosam tamquam naturale (i. e. in lege naturae ergo divina fundatum) non recipit limites nisi ex parte eiusdem legis moralis. Lex humana positiva limites hic imponere nequit, nisi secundum legem moralem. A. v.: tamquam abusus libertatis religiosae potest considerari tantum actus moraliter malus, i. e. contra legem moralem. Proinde propono, ut in textu « declarationis », pag. 6, lin. 7 in fine, ubi legitur « ... ut in re religiosa neque aliquis cogatur ad agendum contra suam conscientiam, neque impediatur, quominus iuxta suam conscientiam privatim et publice agat intra debitos limites », loco verborum « intra debitos limites » ponatur: « nisi tamen actus ex alio capite iam a lege morali vel imperati vel prohibiti sunt » ...[12]

Secundum idem principium legis moralis observandae revidenda sunt praesertim illa quae pag. 9, linn. 27 ss. de norma iuridica eiusque vi limitandi usum libertatis religiosae, quae adhuc multis in locis non videntur opportuna, immo possunt abusibus contra veram libertatem religiosam occasionem praebere. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] iterum, quia iam exc.mus arch. Posnaniensis hoc nomine locutus est. Schema declarationis *de libertate religiosa* in suo textu praesenti magis nobis placet quam in praecedenti propter multas correctiones quae opportuniorem illum reddiderunt. [2] in quibus aliae adhuc correctiones postulabuntur, respiciunt tamen. [3] Primo autem. [4] videtur. [5] Proponerem etiam talem mutationem textus introductorii, ut pag. 1 linn. 8-14 sic sonaret: « quapropter Ecclesia, de concredito sibi thesauro doctrinae divinitus revelatae nova simul et vetera proferens, discernere intendit quantum haec religiosae libertatis postulatio veritati et iustitiae conformis sit ». [6] deest. [7] deest. [8] aliqua. [9] usus. [10] (pag. 9, linn. 32 ss.). [11] deest. [12] (sicut imperata est v. g. restitutio obligatoria, et prohibita prostitutio vel occisio sub specie actionis religiosae).

2

Exc.mus P. D. MICHAËL DOUMITH
Episcopus Sarbensis Maronitarum

Venerabiles Patres,

Loquor nomine septuaginta Patrum ex Medio Oriente, ex Africa et Asia, pro quibus quaestio est gravissima.

Conceptus « Status confessionalis » quem ultima alinea pag. 5 intendit iustificare, modo generali et sine ulla distinctione, est prorsus aequivocus: eadem verba intelligi possunt de « Statu confessionali » apud christianos et de « Statu confessionali » apud non christianos.

Porro apud christianos, Status confessionalis non excludit, de se et saltem nunc, libertatem religiosam (licet non eamdem libertatem agnoscat pro diffusione cuiuscumque opinionis), nec necessario implicat discriminationem inter cives et « diminutionem capitis » propter rationem religiosam.

Est autem alia conceptio Status confessionalis, generatim diffusa apud non christianos, secundum quam non est plena libertas religiosa nisi credentibus et secundum quam lex religiosa est fons ipsius iuris civilis, ita ut soli fideles sint cives pleni iuris, qui autem fideles non sunt patiuntur discriminationem et, in rigore iuris, diminutionem capitis. Cuius discriminationis effectus, civiles et iuridicos, Status exsequi tenetur.

In hoc latet aequivocatio, quod Status confessionalis apud christianos non implicat nisi aliquem favorem honoris et commodi, dum apud alios veram discriminationem implicat quoad essentialia iura. Timendum ergo est, ne loquendo indiscriminatim de Statu confessionali ad iustificandum Statum ...[1] christianum (cui revera nemo adversatur), videamur approbare, praeter intentionem, inacceptabiles formas discriminationis. Ad tollendam aequivocationem, distinguendum esset inter alium et alium Statum confessionalem, quae distinctio fieri non potest quia erit non christianis iniuriosa et practice impossibilis.

Propter hanc ergo aequivocationem latentem et manentem et ne difficiliorem reddamus sortem minoritatum et missionum christianarum, melius est de hac re litigiosa tacere et ultimam alineam par. 5 tollere.

Concreta illustratio harum assertionum scripto *remissa est*[2] secretariatui. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (confessionalem). [2] remittetur (*cf. pag. 137*).

Moderator: Exc.mus D. secretarius generalis novam suffragationem proponit.

Secretarius generalis: Videatis, Patres venerabiles, pag. 32, cap. V, n. 17 [*cf. vol. IV, pars I, pag. 366, nn. 17-18*]. Patres venerabiles, *placetne* textus modo lectus?

3

Exc.mus P. D. IUCUNDUS GROTTI

Episcopus tit. Thunigabensis, prael. null. Acrensis et Puruensis

Venerabiles Patres,

Ex aequivocatione, in die 30 consecrationis meae, vocatus sum alloqui vobis, nam benigne hodie secretariatus accepit petitionem a me factam et a compluribus subsignatam die 16 currentis mensis; et cum ea quae dicere *volebam,*[1] iam dicta sint, verba mea in scriptis maneant.

Tamen, occasione habita, vellem *tantummodo*[2] exprimere desiderium, scil., ut suffragatio hesterna circa dubium propositum ne ultra limites suos extollatur et ea quae exc.mus De Smedt libentissime promisit reapse fiant ad gloriam Dei et populi sui sancti et ad decus nostri Concilii. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] vellem. [2] deest.

Emendationes additae:

Titulus non placet. Dicatur: *a*) de libertate profitendi religionem, vel *b*) de iure personae ... uti prostat in subtitulo. *Ratio* primi est quia libertas est proprietas entis rationalis, ergo religioni non competit sed homini. *Ratio* alteri est quia subtitulus clarior est quam ipse titulus.

Ad n. 1: « Dignitatis humanae personae homines hac nostra aetate magis in dies conscii fiunt ». Auferatur! *Ratio*: est affirmatio contestationi obnoxia, nam numquam uti hodie, conculcantur iura hominum et numquam media tam letalia ad eamdem dignitatem laedendam inventa sunt ut in nostra hac aetate. Ergo de hac conscientia dubitare licet!

Adde quod Christus dixit et fecit humanam naturam ad culmen ducens; et post culmen, evidenter, nihil!

Pag. 5, lin. 2: « postulat haec dignitas etc. ... ». Sit haec enuntiatio introitus declarationis et dicatur: « Postulat humana dignitas, ut in agendo homo, proprio suo consilio etc. ... ». *Ratio* mutationis: hic invenitur quod non habebatur in primo assertu: veritas!

Pag. 5, lin. 3: « proprio suo consilio et libertate ». Dicatur simpliciter: « proprio suo consilio ». *Ratio*: enuntiationes sunt aequipollentes et verbi « libertas » necessarium abusum invenimus in schemate; ergo, in quantum possibile, vitemus repetitiones!

Pag. 5, lin. 5: « coercitione commotus »; dicatur: « motus » vel « ductus » at non « commotus ». *Ratio*: « commotio » est potius de motione interna; dum cetera verba tum ad internam tum ad externam motionem se referunt.

Pag. 5, lin. 5: « sed officii conscientia ». Dicatur: « officio conscientiae » vel simpliciter « conscientia ». *Ratio*: claritas! Nam hoc in loco « officium » significare videtur « dignitatem » vel aliquid simile; sed haec vox fere semper aliquid aliud

significare potest uti videre fas est in Cicerone *De Officiis* et in permultis documentis latinitatis.

Pag. 5, lin. 7: « ea maxime respicit, quae ad religionem spectant ». Cur iste « maxime »? ... Ratio non videtur; insuper libertas est una quae ad plura, pari modo, se extendit; dicatur ergo: « quae libertatis postulatio ... et ea respicit quae ad libertatem religiosam spectant ».

Pag. 5, lin. 8: « ad has animorum appetitiones »; quae? ... nihil hucusque de appetitionibus locuti sumus; ergo dicere non valemus « has appetitiones »!

Pag. 5, lin. 9: « Ecclesia ». Haec Ecclesia sunt Patres Conciliares qui in Ecclesia sunt sed non sunt Ecclesia: dicatur ergo verius: « Patres » et omnes sciunt de Conciliaribus Patribus agi in praesenti!

Pag. 5, lin. 10: « quantum sint veritati et iustitiae conformes » ergo hic quaeritur an Deus, auctor et reparator humanae naturae, cum veritate et equitate egit? ... Non videtur blasphemia? ... Auferatur ergo et dicatur simpliciter de voluntate Patrum explicandi hanc humanae condicionis essentialem proprietatem!

Et in lin. 13 auferatur vox « iustas » quia de iustitia inquirendum esset ad sensum assertionis superius allatae!

Pag. 5, lin. 12: « denuo animadvertens » quomodo possumus dicere denuo, si nihil antea de doctrina divinitus tradita dictum est? ... Insuper, si post argumentationem per 10 lin. distractam, tandem ad doctrinam revelatam revertitur, hoc significat quod antea hanc ipsam doctrinam de qua sumus unici depositari fideles (?) non animadvertebatur; quod absurdum mihi videtur.

Pag. 5, lin. 12: « vetera et nova »; sermo, meo humili iudicio, deberet esse de veritate non de novitate! Insuper adde quod doctrina revelata nequit aequiparari doctrinae humaniter inventae. Quod si agitur de revelatione tantum, nescio quomodo nova possumus audire, cum revelatio multis abhinc saeculis clausa sit! ...

Pag. 5, lin. 14: « confirmandas »; haec confirmatio non est finis praecipuus doctrinae Ecclesiae! Dicatur aliquid non tantum de conformitate doctrinae Ecclesiae et Sociologiae, sed de necessitate hominis omnia inquirendi quae sibi videntur necessaria tum ad salutem tum ad felicitatem et de possibilitate haec omnia inveniendi, in maximo gradu, in Ecclesia Christi.

Moderator: Loquatur nunc exc.mus D. Alfredus Ancel. Post eum, prosequendo disceptationem *de Ecclesia in mundo huius temporis*, velit loqui em.mus D. card. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus in Italia.

4

Exc.mus P. D. ALFREDUS ANCEL

Episcopus tit. Myrinensis, aux. Lugdunensis

Venerabiles Patres et Fratres carissimi,

Aliquid brevissime, post votationem hesternam, vellem afferre. Nomine autem plus quam centum episcoporum Galliae et quorumdam aliorum loquor.

Pluries enim postulatum est ut *fundamentum ontologicum* libertatis religiosae afferretur. Aliquibus enim videtur insufficiens argumentum ex sola dignitate personae humanae *proveniens*.[1]

Insuper nondum ostensum est quis nexus exsistat inter obligationem quaerendi veritatem et ipsam libertatem religiosam. Sane pluries dictum est obligationem inesse homini quaerendi veritatem; pariter dictum est nullam esse obiectionem ex parte libertatis religiosae contra hanc obligationem; sed nunquam, ni fallor, positive manifestatus est nexus inter utramque.

Unde vellem paucis verbis afferre hoc fundamentum ontologicum et, eo ipso, ostendere nexum necessarium qui exsistit inter obligationem quaerendi veritatem obiectivam et ipsam libertatem religiosam.

Ecce autem[2] propositio mea: fundamentum ontologicum libertatis religiosae, qualis in nostro textu proponitur, est ipsa obligatio quaerendi veritatem.

Etenim omnis homo, quia homo est, i. e. ratione et voluntate *libera*[3] praeditus, tenetur quaerere veritatem obiectivam, eique adhaerere et totam vitam suam secundum exigentias veritatis ordinare.

In hoc principio consentire nobiscum possunt omnes qui veritatem et iustitiam toto corde quaerunt, etiamsi credentes non sint.

Ex alia parte, quia non in aliqua dispositione subiectiva, sed in ipsa natura hominis fundatur hoc principium, valore gaudet stricte universali.

Saepissime tandem et sub diversis formis, hoc principium a Scriptura explicite affirmatur.

Attamen ut homo huic obligationi satisfacere possit, eo modo quo Deus vult, i. e. modo consentaneo suae naturae, necessarium est ut non solum libertate psychologica fruatur, sed etiam ut immunitate ab omni coercitione gaudeat. Ideoque non solum non datur oppositio inter libertatem religiosam et ipsam obligationem quaerendi veritatem, sed libertas religiosa in hac ipsa obligatione fundatur et obligatio quaerendi veritatem postulat libertatem religiosam.

Notate tandem, venerabiles Patres, plerosque homines sive christianos sive non christianos unice cognituros esse de nostro textu quae in n. 2 enuntiantur. Hic numerus enim nucleum declarationis constituit.

Vellem ergo ut in isto numero ponatur hoc fundamentum ontologicum atque clare affirmetur connexio quae exsistit inter libertatem religiosam et obligationem quaerendi veritatem.

Ex *hoc autem*[4] firmabitur opinio eorum qui libertatem religiosam libenter admittebant, et maior securitas afferetur iis qui, in hoc tempore crescentis indifferentismi et subiectivismi, aliquem timorem, et non sine ratione, patiebantur.

Modum autem quo haec in n. 2 inseri poterunt, exc.mo secretario tradidi. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] desumptum. [2] En igitur. [3] deest. [4] his autem quae dixi.

[*Subscripsit*] Auctoritate mihi facta ab episcopis 31 conferentiae Indonesiae declaro nos plene consentire iis quae ab exc.mo D. Ancel in aula dicta sunt die 22 sept. 1965: J. Darmajuwana, arch. Semarang.

Aliae animadversiones additae:

Textus schematis omnino mihi placet quoad principia et quoad rationem expositionis. Unum tantum vellem proponere scilicet quod introducatur in numero secundo, scilicet in ipsa declaratione, *ratio profunda in qua fundatur ipsa libertas religiosa.*

Motiva huius emendationis sunt haec:

1. Probabile est *solam declarationem cognosci* sive a christianis sive a non christianis. Unde continere debet omnia quae sunt necessaria ut recte intelligatur mens Concilii.

2. Modus quo exponitur in tertia paragrapho huius numeri quarti exclusio errorum qui ex nostra declaratione venire dicuntur, *nimis negativus est.* Neque in hoc numero nullibi ostenditur quomodo haec libertas religiosa connectitur cum obligatione quaerendi veritatem eique adhaerendi atque *in ea obligatione fundatur.*

3. Diebus nostris certe existit periculum et quidem gravissimum indifferentismi, subiectivismi et relativismi. Ne forte quidam, falso, nostrum textum in hunc sensum avertant, necessarium est ut, *ab initio clare affirmetur* ipsam libertatem religiosam his erroribus vere opponi.

4. Maxime optandum esset ut *unanimitas habeatur* in materia tanti momenti. Haec autem necessitas haberi non poterit, nisi, iam ab initio, damnentur falsae interpretationes quae forsan nostro textui dabuntur.

Propterea, aliquam mutationem proponam in redactione huius numeri.

Imprimis vellem ut *ex dignitate personae humanae* clare affirmetur necessitas quae omnibus hominibus imponitur *quaerendi veritatem eique adhaerendi.* In hoc nobiscum consentire oportet non solum christianos sed etiam omnes qui veritatem et iustitiam toto corde quaerunt.

Deinde ostenderetur quomodo ex hoc officio fundamentali resultat libertas religiosa. Quia enim homo veritatem quaerere debet eique adhaerere, libertate debet pollere ut tali officio obediens possit esse.

Unde servatis duabus primis paragraphis, tertia paragraphus non iam negative et quasi concessive proponeretur sed positive et categorice.

Textum emendatum secretariatui tradam.

Nova redactio n. 2 addita:

1. In fine numeri primi, sic finem habebit paragraphus: « ... quae ad iustas hominum appetitiones *illustrandas et* confirmandas inserviunt ». *Ratio*: vox *illustrandas* inseritur quia Concilium non solum confirmat iustas appetitiones hominum sed illustrat eas dando eis proprium ontologicum fundamentum.

2. Prima phrasis n. 2 integra remaneat. Deinde ita pergit textus: « ... verbo

Dei revelato cognoscitur. Dignitate enim sua omnes homines tenentur, quia homines sunt, ratione scil. et libera voluntate praediti, quaerere veritatem eique adhaerere atque totam vitam suam secundum exigentias veritatis ordinare. Ut autem huic obligationi homines satisfacere queant modo suae propriae naturae consentaneo, non solum libertate psychologica frui debent sed etiam immunitate a coactione externa. Quae immunitas libertas religiosa vocatur. Haec autem in eo consistit quod homines... ».

Tunc pergit textus qualis iacet usque ad finem huius paragraphi. Nova phrasis additur: « ... intra debitos limites. Quae quidem immunitas perseverat etiam in eis qui culpa sua obligationi quaerendi veritatem eique adhaerendi non satisfaciunt, dummodo tamen aliis detrimentum non afferant. Non enim in dispositione subiectiva fundatur libertas religiosa sed in ipsa natura humana ».

Secunda paragraphus manet immutata. Aliqua tandem in tertia paragrapho mutantur ut reliquis paragraphis congruenter societur. Ita scribi posset: « Turpiter ergo erraret qui, ex libertate religiosa, independentiam hominis a veritate obiectiva, sive in re doctrinali sive in re morali deducere vellet, cum libertas religiosa in ipso officio quaerendi veritatem obiectivam eique adhaerendi fundetur. Nullo ergo modo ius habet homo falsum ac verum aeque aestimandi, aut sese dispensandi officio formandi sibi veram de rebus religiosis sententiam, aut arbitrio statuendi utrum et in qua religione et quanam ratione Deo servire velit. Eadem prorsus ratione quae de libertate religiosa affirmamus, intactam relinquunt doctrinam catholicam de unica vera religione et de unica Christi Ecclesia ».

Emendationes additae:

1. *Ad n. 5.* In ultima paragrapho huius numeri (pag. 10, linn. 13-20) agitur *de speciali agnitione* alicuius communitatis religiosae. Relate ad hunc numerum, duo vellem dicere:

1) Mihi videtur retinenda propositio card. Alfrink qui postulavit ut haec paragraphus scribatur modo concessivo. Ita Concilium nec approbaret nec condemnaret hoc factum, sed unice, dato facto, regulas praeberet sequendas.

2) Mihi etiam videtur addenda mentio explicita, in hoc loco, de aequalitate omnium civium, non tantum sub aspectu religioso sed etiam sub aspectu iuridico, oeconomico et sociali. De facto, in aliquibus Statibus musulmanis, ii qui non sunt musulmani non habent aequale ius ad laborem.

Ad hoc faciendum, sufficeret ut adderentur aliqua verba in fine paragraphi ... « agnoscatur et observetur, non tantum quoad actus qui ad religionem pertinent, sed etiam quoad omnia iura civilia, in re familiari, oeconomica, sociali et politica ».

2. *Ad n. 6.* Optime dicitur in n. 6 abstinendum esse « in fide religiosa disseminanda et in usibus inducendis » ... « ab omni actionis genere, quod coercitionem vel suasionem inhonestam aut minus rectam sapere videatur, praesertim quando de rudioribus vel de egenis agitur » (pag. 12, linn. 7-13). At non sufficit principium proclamare; etenim in hoc casu, quia agitur de actione quae violat ius aliorum ad veram libertatem, potestas civilis posset, atque etiam in aliquibus casibus deberet intervenire. Haec mentio muneris quod incumbit potestati civili posset quidem recoli in n. 4, *b*), quando agitur de norma iuridica; melius autem posset brevissime notari in fine paragraphi citatae. Posset e. g. dici: « Si qua communitas religiosa hanc regulam non servaret, posset ab ipsa potestate civili legitime cohiberi. Debet enim status libertatem religiosam protegere ».

3. *Ad nn. 7-8.* Sacra Scriptura, sicut clare dicitur in Relatione, nunquam directe de nostro problemate disseruit. Attamen plures iam citantur textus qui totam argumentationem valde illustrant. Ad ea quae iam dicuntur, duo vellem addere:

1) Clare affirmetur ex Scriptura officium, quod omni homini incumbit, ex voluntate Dei, quaerendi veritatem, eique adhaerendi et totam vitam suam secundum exigentias veritatis ordinandi. Hoc enim officium, ut alibi diximus, fundamentum est libertatis religiosae tum psychologicae tum externae.

2) Addantur textibus iam citatis in numero octavo saltem textus sequentes ipsius Christi et S. Pauli. Quae enim scripta sunt in parabola de zizania in medio tritici seminatae, clare manifestant mentem Christi etiam relate ad eos qui mala fide agunt (*Mt.* 13, 24-30; 36-42). Clare namque opponitur in parabola suggestio servorum qui volunt statim colligere zizania, sententiae domini dicentis: « Sinite utraque crescere usque ad messem »... Aliunde ex S. Paulo discimus quomodo conversari debeamus erga fratres qui bona fide in errore inveniuntur. In epistola ad Romanos, Paulus loquitur de iis qui abstinendum esse putant a quibusdam alimentis quasi communia essent (15, 1-25); deinde in epistola prima ad Corinthios de iis agit qui ab idolothytis se abstinent (8, 1-15). In utroque casu docet nos S. Paulus quantum revereri debeamus fratres nostros etiamsi in errore sint. In tali modo agendi saltem affirmatur obligatio quae imponitur homini ut secundum conscientiam suam agat.

Posset brevissime his textibus alludi. Sic allusio ad parabolam zizaniae posset fieri sub fine primae paragraphi, e. g.: « Etiam quoad malos patienter agit, relinquendo eis tempus paenitendi quamdiu vivunt » (cf. *Mt.* 13, 24-30, 36-42). Allusio ad textus S. Pauli pariter fieri posset sub fine secundae paragraphi, e. g.: « Simul autem multum verebantur conscientiam debilium etiamsi in errore versabantur, sic ostendentes nobis quomodo unusquisque teneatur conscientiae suae oboedire » (cf. *Rom.* 15, 1-23; *1 Cor.* 8, 1-15).

Moderator: Exc.mus D. secretarius generalis ulteriorem suffragationem annuntiat.

Secretarius generalis: Pag. 33 [*cf. vol. IV, pars I, pag. 367, n. 19*]. *Placet* an *non placet?*

Moderator: Circa, ergo, schema XIII *de Ecclesia in mundo huius temporis,* in genere sumptum, faveat loqui em.mus D. card. Ernestus Ruffini.

PATRUM ORATIONES

(*De Ecclesia in mundo huius temporis*)

5

EM.MUS P. D. ERNESTUS CARD. RUFFINI

Archiepiscopus Panormitanus

Venerabiles Patres,

Schema quod disceptationi nostrae subicitur, multae sane operae ac laboris, diuturnarum cogitationum et mirae patientiae est fructus, idemque mundo nostrae aetati copiosa praebet auxilia; quapropter competenti commissioni gratias ex imo corde ago.

Attamen plura, meo quidem humili iudicio, emendanda vel in melius immutanda sunt ut schema omnibus numeris absolutum evadat.

1. Sermo fusior est quam oporteat; ita enim copiosus est ut aegre quis totum textum legere valeat, eo vel magis quod haud pauca hic illic repetuntur.

2. Ut heri aliquot em.mi Patres iam animadverterunt, oratio latina, quam ciceronianam nemo exspectaret, tam inepta est, ut latina, generatim, dici nequeat et constitutionem conciliarem vere dedeceat.

3. Haud paucae sententiae adeo obscurae atque confusae sunt ut etiam ego ipse, sicut em.mus Bea de se hesterna die fassus est, cum pluries eas legissem vix sensum perceperim.

4. Non desunt affirmationes parum accuratae, ne dicam eas falsas.

De iis separatim dicam, si mihi occasio dabitur quando de singulis capitibus disceptabitur.

Nunc liceat mihi quae in schemate scripta sunt in universum considerare.

Permulta dicuntur de hominum condicionibus et problematibus (sit venia verbo!) in hoc mundo; sed vix attingitur acervus scelerum et culparum quibus magna pars societatis vitiatur, maxime in nationibus quae de perpolita humanitate gloriantur. Etenim quis ignorat plurimos ex omni ordine sociali aviditate pecuniae incensos esse et nullo satiari lucro? Item neminem fugit morum turpitudinem, contra ipsam legem naturalem, latius in dies diffundi, auctis continuo corruptelae instrumentis.

Profecto paupertas, fames, iniustae discrepantiae, controversiae, con-

flictationes graviter animos percutiunt, excruciant, sollicitant, sed nulla calamitas tam laedit hominem ac personae dignitatem quam vitium cuiuscumque generis.

Deinde permoleste fero silentio *dolorem* praeteriri, qui, post peccatum Adae, vitam humanam a nativitate ad sepulcrum fideliter comitatur.

Quot etiam hodie sunt aegroti, quot omni solatio destituti et curis vacui! Cur Ecclesia in Concilio Oecumenico, se mundo exhibens, virtutem et salutarem efficacitatem doloris non praedicat? Dolor, praecipue ex Christi Crucifixi exemplo, vitae terrestris exiguitatem manifestat, a mundi fallacibus illecebris abstrahit, animum ad caelestia facile attollit, atque caritatem excitat erga miseros omnes.

Etenim dolor humanus gratiae Dei sodalis et adiutor optimus recte appellatur.

Porro, in textu, Ecclesia, quasi flexis genibus, veniam petit quia in sinu suo non defuerint qui « plurium animos — ut legitur in pag. 22 — eo perduxerunt, ut fidem et scientiam inter se opponerent »; eamque asseritur « omni saeculo apparuisse quibusdam rugis maculatam » ...[1]

Valde mihi displicet ita praesentari mundo Matrem Ecclesiam, pro qua, ut docet apostolus Paulus ...[2], Christus seipsum tradidit, « ut illam sanctificaret mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata ».

Si qui pauci Ecclesiae filii, doctrinae Ecclesiae non obtemperantes, matri fuerunt dedecori, quam multi ipsam operibus innumeris, usque ad sanguinis effusionem, amplissimis honoribus perenniter decorarunt!

Sufficiant pauca breviter meminisse.

In ea mediae aetatis parte quae obscurissima dici solet, cum litteras ingenuasque artes novi barbarorum incursus submergere minitarentur, hae ab omnibus derelictae apud catholicae religionis templa atque monasteria in unum scil., quod daretur, perfugium atque asylum tuto se receperunt.

Fere omnes antiquae studiorum Universitates clarissimae Romanos Pontifices aut conditores, aut saltem habuerunt fautores atque duces; et deinceps Sedes Apostolica Romana, pro sibi insita natura, eiusmodi sapientiae veluti coenacula docendi instituta condere atque fovere numquam destitit.

Heroici Missionarii, fratres nostri admirabiles, nonne in regionibus non satis excultis semper contendunt ut prope sacella, scholae etiam aperiantur ad rudes populos litteris et agrorum colendorum arte imbuendas?

Ecclesia a servitute captivos liberavit, aegrotos puerosque derelictos

et orphanos, materno amore, semper curavit, omni ope annisa est ut pauperes reficerentur et recrearentur, ubique terrarum praeconium ...[3] veri gaudii promulgavit.

Non erit profecto abs re, in memoriam cunctarum gentium paucis revocare quae Ecclesia egerit et adhuc efficiat in bonum totius societatis, non solum ut homines aeternam vitam adipiscantur, sed etiam ut hisce in terris omni prosperitate — quantum possibile est — fruantur.

Demum annoto rerum tractationem et partitionem aptiores reddendas esse. Nonne melius esset omnes humanas condiciones nostrae aetatis ordinatim describere et ad singulas doctrinam Ecclesiae clare proponere ut necessitatibus quae ex eisdem condicionibus profluunt christianum remedium praebeatur, et lumina fidei nostrae afferantur quibus quaestiones, omnes homines hodiernos acriter cruciantes, solvi possint?

In textu aliquot principia doctrinae catholicae, dispersim quidem, laudantur; sed ea aut non declarantur, aut cum humanis condicionibus, quae describuntur, non satis cohaerent.

Societas primis Ecclesiae temporibus certo melior non erat societate nostra, quamvis aliae essent vitae condiciones; at apostoli methodum, nunc quoque tenendam, nos docuerunt.

Hodiernae condiciones omnino necesse est ut prae oculis habeantur et perpendantur; sed Evangelium Christi perspicue et concinne exponatur, cum vim propriam, eamque divinam, ipsum exserat, quae ad omnem difficultatem solvendam, hodie quoque, certo valet.

Ita elucebit ratio qua ordo naturalis et supernaturalis pro omnibus hominibus vitam in terra degentibus necessario, ex Dei voluntate, inter se coniunguntur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] pag. 43. [2] *Eph.* 5, 25-27. [3] pacis et.

Moderator: Exc.mus D. secretarius generalis XV suffragationem de schemate *de divina revelatione* velit proponere.

Secretarius generalis: Pag. 33 [*cf. vol. IV, pars I, pag. 367, n. 20*]. *Placet* an *non placet?*

6

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. SIRI
Archiepiscopus Ianuensis

Venerabiles Patres,

Quod Concilium agat de Ecclesia in mundo huius temporis, optimum est. Tamen circa hoc schemate in genere aliqua *habeo* [1] observanda.

1. *De carentia huius schematis.*[2] Limites, intra quos schema exhibet mundum huius temporis in his quae Ecclesiam intersunt, sunt omnino angusti. Etenim de quibusdam quaestionibus tantum fit sermo. Omittuntur e contra quae magis directe pertinent ad specificam, spiritualem et supernaturalem missionem Ecclesiae in hoc mundo. Iure desideratur equidem ut mentio habeatur de quaestionibus huius mundi, sed potiori iure desideratur ut ea exponantur quae magis dicunt ordinem ad missionem Ecclesiae.

Sermo fit de persona, de quaestione demographica, de oeconomia, de rebus internationalibus *et de ceteris.*[3] Nihil dicitur de peccato, de indifferentia erga peccatum, de indifferentismo et relativismo in materia religiosa, de laicismo, de educatione sociali quae more tam collectivistico fit ut inde damnum patiatur dignitas et libertas humanae personae, de omnimoda praevalentia technologica supra res omnes spirituales etc.

Hoc schema habet ex hac parte carentiam gravem. Atqui Ecclesia non potest considerare solummodo quaedam ad humanum ordinem pertinentia et ea negligere quae sunt sibi propria. Quae sunt spiritualia et quae directius pertinent ad salutem animarum, sunt Ecclesiae magis propria.

Timeo ne populus fidelis fortiter miretur si *taceamus* [4] de his, quae magis directe respiciunt in mundo huius temporis specificam missionem Ecclesiae. Suspicor ne suspicio subrepat — hoc agendo — nos non velle tantum ut Ecclesia quid conferat ad solvendum in supernaturali servitio aliquod malum sed potius ut ea se aptet limitibus realitatis mere terrestris.

Hic non sumus in sede solummodo humanistica, sed sumus in sede supernaturalis Fidei.

2. Ipsis denique quaestionibus praesertim terrestribus, quae in hoc schemate ponuntur, respondendum esset per clariorem et genuinam doctrinam Evangelii. Quaestionibus etenim huius mundi Ecclesia conferre debet id quod habet, nempe sacram doctrinam, supernam certitudinem,

media sacramentalia, thesaurum virtutum, impetrationem, supernaturalem gratiam. Et de his parvus est sermo in hoc schemate.

3. Adhaereo praeterea his quae heri dixerunt em.mi cardd. Landázuri et Bea, *et hodie em.mus Ruffini.*[5] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] sunt. [2] deest. [3] deest. [4] tacemus. [5] deest.

Animadversiones scripto traditae:

Lo schema della Costituzione Pastorale *de Ecclesia in mundo huius temporis* lascia profondamente perplessi ed intimoriti non per un solo motivo.

a) I limiti nei quali si manifesta la « Chiesa nel nostro tempo » appaiono angusti, perché lo schema tratta solo di alcuni aspetti o problemi moderni. Non tratta affatto di aspetti ben più gravi, che interessano direttamente la missione soprannaturale ed eterna della Chiesa, quali il problema del peccato e di tutta l'organizzazione immorale, il problema dell'indifferentismo e del relativismo in materia religiosa, il problema del laicismo imperante anche tra cattolici, il problema della situazione spirituale ed educativa della gioventù, il problema della formazione di massa, il problema della crescente aridità e tristezza nella vita delle anime, il problema terribile della prevalenza tecnica nella Società ecc.

Io temo veramente che il popolo cristiano si scandalizzi leggendo un Atto Conciliare, il quale taccia su aspetti, i quali direttamente interessano la missione soprannaturale della Chiesa. Temo altresì che l'opinione pubblica — qualche volta non spernenda — accusi questo schema di essere di ispirazione maritanista. Non intendo qui riferirmi ad un egregio Uomo, ma, a suoi sedicenti discepoli, che vanno sotto il nome di maritanisti.

Che la Chiesa non si preoccupi in modo solenne del « peccato » gravissimo del secolo e della sua empietà ed incredulità, potrebbe far pensare a molti che si intende sostituire la preoccupazione fondamentale a noi lasciata dal Divin Salvatore.

b) Lo schema, nella preoccupazione che manifesta della questione demografica, lascia chiaramente la soluzione del « bonum prolis » alla coscienza dei coniugi. Ciò appare del tutto pericoloso, perché la coscienza dei coniugi può essere preda di allettamenti o dottrine alieni dalla vera morale cattolica. Dove tratta la questione, lo schema non pare presenti con chiarezza la dottrina « certamente fin qui insegnata dalla Chiesa » a proposito del Matrimonio e delle sue finalità.

Poiché l'aspetto particolare al quale è legato questo punto dello schema e cioè l'uso di taluni rimedi medicamentosi è tuttavia sub iudice, non appare possibile trattare l'argomento in modo completo. Si tratta infatti di documento che impegnerebbe un Concilio Ecumenico.

c) Il testo dello schema appare avere altre ombre, anche minori, circa la complessità e forse immaturità dei problemi che coinvolge. Ma si tratterà di rilievi particolari, non di impostazione generale.

7

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. KÖNIG
Archiepiscopus Vindobonensis

Venerabiles Patres,

Ex discussione de schemate *in genere*[1] hucusque peracta constat iudicia non omnino consonantia de eius valore proferri. Voces laudis et criticae miscentur. Quod mirum non est cum Sacra Synodus cum hoc documento elaborando novas vias in historia Conciliorum ingrediatur, dialogi scil. cum mundo et quidem *huius* temporis. Sincere agnoscendum est commissiones et subcommissiones praeparatorias huius schematis ingentem laborem perfecisse, *et ideo omni laude dignas esse.*[2] Ad perficiendum laborem et finem propositum haec pauca asserere liceat, ...[3] quidem addere liceat: 1. de scopo; 2. de methodo *schematis.*[4]

Ad I) De scopo schematis. Non sunt repetenda ea, quae iam in constitutione dogmatica *de Ecclesia* dicta sunt, scil. de natura et munere Ecclesiae in ordine salutis supranaturalis, de eius missione ad totum genus humanum. In schemate nostro, Ecclesia imprimis de ea loqui vult, quae Ecclesiae vi suae missionis propriae conferre possit ad solvenda problemata mundi huius temporis. Non ut se ingerat in negotia aliena sed ad verificandum ordinem in tota familia hominum et gentium, qui dignitati personae et filiorum Dei correspondeat. Sic fructus Evangelii etiam cum mundo non credente aliquo modo vult communicare. Ex hoc scopo schematis apparet prima difficultas, imprimis in cap. IV partis I, quod, ut mihi saltem videtur, melius poneretur post analysim in « expositione introductiva ».

Ad II) De methodo schematis. Duae animadversiones[5]: *Prima animadversio*[6]. Ex studio alloquendi mundum *hodierni* temporis schema in periculo est ne tantum aliquid transitorium sit et pro brevissimo tempore tantum valeat. Hoc periculum imprimis apparet in analysi « De hominis conditione in mundo hodierno » (in nn. 4-9), quae analysis ceteroquin optima continet. Sed textus nimis mutationibus temporis actualis inhaeret. Non satis apparet, quid in mutationibus descriptis tamquam factor constans permaneat. Nonne ita schema adeo momento transeunti dedicatum ipsum mox in turbine mutationum abripietur?

Principia ergo fundamentaliora in hac prima parte ponenda mihi videntur, quibus ostenditur: *a*) Ecclesiae semper munus incumbere signa temporis dignoscendi et in dies novum conatum necessarium esse ad hoc praestandum. *b*) Qua via ad recte intellegendum mundum actualem

perveniamus. *c*) Quales sunt quaestiones ultimae quae tamen semper novis formis et necessitatibus se manifestant et quas omnes generationes historiae solvere debent.

Schema ad hoc praestandum iam multa continet. Si bene componuntur textus brevior et densior evadet.

Secunda animadversio[7]. Clarius appareat quis, quo iure, ad quem fit sermo in schemate.

a) Non satis patet subiectum loquens in schemate (*quod iam heri dictum est*)[8]: tria subiecta inveniuntur. Ex una parte Populus Dei (qui interdum generi humano opponitur sed Populus Dei est tantum pars generis humani. Deinde Populus Dei interdum apparet ut aliqua res sociologica et non exhibetur in sensu theologico proprio). Ex altera parte subiectum loquens apparet ut Sacra Synodus vel verbum « nos » indefinitum et litterarium.

b) Specialis difficultas argumentandi, qua schema laborat, est diversitas hominum quos alloquitur. Ex eo *aa*) periculum alicuius reductionis veritatis propter desiderium alloquendi etiam homines non credentes. Schema ergo procedat ex pleno conceptu biblico — *conceptu biblico*[9] — « mundi », « hominis », « historiae », ita ut talis conceptus totam expositionem pervadat: peccatum, veritas crucis, necessitas poenitentiae, spes resurrectionis cum Christo suum locum *habere debent*.[10] Ita realitas hominis verius attingitur et periculum evitatur ne promittamus paradisum in terra, et solutionem omnium problematum, *ut ita dicam*,[11] quod nonnisi in statu finali attingi potest. *bb*) Sancta Synodus in schemate aperte designat ubi ex suis fontibus loquitur. Ex altera parte concedat se in multis neque ex fide neque ex ratione responsum promptum et plenum habere, se tamen solutionem pro viribus quaerere velle.

Concludo. Schema per se iam via recta incedit novumque typum doctrinae conciliaris approbamus. Sed schema finem suum melius attinget si scopus clarius adhuc percipitur, si modus proponendi doctrinam purgatur et si textus contrahitur ad graviora et fundamentaliora principia. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] XIII. [2] deest. [3] Ex parte nostra ad hunc finem assequendum. [4] deest. [5] deest. [6] 1. [7] 2. [8] deest. [9] deest. [10] habeant. [11] deest.

Moderator: Velit nunc exc.mus D. secretarius generalis proponere XVI suffragationem circa schema *de divina revelatione*.

Secretarius generalis: Fit suffragatio de integro cap. V, scil.: de Novo Testamento. Patres venerabiles, *placet* vobis hoc caput, *non placet* an *placet iuxta modum?* Respondeatis. Suffragationes prosequentur usque ad horam 12.

8

EM.MUS P. D. IULIUS CARD. DÖPFNER
Archiepiscopus Monacensis et Frisingensis

Venerabiles Patres,

Nomine 91 Patrum conciliarium linguae germanicae et Nationum Scandiae, quorum nomina referuntur in adnexo, liceat mihi circa nostrum schema sequentia notare:

I - Omnes hi Patres libenter agnoscunt, *et cum gratitudine,*[1] quod schema in comparatione cum textu anno elapso disceptato essentialiter emendatum est. Praeter ea, quae iam ab aliis laudata sunt, haec commemorare velim:

1. Ipsa problemata huius schematis multo clarius proponuntur.
2. Pars doctrinalis in multis amplior et profundior facta est.
3. Schema procedit a quaestionibus concretis hominum huius temporis. Praeterea conatur, *etsi non semper cum omni successu,*[2] invenire aliquem modum dicendi, qui ab iisdem vere intelligatur eosque ad dialogum invitet. Quae methodus omnino approbanda est, *immo adhuc perficienda.*[3]
4. Placet etiam, quod elementa Adnexorum in ipsum textum conciliarem assumpta sunt, et *in*[4] parte II novum caput de vita politica additum est.

Quae omnia spem praebent totum schema intra hanc sessionem et hunc annum ad eam maturitatem adduci posse ut, post duplicem emendationem ulteriorem, i. e. introductis correctionibus in actuali disceptatione propositis et additis modis in votatione proferendis, cum bono successu a Concilio absolvi possit.

II - Verumtamen etiam Patribus *supradictis*[5] schema praesens in nonnullis et quidem haud parvi momenti rebus adhuc deficere videtur. Quare intenso labore indigebit, usque dum eam formam induat, quae a Concilio et a mundo desideratur et exspectatur.

Inter perfectiones schemati adhuc addendas recensemus imprimis haec:

1. Relate ad doctrinam in schemate contentam liceat animadver-

tere. In anthropologia, quae in parte I proponitur, continentur quidem elementa plura quae ad christianam doctrinam de homine spectant; tamen synthesis horum elementorum et pondus, quod singulis attribuitur, nondum satisfaciunt. Ita e. g. non clare distinguuntur, quaenam ad ordinem naturalem, quaenam ad supernaturalem pertineant. Verum quidem est, ordinem redemptionis assumere seu comprehendere in se ordinem creationis; tamen utriusque distinctio semper debet accurate salvari. Quare in schemate ea quae ad priorem pertinent, ab iis quae ad alterum spectant, clarius distinguenda sunt.

Pariter profundae consequentiae *actus* [6] peccaminosi non sufficienter describuntur, *uti iam ab aliis Patribus vituperatum est.*[7] Si textus legitur, saepius oritur impressio ac si alicui textui primigenio posterius *huiusmodi phrases additae essent,*[8] quae illum corrigerent atque supplerent, *sed nondum sunt intime et organice coniunctae.*[9]

2. Inter problemata in schemate nondum satis dilucide exarata recensenda est etiam haec quaestio: Quid praecise potest fides praestare ad illuminandum et roborandum mundum? Quaedam sane hac de re proferuntur, sed non ea claritate, quae ab hoc textu exspectatur ...[10]. Cavendum est, ne in principiis, quae damus, exspectationes excitemus, quibus de facto satisfacere *nunquam* [11] possumus. Schema aliquando tales exspectationes excitat; solutiones vero concretae, quae proponuntur, adeo generales manent, ut facile habeatur disillusio. *Talis optimismus falsus devitari deberet.*[12]

3. Scio textum, ut Patribus tempestive mitti posset, a commissione elaboratum esse sub pressione temporis. Hoc certe multas imperfectiones styli, repetitiones, etc. explicat. Timeo *autem,*[13] ne ex eadem ratione non sufficienter expetitum sit consilium vere peritorum etiam laicorum in ultima redactione textus, praesertim partis II. Curet commissio ut in ulteriore correctione textus hic defectus evitetur.

4. Pro certo habeo textum in multis adhuc substantialiter perfici posse et debere. Attamen non minus persuasum mihi est eum propter novitatem materiae et ex pluribus aliis rationibus etiam in illa forma, quae in Concilio *pro nobis* [14] attingibilis est, retenturum esse notabiles imperfectiones. Hoc textus ipse simpliciter et sincere concedere debet; *et non erit Ecclesiae dedecori sed in honorem.*[15] Documentum nostrum est aliquod initium novi colloquii cum mundo, *et hoc initium est sat difficile.*[16] Si ii, quos alloquimur, hunc dialogum nobiscum prosequuntur, sperare licebit fore ut doctrinae et directivae ab Ecclesia promanantes de die in diem clarius, abundius et efficacius proponantur atque exprimentur.

Elenchum plurium quorumdam locorum schematis, qui urgentius retractatione indigere videntur ...[17], trado secretariatui generali in scriptis adnexis.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] quod n. 1 antecedentis schematis, qui de fundamentalibus iuribus personae humanae egit, in partem generalem novi textus remissus, necnon in eiusdem. [5] nostrae conferentiae. [6] status. [7] deest. [8] addita essent quaedam elementa. [9] deest. [10] Porro desideratur convincens responsum, quid hac in re polleat hierarchia Ecclesiae, quid valeant singuli fideles viventes atque agentes ex conscientia sua fide formata in concretis situationibus vitae suae familiaris, socialis et politicae. [11] non. [12] deest. [13] vero. [14] deest. [15] deest. [16] deest. [17] quin tamen locos emendandos exhauriant, nomine Patrum conciliarium linguae germanicae et Scandiae.

[*Adhaeserunt etiam*] Em.mi ac exc.mi PP. DD. Angerhausen, ep. aux. Essendien.; Bengsch, arch.-ep. Berolinen.; Beran, arch. Pragen.; Bliestle, sup. gen. M.S.F.; Bolte, ep. Fulden.; Borne, abb. praes. Congr. Beuronen. O.S.B.; Brezanóczy, adm. ap. Agrien.; Buchholz, praef. ap. Shihtsienen.; Buchkremer, ep. aux. Aquisgranen.; Cobben, ep. Helsinkien.; Cserháti, adm. ap. Quinque Ecclesien.; Duschak, vic. ap. Calapanen.; Elchinger, ep. coad. Argentoraten.; Emanuel, ep. Spiren.; Etspüler, prael. null. Banguenden.; Frotz, ep. aux. Colonien.; Gnädinger, ep. aux. Friburgen.; Grimm, ep. Zinceuven, et adm. ap. Sibolgaen.; Haene, ep. Guelen.; Hasler, ep. S. Galli; Hengsbach, ep. Essendien.; Hiltl, ep. aux. Ratisbonen.; Hintringer, praef. ap. Khiamuszen.; Hoeck, abb. praes. Congr. Bavaricae O.S.B.; Hoehne, vic. ap. Rabaulen.; Hofmann, ep. coad. Passavien.; Janssen, ep. Hildesheien.; Jobst, vic. ap. Kimberlisien.; Kaiser, prael. null. Caravelien.; Kampe, ep. aux. Limburgen.; Kelleter, ep. Bethlehemn.; Kemerer, ep. Posaden.; Kempf, ep. aux. Herbipolen.; König, arch. Vindobonen.; Koberger, sup. gen. Congr. Lat. Austria Klosterneuburg Vindobonen.; Köstner, ep. Guroen.; Könner, ep. tit. Modrenus; Koppmann, vic. ap. Vindhoeken.; Kornyljak, ep. tit. Castromartian.; Höffner, ep. Monasterien.; Häring, ep. Scioceuven.; Lenhardt, ep. aux. Bambergen.; Leiprecht, ep. Rottenburgen.; Macheiner, ep. aux. Salisburgen.; Mangers, ep. tit. Afufenien.; Musty, ep. tit. Botrianen.; Neuhäusler, ep. aux. Monacen. et Frisingen.; Nierhoff, ep. Floresten.; Pachowiak, ep. aux. Hildesheien.; Pflaum, vic. ap. Nuflo de Chávez; Pietsch, ep. aux. Secovien.; Pohlschneider, ep. Aquisgranen.; Przyklenk, ep. Januarien.; Reiterer, ep. Lydenburgen.; Reuss, ep. aux. Moguntin.; Rast, sup. gen. S.D.S.; Rintelen, ep. aux. Paderbornen.; Riha, abb. praes. Congr. Austriae O.S.B.; Rohracher, arch. Salisburgen.; Rosenhammer, vic. ap. Chiquitosen.; von Rudloff, ep. aux. Osnabrugen.; Rusch, adm. ap. Oenipontan.; Schaffran, ep. aux. Vratislavien.; Schmidt, ep. aux. Treviren.; Schmitt, ep. Bulanaien.; Schräder, ep. aux. Osnabrugen.; Schoiswohl, ep. Secovien.; Schneider, arch. Bambergen.; Schröffer, ep. Eystetten.; Spiess, abb. null. Peramihoën.; Spülbeck, ep. Missnen.; Stangl, ep. Herbipolen.; Stein, ep. aux. Treviren.; Stimpfle, ep. Augustan. Vindel.; von Streng, ep. Herbipolen.; Taylor, ep. Lomiae; Theissing, ep. aux. Berolinen.; Tenhumberg, ep. aux. Monasterien.; Tschudy, abb. null. Einsiedlen.; Verschuren, ep. coad. Helsinkien.; Vervoort, ep. tit. Baricen.; Volk, ep. Moguntin.; Vonderach, ep.

Curien.; Wehr, ep. Treviren.; Weigl, ep. Ikelaën.; Weinbacher, ep. aux. Vindobonen.; Wember, vic. ap. Norvegiae Septemtr.; Westermann, ep. Sambalpuren.; Zak, ep. S. Hippolyti; Zauner, ep. Lincien.; Zimmermann, ep. aux. Augustan. Vindel.

Animadversiones additae:

1. Non habetur (non obstantibus eis quae 12, 11-19; 30, 6-14; 31, 39 - 32, 33 dicuntur) sufficiens *theologica gnoseologia* circa cognitionem situationis concretae mundi hodierni sive ab hominibus sive ab ipsa Ecclesia obtinendam et circa conclusiones vere practicas et concretas ex hac situatione promanantes. Quid fides ad hanc cognitionem obtinendam valeat, quid non praestare possit, quaenam sint media et fontes talis cognitionis, non vere et satis considerantur.

« Expositio introductiva de hominis condicione in mundo hodierno » (6, 21 - 10, 42) (ceteroquin in multis laudanda) refertur unice tamquam *descriptio* « idoneorum auctorum » (6, 23 *f*). Iamvero estne talis scientia mere profana? Unde scitur eam aliquatenus saltem adaequate exhibere condicionem hominis in mundo hodierno? Dirigiturne etiam haec descriptio a fide? Potestne Ecclesia hanc situationem melius et profundius dignoscere quam scientia profana? Et insuper: Quomodo, qua ratione, quos inter limites Ecclesia ex hac situatione percepta conclusiones *vere concretas* deducere aut percipere potest pro univoco modo agendi hominum in tali situatione? Quae forte circa hanc cognitionem de modo *concreto* agendi in hac situatione existit differentia inter cognitionem Ecclesiae « officialis » (per magisterium exhibendam) et christianorum ipsorum, qui forte normas agendi multo concretiores sibi efformare et possunt et debent quam Ecclesia qua talis? Saepe normae agendi in schemate propositae ita proponuntur acsi immediate applicabiles essent ad modum agendi concretum determinandum. De facto autem sunt saepissime adeo generales et vagae (« habe respectum personae humanae » etc.), ut omnia problemata concreta huius temporis insoluta remaneant. Hoc forte ex ipsa rei natura resultat. Sed deinde hoc explicite et sincere dici deberet.

Ex hoc defectu huius gnoseologiae resultat hoc incommodum, quod schema legentem fere obruit piissimis axiomatibus *moralibus,* quae, utpote in se verissima, a nemine cordato theoretice negabuntur (etsi saepe laedantur in praxi) et tamen nullam indicant viam circa practicam applicationem concretam. A. v. confunduntur semper principia moralia ipsa et normae materiales (ut ita dicam) circa ipsam realem « realizationem ». Hae normae materiales non immediate sunt principia moralia; distingui debent ab his. Sed quid potest Ecclesia in his normis, quid non? Principiis moralibus ipsis inculcatis (quod ceteroquin sine dubio laudandum est) problema normarum materialium concrete agendi nondum est solutum. Infeliciter tamen schema gignit impressionem, acsi tale quid censeret et legenti vellet insinuare.

Defectus talis gnoseologiae etiam in alio puncto facile detegitur. Multa postulantur in campo vitae socialis (v. g. quoad aequalitatem feminarum, ius cooperandi omnium in vita civili etc.). Et merito quidem, sed multa ex his ex una parte sunt talia, quae non semper et ubique tamquam immediate et necessario ex ipsa lege naturali promanantia proponi possunt (quin hoc in schemate explicite dicatur), quae ex altera parte neque stricta methodo deductiva ex ultimis principiis legis naturalis deduci possunt solis spectatis condicionibus obiectivis rerum et vitae socialis, sed aliquo modo etiam elementum « historiae decisionis

collectivae » continent, quae etiam suam vim obligationis circa singulos qua tales habet. Tota haec evolutio historica applicationis et concretizationis supremorum principiorum legis naturae non clare percipitur et explicatur. Hinc proponuntur principia agendi, quae, licet sint de facto hodie legitima, non videntur fundari in lege naturali aut in traditione Ecclesiae.

2. *Theologia* habitudinis, distinctionis et mutuae inclusionis *inter ordinem creationis et ordinem redemptionis* (melius: elevationis supernaturalis et finalisationis totius ordinis creati in immediatam possessionem Dei ipsius) non sufficienter exhibetur, licet sine dubio sit aut esse debeat fundamentum totius argumenti huius schematis. Ea quae in parte I, cap. 3 *de hac re dicuntur, obiective non sufficiunt, serius quam par est, proponuntur, nec problema attingunt, quod per se ex « Expositione introductiva » ponitur.*

Hodie enim habetur « humana navitas », quae vere « dynamice » et active et mundum a Deo datum et hominem ipsum profunde transformat. Quinam est « sensus » huius (ante non habitae) « navitatis »? Iste sensus certe subordinatur aeternae destinationi hominis, at non immediate in ipsa vita « morali » qua tali inveniri potest. Schema vero quoad hanc quaestionem immediate « moralizat », verum autem sensum intramundanum, humano modo profanum et ab finalitate morali et religioso hominis distinctum non detegit. Mundus « vere mundanus » (et « hominizatus ») (si ita loqui fas est) non vere percipitur et hinc aspirationes legitimae et pericula gravissima (circa vivam habitudinem erga Deum) hominis hodierni non vere ponderari videntur. Omnia fere apparent ut merae occasiones (in se indifferentes) vitae « moralis », uti semper agi debuit. Hinc verus origo atheismi hodierni (numquam hucusque habiti) non vere percipitur.

Notetur hic insuper explicationem conceptus « mundi » (5, 21-29) non sufficere.

3. Deest vera et profunda *theologia peccati.* Saepe quidem conqueritur schema de immoralitate hominum. Sed haec potius sonant tamquam lamentationes satis infructuosae tales, quales ex sola empiria cotidiana ab omnibus proferri solent. Non habetur vera theologia peccati. Non apparet profunditas peccati, quod ex mundo eradicari nequit (quae ex theologia peccati originalis, profunde ac melius ac in schola intellecti, illustrari potuissent). Non dicitur, quid ex cognitione huius insuperabilitatis peccati (ante Christi secundum adventum) pro modo agendi concreto consequatur. Legitimus et necessarius « pessimismus », quem christiani coram mundo, anxie hanc veritatem reprimentis, fateri debent, non exhibetur. Ideologia « mundi melioris et optimi », qui obtineri potest, dummodo homines id sufficienter velint, schema aliquatenus inficere videtur.

4. Deest *theologia « situationis eschatologicae »*. Non describitur situatio hodierna sub hoc aspectu. Iamvero mutatio situationis per incarnationem, crucem et resurrectionem Christi multo profundior et essentialior est quam ea, quae hodie accidit et in schemate supponitur et describitur. Schema v. g. non videt iuxta theologiam historiae christianam exspectandum esse antagonismum inter mundum in maligno positum et asseclas Christi semper acerbiorem progressu temporis fieri et nullatenus mitigari. Quae inde resultent pro interpretatione christiana difficultatum crescentium mundi hodierni, a schemate tacetur. Tacetur, quid ex hac situatione eschatologica resultet pro interpretatione hodiernae situationis, qualis etiam ab incredulo percipitur. Ita etiam non habetur confrontatio et « dialogus » inter eschatologismum profanum, intramundanum (v. g. marxisticum) et eschatologiam christianam, licet haec maxime pertinerent ad argumentum huius schema-

tis. In hac re ethica « individualistica », quam schema deplorat, ab ipso schemate non videtur sufficienter evitari. Haec, uti patet, cohaerent cum defectu sub n. 2 supra notato.

5. Schema non satis adaequate exhibet illam *anthropologiam* christianam, quae hic ut fundamentum totius schematis desideratur.

a) Vocatio (una totalis) supernaturalis nimis sero et nimis breviter exhibetur. Idea « imaginis Dei » (n. 11), utrum de natura an de destinatione supernaturali intelligenda sit, incertum manet. Hinc non habetur « idea clavicularis » pro tota conceptione hominis, licet in ordine concreto « autocommunicatio Dei ad extra » supernaturalis et libera sit etiam fundamentum ordinis creati naturalis et hinc initium constituere debeat totius anthropologiae, ita ut falsa aut insufficiens iuxtapositio ordinis naturae et gratiae efficaciter vitetur. Nec ea quae de homine dicuntur (nn. 11-20), perspicuo modo ordinata esse videntur.

b) Multa (de se verissima) dicuntur de « persona », dignitate personae, eiusque debita evolutione etc. Iam vero haec aliquatenus satis abstracta et formalia manere videntur. Hinc vero multa obscura manent. V. g. tota moderna evolutio iuxta schema videtur legitimum finem unice in eo possidere, ut « meditationi et contemplationi » veritatum transcendentalium inserviat (14, 12-23). Iamvero haec conceptio « altiorum facultatum humanarum » videtur esse aristotelico-hellenistica. Ita iure quaeritur, utrum haec habitudo hominis ad Deum mere contemplativa, cui omnia alia servire debent, sit unica et unice christiana conceptio. Instantia, qua legitime urgetur necessitudo unius ad alterum, non explicat, cur homo inserviat homini, nisi simul apparet, cur unusquisque in se habeat « sensum » et qualem.

c) In tali schemate pastorali Deus non debet ita induci (ut semper et ubique fit), ut iam supponatur omnem hominem scire, quid sub hac voce legitime intelligatur. Cum iuxta doctrinam Ecclesiae Deum non ex ipso Deo, sed ex nobis (creaturis, ultimatim spiritualibus) intellegamus, anthropologia christiana facile et posset et deberet ita exhiberi, ut homo hodiernus atheismo subobscuro infectus intelligeret intimam suam existentialem experientiam implicare ineluctabiliter illud mysterium absolutum, quod Deum vocamus quodque ei innotescit nonnisi ex ista experientia libere admissa.

d) Ex isto defectu sufficientis anthropologiae explicatur etiam aliquis « moralismus », qui schema pervadit, quique facile « taedium » hominis moderni excitare potest. Normae et exhortationes morales « idealisticae » etiam verissimae abundanter prolatae facile nauseam movent. Praesertim si non clare percipi potest, quomodo transformari et quasi « traduci » possint in normas practicas, quae ex ipsarum earum materia assensum postulare possunt.

e) Deest etiam theologia crucis in anthropologia schematis. Ea quae 18, 13 - 19, 7 dicuntur, non sufficiunt, praesertim cum haec Christologia unice ad hominem singularem applicatur. Quae vero est « significatio » crucis pro historia mundi et generis humani qua talis?

Moderator: XVII suffragationem circa schema *de divina revelatione* proponit nunc exc.mus D. secretarius generalis.

Secretarius generalis: Pag. 37 [*cf. vol. IV, pars I, pag. 371-372, nn. 21-22*] *Placet*ne an *non placet,* Patres?

9

EXC.MUS P. D. IOSEPH AMICI
Archiepiscopus Mutinensis

Venerabiles Patres,

Nomine episcoporum Flaminiae et Aemilianae Regionum, haec de constitutione pastorali *de Ecclesia in mundo huius temporis* dicere propono.

Clare sane voluntatem nunc praevalere videmus quomodocumque ad finem huius laboris perveniendi, nec non huius schematis ubique terrarum ardentem exspectationem vigere percipimus; non ergo id suggerere possumus quod nostra quidem sententia faciendum erat, totius scil. textus profundam recognitionem et renovationem.

Generatim ergo nos quoque schema novum probantes, quaedam quae nostrae approbationis sensum et fines explicent, dicere cogimur.

Nonnulla in ephemeridibus scripta sunt aut a quibusdam minus caute dicta, tam vividam huius textus exspectationem excitarunt, ut de eo iam sermo fiat quasi prae omnibus aliis maximi momenti futurus sit, sub respectu tam theorico quam pratico, quippe qui: tandem Ecclesia cum mundo colloquitur prout id facere oportet, iudicium certum ferens de necessitudine inter Revelationem christianam atque huius temporis mentem, problemata, vires; practice textus, pro sua « pastorali » natura, quid nunc faciendum sit suggerit, ut nuntius christianus a mundo denuo audiatur et excipiatur.

Atqui — hoc demum dicere liceat — huiusmodi constitutionis textus spem hanc atque exspectationem non parum certo decipiet. Hoc enim nobis videtur tantum initium aliquod esse collocutionis cum mundo, insufficiens tamen atque opere non parvo complendum et emendandum.

Nec forma nec substantia textus plene satisfaciunt, quia nec in prima nec in altera parte, schema id dicit quod Revelationis — et Evangelii praesertim — maxime proprium et profundum est, sed id tantum affirmat quod in simplicibus propositionibus sensus communis omnes certum et obvium habent.

Novimus sane quomodo huc perventum sit: quibus scil. rationibus impulsa, commissio certum stylum elegerit et fines ac modum procedendi sibi proposuerit. Neque contra finem contendimus, candide et ambitiose a multis Patribus affirmatum, sermonem aptum esse ut omnes nunc viventes homines verba nostra intelligere et accipere possint. Et nos pro

certo habemus in hac constitutione non dogmatice, ecclesiastice et auctoritative procedendum esse, sed problematice potius et heuristice: sed ad hoc minime necessarium est, prout nunc in textu videmus: primo et principaliter ex argumentis a ratione sumptis procedere; fere ubique problemata secundum rationes humanas inspicere et synthesim veritatum naturalium proponere, eoque modo ac sermone quibus ephemerides communiter utuntur; veritates tandem revelatas aliquando revocare, sed ad hunc solum finem, ut argumenta aliunde sumpta confirment.

Sed ad finem propositum assequendum — i. e. ut sermo noster omnibus comprehensibilis fieret — aliud oppositum iter patebat: initium scil. sumere non ab aliqua veritate dogmatica, sed e problematibus concretis, et statim responsum Revelationis, Evangelii praesertim, proponere, idque quam maxime directe et affirmative. Responsum dico, non huius vel illius scholae theologicae, sed Evangelii: et Evangelii sine glossa, in toto suo robore et in summa actualitate eius propositionum.

Post haec, sed secundo loco, ostendi poterat quomodo Evangelii responsum experientia hominum et ratione confirmaretur.

Nunc autem quaeri potest an iter quod schema percurrit, ad optatum finem — ad dialogum scil. instaurandum cum omnibus hominibus — realiter perveniat. Nos quidem negative respondemus.

Prout enim nunc exstat, schema parum dicit hominibus qui non ethicam quamdam (plus minusve hypotheticam) creationis scire cupiunt, sed vitae atque exsistentiae conceptionem authentice christianam. Sed nec eos alloquitur qui a quavis revelatione extraneos se volunt; cum enim certo illis nihil sapiunt postulata theologica et praeiudicia dogmatica, parum profecto ipsi invenire illic possunt illius scientificae severitatis cui veri cultores scientiae laicae assueti sunt. At, ut ad veram synthesim veritatum naturalium perveniretur, qualem scientia et hodierna problemata postulant, longe maturiori et clariori doctrina opus erat: de multis autem nostri temporis quaestionibus doctrina nostra sane recentior est quam ut debilitatem et fragilitatem suam hic illic non ostendat. Quae cum ita sint, theoretica visio problematum in schemate proposita, nec eos satisfacere potest qui sententias profundiores quaerunt quam sensus communis exhibeat, nec eos qui — etsi christiani non sunt — conceptionem tamen quaerunt vere supernaturalem et fortiter religiosam.

Plures certo homines, etsi non omnes, intra et extra christianitatis fines, hunc textum gratius acciperent, si — pro nostrae doctrinae profunditate — de hodierna cultura, de re oeconomica et politica, de ordine internationali, de pace et bello, de familia, relate ad quodlibet problema

ex iis proficisceremur quae Evangelium certe et fortiter dicit, et simpliciter et cohaerenter nostro tempori exponentes.

Hoc modo, profecto, sermo noster altior evaderet et — etsi non omnibus persuadere posset — saltem a pluribus reverenter exciperetur, pro culturali sua humilitate, ac profundiore religiosa vi. Dixi.

Moderator: Exc.mus D. secretarius generalis XVIII suffragationem circa schema de revelatione proponit.

Secretarius generalis: Pag. 38 [*cf. vol. IV, pars I, pag. 372-373, nn. 23-24*]. *Placet* an *non placet?*

10

Exc.mus P. D. ANTONIUS JORDAN
Archiepiscopus Edmontonensis

Venerabiles Fratres,

Nomine conferentiae nationalis de vita sociali in Canada haec dicere habeo.

In n. 54 schematis *de Ecclesia in mundo hodierno* exsistente, mentio fit necessitatis dialogi qui in Ecclesia, sine intermissione et cum mutua fiducia, fieri debet inter clerum et fideles laicos. Feliciter accidit ut in nostra regione Canadiensi coetum quemdam habeamus, cuius beneficio haec communicatio opinionum perpetua de rebus naturae socialis nostrae aetatis inter episcopos, sacerdotes laicosque exsistat. Hoc instrumentum communicationis, cui nomen inditum est « Social Life Conference » seu Colloquium de Vita Sociali, originem ducit ab « les Semaines Sociales » seu hebdomadis socialibus quae in Gallia et in regione Canadiensi linguae gallicae inveniuntur. Hoc anno, in colloquio nationali ...[1] tractabantur ...[2] multae quaestiones quae arcte implicatae sunt cum materia huius schematis praesertim cum thema principale nostri colloquii esset « The Christian in the Community » seu Christianus sicut hodie in communitate constitueretur.

...[3] Primum, aliquid dicamus de rebus quae in nostro colloquio cognitae sunt et quibus ipsum schema videtur quodammodo confirmari et stabiliri. Postea, pauca dicemus de lacunis seu defectibus quos corrigi debere putamus, si textus ipse emendandus esse videatur. Nobis certe gratissimum est insigne hoc documentum habere quae quidem magna ex parte adimplet ea quae in nostro colloquio desiderabamus et futura esse sperabamus. Magno animo enim gaudemus cum textum videmus in

quo luce clarius constat Ecclesiam et populum Dei cum ceteris hominibus intime coniungi atque in eorum gaudiis et optatis, in eorum curis et doloribus quam maxime consociari. Nam bonam ipsam spem et rerum fiduciam quam Summus Pontifex Ioannes in animis hominum excitavit, in hoc documento videmus optime conservatam. Qua de causa hoc documentum maxime idoneum existimamus quod ad omnes homines dirigatur eis verbis quae ipsi intellegere et probare possint ...[4]

Infeliciter factum est ut non pauci christiani putarent Ecclesiam eiusque ministros responsa ad omnes huius saeculi difficultates in promptu habere. Hic magnus error in schemate diluitur. E contrario videmus Ecclesiam ibi describi tamquam humilem ministram, animo sincero quaerere conantem nec aliorum auxilium aspernentem ad fontem scientiae divinae et humanae accedere solius veritatis petendae causa. Illud quoque valde probandum est quod in schemate mentio facta est Encyclicae epistolae *Pacem in terris* in qua christianis praecipitur ut omni ope contendant synthesim quamdam vitae suae saecularis et vitae suae religiosae efficere.

Monentur etiam christiani ne sperent se officium suum implere posse ut mundum meliorem construant nisi necessariis disciplinis et dotibus instructi sint, neve existiment visionem suae fidei solam satis esse posse. Ecclesia in schemate describitur tamquam plebs Dei in mundo exsistens nec tantum velut potentia quaedam dogmatica quae in mentibus et animis hominum dominari cupiat. Immo vero Ecclesia, sicut ipse « Christus, conspicitur quae humiliter ad ostium cordis hominum stat et pulsat, quae libertatem humanam et dignitatem omnino reveretur etiam cum homines errant ...[5]

Haec nostri Canadienses vere respondere ad hodiernam consuetudinem hominum sentiunt et ideo maxime probant. Tamen nonnulla nobis videntur esse indicanda quae in schemate desiderari iudicamus.

1. Fere omittitur mentio illius necessitudinis quae exsistere debet inter communitatem christianam laborantem ludentemque et eamdem communitatem Deum adorantem. Concilium nos admonuit quam magnum et efficax instrumentum esset sacra liturgia ut christiani docerentur se esse homines sociales atque in communitate cum aliis vivere. Sacra enim Liturgia, nisi signum inane habendum est, pertinere debet ad cotidianum laborem Christi fidelium ut in et pro communitate sua vivunt.

2. Schema nihil fere habet de otio et horis otiosis transigendis. In civitatibus nostrae aetatis quae maxime industria et re technica florent, propter miram efficacitatem machinarum multi homines nunc tempore ad otiandum abundant. Hoc tempus quod otio impenditur utilitatem aliquam afferre debet. Atque haec utilitas christianorum animis magno-

pere inculcanda est. Rationes quae antea erant inter laborem et redditus domesticos fortasse mutandae sunt et alii modi redditus conquirendi inveniri debent. Sed necesse est omnino ut demonstretur illud tempus otiandi si ad utilitatem aliquam afferendam adhibeatur, maxime prodesse ad hominum facultates spirituales et intellectuales perficiendas.

3. ...[6] Facilius demonstrari poterit quam sincero animo Ecclesia cum omnibus hominibus ad tollendam universam omnium egestatem collaborare velit, si aliquid ponatur in schemate quo clare indicatur nos paratos esse labores missionariorum nostrorum accommodare ad illa ministeria quae ab aliis Ecclesiis aut ab aliis hominibus qui in nomine singularum civitatum suis donis inopiam alienam sublevantium vel nomine Nationum Unitarum agunt, laudabiliter fiunt ...[7] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] huius generis, quod hoc anno sub auspiciis em.mi D. Pauli Aemilii card. Léger in urbe Monte Regio habitum est. [2] per longum et latum. [3] Colloquii nostri experientia doctus, aliquid dicere volo de textu ipsius schematis. [4] Deinde in schemate demonstratur progressus sociales et oeconomicos cum mysteriis Creationis et Redemptionis congruere atque haec mysteria ad ipsum finem hominis terrestrem esse aptata. In schemate etiam disertis verbis exponitur dolor ille singularis quo afficimur cum homines ditissimos quasi quodam abysso immani ab hominibus egestate confectis disiungi et separari aspicimus. Et certe nostrae aetatis homines maxime gaudebunt, cum audierint hoc schemate christianos vehementer admoneri ut fiant participes multorum illorum hominum qui consociatis viribus pacem, qui libertatem promovere et fovere atque egestatem e medio tollere conantur. [5] Dialogus ille perpetuus atque fiduciae mutuae plenus *cum* intra Ecclesiam, inter clericos et laicos, *tum* inter ipsam Ecclesiam et omnes reliquos homines, videtur esse via quaedam praecipua ut inducantur homines ad confirmandam modo humano et rationali societatem hodiernam eiusque instituta atque ut omnes eo vires suas conferant. [6] Etsi in schemate ratio habetur hominum egenorum et inopum, tamen animadvertendum est nullam mentionem factam esse eorum qui infirmi et debiles sunt et variis morbis afflictantur. Sed Ecclesia cum sit « Ecclesia pauperum et miserorum », omnino consentaneum videtur aperte declarare quam magnas partes habeant in vita Ecclesiae hi omnes qui membra non productiva societatis hodiernae habentur et vocantur. Etenim non solum magnas partes tractant in opere redemptionis complendo, sed etiam testimonium reddunt Ecclesiae infirmis ministranti. 4. In ea parte schematis in qua agitur de principiis quae ad artium studia et humanitatem pertinent, utile erit, si dilucide commemorabitur quanta sit dignitas architectorum, machinatorum, conductorum operum qui imprimis statuunt qualia sint domicilia in quibus habitandum sit nobis, et quibus condicionibus vel in urbe vel ruri vivendum sit. Ad hanc rem pertinent verba Summi Pontificis nostri Pauli VI quae nuper habuit ad coetum gallicum Hebdomadae Socialis in urbe Brest congregatum. 5. [7] In summa. Maxime nobis placet hoc documentum, et si mutantur vel adduntur ea quae supra demonstravimus, videmus in eo quasi promissum factum hominibus nostrae aetatis fore ut adimpleatur prophetia Christi Domini: Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.

Moderator: Exc.mus D. secretarius generalis XIX suffragationem proponit circa schema *de divina revelatione.*

Secretarius generalis: Pag. 39 [*cf. vol. IV, pars I, pag. 373-374, nn. 25-26*]. *Placet*ne an *non placet?*

11

Exc.mus P. D. IOANNES CAROLUS ARAMBURU
Archiepiscopus Tucumanensis

Venerabiles Patres, dilectissimi Fratres,

Ad adaequatum studium aggrediendum problematum quae afficiunt homini, melius erit prius, tamquam fundamentum, statuere in schemate et exponere conditionem naturalem hominis, philosophice admissam ab omnibus hominibus.

Hoc fundamentum nondum expositum apparet in schemate, et sine ulla difficultate enunciari potest stylo synthetico, ordinato et claro. Ex hoc praenotato vocatio personae humanae et eiusdem exigentiae apparebunt, solidius et manifestius, tamquam naturalia consectaria hominis.

Postea, exposito hoc fundamento, et in ipso innixum, hoc schema potest aggredi studium problematum humanorum huius temporis.

S. Thomas, in *Summa contra Gentiles,* exponit tria principia quae sunt homini fundamentalia, et quibus ipse exsistit, de facto, cum quibusdam determinatis conditionibus naturalibus. Quibus proinde correspondere debent aliquae operationes quae conveniunt ut propriae illarum conditionum naturalium hominis. Nam, ait S. Thomas, operatio sequitur esse uniuscuiusque naturae.

Hae tres conditiones naturales hominis, seu quae faciunt in homine aliquid fundamentaliter naturale, iuxta S. Thomam, sunt sequentes: 1. homo est ens creatum; 2. homo est ens rationale; et 3. homo est ens sociale.

Et hac ratione aliquid erit fundamentaliter bonum, vel conveniens homini, si conformatur exigentiis huius triplicis conditionis; et e contra erit malum vel inconveniens quod opponitur exsecutioni et incremento exigentiarum illarum, quae ipsum hominem respiciunt quoad suum originem, suum esse et suum operare.

Et quaenam erunt illae exigentiae hominis?

Tamquam *ens creatum* referri debet suo Creatori, unde surgunt peculiares relationes cum Deo suo fine, sicut ea quae hodie optime dixit em.mus card. Siri.

Tamquam *ens rationale* habet capacitatem iudicandi aequam mensuram dominii et usus rerum externarum, i. e. corporis suiipsius et rerum inferiorum pro suis necessitatibus. Talis aequus usus fieri debet iuxta gradum subordinationis harum rerum inferiorum ut obtineatur bonum animae et integrae personae humanae.

Tamquam *ens sociale* ordinare debet actiones suas ad conservandam et recte augendam evolutionem societatis humanae, sine qua homo esset incapax praebendi sibi ipsi, et exigentiis naturalibus, illa quae necessaria sunt ad obtinendum suum finem; et, ut ait schema, « sine quibus individuus homo neque vivere, neque ad mentis et cordis perfectionem pervenire potest ».

Et quamvis in decursu huius schematis illa quae dicuntur de vita et de problematibus hominis, sane et logice exsurgunt ex his tribus conditionibus naturalibus hominis, sive simul sive seorsim sumptis, tamen hae conditiones non exponuntur in initio schematis ut appareant tamquam principium seu fundamentum philosophicum, seu ut ita dicam ad modum enuntiationis thesis, ad considerationem problematum et appetitionum hominis hodierni.

Haec tria principia essent etiam roborata per revelationem, inter alia, etiam per verba psalmi iam in schemate propositi quando exponuntur ad respondendum ad quaestionem « Quid vero est homo? », scil. verba: « minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti, sub pedibus eius » ...[1]

« Minuisti », ergo ens creatum; « minus ab angelis », quia partim etiam materia; « paulo minus », quia etiam spiritus, i. e. rationabile; « constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedibus eius », ergo ens sociale, quia dominium super omnia opera nequit esse ex parte unius tantum personae, sed omnium, et subiectionem rerum creatarum nequit homo seorsim sumptus, sed socialiter congregatus obtinere.

His tribus principiis, naturalibus consentaneis conditioni hominis, expositis in initio tamquam basis seu fundamentum schematis, iam logice aggredi potest discussio huius schematis ad pertractanda diversa problemata humana huius diei et omnium temporum: 1. in suis cum Deo relationibus; 2. in dominio et moderatione rerum externarum iuxta normas rationis et fidei; et 3. in adlaboratione vitae humanae ut socialis cum permagno sensu communitatis.

His positis, propono sequentia. Loco verborum primi paragraphi pag. 13, n. 11, lin. 1, ubi dicit: « Secundum credentium et non credentium fere concordem sententiam, tota socialis vitae ordinatio hominem

respicere debet », scribantur haec alia verba: « Secundum credentium et non credentium fere concordem sententiam agnoscitur homo naturaliter ut ens creatum, ut ens rationale, ut ens sociale, ex quibus tribus conditionibus dignoscitur quod convenit, aut non, naturae ipsius hominis. Quae conditiones corroborantur etiam in revelatione ... » (et hic inseruntur verba psalmi iam in schemate posito, i. e. verba « minuisti eum paulo minus ab angelis », etc.).

Postea, iuxta haec tria principia, reordinandi erunt, ordine logico, diversi numeri huius schematis, i. e.

1. Qui referuntur ad hominem *ut ens creatum,* scil. *a*) n. 11 « De homine ad imaginem Dei »; *b*) n. 18 « De Deo ab hominibus agnoscendo »; *c*) n. 19 « De problemate atheismi », *d*) et n. 17 « De morte devincenda ».

2. Quae referuntur ad hominem *ut ens rationale,* scil.: *a*) n. 13, i. e. « De dignitate animae et imprimis intellectus hominis »; deinde *b*) n. 14 « De dignitate conscientiae »; *c*) n. 15 « De praestantia libertatis »; *d*) n. 12 « De dignitate corporis humani ».

3. Denique quae referuntur ad hominem *ut ens sociale,* i. e. *a*) n. 16 « De sociali indole hominis »; *b*) tandem ultima synthesis in n. 20, i. e. « De Christo homine perfecto ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (*Ps.* 8, 5-7).

12

Exc.mus P. D. RUSSEL IOSEPH McVINNEY
Episcopus Providentiensis

Eminentissime Praeses, Fratres in Domino,

Intentio schematis valde laudabilis est. Sed idem schema quando media ad curanda mala specifica praestare conatur, compromissum dubii valoris cum ipsis inire videtur, qui causae sunt eorumdem malorum.

Hisce diebus periculosis in historia Ecclesiae summa industria et diligentia opus est. Vocati sumus enim inire certamen maximi momenti, in quo habere debemus ardorem animi flagrantem. « Labora sicut bonus miles Christi Iesu ... Nam et qui certat in agone, non coronatur nisi legitime certaverit » ...[1]

Proh dolor! tepiditas, quae est opposita huic ardori, nostri temporis propria est. Propter hunc torporem animae homo indifferens evadit

erga virtutes et negligens atque imprudens quoad occasiones peccati.

Christianus tepidus patiens est, dum nullum incommodum sustinere debeat, mitis, dum nemo ei contradicat, paratus ad recte vivendum, dum nihil ipsi molestum sit. Vellet ipse esse virtutibus *coronatus*,[2] dummodo nihil se abnegare debeat; vellet quidem rapere regnum caelorum, non autem vim pati.

Nec nosmetipsos decipere debemus de morali statu mundi, quem redimere cupimus. Quasi cotidie enim nuntiant acta diurna criminum commissorum incrementum, accusationes ac damnationes reorum et adhuc multa offensa turpia.

Adsunt plures rationes historicae, propter quas normae morum constanter demittuntur. Nominanda est ante omnia diminutio auctoritatis publicae tum religiosae tum civilis. Debemus mundo huic amorali inculcare necessitatem agnoscendi auctoritatem rite constitutam.

Homines huius temporis cynici acceperunt haec et similia axiomata: « Principia moralia sunt pro stultis et credulis tantum; omnes homines non solum venales sunt, sed volunt esse pecunia corrupti (axiomata Americana non facile exprimuntur in lingua latina: Everyone has his price and is out to get his); si non vis esse venalis i. e. accipere dona, pecuniam et largitiones, aliquis alius ea accipiet; in mundo omnia reguntur ad nutum paucorum « oligarcharum novorum », ita ut singuli homines omnino inermes sint ». Porro: « Quisquis sibi soli provideat, neve negotiis aliorum se ullo pacto immisceat » (Look out for number one and keep your nose clean).

Impetus continui, calumniae incessantes, vexationes et persecutiones, quibus Ecclesia per tot saecula iam submissa erat, omnia haec clare demonstrant futilitatem cum hoc mundo accommodationem quaerendi. Concupiscentia oculorum, concupiscentia carnis et superbia vitae, i. e. mundus, caro et diabolus, remanent inimici nostri principales, qui omnes coniurant ad destruendam firmam fidem populi nostri christianam eosque alliciunt ad deos falsos sequendos ...[3]. Nostri est mundum redimere, non vero ...[4]

Moderator: Exc.me Domine, excusa me: fave redire ad thema, i. e. ad examen schematis in genere!

Orator: Loquor de schemate in genere, em.me! Vigiles ergo esse debemus, ne philosophia otii et indulgentiae etiam intra nos fautores inveniat. Magnae et multae mutationes in Ecclesiam introducuntur in nostris diebus et nos delectamur in illis. Ecclesia quodammodo mutabilis est, quia vivit et crescit. Mutatio et vita sunt res inseparabiles. Fossilia mutari non possunt, et sunt fossilia, quia vitam suam renovare

non possunt. Memores tamen esse debemus, quod mutatio rerum potest esse tum ad deteriora, tum ad meliora, et meo iudicio, mutationes nonnullae recentiores manifestam reddunt invasionem saecularismi in nostram cogitationem et signa ostendunt mollitiem animi in actionibus nostris.

Huiusmodi inclinatio ad lassitudinem et ad segnitiem maxime apparet, quando agitur de auctoritate. Hisce diebus, ubicumque, nempe in monographiis ac tractatibus, in libris ac libellis, in disputationibus ac sermonibus vehementer extollitur non tantum libertas humana in genere, sed etiam libertas in ipsa Ecclesia, quam multi dicunt Ecclesiam apertam. Pro auctoritate valde raro tantum habetur sermo. Revera, vox ipsa « auctoritas » hodie pro aliquibus opprobrium significat, aliquid nempe magis reprobandum, quam lapidem *singularem* [5] Ecclesiae Christi.

Nonnulli catholici hodierni, novatores quoque dicti (the new breed), valde studiosi sunt peritorum et theologorum acatholicorum. Quod potest esse res optima ac fructuosa, sed non temere suspicamur de aliquibus eorum, quod ipsi consilium, eruditionem ac interpretationem veritatis divinae non in doctrina Thomae Aquinatis, doctorum Ecclesiae et in declarationibus pontificalibus inquirunt, sed in scriptis acatholicis.

Etiam in ardore nostro pro innovationibus liturgicis, pro partibus laicorum magis activis, etc., memores esse debemus, quod non datur « kerygma » sine auctoritate, non datur « populus Dei » sine hierarchia a Domino Nostro Iesu Christo instituta, et quod — ut recte dicit Pius Papa XII — Redemptor Noster potestatem authentice interpretandi depositum fidei non dedit « singulis fidelibus, nec quidem theologis, sed tantum magisterio Ecclesiae ».

Magis adhuc *desperandum* [6] est, quod multi iuvenes nostri, proh dolor! etiam sacerdotes iuniores carent notione vel aestimatione virtutis oboedientiae. Maximum momentum huiusce virtutis in vita Domini Nostri Iesu Christi quare non comprehendant, prorsus nescio. Agere ex oboedientia, nonne erat tota vita Domini Nostri in terra? Christus Dominus passiones gravesque dolores, quos subiturus erat, semper prae oculis habebat eisque appropinquavit desiderio ardenti, sine mora et haesitatione, oboedienter at libere, quia stimulus oboedientiae eius erat caritas ...[7] In fine ...[8]

Moderator: De hoc, Pater exc.me, agetur cum schema de vita et ministerio sacerdotum in disceptationem veniet.

In textu scripto tradito: [1] (2 *Tim*. 2, 3-5). [2] ornatus. [3] erroribus suis inanibus creatos. [4] ostentationibus eius decipi, nec blanditiis eius falli.

[5] angularem. [6] deplorandum. [7] Sunt qui nobis persuadere conentur, hominem oboedientem hominem inferiorem esse. Ipsum nobis describunt debilem et nimis obsequiosum, qui semper anceps haeret, adulator et timidus est, ita ut difficultatibus vitae obviam ire neque velit neque possit, nisi modo parasitico aliis fortioribus innisus. Nihil tamen a veritate magis alienum esse potest. Homo debilis se aliis submittit, quia debilis est, ex necessitate ac indigentia interna, quia deest ei libertas psychologica vel firma voluntas resistendi. Homo revera oboediens autem se aliis submittit libere et consulto. Ille oboediens est quia oboedire vult et vim habet resistendi impulsis, qui eum ad rebellandum urgeant. Sic dicta « crisis oboedientiae » in Ecclesia multum agitata statim evanescet, quando iuvenes nostri plane comprehenderint notiones oboedientiae et libertatis non esse contradictorias ac incompatibiles, et quando intellexerint veram libertatem in oboedientia tantum inveniri posse. Homo perfectionem in societate et coram Deo attingere ita tantum potest, si semetipsum auctoritati legitimae libere submittit. Quaestio non est, utrum oboedire debeamus necne, sed magis, quomodo sit oboediendum: magna cum reluctantia et murmuratione, animo quasi abiecto, vel uti S. Augustinus dicit: « Oboedite non sicut servi in servitute legis, sed sicut filii, liberi in libertate gratiae divinae ». Dominus Noster Iesus Christus quidem nobis promisit se cum Ecclesia sua fore usque ad consummationem saeculi, quod tamen non excusat nos ne totam operam demus — secundum mandatum Christi — regnum eius in terra promovendi. Dictatores sectas Communistarum, Fascistarum vel Atheistarum fautores timere non debemus. Ecclesia enim non comminuitur ab his inimicis, ipsa tamen graviter percutitur, si vires istae spirituales, quae homines probos atque fortes faciunt, corrugantur in corde fidelium. [8] propono ut in hoc schemate maior emphasis detur problematibus de tepiditate seu mediocritate catholicorum et de necessitate oboedientiae erga auctoritatem legitimam.

Secretarius generalis: Propono ultimam suffragationem, quae est super integro cap. VI: de Sacra Scriptura in vita Ecclesiae. Hoc caput *placet*ne vobis Patribus, *non placet,* an *placet iuxta modum?*

13

Exc.mus P. D. IOSEPH D'AVACK

Archiepiscopus tit. Leontopolitanus in Pamphylia

Venerabiles Patres,

Schema videtur sapere quemdam « naturalismum »; videtur longe abesse a via quam apostolus Paulus verbo et opere signavit: « Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini Nostri Iesu Christi ». « ... Iudaei signa petunt, et Graeci sapientiam; nos autem praedicamus Christum Crucifixum ...[1] Non enim iudicavi me scire aliquid inter vos nisi Iesum Christum et hunc crucifixum » ...[2]

Pluries quidem schema egregie loquitur de Christo; sed perpauce

et ratione valde debili et inefficaci loquitur de Christo crucifixo, de cruce ab hominibus tollenda. Valde extenuat et fere in oblivionem mittit mysterium Crucis, i. e. mysterium humanae salutis.

Utique necesse est allicere, non deterrere homines huius temporis; sed nec decipere. Sicut, iuxta piam fabulam (« fabula » utique sed omnino imbuta spiritu christiano), Caecilia ad Valerianum, ita Ecclesia omnibus hominibus debet saltem dicere: « Habeo secretum »: scil. Caritatem supernaturalem per Gratiam supernaturalem, per Crucem « spem unicam ».

Item timendum videtur ne schema inducat ad arbitrandum quod tot sua optima consilia et praecepta servari possint praeter gratiam supernaturalem, et praeter gratiam supernaturalem perveniri possit ad ordinem, ad pacem humani generis. At, contra, scimus homines nec perseverare diu posse in operibus iustitiae naturalis sine gratia. Nescimus utique an et quantam Deus infundat gratiam in animas rectas licet non visibiliter perveniant ad Ecclesiam; sed si non facile est vivere in gratia non obstantibus auxiliis Ecclesiae, quid erit de his qui extra Ecclesiam visibilem degentes iis auxiliis carent? An volumus dicere talia auxilia superflua? Quid igitur de verbis Christi: « Euntes ... baptizantes ... »? ...[3]

Ne constitutio pastoralis evadat inanis et illusoria, videtur necessarium quod saltem in sua conclusione, verbis suavibus sed firmissimis, revocet « secretum » suum, essentiale, vitale, sibi soli commissum et a quo exclusive pendet humana salus: caritatem, per gratiam, per crucem Christi, ab hominibus tollendam.

In textu scripto tradito: [1] Iudaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam. [2] (*Gal.* 6, 14; *1 Cor.* 1, 22 ad 2, 2). [3] (*Mt.* 28, 19).

14

Exc.mus P. D. PAULUS RUSCH
Episcopus Oenipontanus

Patres venerabiles,

Etsi textus noster multo melior sit quam antea, tamen aliqui remanent defectus, et quidem sub triplici respectu: 1. saepe praevalet consideratio philosophica loco theologicae considerationis; 2. item saepe praevalet respectus staticus, quamvis respectus dynamicus in hodierno progressu maioris momenti sit; 3. res tractatae saepius modo abstracto evolvuntur, etsi modus concretus melior esset.

Ad singula, i. e., ad 1 et 2. Consideratio philosophica *et respectus staticus: exemplo sit in expositione de homine.*[1] Dicitur quidem hominem esse imaginem Dei, sed paulo post, haec imago tractatur mere philosophice, declarando hominem habere intellectum, voluntatem, libertatem, etc.

...[2] Non dicitur ad mentem Sacrae Scripturae, hominem esse imaginem Dei, quia et in quantum habet potestatem super res creatas. ...[3] Non dicitur ad mentem Patrum, praesertim S. Irenaei, hominem esse augmentum ad Deum, quod dupliciter valet, in vita individuali et in vita historica totius generis humani. Homo enim vixit initio ut homo naturalis, postea factus est homo culturalis, nunc autem fit homo potens, i. e. homo cum potentiis in res technicas praeditus. Haec evolutio historica est simul evolutio imaginis Dei, similitudo enim ad Deum augetur. Unde quidem philosophice verum est, hominem esse animal rationale, sed theologice plus dici potest, scil.: homo est imago Dei quasi in nuce, quae imago cursu historiae et gratia Christi tandem perfecte evolvitur.

Unde etiam sequitur, hominem habere in cursu historiae relative diversas obligationes, quae obligationes statui evolutionis correspondent. Hodie homo habet prae ceteris hanc obligationem urgentissimam, ut potentia technica modo morali et ethico utatur. Qui usus rectus ab Ecclesia docendus est, a. v., Ecclesia debet hodie homines educare, qui tali virtute instructi sunt. Sumus enim in discrimine temporis, tempus modernum est finitum, tempus atomicum initium *sumpsit.*[4] In tali discrimine temporis homo educandus est, qui virtutes necessarias *habeat*[5] ad hoc tempus dirigendum. Nos enim, sicut dicit S. Augustinus, facimus tempora.

Hisce consideratis navitas humana in universo mundo, de qua in cap. III, melius evolvi posset. In ipso textu dicitur, haec problemata « perobscura » remanere, et iterum, in fine capitis, « subobscura ». Fortasse ex hac evolutione hominis, de qua superius locuti sumus, aliquam claritatem acciperet, eo scil., quod haec navitas evolvit imaginem Dei in homine et in tota humanitate, quod est magni momenti theologici. Secus enim mundo fere nihil dare possumus, si problemata huius temporis vel nobis fidelibus « perobscura » remanent. Ad quam claritatem magis enucleandam etiam addendum esset, quid significet restauratio hominum et totius universi in Christo.

Ad 3. Multa magis abstracte exponuntur loco considerationis concretae ...[6]. Exemplo sit caput de cultura et progressu. In hoc capite sermo fit de difficultatibus huius muneris humani, sed in genere tantum. Nihil dicitur e. g. de crisi iuridica in hodierno mundo, nihil de crisi cul-

turae, quae hodie passim anxietatem gignit. Eodem modo, tempus recreationis liberum nominatur quidem, sed de recto ordine in hac re tacetur, ex quo fit, ut lector huius textus rectam viam non videat.

Loquendum esset ergo breviter de crisi iuridica, ex eo oriens, quod ius naturae et valor hominis non recte aestimatur. Item crisis culturae nominanda est, quae ideo facta est, quia passim valor voluptiosus magis aestimatur quam valor entitativus. Iterum quoad tempus recreationis liberum declarandum et postulandum est, ut eius usus fiat secundum leges biologicas et non contra has leges. Hoc enim tempus liberum duplicem habet aspectum, est simul adiumentum et periculum. Multi homines in prosperitate vitae sese gubernare non possunt. Ex perverso autem usu periculum degenerationis gignitur, cui periculo permulti iam subiacerunt ...[7]

Exemplum huius abstractae tractationis est etiam consideratio de dolore et malo in mundo. De hac re agit unica phrasis cum quindecim verbis, quod relate ad difficultatem huius problematis manifeste non sufficit. Nonne breviter dici posset, Deum ab initio malum noluisse, sed id per peccatum in mundum intrasse, in plenitudine temporis per Christum solutionem accepisse, et in fine temporis tandem sublatum iri. Propter difficultatem huius problematis tempore belli permulti homines athei facti sunt.

Exempla adhuc exstant plura, sed haec sufficiant. Rogo ergo, ut tractatus magis theologice, dynamice et concrete exaretur.

In textu scripto tradito: [1] loco theologicae praevalet, e. g. in expositione de homine (anthropologia), et simul respectus staticus. [2] Cur. [3] Cur. [4] sumit. [5] habet. [6] quae hodie multum valet. [7] Unde medici exhortandi sunt ut bene explorent leges biologicas et nos doceant quomodo hisce legibus bene utamur in adhibendo tempus recreationis, ut homines per tempus recreationis non infirmiores quod saepe accidit, sed saniores reddantur.

15

Exc.mus P. D. GERARDUS DE PROENÇA SIGAUD
Archiepiscopus Adamantinus

Venerabiles Patres,

...[1] Schemate « de Ecclesia in mundo huius temporis » *de illo locuturo*[2] quaedam generalia dicere volo.

1. Quoad titulum. Dicitur hoc schema « Constitutio ». Hoc verbum *mihi*[3] videtur minus conveniens. Constitutio est enim lex fundamentalis

in aliqua re — et dicitur *ideo* [4] lex « substantiva ». Ipsam sequuntur leges ceterae in eadem re, quae dicuntur leges « adiectivae », ab ipsa pendentes eamque in praxim deducentes.

Nostrum autem schema ...[5] neque ex parte materiae, neque ex parte eorum ad quos destinatur, dici potest « Lex ». Neque enim est lex credendi neque lex agendi.

Non ex parte obiecti. Nam tanta tractantur quae nullo modo ad fidem vel mores definiendos pertinent ut primo obtutu eluceat non agi de « lege ».

Sed neque ex parte eorum ad quos mittitur « lex » dici potest. Nos enim legem ferimus tantum ad domesticos fidei. Ii qui nondum baptizati sunt non subiacent auctoritati Ecclesiae. Schema autem XIII dirigitur ad catholicos et non catholicos, ad baptizatos et non baptizatos. Unde non potest esse lex, ex defectu auctoritatis in legislatore. Si autem non est lex, a fortiori non est « Constitutio ».

Mutetur ergo hoc verbum, et dicatur « Nuntius », « Litterae », « Epistola » vel aliud verbum *dicatur.*[6]

2. Legenti ...[7] paginas schematis, apparet novus modus tractandi res theologicas et philosophicas et sociologicas. Auctores schematis videntur expressa voluntate dereliquisse principia, methodum et spiritum philosophiae scholasticae et adhaesisse methodo et principiis phaenomenologiae hodiernae, *ut videtur.*[8] Fortasse hoc fecerunt ea intentione ut ab « intelligenzia » moderna libenter legantur. Attamen hoc desiderium loquendi ad modum philosophorum huius temporis, ad modum phaenomenologismi facile ducet ad amplectendum etiam principia huius scholae.

Haec autem schola non pervenit ad metaphysicam, ad cognitionem abstractam entium. Consequenter, non pervenit ad principia et ad veritates metaphysicas inconcussas et immutabiles.

In accipienda tali philosophia, Ecclesia maximum periculum *incurreret.*[9] Nam phaenomenologismus, maxime in forma sua sic dicta « *exsistentialistica* » [10] negat cognitionem naturae rerum. Sic ideae nostrae non habent veritatem obiectivam *et* [11] est positio *nominalistica.*

Sed si nominalismum admittimus, aperimus amplissimam portam *marxismo.* Marxismus nihil aliud est quam consequentia antihumana et radicalis negationis valoris obiectivi idearum *universalium* [12] nostrarum.

Si ergo commissio putat esse utilem usum expressionum saporis phaenomenologici, curet ut principia philosophica et sociologica *Thomismi,* quae Magisterium Ecclesiasticum sua auctoritate sanxivit, *clare eluceantur.*[13]

In sermone ...[14] ad participantes ad Congressum Thomisticum *nuper*

factum,[15] Summus Pontifex *hoc clare*[16] dixit: *debemus conservare spiritum, principia et methodum divi Thomae.*[17]

3. Tertio dicere vellem nos iam possidere monumentale quoddam opus quod agit de Ecclesia in mundo huius temporis. Sunt viginti illa volumina quae titulum habent « Discorsi e Radiomessaggi » Pii XII. *Ille Summus Pontifex*[18] ex altissima arce in qua luce supernaturali infundebatur, *Pontifex tam alienus ut*[19] videbatur ab hoc mundo, de rebus huius mundi locutus est, docens quid Ecclesia sentit de iis quae circumdant filios suos, et de quibus occupantur filii. Doctrina est tam humana et tam divina, tam simplex et tam profunda ut Concilium sese in ea inspirari debeat, eam sequi et frequenter illa duce frui.

4. Quarto in genere dicendum *mihi videtur*[20]: schema saepe oblivisci Peccati Originalis et consequentis absentiae aequilibrii in corde hominis. *Ascetica* est nota imprescindibilis in vita christiana his in terris, si volumus Deum possidere. « Non potestis Deo servire et mammonae » ...[21]. Verbum illud S. Pauli « tamquam non utentes » semper in vita christiana praesens esse debet.

5. Idea illa « Teilhardiana » (Teilhard de Chardin) de constructione mundi cum Deo, periculosa est. Turris Babel fuit « constructio mundi ». *Hedonismus Graecorum et Romanorum fuit « constructio mundi ».*[22] Sed non duxit ad Deum sed ad peccatum et ad corruptionem et ultimo ad destructionem populorum.

Tandem aliquando, omnia opera hominum igne destruentur. Deus ipse omnem memoriam laboris humani destruet et fiet *tunc*[23] « caelum novum et terra nova ». « Transit enim figura huius mundi ».

6. Saepe dicitur in textu christianos debere esse praesentes in progressu scientiarum et technicae populorum et nationum. Legenti videtur Concilium supponere progressum scientiarum factum esse *non a*[24] christianis, *non a*[25] catholicis. Sed hoc non correspondet veritati. Totus progressus scientiarum inde a Medio Aevo factus est a populis catholicis vel ...[26] christianis. Lento et arduo labore, nostri viri scientiarum progressi sunt. Non Asia, non Africa, sed Europa et postea America progressum *scientificum*[27] egerunt. Italia, Gallia, Anglia et *praeprimis*[28] Germania duces fuerunt et sunt. Forte Concilium verbum laudis illis viris tribuere possit qui in praeteritis scientiis operam dederunt, et iis qui in praesenti sese magno cum labore et *renuntiatione*[29] illo sacerdotio scientiarum se devovent. Iuvenes nostri animo afficiantur ad secreta rerum invenienda ut sic laudent Deum et inserviant proximo.

7. Concilium caveat a tentatione indiscriminatae praesentiae Ecclesiae in mundo. Haec praesentia dupliciter fieri potest. Primo quando Ecclesia est in mundo tamquam *lux et fermentum,* sed manet *non de hoc*

mundo. « In mundo estis sed non estis de hoc mundo », dicebat Dominus Apostolis ...[30]

Secundo ...[31] Ecclesia est in mundo praesens, si mundus eam penetrat. Tunc mundus est in Ecclesia.

Iam semel Ecclesiae filii huic tentationi succubuerunt. In illa dicta *renativitate,* « Renaissance ». Tunc viri ecclesiastici fuerunt fautores maximi novi spiritus, artium, gaudiorum. Memores simus Leonis X. Hierarchia catholica ...[32] fuit fautrix paganismi. Merito magnus ille Chesterton illam epocham ...[33] vocabat non « renativitatem » sed « reincidentiam », *scil.*[34] in paganismum.

Caveamus ne schema nostrum ...[35] sit Charta Magna moderni paganismi sub aspectu Sanctificationis et Sacralizationis mundi. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] De. [2] locuturus. [3] deest. [4] deest. [5] XIII. [6] deest. [7] 84. [8] deest. [9] incurrit. [10] « exsistentialismi ». [11] deest. [12] deest. [13] totum schema pervadant et doctrinale fundamentum praebeant. [14] hebdomada anteacta habito. [15] deest. [16] haec. [17] Vous montrez aussi par votre vivant exemple que le thomisme, loin d'être un système stérilement clos sur lui-même, est capable d'appliquer avec succès ses principes, ses méthodes et son esprit aux tâches nouvelles que la problématique de notre temps propose à la réflexion des penseurs chrétiens » (*L'Osservatore Romano,* 13-14 sept. 1965). [18] deest. [19] Summus Pontifex ille qui tam alienus. [20] est. [21] (*Mt.* 6, 24). [22] deest. [23] deest. [24] a non. [25] a non. [26] saltem. [27] scientiarum. [28] praesertim. [29] abnegatione. [30] suis. [31] modo. [32] saepe. [33] historiae. [34] deest. [35] XIII.

16

Exc.mus P. D. MAXIMUS HERMANIUK
Archiepiscopus Vinnipegensis Ucrainorum

Venerabiles Patres Conciliares,

Schema constitutionis pastoralis *de Ecclesia in mundo huius temporis* mihi placet *iuxta modum.*

I - Schema hoc *placet* ...[1], propter sequentes rationes:

1. Maxime laudanda est *indoles universalitatis* huius schematis, quae praesentat hanc Sacrosanctam Synodum alloquentem non tantum filios Ecclesiae omnesque christianos, sed etiam universos homines, familiam nempe universam humanam, cuius membra eumdem habent Patrem-Deum, eadem gaudent vocatione divina, eodem Christo Redemptore in

Regnum caelorum ducuntur. Universalitas haec optime correspondet spiritui huius Concilii, qui, praeeunte Summo Pontifice beatae memoriae Ioanne XXIII, bonum Nuntium Christi, ab Ecclesia explicatum, ad captum omnium hominum huius temporis omnibus viribus accommodare conatur. Spiritus hic universalitatis, qui est sub omni respectu catholicus, quam maxime elucet in hoc documento nostri Concilii.

2. Similiter dignus omni laude est *spiritus oecumenicus* nostri documenti, qui translucide manifestatur in sincero desiderio recte intelligere varias opiniones et doctrinas, etiam adversariorum Ecclesiae, honeste exponere eorum difficultates et cum omni caritate et *omni*[2] benevolentia gravissima problemata huius temporis per principia rectae rationis et sub luce fidei nostris coaetaneis praesentare. Iterum, haec oecumenica indoles schematis quam maxime concordat cum scopo huius Concilii.

3. Rursus laudari debet *clara praesentatio* in nostro schemate *spiritualis auctoritatis Ecclesiae, sub forma servitii,* ad universas res omniaque problemata vitae humanae. Vero cum gaudio prorsus leguntur textus, ubi Ecclesia, in nomine boni spiritualis et corporalis personae humanae, cum sacra indignatione deplorat: politicum totalitarismum, hominum deportationes, tormenta corpori aut menti inflicta, genocidia, bellum dictum « totale », conditiones ignominiosas laboris, famem apud pauperiores nationes, politicam demographicam sine lege morali ... In omnibus his casibus, ac ceterum in tractatione aliorum problematum huius temporis, Ecclesia loquitur « sicut auctoritatem habens », conscia missionis suae universalis dispensatricis luminis veritatis et gratiae salutis.

4. Denique valde placet *stylus pastoralis* schematis, praeditus generatim claritate idearum et simplicitate expressionis.

Attamen, praeter has insignes qualitates, dantur in schemate nostro res quaedam quae *non placent,* quae tamen faciliter corrigi possint, et, nostro humili iudicio, revera deberent.

En res, quae, nostro iudicio, deberent mutari, emendari et perfici.

1. Non placet ipsa divisio praesentis schematis, quia *non est divisio classica, et forsitan nimis complicat dispositionem ipsius expositionis. Quoad propositionem meam novae divisionis transmitto illam rev.mo secretario.*[3]

Nostro iudicio, divisio istius constitutionis logice deberet esse tripartita, *et sequere deberet ordinem generaliter acceptam in rebus huius generis relate quoad personam individualem, quoad communitatem, et quoad vitam internationalem.*[4]

2. *Non placet methodus adhuc nimis scholastica* in tractatione quaestionum maximi momenti in hoc documento, nempe: in tractatione quaestionis: De significatione humanae navitatis in universo mundo, et quae-

stionis intime connectae: De cultus humani progressu rite promovendo. Methodus secuta in schemate nostro tractat omnes has quaestiones modo adhuc nimis statico, nempe praesentando valorem navitatis et cultus humani (« *La valeur de l'action humaine et l'essor de la culture* »)[5] potius sub forma acquisitionis et possessionis in momento praesenti variorum bonorum spiritualium et materialium acquisitorum in praeterito. Verum est textum schematis nostri recognoscere omnes homines « iure existimare posse se suo labore Creatoris opus peragere, commodis fratrum suorum inservire » ...[6], sed etiam in hac affirmatione nihil practice dicitur de *valore creativo et perfectivo* omnis navitatis vere humanae (« *La valeur créative et perfective de toute l'action humaine et de la civilisation vraiment humaine* »)[7] pro ipsa personae agentis et tota societate humana.

Talis conceptus valoris navitatis ...[8] (« *de l'action humaine et de la culture* »)[9] minus correspondet psychologiae hominis moderni, qui, sub influxu progressus scientiarum et mirabilium realizationum technicae, videt in opere suo quasi illimitatam vim creativam et perfectivam pro se ipso, pro tota societate et toto universo. Hic conceptus, etsi propagatus hodie imprimis a materialismo marxistico, non opponitur doctrinae catholicae de vocatione hominis, si completur per ideam finis ultimi hominis supernaturalis, *et Ecclesia catholica, Concilium hoc, potest ideam incorporare in sua expositione valoris navitatis et culturae humanae.*[10]

Huiusmodi praesentatio valoris navitatis et cultus humani in schemate nostro esset certe certius plus accommodata mentalitati hominis huius temporis et facilius succurreret eius saluti. Quamobrem hic conceptus esset potius evolvendus in nostro schemate ...[11]

3. In textu proposito dantur *etiam*[12] *quaedam incohaerentiae,* quae corrigi *possunt. E. g.: ubi loquitur ex una parte de numero prolis, quod numerus debet determinari per parentes; et in alio loco dicitur: si parentes habent magnam confidentiam in divinam Providentiam, tum plures, tum plures filios possunt habere. Tunc quaestio poneretur: quomodo conciliare prudentiam veram christianam sine confidentia in Providentia?*[13]

Alia incohaerentia *est, e. g., quoad bello sic dicto « totali », et omnia illa possum tradere secretario generali.*[14]

Conclusio. His dictis, venerabiles Patres conciliares, schema hoc, praeditum tam insignis qualitatibus, adhuc emendatum, correctum et perfectum in suis parvis imperfectionibus per vestras interventiones nostro iudicio accipiendum est. Si acceptum esset et a Concilio promulgatum, certi sumus illud maxima cum gratitudine recepturum iri ab

omnibus ut corona laborum huius magni Concilii et ut magna Charta pro vita hominum huius temporis. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] mihi, et maxime quidem. [2] omnimoda. [3] e. g. cap. I partis II sub titulo « de dignitate matrimonii et familiae fovenda », cap. III eiusdem partis II sub titulo « de vita oeconomica-sociali » et cap. IV eiusdem partis II, sub titulo « de vita communitatis politicae » logice deberent sequi cap. II partis I sub titulo « de hominum communitate », quia logice quaestiones tractatae in his 3 capitibus pertinent ad vitam socialem hominis, seu vitam eius communitariam. In praesenti divisione omnes hae quaestiones tractantur in parte II constitutionis sub titulo « de quibusdam problematibus urgentioribus ». Idem dicendum et de cap. II partis II sub titulo « de cultus humani progressu rite promovendo », quod logice deberet sequi cap. III partis I sub titulo « quid significet humana navitas in universo mundo », quia quaestio de progressu cultus humani est logice pars quaestionis generalis de significatione humanae navitatis in universo mundo. [4] nempe: pars I de humanae personae vocatione seu munere; pars II de hominum communitate; pars III de communitate gentium. Omnes quaestiones huius constitutionis possent facile tractari in hac divisione logice disposita. [5] deest. [6] (pag. 31, linn. 7-8). [7] deest. [8] et cultus humani. [9] deest. [10] deest. [11] loco conceptus scholastici, nimis statici, qui nunc proponitur in hoc schemate. [12] deest. [13] debent. Et ita: in paragrapho de matrimonii fecunditate legimus parentum « esse prolis numerum secundum Dei dona verique amoris indicationem determinare... secundum prudens iudicium, intendentes salutem mentis ac corporis, dignoscentes temporum et status vitae condiciones tum paedagogicas tum oeconomicas » (pag. 49-50, linn. 41-42, 1-3) et post aliquas lineas eiusdem paragraphi, denuo legimus quod inter parentes talem praxim sequentes, peculiari modo venerandos esse illos qui Divinae Providentiae confidentes, prudenti communique consilio... etiam numerosiorem prolem educandam suscipiunt (pag. 50, linn. 9-11). Non clare patet quomodo conciliari possint: una parte prudens iudicium parentum de numero prolis, determinatum per conditiones salutis mentis et corporis, et ex altera parte eorum confidentia in Divinam Providentiam et prudens communeque consilium cum numerosiore prole suscipienda. An agitur in primo casu de prudenti iudicio parentum in hac re sine confidentia in Divinam Providentiam? Si ita, quomodo potest tunc loqui de prudenti iudicio in hac re sine tali confidentia? Si e contra prudens iudicium in hoc casu includit talem confidentiam, cur in secundo casu loquitur de maiore numero prolis? An hic maior numerus suggeritur ex tali confidentia praeter prudens iudicium? Ex dictis patet adesse ibi aliquam incohaerentiam, quae facile corrigi potest. [14] videtur adesse in n. 98, ubi agitur de bello hodierno sic dicto « totali ». In paragrapho illa, pag. 77, linn. 20-21, bellum sic dictum « totale » dicitur, ex una parte « de se obiective crimen contra Deum et ipsum hominem quod firmiter et incunctanter damnandum est », et ex altera parte, in eadem paragrapho legimus de eadem re sequentia: « affirmamus tamen talibus actionibus bellicis cuiuscumque speciei sint ... conscientiam hominum non facile exonerari, cum obiective crimina sunt » (linn. 31-33). Ex una parte ergo omne bellum « totale » firmiter et incunctanter damnandum est quia de se obiective est crimen contra Deum et ipsum hominem, et ex altera parte con-

scientia hominum, etsi non facile, exonerari tamen talibus actionibus possit. Quomodo intelligere debemus has duas affirmationes? Ad auferendum omne dubium, textus illi emendari et corrigi debent.

Secretarius generalis: Communico exitus suffragationum.

Suffragatio circa cap. IV, quae est I facta hoc mane:

Praesentes votantes	2.233
Dixerunt *placet*	2.183
non placet	7 *
placet iuxta modum	47
Suffragia nulla	3

Suffragatio circa cap. V, nn. 17-18:

Votum tulerunt	2.230
Dixerunt *placet*	2.211
non placet	15
placet iuxta modum, sed sunt suffragia nulla	3
Suffragium nullum	1

Suffragatio circa n. 19 cap. V:

Praesentes votantes	2.233
Dixerunt *placet*	2.162
non placet	61
placet iuxta modum (suffragia nulla)	7
Suffragia nulla simpliciter	3

Suffragatio super n. 20 cap. V:

Praesentes votantes	2.231
Dixerunt *placet*	2.219
non placet	6
placet iuxta modum	3
Suffragia nulla	3

Suffragatio super integro cap. V:

Praesentes votantes	2.170
Dixerunt *placet*	1.850

---

* Cf. p. 301.

non placet	4
placet iuxta modum	313
Suffragia nulla	3

Suffragatio super nn. 21-22 cap. VI:

Praesentes votantes	2.040
Dixerunt *placet*	2.029
non placet	8
placet iuxta modum	2
Suffragium nullum	1

Suffragatio circa nn. 23-24 cap. VI:

Praesentes votantes	2.012
Dixerunt *placet*	1.988
non placet	21
placet iuxta modum	1
Suffragia nulla	2

Suffragatio circa nn. 25 et 26 cap. VI:

Praesentes votantes	2.057
Dixerunt *placet*	2.041
non placet	9
placet iuxta modum	3
Suffragia nulla	4

Remanet enuntiandus exitus ultimae suffragationis quod fiet crastina.

Omnes textus qui suffragati sunt iam approbati fuerunt a congregatione generali.

Crastina incipiet suffragatio circa schema *de apostolatu laicorum*.

Moderator: Proxima congregatio generalis erit crastina, feria V, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium!

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA DECLARATIONIS DE LIBERTATE RELIGIOSA

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA DECLARATIONIS DE LIBERTATE RELIGIOSA *

1

EM.MUS P. D. ANTONIUS CARD. BACCI

Osservazione 1. Chiedo che in questo schema si distingua expressis verbis la libertà religiosa dagli abusi della libertà medesima.

La libertà religiosa è un dono di Dio che nessuno può togliere o coartare. Invece gli abusi delle libertà sono soltanto tollerati da Dio (= fare il male, credere il falso), mai approvati, anzi puniti. Questa dichiarazione è necessaria; diversamente si va contro la legge naturale-divina e si cade nell'indifferentismo.

Osservazione 2. Domando che con questo schema si dica *chiaramente* che nel suddetto schema *niente* si intende affermare che contradica a quanto nei *Concordati* fra la Santa Sede e le varie nazioni è stabilito sul medesimo tema della libertà e tolleranza religiosa, per cui ogni cittadino deve potere professare liberamente la propria religione.

2

EM.MUS P. D. CAROLUS CARD. JOURNET

Nonnullas emendationes propono pro hac laudanda et adprobanda declaratione.

Pag. 5, n. 1, lin. 4, post: « libertate », legere: « utatur et fruatur ». *Ratio*: frui posset intelligi ac si libertas esset finis.

Pag. 6, n. 2, lin. 25, post: velit, addere: « Nam quia persona summo Deo directe de se rationem reddere obligatur, ius habet erga civitatem politicam sese libere determinandi ». *Ratio*: ne res tantum negative, sed positive ponatur. Fundamentum hoc est: debitum erga Deum fundit ius erga societatem humanam.

Pag. 7, n. 3, lin. 19, pro: veritatem incommutabilem, legere: « quomodo in conformitate cum divina voluntate agere debeat ». *Ratio*: finis legis est actio recta, non veritatis cognitio. In textu S. Thomae, agitur de cognitione

---

* Huiusmodi textus lecti non sunt, quia Patres vel, scripto exhibito, loqui non petierunt, vel iuri loquendi renuntiaverunt, vel disceptatio interrupta est.

legis aeternae, quae est veritas, non de cognitione veritatis, mediante lege. Textus Declarationis non est clarus.

Linn. 18-19, legere: « Ideo homo officium erga Deum et ex consequenti ius erga alios et societatem habet veritate ... ». Ratione supra allata.

Linn. 21-24, legere: « Veritas autem est modo humanae naturae conformi inquirenda ... ». *Ratio*: res clarius dicitur.

Linn. 25-27, legere: « socialis, veritas transmittitur sive per magisterium in educatione sive per mutuam communicationem seu dialogum ». *Ratio*: sic res praecisius dici videtur.

Linn. 27-30, loco: « quibus ... adiuvent », legatur: « Nam homo veritatem invenire non potest sine aliorum adiutorio ». *Ratio*: verba: « vel invenisse putant » sic possent intelligi ac si certa veritatis cognitio et simplex opinio in idem redirent.

Pag. 8, lin. 25 pro: « debitos limites », legere: « debitos, scilicet normis iuris naturalis et moralitatis conformes, limites ... ».

Pag. 9, lin. 12, idem. *Ratio*: ad abusus praecavendos. Huiusmodi debiti qualis est interpres? Normae obiectivae debent dari.

Pag. 10, n. 4, lin. 8, legere: « nisi vel perturbet pacem veri nominis publicam ». *Ratio*: ad abusus praecavendos. Caute de his loquendum. Ex *Actibus* constat apostolos accusatos esse pacem publicam perturbasse.

Pag. 12, n. 6, linn. 6-7, legere: « legitimis exigentiis veri ordinis publici ... ». *Ratio*: ad abusus praecavendos.

Pag. 13, n. 9, linn. 15-27 deleantur. *Ratio*: argumentum non est ad rem, cum agatur in Declaratione de iure naturali ad independentiam erga societatem civilem. In multis locis Veteris Testamenti recursus ad vim laudatur, cum v. g. reges Israël vi falsos cultus destruunt. Ius naturale in hac materia nondum explicitabatur.

Linn. 28-36 deleantur. *Ratio* duplex: vetera lex etiam erat divinitus data. Non eodem sensu sumitur libertas dum agitur de libertate filiorum Dei et de libertate religiosa.

Pag. 13-14, lin. 37, pag. 14, lin. 1, legere: « Distinxit Dominus Iesus duplicem ordinem, temporalem scilicet et spiritualem, ita ut Christifideles ... ». *Ratio*: sic clarius exprimitur haec fundamentalis doctrina Evangelica.

Pag. 14, n. 10, lin. 25, legere: « Ex eminentiore modo agendi Christi et apostolorum in Evangelio proponendo, docemur quomodo etiam in ordine temporali libertas personae humanae vereri debet. Deus Ipse quidem ... ». *Ratio*: explicite proponitur sensus totius huius numeri 10.

Pag. 14-15, lin. 40 - lin. 11, usque ad « extinguit » inclusive deleantur. *Ratio* duplex: argumenta non sunt ad rem. Insuper si Iesus aliquando miracula, seu signa, facere recusaverit, est propter malas dispositiones audientium.

Pag. 16, n. 11, lin. 8, pro: libere, legere: « voluntarie ». Lin. 11, pro: liber, legere: « voluntarius ». *Ratio*: ad aequivocationem vitandam, ne textus sic interpretant ac si homo esset liber credendi vel non credendi.

Linn. 15-17, legere, loco: « et rationabile ... obsequium », « ad obedientiam fidei praestandam ». *Ratio*: apud *Rom.* 12, 1, habetur alius sensus, nempe cultus spiritualis. Allusio e contra fit ad *Rom.* 1, 5.

Linn. 22-23: libere amplectandam, legere: « sponte amplectandam ... ». *Ratione* supra allata.

Pag. 18, n. 13, lin. 30, pro: libere, legere: « sponte accipiendam ... ». *Ratio* eadem.

Pag. 19, n. 14, linn. 17-18, melius legere: « quantopere necessarium sit homini libertatem in re religiosa agnoscere, in praesentibus ... ».

3

EM.MUS P. D. PAULUS AEMILIUS CARD. LÉGER

Archiepiscopus Marianopolitanus

Je me réjouis de plusieurs des récentes transformations apportées au texte de la déclaration sur la liberté religieuse. J'approuve notamment qu'on ait éliminé de ce schéma la partie historique et qu'on ait reporté à la fin du schéma la partie qui considère la liberté religieuse à la lumière de la Révélation.

Je suis foncièrement d'accord, de plus, avec l'ensemble de la doctrine de ce schéma. Aussi, les modifications que je veux proposer, bien qu'importantes au point de vue de la présentation de cette doctrine, ne peuvent être interprétées comme amenant la rédaction d'un nouveau schéma.

Deux imperfections ont principalement frappé mon attention. La première est la mauvaise distribution de la matière des sept premiers articles. La seconde est l'inacceptable présentation des fondements de la liberté religieuse au n. 3.

A. *Distribution de la matière des sept premiers articles.* Pour les sept premiers articles (introduction, déclaration, preuves de raison), on a choisi une distribution de la matière qui entraîne certains inconvénients.

Le texte contient des répétitions nombreuses qui alourdissent le schéma et en rendent souvent l'intelligence difficile. On a l'impression d'un retour constant aux mêmes affirmations. Le texte n'a pas de fil conducteur évident. On saisit mal la progression de la pensée d'un article à l'autre. Ce manque de netteté déçoit dans une déclaration de droits.

V. g. la liberté religieuse est définie à cinq reprises: p. 6, 1-9; p. 7, 31-34; p. 8, 1-9; p. 8, 17-26; p. 9, 9-13.

La dernière phrase du 3 paragraphe de la page 7 reprend la même idée que le 2 paragraphe de la page 8.

La clause limitative: « intra debitos limites » revient 4 fois dans le texte: p. 6, 9; p. 8, 9; p. 8, 25-26; p. 9, 13.

Au début de l'article 6, on s'exprime comme si jusqu'à maintenant on n'avait traité que de la liberté des personnes, alors que déjà à quelques reprises, on a rappelé le caractère social de l'homme.

On pourra le constater en lisant le projet que je joins à ces remarques: il serait facile d'éviter ces défauts et de donner plus de clarté au texte en modifiant la distribution de la matière, tout en conservant la même doctrine et le plus souvent les mêmes phrases.

Ma proposition comporte la distribution de la matière que voici:

1. *Introduction.* C'est ici qu'on exposerait, en plus bref, les fondements de raison que propose l'article 3. Voir au sujet de cet article les remarques que je fais sous le titre: *Fondements de la liberté religieuse.*

2. *Déclaration ou affirmation générale de la liberté religieuse* (selon l'ordonnance de l'article 2).

3. *Liberté religieuse de la personne* ou exigences concrètes de la liberté religieuse individuelle.

4. *Liberté religieuse de la famille* ou exigences concrètes de la liberté religieuse familiale.

5. *Liberté religieuse des groupes* ou exigences concrètes de la liberté des groupes religieux.

6. *Le pouvoir civil et la liberté religieuse*: *a*) compétence du pouvoir civil; *b*) protection de la liberté religieuse; *c*) limites de la liberté religieuse.

B. *Fondements de la liberté religieuse.* Le texte qu'on trouve au numéro 3 du « textus reemendatus » utilise la matière des cinq arguments du texte antérieur dit « textus emendatus » pour en faire deux longs arguments dont le premier conclut au principe moral qui défend que quiconque soit forcé à agir en matière religieuse *contre* sa conscience et dont le second conclut que la dignité de la personne humaine exige que personne ne soit empêché, même par le pouvoir civil, d'agir en matière religieuse, privément ou publiquement, *selon* sa conscience, pourvu que ce soit dans de justes limites.

Ces deux longues démonstrations ne paraissent pas pouvoir être retenues pour les raisons suivantes:

a) On ne voit pas comment l'argumentation de la page 7 conduit exactement à la conclusion précise qu'on trouve aux lignes 31-34, alors que l'argumentation des pages 8 et 9 conduirait exactement à la conclusion précise qu'on trouve à la page 9, aux lignes 9-14. La présentation des conclusions laisse pourtant attendre un enchaînement rigoureux des arguments qui les précèdent. Des esprits rigoureux ne pourront jamais être satisfaits de ces deux longs arguments.

b) La distinction entre le devoir de ne pas forcer quelqu'un à agir contre sa conscience et celui de ne pas l'empêcher d'agir selon sa conscience ne me paraît pas revêtir une importance si grande qu'on doive faire deux longues démonstrations séparées. Bien plus importante est la différence entre les actes internes et externes, ou encore entre les actes individuels et les actes posés collectivement.

c) Il semble de plus qu'il ne convient pas que le Concile engage son autorité dans des démonstrations techniques de ce genre, qui sont des efforts de la pure raison et au sujet desquelles beaucoup d'esprits pourraient avoir

à redire. Il suffirait que, dans l'introduction (qui de sa nature engage moins l'autorité du Concile), le Concile exprime d'une façon concise et générale sur quels motifs il se base pour fonder le droit à la liberté religieuse.

d) Les longues démonstrations qu'on trouve dans le schéma ne concluent qu'aux droits des personnes et non pas à ceux des groupes religieux, alors que les droits de ces derniers prennent — à bon droit — une place importante dans ce document.

e) Enfin, il me semble important que l'argument de raison fondamental sur lequel on fonde ce droit à la liberté religieuse soit formulé en termes qui soient acceptables pour tout homme de bonne foi, même s'il est incroyant. Or, l'argumentation du texte actuel (p. 7, l. 1 ss.) ne peut convaincre un incroyant, puisqu'elle repose sur l'acceptation de l'existence de la loi éternelle et de Dieu.

Pour tous ces motifs, il est ici proposé que le motif fondamental sur lequel nous nous basons pour fonder la liberté religieuse par la raison soit présenté brièvement, en un seul argument simple et de portée générale, de telle sorte qu'il embrasse toute la doctrine présentée dans le schéma. De plus, ce motif devrait être rédigé d'une manière qui soit valable, même pour les incroyants de bonne volonté. Enfin, ce motif pourrait avec avantage être présenté *avant* la déclaration et servir d'introduction à celle-ci. On éviterait ainsi de faire porter tout le poids du Concile sur un argument de raison. Et il semble opportun, d'ailleurs, que la déclaration porte sur la liberté religieuse elle-même plutôt que sur son fondement.

Dans le projet de réaménagement du schéma qui accompagne ces remarques, on trouvera, dans l'introduction, un texte qui ramasse en peu de mots et dans des formules qui pourraient être acceptables à tous, le fondement de la liberté religieuse.

C. *Remarques particulières*. 1. Art. 2, p. 5, lin. 15 à p. 6, lin. 8. Il apparaît important de soigner particulièrement ce paragraphe par où débute la déclaration conciliaire et où on trouve l'affirmation fondamentale du schéma. Voici la formulation modifiée que je propose pour ce texte puis les raisons de ses amendements.

In re religiosa homines debent immunes esse a coercitione sive hominum singulorum sive coetuum socialium et cuiusvis potestatis humanae, et ita quidem ut in hac re, *salvis exigentiis ordinis publici,* neque aliquis cogatur ad agendum contra *persuasionem* suam, neque impediatur quominus iuxta suam *persuasionem* privatim vel publice, *singillatim* (individuellement) *vel cum aliis* (collectivement), agat.

a) Le texte du schéma est rédigé d'une manière telle qu'on affirme non pas que la liberté religieuse est un droit, mais que son fondement est la dignité de la personne humaine. Il ne semble pas que la déclaration du Concile doive porter expressément sur la nature du fondement de la liberté religieuse, mais plutôt sur le droit lui-même et sur lui seul. De plus, au lieu de faire porter la déclaration sur une définition de la liberté religieuse comme on fait dans

le présent texte, il conviendrait de proclamer le droit lui-même de la personne humaine à la liberté religieuse.

b) P. 6, lignes 7-8: ... « intra debitos limites ». On semble croire que cette limite au principe de la liberté religieuse ne vaut que pour la revendication des hommes à agir *selon* leur conscience. Elle vaut également de la liberté qui revendique de ne pas être forcée à agir *contre* la conscience. On peut concevoir, en effet, le cas où quelqu'un revendiquerait « ultra debitos limites » le droit de ne pas être forcé d'agir contre sa conscience erronée. Il convient donc de parler des limites de manière qu'elles atteignent également les deux formulations, positive et négative, de la liberté religieuse. Plutôt que les mots « intra debitos fines » qui restent vagues, il vaudrait mieux employer l'expression « salvis exigentiis ordinis publici » en accord avec ce qui est dit au N. 4.

c) P. 6, lin. 5-7: « *secundum conscientiam suam* »; « *contra conscientiam suam* ». Peut-être conviendrait-il d'employer plutôt « secundum persuasionem suam » pour éviter de créer l'impression qu'on se préoccupe du droit de ceux-là seuls qui agissent selon leur conscience.

d) Le texte du schema indique bien que la liberté religieuse doit comprendre tout autant les actes publics que les actes privés. Il serait également opportun de dire que cette liberté s'étend aux actes posés collectivement autant qu'aux actes posés individuellement; en d'autres termes, il serait bon de ne pas proclamer ici que la liberté religieuse individuelle, mais également la liberté religieuse des groupes. C'est pourquoi notre texte propose que soient ajoutés les mots: « singillatim vel cum aliis ».

2. P. 10, lignes 5 sq. Cette proposition se présente comme la conclusion des principes émis dans ce paragraphe. Pourtant, bien qu'elle soit vraie par elle-même, elle n'en découle pas. De plus, elle n'apporte qu'une répétition des lignes 34 et suivantes de la page 9.

Voici comment, pour plus de clarté, on pourrait reconstruire ce paragraphe (4 b), en en changeant simplement l'ordre des phrases: « Illud societatis bonum, quod est ordo publicus, requirit sufficientem pacis publicae curam, debitam custodiam publicae moralitatis, et pacificam compositionem atque efficacem aequalium iurium tutelam pro omnibus civibus. Quod quidem bonum est universae societati adeo necessarium, ut actus publici, qui grave damnum ei inferant, sint prorsus reprimendi. Societas civilis ergo ius et officium habet sese protegendi contra abusus, qui haberi possint invocato titulo libertatis religiosae. Pertinet praecipue ad potestatem civilem huiusmodi protectionem praestare, non tamen modo arbitrario, sed secundum normas iuridicas, quas necessitates ordinis publici postulant. Ceterum servanda est nota regula iuris ex qua libertas debet quam maxime homini agnosci nec restringenda est nisi quando et prout est necessarium ».

3. P. 11, art. 6. *La liberté des groupes*. Cet article vise sans doute et à bon droit des situations où la liberté de groupes religieux n'est pas respectée.

La rédaction du texte semble toutefois se ressentir de cette référence et aurait avantage à être revue sur certains points:

— p. 11, l. 26: Le mot *immunitas* est trop absolu et suggère que toutes les activités des groupes religieux doivent échapper à la compétence de l'Etat. On pourrait éviter ce mot et dire: « his igitur communitatibus *agnosci debet ius ut* ... ».

— p. 11, l. 34 à p. 12, l. 3: Il y aurait avantage à formuler positivement ce que dit ce paragraphe et à éviter de ne formuler ces droits que face à l'Etat. On pourrait dire par exemple: Communitatibus religiosis pariter competit ius ut suos proprios ministros libere seligent et educent, ut solute communicent cum auctoritatibus et communitatibus religiosis quae in aliis orbe terrarum partibus degunt, utque bona necessaria ad suam missionem propriam exsequendam libere acquirant eisque nullo impedimento fruantur.

— p. 12, l. 2-3: Il s'agit ici de l'acquisition et de l'usage des biens, c'est-à-dire d'activités aux dimensions temporelles et qui pour cela ne peuvent pas échapper à l'action régulatrice de l'Etat. S'il y a péril, qu'en ce domaine la liberté des groupes religieux soit injustement restreinte (elle l'est en fait dans certains pays), il y a également danger que les groupes religieux soient indûment privilégiés, ce qui aussi est néfaste à l'accomplissement de leur mission. Il serait donc bon d'atténuer la formule ici employée. On pourrait dire: « communitatibus religiosis pariter competit ius ... ut bona necessaria ad suam missionem propriam exsequendam libere acquirant eisque nullo impedimento fruantur.

— p. 12, l. 4-7: Cette phrase pourrait avantageusement être formulée positivement. La clause relative à l'ordre public paraît étrange ici, après l'énumération de plusieurs droits, où elle vaut tout autant mais où on ne l'a pas rappelé.

Projet de rédistribution de la matière

Textus reemendatus

SCHEMA DECLARATIONIS

DE LIBERTATE RELIGIOSA

SEU

DE IURE PERSONAE ET COMMUNITATUM AD LIBERTATEM IN RE RELIGIOSA

3. Suprema humanae vitae norma est lex divina, aeterna atque universalis, qua Deus consilio sapientiae et dilectionis suae mundum universum viasque communitatis humanae ordinat, dirigit, gubernat.[4] Deus autem huius

Textus reordinatus

SCHEMA DECLARATIONIS

DE LIBERTATE RELIGIOSA

SEU

DE IURE PERSONAE ET COMMUNITATUM AD LIBERTATEM IN RE RELIGIOSA

1. Le droit de jouir d'une juste liberté dans les choses religieuses est impliqué dans l'exercice de l'un des plus inviolables de tous les droits de la personne humaine: le droit de rechercher librement cette vérité qui donne à la

Textus reemendatus

suae legis hominem participem reddit, eam veluti quadam irradiatione ipsi naturae humanae imprimens, ut homo, providentia divina suaviter disponente, veritatem incommutabilem magis magisque cognoscere possit.[5]

Dictamina vero huius legis divinae homo semper percipit et agnoscit mediante conscientia sua; hoc autem ad ipsam personae humanae dignitatem pertinet. Quapropter tenetur quisque in universa activitate sua conscientiam sequi fideliter, ut ad Deum, finem suum, perveniat.

(N. 3, p. 8)

Nostris autem diebus, aucto sensu dignitatis humanae personalis et civilis, exigitur insuper ne quis in societate humana, ulla vi adhibita vel a singulis hominibus vel a coetibus socialibus aut a potestate publica, impediatur quominus privatim et publice agat in re religiosa iuxta suam conscientiam, intra videlicet debitos limites. Quae quidem exigentia est rationi prorsus consentanea et homine digna.

Etenim natura socialis personae humanae necessario sese exhibet in rebus quoque ad religionem pertinentibus. Exercitium namque religionis, ex ipsa eius indole, consistit primario in actibus internis prorsus voluntariis et liberis, quibus homo sese ad Deum directe ordinat, eo nempe animo, ut suam necessitudinem ad Deum agnoscat et debita oboedientia adhaereat voluntati divinae. Sed praeterea ipsa socialis hominis natura exigit, ut homo internos religionis actus socialiter manifestat, seu actibus externis, quibus in societate cum aliis communicet. Iniuria ergo homini fit, si quis internam cuiusque libertatem in re religiosa agnoscat quidem at simul ei deneget liberum in societate religionis exercitium debitos limites non excedens.

1. Dignitatis humanae personae homines hac nostra aetate magis in dies conscii fiunt.[1] Postulat haec dignitas, ut in agendo homo proprio suo consilio et libertate fruatur, sitque non coercitione commotus sed officii conscientia.

Textus reordinatus

vie humaine son sens profond et le droit d'y adhérer sans entraves. Pour le croyant, en effet, la foi religieuse est l'expression la plus haute de la vérité, elle est synthèse de pensée et règle de vie, conversation très douce avec l'Etre Infini, promesse et commencement d'une suprême béatitude.

Aussi, il n'est pas étonnant qu'à notre époque où les gens sont de plus en plus conscients de la dignité de la personne humaine et des exigences de liberté que cette dignité comporte, les hommes souhaitent que tous puissent jouir

Textus reemendatus

Quae libertatis postulatio in societate humana ea maxime respicit, quae ad religionem spectant. Ad has animorum appetitiones diligenter attendens, Ecclesia sibi proponit discernere, quantum sint veritati et iustitiae conformes. Simulque ad suam doctrinam divinitus traditam denuo animadvertens, de thesauro suo vetera profert et nova, quae ad iustas hominum appetitiones confirmandas inserviunt.

Textus reordinatus

d'une juste liberté, privément et publiquement, dans les choses qui concernent la vie religieuse. Et c'est pourquoi plusieurs Etats ont voulu que, dans leur droit civil particulier, soit déclarée cette liberté religieuse et qu'elle soit reconnue dans différentes conventions internationales.

Le Concile désire contribuer, pour sa part, à une prise de conscience toujours plus vive des exigences de liberté religieuse que comporte le vrai respect de la personne. Aussi, pour que toute forme d'intolérance religieuse et toute violation de ce droit très sacré de la personne humaine soient efficacement éliminées de toutes les régions du globe, et pour inviter tous les hommes, soit qu'ils professent une religion ou qu'ils n'en professent pas, les groupes, les Etats, les associations religieuses à collaborer à cette œuvre, le Concile déclare les choses suivantes:

I. Declaratio

2. Itaque haec Vaticana Synodus declarat ius ad libertatem religiosam esse revera fundatum in ipsa dignitate personae humanae, qualis et ratione et maxime verbo Dei revelato cognoscitur.[2] Huiusmodi autem libertas in eo consistit quod homines debent immunes esse a coercitione sive hominum singulorum sive coetuum socialium et cuiusvis potestatis humanae, et ita quidem ut in re religiosa neque aliquis cogatur ad agendum contra suam conscientiam, neque impediatur, quominus iuxta suam conscientiam privatim et publice agat intra debitos limites.

Insuper declarat huiusmodi ius in iuridica societatis ordinatione ita esse agnoscendum, ut ius civile evadat, quod omnes homines omnesque communitates religiosae legitime sibi possint vindicare. Cura autem huius iuris tum ad cives tum ad potestates publicas pertinet modo unicuique proprio.[3]

Declarat denique, ex hac libertatis religiosae affirmatione non sequi hominem nulla obligatione in re religiosa teneri aut esse a Dei aucto-

I. Declaratio

2. [*Declaratio generalis de libertate religiosa*]. *In re religiosa* homines debent immunes esse a coercitione sive hominum singulorum sive coetuum socialium et cuiusvis potestatis humanae, et ita quidem ut in hac re, *salvis exigentiis ordinis publici,* neque aliquis cogatur ad agendum contra *persuasionem* suam, neque impediatur quominus iuxta suam *persuasionem* privatim vel publice, *singillatim* (individuellement) *vel cum aliis* (collectivement), agat.

Hoc autem ius in iuridica societatis ordinatione ita agnoscendum est, ut ius civile evadat, quod omnes homines omnesque communitates religiosae sibi possint vindicare. Cura huius iuris tum ad cives *tum ad coetus intermedios* tum ad potestates publicas pertinet modo unicuique proprio.

Ex hac libertatis religiosae affirmatione non sequitur hominem nulla obligatione in re religiosa teneri aut esse a Dei aucto-

Textus reemendatus

ritate emancipatum. Libertas enim religiosa non implicat personam humanam falsum ac verum posse aeque aestimare, aut dispensari officio formandi sibi veram de rebus religiosis sententiam, aut posse arbitrario statuere, utrum et in qua religione et quanam ratione Deo servire velit. Porro ratio libertatis religiosae intactam relinquit doctrinam catholicam de unica vera religione et de unica Christi Ecclesia.

(N. 3, p. 7)

Ideo homo officium et ius quoque habet veritatem in re religiosa quaerendi, ut sibi mediis adhibitis idoneis certa conscientiae iudicia prudenter efformet. Veritas autem est humano modo inquirenda, libera scilicet inquisitione, eique inventae firmiter est adhaerendum, assensu nempe personali. Insuper, cum homo sit natura sua socialis, veritas quaeritur et invenitur per magisterium seu institutionem et per communicationem atque dialogum, quibus alii aliis exponunt veritatem quam invenerunt vel invenisse putant, ut sese invicem in veritate quaerenda adiuvent.

7. [*Libertas religiosa familiae*]. Cuique familiae, utpote quae est societas proprio ac primordiali iure gaudens, competit ius ad libere ordinandam religiosam vitam suam domesticam sub moderatione parentum. His autem competit ius ad determinandam rationem institutionis religiosae suis liberis tradendae. Insuper a civili potestate agnoscendum est ius parentum deligendi, vera cum libertate, scholas vel alia educationis media, neque ob hanc electionis libertatem sunt eis iniusta onera imponenda. Potestas civilis iura parentum violat, si unicam imponat educationis rationem, ex qua omnis formatio religiosa excludatur.

6. [*Libertas communitatum religiosarum*]. Libertas religiosa, quae singulis personis com-

Textus reordinatus

ritate emancipatum. Libertas enim religiosa non implicat personam humanam falsum ac verum posse aeque aestimare, aut dispensari officio formandi sibi veram de rebus religiosis sententiam, aut posse arbitrario statuere, utrum et in qua religione et quanam ratione Deo servire velit. Porro ratio libertatis religiosae intactam relinquit doctrinam catholicam de unica vera religione et de unica Christi Ecclesia.

3. [*Libertas religiosa personae*]. Ad libertatem religiosam exercendam, homo ius habet veritatem in re religiosa quaerendi. Quaeritur autem et invenitur veritas per magisterium seu institutionem et per communicationem atque dialogum, quibus alii aliis exponunt veritatem quam invenerunt vel invenisse putant, et ideo ius habet persona humana aliis exprimendi religiosas opiniones suas.

Pariter homini competit ius precandi et adorandi Deum non tantum privatim sed et publice, ius quoque ingrediendi aut relinquendi religiosam communitatem vel associationem cum religione connexam. Tandem, ne quidem indirecte laedatur libertas religiosa, omni homini agnosci debet ius exercendi iura civilia sine discriminatione propter religiosas rationes.

4. [*Libertas religiosa familiae*]. Cuique familiae, utpote quae est societas proprio ac primordiali iure gaudens, competit ius ad libere ordinandam religiosam vitam suam domesticam sub moderatione parentum. His autem competit ius ad determinandam rationem institutionis religiosae suis liberis tradendae. Insuper a civili potestate agnoscendum est ius parentum deligendi, vera cum libertate, scholas vel alia educationis media, neque ob hanc electionis libertatem sunt eis iniusta onera imponenda. Iura parentum violantur, si unica imponatur educationis ratio, ex qua omnis formatio religiosa excludatur.

5. [*Libertas communitatum religiosarum*]. Libertas religiosa, quae singulis personis *et fa-*

Textus reemendatus

petit, etiam communitatibus agnoscenda est. Hae namque a sociali natura tum hominis tum ipsius religionis requiruntur.

His igitur communitatibus iure debetur immunitas, ut secundum proprias leges sese regant, Numen supremum cultu publico honorent, membra sua in vita religiosa exercenda adiuvent et doctrina sustentent atque eas institutiones promoveant, in quibus membra cooperentur ad vitam propriam secundum sua principia religiosa ordinandam.

Communitatibus religiosis pariter competit ius, ne mediis legalibus vel actione administrativa potestatis civilis impediantur in suis propriis ministris seligendis atque educandis, in communicando cum auctoritatibus et communitatibus religiosis, quae in aliis orbis terrarum partibus degunt, necnon in bonis congruis acquirendis et fruendis.

Communitates religiosae ius etiam habent, ne impediantur in sua fide ore et scripto publice docenda atque testanda, legitimis exigentiis ordinis publici non violatis. In fide autem religiosa disseminanda et in usibus inducendis abstinendum semper est ab omni actionis genere, quod coercitionem vel suasionem inhonestam aut minus rectam sapere videatur, praesertim quando de rudioribus vel de egenis agitur.

Tandem ad libertatem religiosam spectat quod communitates religiosae libere possint ostendere singularem suae doctrinae virtutem in ordinanda societate ac tota vivificanda activitate humana. Praeterea in sociali hominis natura atque in ipsa indole religionis fundatur ius, quo homines, suo ipsorum sensu religioso moti, libere possunt conventus habere vel associationes educativas, culturales, caritativas, sociales constituere.

(N. 3, p. 8)

Praeterea actus religiosi, quibus homines privatim et publice sese ad Deum ex animi sententia ordinant, natura sua terrestrem et

Textus reordinatus

miliis competit, etiam communitatibus agnoscenda est. Hae namque a sociali natura tum hominis tum ipsius religionis requiruntur.

His igitur communitatibus *agnosci debet ius,* ut secundum proprias leges sese regant, Numen supremum cultu publico honorent, membra sua in vita religiosa exercenda adiuvent et doctrina sustentent atque eas institutiones promoveant, in quibus membra cooperentur ad vitam propriam secundum sua principia religiosa ordinandam.

Communitatibus religiosis pariter competit ius ut suos proprios ministros *libere* seligent et educent, ut *solute* communicent cum auctoritatibus et communitatibus religiosis, quae in aliis orbe terrarum partibus degunt, utque bona *necessaria ad suam missionem propriam exsequendam* libere acquirant eisque nullo impedimento fruantur.

Communitates religiosae ius etiam habent fidem suam ore et scripto publice docendi atque testandi. In fide autem religiosa disseminanda et in usibus inducendis abstinendum semper est ab omni actionis genere, quod coercitionem vel suasionem inhonestam sapere videatur.

Praeterea ad libertatem religiosam spectat quod communitates religiosae libere possint ostendere singularem suae doctrinae virtutem in *inspiranda* societate ac tota vivificanda activitate humana.

Tandem in sociali hominis natura atque in ipsa indole religionis fundatur ius, quo homines, suo ipsorum sensu religioso moti, libere possunt conventus habere vel associationes educativas, culturales, caritativas, sociales constituere.

6. [*Civilis potestatis habitudo ad libertatem religiosam*].

A. (Propria competentia civilis potestatis).

Textus reemendatus

temporalem rerum ordinem transcendunt. Competentia vero potestatis civilis ob ipsum eius finem proprium, qui exactius his diebus perspicitur atque describitur secundum exigentias dignitatis personae eiusque iura, ad ordinem terrestrem et temporalem eo consilio restringitur,[7] ut personae humanae expeditiore libertate ad finem suum ultimum secundum conscientiam suam tendere possint. Potestas igitur civilis limites suos excedere dicenda est, si in ea, quae ipsam ordinationem hominis ad Deum respiciunt, sese immisceat. Neque ideo ullo modo e naturali sua dignitate excidere dicenda est, si suas erga communitatem partes agat, sese ad res huius saeculi restringendo, atque ita personam humanam agnoscat eique inserviat.

Hinc sequitur nefas esse potestati publicae, per vim vel metum aut alia iniusta media civibus imponere professionem aut reiectionem cuiusvis religionis, vel impedire, quominus quisquam communitatem religiosam aut ingrediatur aut relinquat. Eo magis contra voluntatem Dei et contra sacra personae et familiae gentium iura agitur, quando vis quocumque modo adhibeatur ad religionem ipsam delendam vel cohibendam sive in toto genere humano sive in aliqua regione sive in determinato coetu religioso.

5. [*Cura libertatis religiosae*]. Inviolabilia hominis iura tueri ac promovere est praecipuum cuiusvis potestatis civilis officium.[9] Debet igitur potestas civilis per iustas leges efficaciter suscipere tutelam curamque libertatis religiosae omnium civium. Eidem providendum est, ne civium aequalitas iuridica unquam laedatur propter rationes religiosas.

Ceterum, quo magis societas civilis propitias suppeditabit condiciones ad vitam religiosam fovendam, eo magis ipsa fruetur bonis, quae undequaque proveniunt ex fidelitate ho-

Textus reordinatus

Competentia potestatis civilis ob ipsum eius finem proprium, qui exactius his diebus perspicitur atque describitur secundum exigentias dignitatis personae eiusque iura, ad ordinem terrestrem et temporalem pertinet. Actus autem religiosi, quibus homines privatim et publice sese ad Deum ex animi sententia ordinant, natura sua ordinem et competentiam eius transcendunt. Potestas igitur civilis limites suos excedere dicenda est, si in ea, quae ipsam ordinationem hominis ad Deum respiciunt, sese immisceat.

Hinc sequitur nefas esse potestati publicae, per vim vel metum aut alia iniusta media, *exercitium libertatis religiosae impedire sive personarum, sive familiarum, sive communitatum.* Ita nequit potestas civilis civibus imponere professionem aut reiectionem cuiusvis religionis, vel impedire, quominus quisquam communitatem religiosam aut ingrediatur aut relinquat. Eo magis contra voluntatem Dei et contra sacra personae et familiae gentium iura agitur, quando vis quocumque modo adhibeatur ad religionem ipsam delendam vel cohibendam sive in toto genere humano sive in aliqua regione sive in determinato coetu religioso.

B. (Officium tutandi libertatem religiosam). Attamen civili potestati *proprie pertinet* per iustas leges *aliaque apta media* efficaciter suscipere tutelam curamque libertatis religiosae omnium civium et providere, ne civium aequalitas iuridica unquam laedatur propter rationes religiosas. Etenim inviolabilia hominis iura tueri ac promovere est praecipuum cuiusve potestatis civilis officium.

Ceterum, quo magis societas civilis propitias suppeditabit condiciones ad vitam religiosam fovendam, eo magis ipsa fruetur bonis, quae undequaque proveniunt ex fidelitate ho-

Textus reemendatus

minum erga Deum Eiusque sanctam voluntatem.[10]

(N. 5, p. 11)

Huic Vaticanae Synodo in votis est, ut ius personae humanae ad libertatem religiosam in omnibus per orbem terrarum civitatibus agnoscatur, efficaci tutela iuridica muniatur et aptis mediis consulatur ut cives revera ipsa religionis iura exercere eiusdemque officia adimplere valeant.

Hoc vero libertatis religiosae regimen non impedit, quominus, attentis populorum circumstantiis historicis, uni communitati religiosae specialis agnitio in iuridica civitatis ordinatione tribuatur, eo tamen pacto, ut simul omnibus civibus et communitatibus religiosis ius ad libertatem in re religiosa agnoscatur et observetur.

4. [*Limites libertatis religiosae*].

a) (*Norma moralis*). Ius ad libertatem in re religiosa exercetur in societate humana, ideoque eius usus quibusdam normis moderantibus obnoxius est. Quarum prima est principium legis moralis observandae. In vita autem sociali eminet principium responsabilitatis personalis et socialis. Etenim in iuribus suis exercendis singuli homines coetusque sociales debent rationem habere et iurium aliorum et suorum officiorum erga alios; cum omnibus enim secundum iustitiam et humanitatem agendum est.

b) (*Norma iuridica*). Societas civilis ius habet sese protegendi contra abusus, qui haberi possint, invocato titulo libertatis religiosae. Pertinet praecipue ad potestatem civilem huiusmodi protectionem praestare, non tamen modo arbitrario, sed secundum normas iuridicas, quas necessitates ordinis publici postulant. Illud autem societatis bonum, quod est ordo publicus, requirit sufficientem pacis publicae curam, debitam custodiam publicae moralita-

Textus reordinatus

minum erga Deum Eiusque sanctam voluntatem.

Huic ergo Vaticanae Synodo in votis est ut, *cooperantibus omnibus hominibus bonae voluntatis,* ius personae humanae ad libertatem religiosam in omnibus per orbem terrarum civitatibus agnoscatur, efficaci tutela iuridica muniatur et aptis mediis consulatur ut cives revera ipsa religionis iura exercere eiusdemque officia adimplere valeant.

Hoc vero libertatis religiosae regimen non impedit, quominus, attentis populorum circumstantiis historicis, uni communitati religiosae specialis agnitio in iuridica civitatis ordinatione tribuatur, eo tamen pacto, ut simul omnibus civibus et communitatibus religiosis ius ad libertatem in re religiosa agnoscatur et observetur.

C. (Limites libertatis religiosae).

a) (*Norma moralis*). Ius ad libertatem in re religiosa exercetur in societate humana, ideoque eius usus quibusdam normis moderantibus obnoxius est. Quarum prima est principium legis moralis observandae. In vita autem sociali eminet principium responsabilitatis personalis et socialis. Etenim in iuribus suis exercendis singuli homines coetusque sociales debent rationem habere et iurium aliorum et suorum officiorum erga alios; cum omnibus enim secundum iustitiam et humanitatem agendum est.

b) (*Norma iuridica*). Societas civilis ius habet sese protegendi contra abusus, qui haberi possint, invocato titulo libertatis religiosae. Pertinet praecipue ad potestatem civilem huiusmodi protectionem praestare, non tamen modo arbitrario, sed secundum normas iuridicas, quas necessitates ordinis publici postulant. Illud autem societatis bonum, quod est ordo publicus, requirit sufficientem pacis publicae curam, debitam custodiam publicae moralita-

Textus reemendatus

tis, et pacificam compositionem atque efficacem aequalium iurium tutelam pro omnibus civibus. Quod quidem bonum est universae societati adeo necessarium, ut actus, qui grave damnum ei inferant, sint reprimendi. Exercitium ergo religionis in societate legitime non potest prohiberi coercitiva interventione potestatis civilis nisi vel perturbet pacem publicam vel publicam violet moralitatem vel iura laedat aliorum. Ceterum servanda est regula iuris ex qua libertas debet quam maxime homini agnosci nec restringenda est nisi quando et prout est necessarium.[8]

Textus reordinatus

tis, et pacificam compositionem atque efficacem aequalium iurium tutelam pro omnibus civibus. Quod quidem bonum est universae societati adeo necessarium, ut actus, qui grave damnum ei inferant, sint reprimendi. Ceterum servanda est regula iuris ex qua libertas debet quam maxime homini agnosci nec restringenda est nisi quando et prout est necessarium.[8]

4

EM.MUS P. D. PAULUS M. CARD. RICHAUD

Archiepiscopus Burdigalensis

Parum intendo dicere de hoc schemate, quia mihi plenam satisfactionem affert. Unicam additionem propono pag. 7, n. 3, lin. 21.

Bene dicitur quod « Veritas est humano modo inquirenda ». Vellem ut verbis « humano modo » sint additae voces sequentes: « et sub influxu gratiae si Deus illuminet mentem ». *Ratio* est quia ad plenam cognitionem veritatis religiosae Spiritus Sancti influxus necessarius est.

5

EM.MUS P. D. LAUREANUS CARD. RUGAMBWA

Episcopus Bukobaensis

Certe ultimus textus declarationis de libertate religiosa ceteris antea praeparatis longe praestat. Nomine proprio pluriumque aliorum Episcoporum libenter talem profero sententiam, quae etiam votum exprimit unanime omnium Auditorum huius Sacrae Synodi, de quorum expresso mandato haec declaro.

A primaevis temporibus Ecclesia proclamavit libertatem religiosam, quam saepe etiam sanguinis filiorum suorum testimonio confirmavit. Doctrina vero de libertate religiosa, si historia attente perspiciatur, modo progressivo

et homogeneo, non contradictorie, sed complementarie, in decursu saeculorum enucleata et evoluta est. Haec doctrina est positive bona et proclamanda.

Etenim in adiunctis mundi huius temporis, qui signo pluralismi notatur, expectationi omnium respondere et conscientiam omnium et singulorum illustrare volumus ita ut quivis, in actu fidei et profitenda religione secundum dictamen conscientiae libere suscepta, a quacumque coercitione ex parte auctoritatis humanae immunis sit.

Auctoritas quidem civilis saepe saepius in decursu saeculorum munus sacrum sibi attribuit et in eadem persona imperium et pontificatum univit.

Ius autem naturale et doctrina Ecclesiae, cuius Conditor et Redemptor has potestates distinxit, competentiam utriusque propriam ita delineare intendunt, ut vitetur agnosticismus vel indifferentismus vel relativismus ex parte Status, qui bonum totale hominis sibi subditi in quantum potest procurare debet.

Cumque Deus Pater caelestis adoratores in spiritu et veritate quaerat (*Io.* 4), Ecclesia ex divino mandato, missione propria, omnes homines ad libertatem filiorum Dei adducere sategit.

Tria saltem incommoda strenue removere omnes homines bonae voluntatis coniunctim debent.

1. Aliqui semper verbum libertatis in ore habent vel in ipsa lege constitutionali Status inscripserunt et pactum sub forma conventionis internationalis de libertate religiosa sanxerunt. Sed reipsa iidem, sub praetextu unitatis nationalis, v. g. scholam unicam et quidem sine Deo et saepe contra Deum instituunt. Quam educationem per organismos peri-scholares vel para-scholares protrahunt. Huiusmodi totalitarismus damnandus est.

2. Ex altera parte de iure quidem status confessionalis admitti potest, dummodo nullam discriminationem erga alias religiones secum ferat; sed de facto, historia huius temporis clare demonstrat plagam intolerantiae contra Evangelium per plures regiones grassari.

3. Tertio denuntianda est persecutio omnimoda quam ubique terrarum fovet atheismus qui seipsum immerito scientificum proclamat.

Sic ius veritatis et libertatis cum amore erga omnes homines protegimus.

Circa haec omnia aliquae notulae scriptae secretariatui Concilii tradentur.

6

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. SIRI

Archiepiscopus Ianuensis

Lo schema declarationis *de libertate religiosa* lascia gravissimamente perplessi anzitutto per il motivo seguente. Esso difende — oltre che afferma — la « libertà religiosa », ripetutamente per tutte le comunità religiose.

Non « tutte » le comunità religiose sono nella verità e nella legge divina,

almeno naturale; al contrario, dovunque, fuori della Chiesa Cattolica si trovano almeno errori, spesso carenze e deviazioni persino immorali e sanguinarie.

Rispetto al malo uso della libertà, Dio « tollera », non « legittima ». Pare dunque doversi concludere non possiamo difendere la « libertà religiosa » là ove sta obbiettivamente il male; noi possiamo solamente « tollerare » e questo quando non intervengono più stretti limiti, imposti dalle esigenze del bene comune.

Ora, lo « Schema » pare fuori di questa impostazione e, sostanzialmente, ignora il concetto della « sola tolleranza » (e non « difesa ») di fronte alla applicazione della libertà religiosa. Mi pare che le conseguenze possano essere gravi in diversi campi ed anzitutto a beneficio dello indifferentismo religioso.

7

Exc.mus P. D. IOACHIM AMMANN
Episcopus tit. Petnelissensis

I. *Generalia.* 1. Textus declarationis in genere mihi videtur satisfaciens.

Insatisfaciens tamen est modus expressionis parum praecisus, qui propter nimias repetitiones comprehensionem claram structurae internae huius declarationis difficilem reddit. Etiam in declaratione sunt nimis saepe repetitae restrictiones et formidines, sicut et theologicae elucubrationes, interdum nimis protractae; declarationem privare videntur ea vi, quae desideratur, cum « homines universos » (pag. 19, lin. 16) spectet.

2. Haud clare exprimitur, quid libertas religiosa sit. Dum alio loco « principium morale » (pag. 7, lin. 32), aliis locis « postulatio » et « appetitio » (pag. 5, linn. 6 et 8) vocatur, alio loco in sensu iuridico « ius » dicitur (e. g. pag. 5, lin. 15), quin tamen consequentiae in textu sequenti deducantur. Secundum meum iudicium simplicius et clarius esset, libertatem religiosam in hac declaratione accipere ut ius hominum et hunc conceptum deinde consequenter deducere. Eo ipso concordaret tum cum usu loquendi hodierno, tum cum aliis declarationibus de libertatibus fundamentalibus, et intellectus facilius evaderet.

In hoc sensu mihi videtur formulatio data pag. 10, lin. 28 magis satisfaciens, ubi libertas religiosa designatur ut « ius personae et familiae gentium » (id quod materialiter-iuridice cum conceptu iuris hominum coincidit). Isto conceptu in sequentibus deinde consequenter utendum est.

In praesenti formulatione declaratio videtur prae se ferre indolem tractatus theologici magis quam praecisae declarationis iuridicae.

3. Declaratio videtur interna dissensione infirmari: dum una parte voluntas exprimitur libertatem religiosam ut ius hominum agnoscendi, alia parte tamen, variis locis, tacite praesupponitur libertatem credendi ad Ecclesiam christianam tantum spectare.

Inconveniens mihi videtur nova redactio n. 9 (divisionis III). Libertas religiosa hodie proclamata et principium tolerantiae vix eo fundari possunt, quod Ecclesia semper in adimplendo suo officio pro libertate pugnavit (pag. 14, lin. 7 s.). Hic agitur de libertate Ecclesiae in adimplenda sua missione, et hoc cum principio tolerantiae nihil commune habet et, per consequens, neque principium tolerantiae eo probari potest, nisi dicatur aequum esse quod Ecclesia id, quod sibi vindicat, etiam aliis tribuere parata est. Valde inconveniens videtur mihi textus pag. 14 linn. 7-18, considerans etiam has affirmationes historice parum fundatas esse. De cetero de libertate Ecclesiae, ut de parte libertatis religiosae in genere, agitur in n. 12 (pag. 16 s.), ubi libertas Ecclesiae opportune in contextu libertatis religiosae in genere ponitur.

Inconveniens mihi etiam videtur textus pag. 13, linn. 10-14. Haec assertio caret cohaerentia logica cum textu praecedenti et fundamentum praebet praeiudicio, in hac declaratione agi non de seria proclamatione libertatis religiosae, sed de libertate Ecclesiae tantum.

4. In hac declaratione saepe elucubrationes iuridicae, ad describendam libertatem religiosam productae, cum sententiis theologicis-moralibus miscentur, de recto usu libertatis. Infelix mihi videtur expressio in divisione I facta, nempe hominem non esse liberum in electione suae fidei (pag. 6, linn. 16 s.). Haec expositio theologica meo iudicio non pertinet ad eum contextum ubi agitur de postulanda agnitione libertatis religiosae in iure civili (pag. 6, linn. 9 s.). Idea oboedientiae erga Ecclesiam explicite exponitur pag. 17, linn. 25 s., et ibi in vera sua relatione ad libertatem religiosam ponitur. Ultima paragraphus n. 2 (pag. 6, linn. 16 s.) claritatem declarationis infirmat. Consequenter ad pag. 6, linn. 9 s. secundum aspectum iuridicum aliquid succincte dicendum esset de limitibus necessariis libertatis religiosae in ordine iuridico in praevisione ad pag. 9, linn. 15 s. Reflectiones theologicae relate ad agnitionem libertatis religiosae hinc non pertinent.

Declaratio meo iudicio insufficienter exprimit quod cum libertate credendi et cum libertate conscientiae etiam libertas conscientiae erroneae praebetur, in quantum ea non secum fert offensionem iurium aliorum sive individuorum sive communitatum.

Johannes Messner, inter catholicos iuris naturalis peritos hodie maximus, scribit in suo opere « Das Naturrecht » (3 ed. 1958), quod iure naturali etiam libertas conscientiae erroneae intra dictos limites praestatur. Neminem ad actionem cogi posse, etiamsi actio verae religionis est (MESSNER, *l. c.*, pp. 387, 297).

Nescio, utrum considerando has conclusiones certas iuris naturalis declaratio non nimis formidolose principium tolerantiae describat.

5. Tota declaratio in praesenti redactione nimis diffusa est. Desideratur praecisio iuridica in descriptione argumenti et limitum necessariorum libertatis religiosae. Descriptio praecisa libertatis religiosae invenitur apud Johannes Messner, Das Naturrecht (3. ed. 1958), pag. 769 s.

In descriptione libertatis religiosae in declaratione non sufficienter expri-

mitur quod cum libertate religiosa etiam libertas propagationis pro convictionibus propriae communitatis religiosae praeberi debet, et quidem intra limites qui ponuntur expressioni opinionis in ordine liberali.

In descriptione limitum libertatis religiosae declaratio perperam incipit ab ea opinione, quod limites libertatis religiosae existunt tantum in relatione ad statum civilem, id est ad tuendum ordinem publicum.

E contra, etiam varia momenta hominum individuorum libertati religiosae limites iuridicos (non tantum morales) imponunt. Certe tituli « norma moralis » - « norma iuridica » pag. 9 s. in errorem ducere possunt.

Nescio utrum limites libertatis religiosae pag. 9 s. recte definiti sunt. Sub titulo protectionis pacis publicae larga oppressio libertatis religiosae possibilis esset. Accuratius statuendum esset quod limitatio libertatis religiosae fieri non posse nisi normis iuridicis universalibus, quae neque contra actuositatem religiosam civium in se, neque contra determinatam speciem exercitii religiosi directae sunt.

6. Declaratio confirmat libertatem credendi essentialiter ex postulata agnitione conscientiae hominis individualis, theologice ex libertate actus fidei et demum ex libertate Ecclesiae necessaria praedicandi fidem.

Quod quaestio tolerantiae non etiam sub aspectu iustitiae et caritatis consideratur, minus aptum puto.

Declarationi huic *de libertate religiosa* deest concordia cum decreto *de Oecumenismo*. In hoc ultimo decreto quaedam elementa ecclesialia etiam in confessionibus non-catholicis occidentis certo modo agnoscuntur. In decreto *de Oecumenismo* via adumbratur, dialogum initiandi cum aliis « ecclesiis » christianis (cap. 2 n. 11), qui pro Ecclesia catholica etiam aliquid conferre possit (cap. 1, n. 4, circa finem).

Quod discursus vel dialogus cum fidelibus alterius confessionis aliquid conferre potest ad profundiorem penetrationem veritatis fidei christianae, haec idea totaliter deest in declaratione de libertate religiosa. In n. 9 (pag. 14, linn. 7 s.) huius declarationis notari videtur apertus regressus in hoc puncto relate ad decretum de Oecumenismo.

Postquam decretum de Oecumenismo statuit, quod gratia Spiritus Sancti etiam in cordibus fratrum separatorum operatur (cap. 1, n. 4), quaestio de tolerantia erga eos vix reduci potest ad quaestionem de indifferenti permissione alicuius « falsae confessionis fidei ».

Demum, meo iudicio etiam commemorandum esset relate ad religiones non-christianas, quod persuasio *unius* veritatis non totaliter excludit praesentiam veritatis partialem in huiusmodi religionibus non-christianis (cf. ALBERT HARTMANN S.J., *Toleranz und christlicher Glaube,* ed. 1955).

Dolendum est, declarationem de libertate religiosa non transgredi modum indifferenter se habendi imprimis erga alias confessiones christianas, deinde etiam erga alias religiones monotheisticas.

II. *Adnotationes particulares ad textum schematis.* Ad n. 1 (pag. 5), linn. 6 s.: Hodie in vita civili libertas religiosa vix primo loco ponitur inter

iura libertatis. In iure civili magnae discussiones versantur circa libertates exprimendi opiniones, vel circa iura politica (electionis, petitionis ...).

Ad n. 2 (pag. 5 s.), linn. 15 s.: Paragraphi 1 et 2 n. 2 valde satisfaciunt. Ad paragr. 3 vide supra I, 4. Ulterius notandum esset quod paragr. 6, linn. 16 s. aliquo modo in contradictione sunt cum pag. 7, linn. 18 s., ubi inquisitio veritatis ex parte individuorum in centro libertatis religiosae ponitur.

Ad n. 3 (pag. 7 s.), linn. 1 s.: Hic numerus mihi videtur optima pars totius declarationis. Aliquomodo indeterminata manet saepe repetita expressio « intra debitos limites ».

Ad n. 4 (pag. 9 s.): vide supra sub I, 5. Addendum ad problema limitationis libertatis religiosae: In variis declarationibus iurium hominum inveniri possunt exemplaria descriptiones succinctae et praecisae de limitibus libertatis religiosae (cf. Bonner Grundgesetz Artikel 2 Abs. 1, in Verbindung mit Art. 4).

— Straßburger Konvention zum Schutze der Menschenrechte und Grundfreiheiten von 1950 (Europäische Menschenrechtskonvention). Art. 9 Abs. 2: « Die Religions- und Bekenntnisfreiheit darf nicht Gegenstand anderer als vom Gesetze vorgesehener Beschränkungen sein, die ... notwendige Maßnahmen im Interesse der öffentlichen Ordnung, Gesundheit und Moral oder für den Schutz der Rechte und Freiheiten anderer sind ».

— Die Allgemeine Erklärung der Menschenrechte durch die UNO statuiert in Art. 18 die Religionsfreiheit und umreißt in Art. 29 Abs. 2 deren Schranken: « Jeder Mensch ist in der Ausübung seiner Rechte und Freiheiten nur den Beschränkungen unterworfen, die das Gesetz ausschließlich zu dem Zweck vorgesehen hat, um die Anerkennung und Achtung der Rechte und Freiheiten anderer zu gewähren und den gerechten Anforderungen der Moral, der öffentlichen Ordnung und der allgemeinen Wohlfahrt in einer demokratischen Gesellschaft zu genügen ».

Pag. 9, linn. 15-26: Redactio « textus emendatus » videtur mihi succinctior et melior. Principium responsabilitatis personalis (lin. 20) non est in oppositione cum lege morali (cf. particula « autem » in lin. 20), sed essentialiter continetur in ea. Sed responsabilitas personalis est etiam principium iuridicum, in quantum iura et libertates aliorum concernuntur.

Pag. 9, linn. 35 s.: Criticam conceptus « pax publica », nimis late expressi, vide supra I, 5. Populus intolerans asseclam alterius confessionis semper ut pacem turbantem considerabit.

Pag. 10, linn. 10-19: Redactio minus apta. Idea exprimenda forsan haec est: Omnis limitatio libertatis religiosae eo usque tantum pertingi potest, quousque eius finis, nempe tutela ordinis publici vel ius aut libertas aliorum, hoc stricte requirit.

Pag. 10, linn. 23 s.: Hoc bene exprimitur, sed superfluum est, cum in praecedentibus hoc iam statutum sit.

Pag. 11, linn. 1-8: Nonne expressio « in votis est » nimis debilis est ad exprimendum hanc appellationem ad populos terrae directam?

Pag. 11, linn. 7-12: Theologica haec expositio bene quidem procedit, sed non pertinet hinc.

Pag. 11, linn. 13-20: Conditio agnitionis ex parte ordinationis civilis unius communitatis religiosae (ecclesia status) in realitate politica comprehensibilis quidem est, sed tamen periculosa. Duo ad complementum hic addenda essent:

— Agnitio unius communitatis religiosae ut « ecclesia status » ne vertat in detrimentum in ordinatione iuridica illorum civium, qui non pertinent ad hanc communitatem religiosam (Diskriminierungsverbot), i. e., principium aequalitatis iuridicae civium, pag. 10, lin. 20 statutum, ab hac agnitione unius communitatis religiosae laedi non debet.

— Secundum realitatem politicam vigentem e. g. in Helvetia, expressio pag. 11, lin. 15 « uni communitati religiosae » mutari deberet in « Uni vel pluribus communitatibus religiosis ». In circumscriptione (Kanton) Bern e. g. tres ecclesiae a statu civili agnoscuntur (catholica, evangelica, et christocatholica).

Pag. 12, n. 7: satisfaciens.

N. 8: Structura paragraphi pag. 13, linn. 1-14 logica non videtur et proinde claritate caret. Paragraphus sequenti modo exprimatur:

Libertas religiosa immediate radicatur etiam in verbo Dei revelato (ita etiam in pag. 5, lin. 18). Dignitas humana, ex qua postulatio libertatis religiosae emanat, in eo praecipue fundatur quod Deus homini se revelavit.

Melius, ut mihi videtur, n. 8 omitteretur et n. 9 introducatur prima phrasi n. 12 secundum textum emendatum. Hoc sufficeret et ad claritatem procurandam conferret.

Vide etiam criticam huius paragraphi pag. 13, linn. 10-14, supra I, 3 circa finem.

N. 9: Pag. 13, linn. 15-36, bene; pag. 13, 14, linn. 37-24, non conveniens. Vide ea quae supra I, 3, dicta sunt.

Locus Evangelii (Date Caesari quae sunt Caesaris ...) non pertinet ad istum contextum. Consequentia logica hic interrumpitur. Peragitur saltus a confirmatione libertatis religiosae ex historia salutis (usque lin. 36) ad confirmationem et historiam independentiae Ecclesiae a Statu civili. Magnopere dolendum esset, si pag. 14, linn. 1-24 ita remanerent. Urget enim quaestio, quis sit finis huius declarationis? Certe non potest esse autoiustificatio ipsius Ecclesiae in conspectu mundi hodierni, qui libertatem religiosam postulat. Haec declaratio ad totam humanitatem dirigitur (cf. pag. 19, lin. 16). Iste paragraphus apta non videtur, ut exigentia libertatis religiosae profundioribus argumentis fundetur neve acceptabilior efficiatur. Vide etiam supra I, 3!

Post pag. 13, lin. 36 immediate sequi deberet n. 10. Quo cohaerentia logica in declaratione servaretur. Ad confirmandam libertatem religiosam ex Evangelio sequentes loci servire possunt: *Mt.* 13, 24-30, 36 s.; cf. *Mc.* 9, 13 s.

N. 12: Pag. 16, linn. 25 s. Non clare patet, quae sit significatio huius expositionis theologicae de libertate Ecclesiae in contextu huius declarationis. Utrum hoc modo etiam ius Ecclesiae ad liberum exercitium religionis iuridice illustrari debeat, quaeri potest. Ex aspectu christiano libertas Ecclesiae certissime primarii momenti est. Sed ad fundandam universalem libertatem religiosam et principium tolerantiae vix decisivum argumentum afferre valet.

Iam pag. 10, lin. 27 statutum est, quod is, qui universalem libertatem religiosam laedit, « contra Dei voluntatem » agit. Circa libertatem Ecclesiae amplius dici vix potest. Ita evenit, ut, post incrementum per expositionem theologicam pag. 16, linn. 25-32 productum, conclusio, quae inde deducitur, valde modesta appareat, nempe quod is, qui libertatem Ecclesiae despicit, etiam « contra Dei voluntatem » agit. Postquam declaratio haec universalem libertatem religiosam argumentis moralibus, theologicis et iuridicis statuit, alius modus confirmandi libertatem Ecclesiae, qui transcenderet universalem libertatem religiosam, inveniri non potest.

Pag. 17, linn. 18 s. de facto libertas Ecclesiae, postquam excursu theologico exaltata est, denuo ad eam expositionem, qua universalis libertas religiosa iustificata est, reducitur.

Secundum meum iudicium melius esset, ut libertas Ecclesiae simplicius ponatur in contextu universalis libertatis religiosae et dicere quod proclamata libertas religiosa etiam elementum vitale Ecclesiae est.

Si autem libertas Ecclesiae theologice speciatim exaltanda videtur, tunc meo iudicio transitus logicus ad universalem libertatem religiosam fieri non potest nisi hac reflectione, quod nempe Ecclesia eam libertatem, quam sibi vindicat, etiam ceteris communitatibus religiosis et eorum fidelibus concedat (cf. ALBERT HARTMANN S.J., *Toleranz und christlicher Glaube,* ed. 1955).

N. 13: Formulatio clara textus huius numeri — cuius argumentum comprehensibile est, etsi dubitari licet, num hic proprius locus huius monitionis sit — restrictionem factam pag. 6, linn. 16 s., superfluam reddit.

Pag. 19, n. 14: Pag. 19, linn. 15-19. Expressio « ut considerent quantopere libertas religiosa necessaria sit » mihi videtur vi carere. Nonne melius esset hic in fine proferre confessionem solemnem Concilii pro libertate religiosa et monitionem seriam ad omnes homines, ut libertatem religiosam tamquam ius fundamentale hominis aestiment.

Mihi videtur, etiam in hac formulatione Ecclesia nimis ex parte sua procedere, ex necessitate suae libertatis. In mundo hodierno, qui tantopere religiose indifferens est, libertas religiosa non est primaria cura. Id quod homini nostris temporibus curae est, sunt iura individui, libertas evolutionis personalis. Propterea haec declaratio maiorem efficaciam haberet, si etiam in conclusione procederetur ex libertate, quae in dignitate humana fundatur, ex qua emanat postulatio libertatis religiosae.

Pag. 20, linn. 3-13: Nonne haec argumenta de officio educationis potius pertinent ad schema « de educatione christiana »?

8

Exc.mus P. D. IOSEPH ATTIPETTY

Archiepiscopus Verapolitanus

A. *Generalia.* Textus re-emendatus est valde melior quam textus anteriores. Et proinde potest bene ut basis discussionis conciliaris admitti. Tamen ulterius elaborari debet ut ex eo desiderata declaratio possit logice et ordinatim deduci.

Mea opinione, methodus adhibita in opere redigendo longe abest a gravitate materiae contentae in declaratione. Nemo dubitat de opportunitate huiusmodi vocis conciliaris in re maxime urgenti. Tamen quare eligitur methodus expositionis tam arbitraria et sine exemplo in praecedentibus Conciliis? Bene intelligo rationes, ex quibus secretariatus ad christianorum unitatem fovendam obiicit methodo theologico-biblicae, tamen aliae viae adsunt expositionis. Cum agatur de termino technico, qui habet sensum acceptum in variis provinciis activitatis humanae, sed praesertim in iure, methodus iuridica expositionis melius deberet expoliri cum explanatione conceptuum philosophicorum, sociologicorum et politicorum. Positis fundamentis possumus ordinatim procedere ad conclusiones. De facto transitus ex uno adspectu ad alium nimis faciliter fit.

B. *Quoad particularia.* N. 2. Definitio libertatis religiosae non videtur completa. Quid de *atheis?* Habentne etiam ius libertatis religiosae? Possumus dicere tum atheos negativos tum activos habere ius ut ne « impediatur, quominus iuxta suam conscientiam privatim et publice agat intra debitos limites »?

N. 4. *b*) Norma iuridica: Principium iuris in hoc numero contentum debet explicari. Bonum enim societatis sive est particulare alicuius societatis seu nationis determinatae sive universae communitatis humanae. Pax vero publica multipliciter afficitur, et consequenter perturbari potest, exercitio libertatis religiosae. In his scilicet regionibus ubi unitas religionis historico-politicum valorem adsequuta est, disruptio unitatis religiosae habet effectum destructivum politico-socialem. In his regionibus exercitium libertatis religiosae evadit anti-iuridicum licet non violet moralitatem publicam nec laedat iura aliorum.

Equidem verba huius numeri videntur contemplare tantummodo aliquam partem realitatis, sed laborant defectu considerationis universalis. Quo modo haec verba interpretabuntur in aliquibus nationibus paganis? Erit melior conditio libertatis religiosae post hanc declarationem?

Omnibus notum est diversa systemata nationum valde differre etiam in essentialibus et fundamentalibus principiis iuridicis, et diversas religiones docere notiones fundamentales in diverso sensu, i. e. eadem verba valde diversum sensum habere iuxta diversos conceptus religiosos. Nunc vero norma iuridica quoad libertatem religiosam dabitur iuxta illa principia iuridica consti-

tutionalia admissa ab illa societate, i. e. a conscientia sociali membrorum civitatis.

Propterea in declaratione bene debet constare 1) libertatem religiosam nunquam posse praedicari de religione in qua fundamenta moralitatis non sunt salva; 2) Nec libertatis religiosae conceptus ita intelligendus est ut status non habeat ius et officium sese protegendi contra eos qui bonum commune unitatis religiosae disrumpere conantur.

Nullibi probatur ius libertatis religiosae ita absolutum esse quoad suam manifestationem socialem ut non possit et aliquando debeat restringi.

N. 5. Hic dicitur: « Eidem providendum est, ne civium aequalitas iuridica unquam laedatur propter rationes religiosas ». Hoc principium est bonum et desiderabile; sed ex eo non sequitur legem civilem non posse exigere conditionem aliquam religiosam ad aliqua munera, ita ut alii excludantur, e. g. non-catholici ad aliquas magistraturas. Nec ex eo sequitur aliquam civilem communitatem non posse in sua lege constitutionali aliquam Religionem uti officialem declarare; nam, ut non laedatur civium aequalitas iuridica, sufficit ut eorum iura civilia non fundentur in adscriptione ad aliquam determinatam religionem.

N. 7. Principia contenta in hoc numero, parte secunda: « Insuper a civili potestate agnoscendum est ius parentum, deligendi, vera cum libertate, scholas vel alia educationis media ... » aliquam difficultatem offerunt in praesenti rerum condicione. Opus institutionis habet valorem socialem et publicum in praesentiarum, et quidem in dies hic valor increscit. Potestas civilis clamat ad se ius educandi filios non ex mera delegatione et iure devolutivo, sed iure proprio ad finem proprium temporalem obtinendum. Videtur opportunum recognoscere hoc ius potestatis civilis, nam non possumus ignorare existentiam realitatis *educationis nationalis* uti talis. Parentes habent ius ad educandos filios, sed hoc ius non est exclusivum. Evolutio haec in conscientia humana sociali non potest ignorari. Modus componendi iura familiae et iura civitatis, est res dependens ab hac evolutione, et in novo conceptu societatis civilis et dignitatis humanae solutio erit quaerenda in recto ordine finium.

9

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS AUSTREGÉSILO DE MESQUITA
Episcopus Afogadensis de Ingazeira

1. Ut evitetur declarationem Concilii Vaticani II *de libertate religiosa* favorabilem ansam praebere indifferentismo religioso, praesertim apud gentem simpliciorem vel apud eos qui eam cognoscant tantum per media communicationum socialium, humiliter propono ut titulus sic mutetur: *de libertate religionis in societate civili seu de iure civili personae et communitatum in re religiosa.*

2. Ut evitentur etiam possibiles abusus potestatis civilis in exercendo ius

limitandi libertatem religiosam, propono ut in pagina 10, numero 4, linea 8, inserantur verba — *certe ac evidenter* —, et sic scribatur: « exercitium ergo religionis in societate legitime non potest prohiberi coercitiva interventione potestatis civilis nisi *certe ac evidenter* vel perturbet pacem publicam vel publicam violet moralitatem vel iura laedat aliorum ».

[*Subscripserunt etiam*] Severino de Aguiar, ep. Pesqueira; B. da Silva Neto, ad. ap. de Luz; J. Ramalho de Alarcón, ep. Iguatú; J. Costa Campos, ep. Valença; Cl. Isnard, ep. Nova Friburgo; R. Alves Acacio, ep. Palmares; J. Hoffmann; M. Corrêa Pereira, ep. tit. Coronea; A. Devoto, ep. Goya; Z. Rolim de Moura, ep. Cajazeiras; J. Whealon, ep. tit. Andrapa; B. Coscia, ep. Jatai; E. de Oliveira, ep. Patos; J. Terceiro de Souza, ep. Penedo.

10

Exc.mus P. D. FRANCISCUS AYOUB
Archiepiscopus Aleppensis Maronitarum

Particulièrement de l'Etat Confessionnel. N. 5 fine. Le dernier paragraphe du n. 5 a été introduit, suivant les indications de la relation (pag. 39, n. 6), à la demande de plusieurs Pères. Loin d'être commandé par la suite des idées et la logique du raisonnement, il semble que ce fut pour justifier une situation de fait, qui, elle, n'existe plus que dans un seul Etat Catholique. Si cette situation ne rencontre pas d'opposition, pourquoi éprouver le besoin de la justifier par une déclaration conciliaire? Si elle se heurte à une opposition, faut-il engager le Concile dans une position doctrinale peu sûre, en vue de la justifier? Inutile, sous un certain aspect, cette parenthèse apparaît dangereuse sous un autre. Il y a lieu de se demander si son maintien présente autant d'avantages que de périls. Les considérants et faits suivants visent à l'éclairer.

I. *Parenthèse inutile.* 1. L'Etat Confessionnel fut l'espression de la société médiévale; presque tous les pays chrétiens s'en sont libérés; cette libération, considérée à ses débuts comme dangereuse (parce que, à vrai dire, matériellement désavantageuse) s'est avérée, par la suite bienfaisante. L'Eglise s'en est trouvée plus libre dans son action, plus pure dans son témoignage. L'expérience de beaucoup de pays montre que cette libération fut à l'avantage du religieux, non moins que du civil.

2. Cette libération est, en outre, dans le déterminisme de l'histoire: les Modernes regardent la situation équivoque de l'Eglise-Etat et vice-versa comme surannée; lors même qu'ils sont portés à y voir une immixtion indue de l'Eglise dans les affaires de l'Etat, ils ne refusent pas, pour autant, d'y trouver un moyen d'utiliser l'Eglise aux fins de l'Etat. Mais les esprits libres et conscients de leur mission sont, de part et d'autre, soucieux de leur indépendance. A juste titre d'ailleurs.

3. L'Eglise libérée impose le respect aux gouvernants de toute confes-

sion: œuvre d'un laïcisme militant, cette libération a fini par transformer ce laïcisme sectaire en laïcité ouverte et respectueuse, grâce au désintéressement des hommes d'Eglise. L'Eglise, ne comptant plus sur l'appui et l'aide du civil, a fait preuve d'une vitalité, d'une pureté d'action qui lui a gagné l'amitié et l'admiration du civil. La situation de l'Eglise dans les pays laïcs d'Europe et d'Amérique illustre clairement cette assertion.

4. L'Etat Confessionnel, étant dans les pays chrétiens une situation de fait, et non une nécessité de principe, peut continuer à exister, dans la mesure où la société le supporte et où l'Eglise y trouve son bien. Sa disparition est à considérer comme une évolution qui dégage, en fait, le religieux du politique et du sociologique.

II. *Parenthèse dangereuse.* 1. Les Etats non chrétiens, s'érigeant en Etats confessionnels ou idéologiques ne changeront pas leur comportement à l'égard de l'Eglise, du fait de la présence ou de l'absence de cette parenthèse, dans la déclaration conciliaire. Mais le comportement des chrétiens, devant un Etat confessionnel hostile, peut être dangereusement affaiblie par la présence de cette parenthèse.

2. Il est établi que ces Etats (idéologiques ou confessionnels) opèrent une discrimination entre les citoyens, suivant qu'ils adhèrent au système ou à la foi de l'Etat, ou qu'ils s'y refusent. Cette discrimination atteint leur liberté religieuse et même civile.

3. Pas n'est besoin de préciser la situation de l'Eglise dans les pays communistes: le Concile en est suffisamment informé.

4. Dans les pays musulmans, en Egypte, en Irak, en Syrie, en Algérie même, pour ne pas parler de l'Arabie Séoudite ou du Yémen, les chrétiens, où ils s'y trouvent, subissent une existence diminuée, quand les vexations de toutes sortes ne les forcent pas à émigrer. L'émigration massive des chrétiens d'Egypte est la conséquence d'un sursaut de nationalisme fanatisé par l'Islam. Si les coptes émigrent moins, il semble qu'ils sont empêchés et nombre parmi eux passent à l'Islam.

5. En Irak, l'Eglise n'est plus autorisée à enseigner le catéchisme, dans ses écoles et à ses propres enfants; d'après la constitution récemment proclamée, l'accès des ministères est barré aux non-chrétiens.

6. En Syrie, nonobstant l'attitude énergique de toutes les hiérarchies chrétiennes, la constitution porte toujours que l'Islam est la religion du Chef de l'Etat (au lieu de: la religion de l'Etat), la source principale de la législation (rectification immédiate de la formule précédente). Aussi, en vertu de ce texte, aucun chrétien ne peut prétendre devenir Chef de l'Etat (passe encore), ni aucun musulman devenir chrétien. Un chrétien, enrégistré, au civil et par erreur, musulman, n'a pu réussir à rectifier cet enrégistrement, malgré tous les efforts, tous les recours et beaucoup de dépenses; ses enfants seront également enrégistrés musulmans, devront suivre l'enseignement coranique, sur lequel ils doivent passer un examen officiel. Pour leur mariage et leur héritage, ils relèveront, également du tribunal musulman.

7. La situation est sensiblement la même dans les pays Africains à prédominance musulmane; elle est analogue aussi dans les pays Asiatiques, où les chrétiens sont minoritaires. Quel avenir peuvent espérer les Missions dans cette situation?

III. *Conclusion.* Dans les Pays musulmans, l'Etat Confessionnel n'est pas simplement une situation de fait, mais une position de principe: on ne peut espérer sa disparition que par une désintégration progressive et lente de l'Islam. Par contre les réveils nationaux sont accompagnés d'une recrudescence de fanatisme.

Devant l'endurcissement actuel des Etats musulmans dans leurs institutions islamiques, les chrétiens minoritaires (les missions) religieusement contraints et civilement humiliés, ont beaucoup à lutter pour défendre leur existence, sauvegarder leur liberté religieuse et leurs droits civiques. Le Concile aura-t-il la charité de ne pas donner aux Etats, sous le régime desquels ils vivent un moyen supplémentaire d'augmenter leur supplice et de les priver de leur meilleure défense devant l'opinion internationale et la conscience humaine. Que les Pères, zèlés pour la Vérité, là où celle-ci ne court aucun risque, se rassurent: les chemins de la Liberté sont aussi ceux de la Vérité; la Vérité n'a jamais connu autant de déboires que quand Elle a cherché sa sécurité en dehors d'Elle-même. Concevoir ou donner la répression du mal comme le principe où la religion condense sa substance pour l'action, c'est se ranger auprès de ceux pour qui la Croix du Christ est folie et non puissance de Dieu. Mais « Dieu n'a-t-il pas frappé de folie la sagesse du monde? » (la sagesse politique).

Pour toutes ces raisons de fait et de foi, nous supplions les Pères de supprimer ce dernier paragraphe du N. 5 et de livrer à la grâce de Dieu, à la force de Croix, à la sagesse de Dieu et non du monde le sort des chrétiens face aux ennemis non seulement de l'extérieur mais même de l'intérieur.

[*Subscripsit etiam*] M. Doumith, év. Sarba.

11

Exc.mus P. D. MAURITIUS BAUDOUX
Archiepiscopus S. Bonifatii

Admodum placet modus loquendi de libertate religiosa utpote qui doctrinam omnimode veram cum circumspectione necessaria proponit (avec toutes les nuances désirables). Hanc circumspectionem textus sublineare mihi liceat ut obvietur difficultatibus vel et timoribus quae quidam forsan experiuntur momento quo Ecclesiam coram mundo positionem aliqualiter novam sumere intendit.

1. In praesenti disceptatione non agitur de quodam conceptu abstracto et confuso libertatis religiosae, sed de definitione libertatis religiosae in textu

praeciso et circumspectione pleno nostri schematis. Nisi ad hoc attendamus, facile possunt obiectiones contra declarationem conciliarem praebere ansam interpretationibus falsis, ipsi textui contrariis.

Aliqui adhuc censent omnem declarationem libertatis inopportunam immo et periculosam esse, quia impossibile ducunt declarationem formulare quae indifferentismo, subiectivismo aut relativismo doctrinali non faveat, et quae consequenter non destruat zelum pastoralem et spiritum missionarium. Vel difficultates alias afferunt, quae forsan valorem haberent contra alium modum formulandi doctrinam sed non clare referuntur ad textum declarationis uti nunc exstat.

Talis modus obiectiones faciendi periculum magis immediatum inducit quam pericula hypothetica quae ex declaratione timentur. Nam, nisi declaratio iam in disceptatione conciliari intelligatur secundum explicationes a relatoribus datas et secundum sensum praecisum qui ex innumeris distinctionibus et cautelis in textu apparet — periculum adest ne mundus credat nos, declarationem suffragando, praedictis erroribus indulgere vel eos minus graves aestimare. Non omnes, in mundo et inter ipsos catholicos, textum declarationis attente legent et ponderabunt. Plures de eo iudicium ferent ad mentem opinionum quae in aula exprimuntur et in documentis extra aulam distributis non sine passione elaborantur.

2. Ideo valde opportunum mihi videtur duo exempla indicare prudentiae quae in textu exarando exhibita fuit, ita ut fundamentum auferatur omni falsae interpretationi.

a) *De periculis pro vera fide.* In textu optime apparet agi de libertate religiosa secundum conceptum technicum nunc communiter receptum in campo iuridico; et modus loquendi in n. 1 (pag. 5, lin. 6), 2 (pag. 6, lin. 9), 3 (pag. 8, linn. 1-8 et 31) et 5 (pag. 11, linn. 1 ss.) hoc extra dubium ponit. Et ideo confusionem inutilem creant qui adhuc videntur hic invenire affirmationem autonomiae creaturae rationalis erga suum Creatorem vel qui videntur timere ne declaratio evertat fundamenta obligationis moralis verae fidei investigandae et amplectendae et indifferentismo faveat.

Textus tamen nullum motivum huic timori praebet. E contrario multis vicibus affirmatur officium morale fidei (v. g. pag. 6, n. 2, lin. 17; pag. 7, n. 3, lin. 14; pag. 14, n. 9, linn. 2-6).

Et ita apparet plene congruere enuntiationem prudentem libertatis fidei (qualis alioquin iam inveniebatur in Doctore Angelico) cum affirmatione inconcussa iuris Dei revelantis, cui respondet obligatio religiosa hominum.

Item textus constanter ostendit positionem unicam Ecclesiae in conservatione et transmissione fidei (v. g. pag. 6, n. 2, lin. 25; pag. 16, n. 12; pag. 17, n. 13). Et sic, nedum indifferentismo faveatur, potius inculcatur responsabilitas quae cuique catholico incumbit religionem suam melius cognoscendi necnon et illustrandi coram aliis.

b) *De periculis pro spiritu missionario.* Ex altera parte declaratio li-

bertatis incitamentum validum afferre potest spiritui missionario et zelo veram conversionem hominum procurandi. Nam studium aliis communicandi veritatem quam accepimus, non ex sensu subiectivo superioritatis propriae nec ex inclinatione ad dominationem procedere debet, sed ex conscientia nostrae obligationis erga Deum qui nos libere vocavit, erga Christum cui incorporamur et cuius corporis incrementum nostrae responsabilitati committitur, et erga fratres omnes quibus bonum supremum fidei in caritate desideramus.

In textu Declarationis, ipsa defensio iuris fidei profitendae necnon et exterius practicandae super haec principia fundatur (sic v. g. pag. 7, n. 3, lin. 25; pag. 12, n. 6, lin. 4; pag. 15, n. 10, lin. 16; pag. 17, n. 12, lin. 3; pag. 17-18, n. 13).

Quod non faveatur proselytismo indiscreto, quod respuantur methodi minus conformes conceptui moderno libertatis, quod negetur auctoritati civili idoneitas ad iudicandum quid sit praedicandum et quid non — haec certe non diminutionem spiritus missionarii sed purificationem important; unice quaeritur ut ad Deum adducantur filii liberi et generosi et non servi coactione moti.

3. Quo melius declaratio hanc viam securitatis et veritatis prosequatur, aliquae mutationes, non in ideis, sed in modo loquendi proponimus (et secretariatui tradimus):

a) pag. 5, n. 1, lin. 2. In nota (1) utile videretur, secundum spiritum textuum ex Encyclicis *Pacem in terris* desumptis: a - distinctionem afferre de variis sensibus verbi libertatis, ut fit v. g. in relatione, pag. 41-42, modo tamen breviori; b - melius illustrare relationem quam hodierni ponunt inter dignitatem personalem et libertatem, et ad hoc aliquos referre textus ex Professione Universali Iurium Humanorum (O.N.U.) vel ex Constitutione alicuius status.

b) Pag. 17, n. 12, linn. 14-18. Substituatur textus « Si viget ratio libertatis religiosae non solum verbis proclamata vel et legibus sancita sed cum sinceritate ab omnibus in praxim deducta, Ecclesia convenientem exspectat iuris et facti condicionem plenamque facultatem agendi in missione... ». Ita vitaretur species optimismi exaggerati.

c) Pag. 18, n. 13, linn. 4-7. Proponitur textus leviter mutatus: « Fideles autem in sua efformanda conscientia diligenter attendere debent ad sacram certamque Ecclesiae doctrinam. Christi enim voluntate Ecclesia eius magistra est veritatis... ».

d) Pag. 18, n. 13, linn. 19-21. Novus textus proponitur: « Etenim discipulus erga Christum magistrum gravi adstringitur officio donum veritatis ab eo receptae plenius in dies cognoscendi... ».

Et item lin. 25. « Respiciendum est tum ad officia erga Christum, verbum vivificans quae praedicandum est, tum ad... ».

Hae duo mutationes alicuius momenti videntur ad praecisionem textus. Auctores enim relationis explicaverunt in pag. 49-50, impraecisionem expressionum « iura veritatis », « ius ad veritatem », « ius ad errorem ». Sed cor-

relativa sunt iura et officia; utraque ad personam terminantur. Ideo impraecisum videtur loqui nunc de « officio erga donum veritatis », vel de « officiis erga verbum quod praedicandum est ». Melius est loqui de officiis erga Christum et fratres.

e) Pag. 19, n. 14. Ideae linn. 1-12 de praesenti statu mundi melius ponerentur in prooemio declarationis i. e. in n. 1. Nam ita melius adiuvarent ad intelligendum sensum praecisum declarationis et in n. 14 non remanerent nisi ea quae vere ad conclusionem pertinent.

12

Exc.mus P. D. EUGENIUS BEITIA ALDAZABAL

Episcopus tit. Verronensis

Voluerim mentem meam exprimere paucissimis et castigatis verbis. Laudentur quam maxime redactores schematis ob opus peractum, perfectibile tamen et ob manifestam voluntatem redigendi textum, qui cum doctrina catholica iam tradita a Magisterio ecclesiastico possit componi. Dicamus libenter illos non omnino vane insudasse in opere, sed etiam statuamus, ut modeste puto, non tulisse punctum in expressione, sapienter miscendo utile vero.

Videamus: centrum discussionis vertitur circa « curam religionis » ex parte auctoritatis publicae temporalis. Ideo problema libertatis religiosae est tam politicum quam iuridicum et morale.

Iam ergo, hac in re, ex qua cetera pendent, schema mihi videtur anceps et imperfectum. Nimia asserit securitate « potestatem civilem limites suos excedere, si in ea, quae ipsam ordinationem hominis ad Deum respiciunt, sese immisceat ».

Haec affirmatio non potest — saltem ut sonat — componi cum assertis a Leone XIII praecise in aureo documento, quod in suo titulo nomen « Libertatis praestantissimi doni » prae se fert. Leo XIII statuit obligationem Reipublicae et quaerendi et profitendi veram fidem religiosam. Immo « curam religionis » ex parte Societatis temporalis sic affert: « Cum igitur sit unius religionis necessaria professio, profiteri eam oportet, quae unice vera est... Itaque hanc qui rempublicam gerunt, conservent, hanc tueantur, si volunt, ut debent, civium communitati consulere. Publica enim potestas, propter eorum qui reguntur utilitatem, constituta est: et quamquam hoc proxime spectat, ducere cives ad huius vitae prosperitatem, tamen non minuere sed augere homini debet facultatem adipiscendi summum illud atque extremum bonum, in quo felicitas hominum sempiterna consistit: quo perveniri non potest religione neglecta » (*A.S.S.,* 20, 1887, pag. 604).

Cura ergo religionis ad societatem pertinet positive, agnitio et professio verae religionis doctrinalibus fulcitur argumentis, non tantum historicis et ambientalibus motivis.

Asseratur ergo hic in schemate, castigata et si vultis ven. Patres, modesta et timida expressione, sed asseratur et constet. Pateant ceterum portae ad agnoscendam « bonam fidem » alias religiones profitentium, et sarta tectaque sint iura dignitatis humanae, quae in praxi, in suis limitibus erunt componenda cum iure recognitionis Ecclesiae Christi, ut personae moralis et cum exigentiis ordinis publici.

Mallem ut in hac quaestione de limitibus libertatis loqueremur « de bono communi » potius quam de « ordine publico ». « Ordo publicus », ex usu iam vulgato sapit simpliciter « poliziacum » laborem in via, quamvis alia sit etiam verborum significatio. « Bonum commune » profundius attingit totam vitam socialem.

Omitto utpote non sufficienter peritus in re biblica, obvias rationes, quae adduci possent contra usum, in hoc schemate, textuum evangelicorum, qui referunt modum agendi Christi et apostolorum. Pace redactorum schematis dicendum foret: « sed nunc non erat his locis » in materia de libertate religiosa. Ceterum difficulter etiam componentur, meo saltem iudicio, quae dicuntur circa recusationem Iesus adhibendi ignem caeli ad compescendos Samaritanos et ea quae in Actibus Apostolorum proferuntur circa modum agendi Petri in casu Ananiae et Saphirae. Forse simplici omissione res melius verteretur.

Sed quaestio de doctrinali continuatione schematis cum iam expositis a Magisterio Pontificio, diserta claritate apparere debet. Laudati et laudandi Redactores consulant perspicue et breviter huic necessitati.

13

Exc.mus P. D. ALFREDUS BENGSCH

Archiepiscopus-episcopus Berolinensis

Nomine episcoporum Germaniae Orientalis opportunum, immo necessarium mihi videtur, omni nisu sublineare ea quae hodie — feria VI 17 septembris 1965 — ab em.mo Francisco S. R. E. card. Šeper in aula Concilii exposita sunt quoad schema *de libertate religiosa.*

Eius argumenta adamussim nostra sunt. Haec in scriptis deponere volumus, quia ex una parte silentium conscientiam nostram gravaret, ex altera parte iterata expositio tamquam mera repetitio molestiam provocaret.

Idem omnino valet de iis, quae hodie quoad eandem materiam exc.mus D. arch. Posnanien. Antonius Baraniak exposuit.

14

EXC.MUS P. D. ALOISIUS M. BETTAZZI

Episcopus tit. Thagastensis, aux. Bononiensis

Declaratio videtur confirmanda: non solum ne eludatur expectatio totius mundi, sed etiam quia videtur satisfacere officio magisteriali Ecclesiae erga mundum huius temporis.

Convenio quidem cum exc.mis Patribus qui fundationem magis supernaturalem postulaverunt; consentio tamen cum extensoribus huius declarationis opinantibus argumentationem rationalem faciliorem reddere dialogum et praesertim initium dialogi cum omnibus hominibus; inspiratio supernaturalis melius ponitur in conclusione ut prioris argumentationis indicet fontem et complementum.

Quoad rationem « ordinis publici » quae indicatur tamquam radix limitationum, verum est ipsa consistere in ordine mere extrinseco: attamen hac de causa ipsa praeferenda videtur eo quod civilem auctoritatem excludit a iudicio ferendo de substantia rerum. Quod consonare videtur cum verbis Pii Papae XII affirmantis reipublicae munus in statuenda libertate religiosa opportunius remanere intra limites iuris penalis.

Quibus generaliter praemissis quaedam audeo suggerere ut declaratio etiam in minoribus perfectior evadat.

Quaedam sunt omittenda: sic, v. g., pag. 8, linn. 10-12 cum eadem statim aliis verbis repetantur.

Sic, v. g. etiam pag. 10, lin. 17: omittatur « iustas leges » secus addenda essent etiam « decreta, statuta » et alia huiusmodi. Sic, v. g. pag. 11 linn. 2-7: analoga optatio fit enim sub fine quoque declarationis.

Sic, v. g. pag. 12, lin. 29: omittendum verbum « ius ».

Sic, v. g. pag. 17, lin. 3: omittenda verba: « convocationi divinae libere respondere » cum, ratione supernaturali iam superius citata, aptior locus fiat universalis rationi naturali.

Sic tandem pag. 19, lin. 31 loco « manifestum est, cum ... premantur et ... veniant » dicatur: « manifestum est nostrae aetatis homines varia ratione premi et in periculum venire ... ».

Pariter omittenda sunt verba: « religiosa ... » usque ad « vocati sunt »: quippe quae repetitione sapiant.

Quod dicitur pag. 11, linn. 7-20 melius dictum fuisset pag. 10, lin. 19 cum de eodem contextu agatur; optima inde fiat concatenatio cum verbis sequentibus pag. 10-19: « Eidem providendum est ... ».

Quae omnia in declaratione proponuntur apprime concordant cum iis quae Papa Noster Paulus VI in *Ecclesiam Suam* proferebat explicite de libertate qua quisque pollens « ad Deum venit aut Illum fugit ».

15

EXC.MUS P. D. MICHAEL BLECHARCZYK
Episcopus tit. Jotanus, aux. Tarnoviensis

Pag. 5, n. 2, lin. 8. N. 2 ad finem addenda: « Nequit proinde indifferentismus, hodie tam late sparsus, admitti, acsi unaquaeque religio vel saltem quaevis communitas in aequo poni possit ». *Ratio*: diebus dialogi, quando variae devotiones huc atque illuc a communitatibus christianis iunctim celebrantur, periculum, saltem apud rudes, iudicandi omnes communitates religiosas etiam obiective rationem habere, exoritur.

Pag. 11, n. 5, lin. 20. N. 5 ad finem addenda: « Ceterum sicut homo obligatur ad formandam sibi veram de rebus religiosis sententiam et ad veram religionem profitendam, ita et societati officium incumbit ad veram religionem pervenire eamque agnoscere et profiteri necnon salva aliarum communitatum religiosa libertate fovere ». *Ratio*: sicut homo a Deo procedit et ad Deum tendit (« inquietum est cor meum, donec requiescat in Te ») ita et societas civilis a Deo procedit et non potest pace frui, donec verum Deum agnoscat.

Pag. 19, n. 14, lin. 5. De aspectu theologico ac iuridico libertatis religiosae.

1. Cum de libertate religiosa seu de libertate confitendi externe religionem loquimur, duplex aspectus eiusdem potissimum discernendus est: theologicus scil. ac iuridicus. Libertas religiosa theologice sumpta fundamentalem veritatem *revelatam* ordinis moralis constituit ideoque ad depositum fidei pertinet, cuius nonnisi Ecclesia Christi infallibilis testis, custos, interpres ac iudex est.

2. Libertas tamen religiosa non tantum est veritas revelata, sed iuridice considerata veritatem simul naturalem constituit, et quidem ordinis socialis ac iuridici; religio enim, cuius libertas una de proprietatibus est, non tantum privatum sed etiam socialem valorem habet. Cum libertas religiosa veritas seu factum ordinis iuridici est, inde sequitur normam de libertate religiosa partem esse debere non tantum iuris particularis, respicientis relationes iuridicas privatorum, sed etiam partem iuris universalis seu internationalis (ein Teil des Völkerrechts, une norme de droit international). Immo adhuc pressius: partem iuris internationalis, non solum positivi, quod de conventione humana, expressa vel tacita, originem ducat, ut v. g. conventiones Genevenses de captivis in bello, sed partem iuris internationalis naturalis, cuius scil. ipsa natura humana principium ac fontem constituit, ut v. g. iura regnorum ad incolumitatem territorii eorumque officium pacta servandi. Quo sensu etiam verba intelligantur oportet: « Gesetze, die das Bekenntnis und die Betätigung des Glaubens unterdrücken oder erschweren, stehen in Widerspruch mit dem Naturgesetz » (PIUS XI, *Mit brennender Sorge*: *A.A.S.*, 29 [1937], pag. 160).

3. Cum norma de libertate religiosa valorem iuris internationalis et quidem naturalis habeat, inconcussum — ut spero — exstat principium, ratio ac fundamentum ad tres conclusiones inde deducendas, quae sequuntur:

a) ut hic praecise valor normae de libertate religiosa in praesenti Schemate Declarationis clarius ac strictius sublineetur, quod non tam difficile fieri possit quam reemendando scil. finalem propositionem n. 14, linn. 4-5;

b) ut v. g. organa postconciliaria vel alia organa, per quae Ecclesia actiones internationales iuridicas exercet, omnem adhibeant curam, ut vera ac recta norma de libertate religiosa tamquam pars iuris internationalis ubique agnoscatur et in scholis ac institutis scientifice proponatur ad instar communiter recepti codicis laboris vel codicis familiae (« code de travail », « code de famille »);

c) ut interpretatio normae de libertate religiosa prorsus independens maneat a constitutionibus ac legibus civilibus, potissimum a decretis gubernialibus; hac enim interpretatione Statui amandata, norma de libertate religiosa evadit in Statibus « laicis » et « atheis » instrumentum ad omnem religionem persequendam vel prorsus exstirpandam, eradicandam.

Pag. 19, n. 14, lin. 10 inter verba: « a religione profitenda ... » et « removere » inserere sequentia: « non raro modo mendacioso ac doloso ». *Ratio*: nonnulla regimina perpulchras habent constitutiones, attamen sese gerunt modo pernicioso in rebus religiosis et ecclesiasticis, ac sese adhuc iactant se procedere secundum constitutiones.

16

EXC.MUS P. D. WARREN BOUDREAUX

Episcopus tit. Calyndensis, aux. Lafayettensis

1. Schema placet in genere, sed duas animadversiones proponere volo:

a) ad timorem aliquorum Patrum removendum, notiones in relatione schematis (pag. 48) de fine iuridico declarationis clarius inserendae sunt, praesertim n. 1, linn. 9-28;

b) de paragrapho in b. 3, pag. 11; linn. 13-20 « Hoc vero libertatis religiosae regimen etc. ». Haec paragraphus est nova in textu reemendato et deleri debet, quia 1. nihil addit ad substantiam declarationis; 2. e contra confusio et suspicio ex ea oriri facile possunt; 3. qua talis, subiecta erit variis interpretationibus, et in nationibus non-christianis instrumentum persecutionis christianorum facile evadere potest. Et, proh dolor!, etiam pro christianis erit magna tentatio!

17

Exc.mus P. D. GABRIEL PAULINUS BUENO COUTO

Episcopus tit. Leucenus, aux. S. Pauli in Brasilia

N. 1, lin. 5, post verbum « coercitione » addatur: « extrinsecus ». *Ratio*: clarior evadit sensus; reapse sic legitur in *Pacem in terris,* nota pag. 20.

N. 1, lin. 8 pro « Ad has animorum appetitiones » legatur: « Ad hoc ». *Ratio*: nullus sermo fit, supra, de animorum appetitionibus. Haec verba transscribuntur ex *Pacem in terris,* extra tamen contextum, quem ibidem habent (cf. pag. 20, nota 1).

N. 1, lin. 10 pro « sint ... conformes » legatur: « sit libertas religiosa ... conformis ». *Ratio*: sequitur, admissa observatione praecedenti.

N. 1, lin. 13 dicatur « ad iustas hominum in religiosam libertatem appetitiones ». *Ratio*: eadem ac praecedens.

N. 2, lin. 4 post « in re religiosa » addatur: « quae iuri naturali vel divino saltem non obsit ». *Ratio*: dignitas personae humanae, quae ut fundamentum ponitur totius humanae libertatis religiosae, importat duplex elementum: 1. non solum quod homo sit liber in agendo iuxta suam conscientiam sed etiam 2: quod illa quae obiective suam naturam decent, agat. Decere autem nequit illud quod, obiective, iuri naturali vel divino saltem non convenit; illud proinde quod obiective infensum est iuri naturali vel divino, etiam infensum esse videtur ipsi dignitati humanae, ut patet; solemne semper fuit ordinem *essendi* esse ordinem agendi (et proinde cogitandi): et libertas est qualitas *agendorum!*

N. 2, linn. 16-28: omittantur. Cum, enim, dignitas personae humanae exigat ut homo liber sit ab omni coercitione in re religiosa quae iuri naturali vel divino non contradicat, tota haec paragraphus non videtur amplius retinenda.

N. 3, lin. 13: post verba « conscientia sua » legatur lin. 14: « conscientia sua; quapropter tenetur quisque in universa activitate sua conscientiam sequi fideliter, ut ad Deum, finem suum, perveniat. Hoc autem ad ipsam personae humanae dignitatem pertinet ». Clarius sic patet, quod dignitas personae humanae duobus constat elementis: 1. libertate in agendo iuxta suam conscientiam et 2. relatione ad Deum, iure naturae vel divino firmata.

N. 3, lin. 31: Dicatur « Sollemne *semper* fuit principium morale » etc. *Ratio*: ne videatur Concilium velle aliquid novum annunciare.

N. 3, pag. 8, lin. 6: post verba « agat in re religiosa » addatur: « quae iuri naturali vel divino saltem non contradicat », etc. vel quid simile. *Ratio*: eadem ac supra, n. 2, pag. 6, lin. 4.

N. 3, pag. 8, lin. 8: post verba « debitos limites », addatur: « qui a bono communi, ad iuris naturalis vel divini normam, exigi rationabiliter videntur ». *Ratio*: ne hi limites arbitrio uniuscuiusque relinquantur, nec

quoad eorum naturam (« ad normam iuris naturalis vel divini ») nec quoad eorum ad casum applicationem (« rationabiliter »).

N. 3, pag. 8, lin. 15: post verba « quibus homo » addatur: « lumen sequens rationis sive fidei », etc. *Ratio*: exercitium religionis non pendet ab hominis arbitrio, sed a divina voluntate revelata sive lumine rationis sive fidei.

N. 3, pag. 8, lin. 23: post verba « libertatem in re religiosa » addatur: « iuri naturali vel divino saltem non infensa », etc. *Ratio*: ut supra, n. 2, pag. 6, lin. 4.

N. 3, pag. 8, lin. 25: post verba « debitos limites » addatur: « a bono communi, ad iuris naturalis vel divini normam impositos, rationabiliter », etc. *Ratio*: ut supra.

N. 3, pag. 8, lin. 29: post verba « sententia ordinant » addatur: « dum nat. sua terr. et temp. rer. ord. transc., non tamen censendi sunt homines avellere a rebus temporalibus, quin potius id efficere debent ut per res temporales homines ducantur in bona aeterna. Competentia, *proinde* (loco « vero ») potest. civ. », etc. *Ratio*: ne doceatur potestatem civilem restringi debere ut homo possit salvari, quasi perpetuum huius hominis salutis hostem!

N. 3, pag. 8, lin. 35: post verba « eo consilio » (loco verborum textus: restringitur, etc.) addatur: « docetur restringi, ut personae humanae faveat eamque expeditiorem reddat ut liberius ad finem suum ultimum, secundum conscientiam suam, ratione vel fide illuminatam, tendere possit ». *Ratio*: Persona humana unum quid est, cui bono temporali et aeterno favere debent tum Ecclesia tum Status, modo utriusque proprio.

N. 3, pag. 9, lin. 2: post verba « in ea quae » addatur: « ad iuris naturalis vel divini normam », etc. *Ratio*: ut supra.

N. 3, pag. 9, lin. 3: post verba: « respiciunt sese » addatur: « indebite ». *Ratio*: patet.

N. 3, pag. 9, lin. 7: loco « atque ita », dicatur: « dummodo ita ». *Ratio*: loquitur enim de potestate civili, quae dignitatem ei propriam dicitur servare, cum sese ad res huius saeculi restringat. Attamen non videtur apte dictum; nam potest tali modo sese ad res huius saeculi restringere et homines huic saeculo ita conformare, ut materialismi notam mereatur vel quid peius, quo deici merito dicatur a sua dignitate. Exempla abundant! Propterea videtur legendum: « dummodo ».

N. 3, pag. 9, n. 11: post verba « in re religiosa » addatur: « iuri naturali vel divino saltem non infensa », etc. *Ratio*: ut supra.

N. 3, pag. 9, lin. 12: post verba « intra debitos limites » addatur: « a bono communi, ad iuris naturalis vel divini normam stabiliendos », etc. *Ratio*: ut supra.

N. 4, pag. 9, lin. 15: post verba « ad libertatem in re religiosa » addatur: « sicuti in omnibus aliis », etc. *Ratio*: ne videatur hanc tantum libertatem restringi debere.

N. 4, pag. 9, lin. 18: post verba « obnoxius est » addatur: « quae iure naturali vel divino probari oportet ». *Ratio*: ut fons indigitetur unde hae

normae desumendae sunt, qui omnibus hominibus praesto est ubique, lex scil. naturalis vel divina.

N. 4, pag. 9, linn. 15-36 ad pag. 10, linn. 1-14: Tota haec paragraphus, cum ansam praebeat multimodis interpretationibus, potest fortasse omitti et loco eius haec inseri: « Quaenam sint hae normae, videant illi qui bono communi consulere debent. Necesse tamen est omnino prae oculis habere quod de bono communi *personae humanae* agitur, cuius dignitas proinde servanda est intacta, tum quando eius libertati favere opus est, tum quando eamdem restringere oportebit. Sciant, propterea, optimam libertatis humanae mensuram inveniri in decem decalogi praeceptis quae in omnium hominum cordibus inscribuntur, luce divinae revelationis clarius illucescentia. Dignitas ergo humana, quae huic legi naturali infensa inveniatur, non est amplius *humana* dignitas et ita libertas quaecumque, titulo huiusmodi dignitatis invocata, nullam considerationem meretur neque ab homine privato, neque a coetu quocumque neque a quacumque potestate ». *Ratio*: est norma omnino practica, ut videtur, omnes abusus excludens, nec ansam praebens falsis vel aequivocis interpretationibus.

N. 5, pag. 10, linn. 14-34: loco textus, legatur: « Inviolabilem hominis dignitatem tueri ac promovere est praecipuum cuiuscumque potestatis sive religiosae sive civilis officium. Debent igitur hae potestates, per iustas leges, efficaciter suscipere tutelam curamque libertatis religiosae omnium civium, ad iuris naturalis vel divini normam. Eisdem providendum est, ne civium aequalitas iuridica, normis iuris naturalis vel divini servatis, unquam laedatur propter rationes religiosas, quin tamen exinde sequatur auctoritati civili licitum esse exigentias iustitiae distributivae praetermittere, qua tenetur omnino illos cives vel illos civium coetus favorabilioribus iuribus promovere, qui de bono communi bene mereri inventi sunt, etiamsi hoc meritum religioni, quam profitentur, adscribendum sit ». *Ratio*: patet.

N. 5, pag. 11, lin. 2: post verba « ad libertatem religiosam » addatur: « lege naturali vel divina firmatum », etc. *Ratio*: ut supra.

N. 5, pag. 11, linn. 13-20: omittenda videntur. Criterium statuitur nimis artificiosum: res relinquenda in statu quo! Criterium autem aliud videtur, scil. bonum commune, hominibus proprium, qui legi naturali vel divinae parere debent. Vera etenim civilis potestas, quae creaturis ratione utentibus, ut homines, praeest, ad iura obiectiva humana respicere debet, ut vere bono communi consulat. Si quae religio, proinde, his iuribus obiectivis humanis (quae a lege naturali vel divina probantur) non est conformis vel est huic iuri infensa, evidenter nullam considerationem meretur, etiamsi a saeculis suam petat originem! *Ratio*: ut supra. De cetero quae hic delenda proponuntur, aliter legenda exoptantur, supra, n. 5, pag. 10, linn. 14-34.

N. 6, pag. 11, lin. 22: post verba « agnoscenda est », addatur: « illis quae sive a natura originem ducunt, sive a Deo directe instituta cognoscuntur, ut Ecclesia ». *Ratio*: distingui omnino debent hae duae communitates ab invicem, quia, ratione originis, una alia evidenter eminentior est.

N. 6, pag. 11, lin. 26: post verba « His igitur communitatibus » addatur: « vi iuris naturalis vel divini » etc. *Ratio*: praecedens.

N. 6, pag. 11, lin. 34: post verba « Communitatibus religiosis » addatur: « iure naturae vel divino agnitis », etc. *Ratio*: praecedens.

N. 6, pag. 12, lin. 4: verba « Communitates religiosae » mutentur in « Hae eaedem communitates religiosae », etc. *Ratio*: sese refert ad notam praecedentem.

N. 6, pag. 12, lin. 5: post verba « in sua fide » addatur « rationi naturali vel revelationi divinae consona », etc. *Ratio*: Removetur sic periculum indebitae aequiparationis, quam textus innueret, inter falsam et veram religionem, atque occasio omnis tollitur mutuae oppositionis, cum omne quod convenit rationi naturali, conveniat necesse est et ipsi revelationi, vel viceversa.

N. 6, pag. 12, lin. 7: mutentur: « In fide autem » in « In hac fide autem », etc. *Ratio*: ut supra.

N. 6, pag. 12, lin. 8: post verba « et in usibus » addatur: « hac fide probatis », etc. *Ratio*: ut supra.

N. 6, pag. 12, linn. 9-13: loco horum verborum, dicatur: « *etsi* abstinendum sit semper ab omni actionis genere, quae natura sua vel circumstantiis temporum, locorum, conditionis socialis vel oeconomicae, magis tendit ad assensum externum obtinendum, quinimmo, dum internum prosequitur, attamen potius suggestione, emolumentis temporalibus aliisque mediis infrarationalibus assensum obtinere nititur, quam simplici luce saporeque ipsius veritatis, cultoribus veritatis, praesertim revelatae, nunquam sunt obliviscenda verba illa sapientissima: « Praedica verbum, insta opportune, importune; argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina » (S. Pauli *2 Tim.* 4, 2). *Ratio*: patet.

N. 6, pag. 12, lin. 15: post verba « quod communitates religiosae » addatur: « legi naturae vel divinae revelationi conformes », etc. *Ratio*: ut supra.

N. 6, pag. 12, lin. 19: post verba « in ipsa indole religionis » addatur: « legi naturae vel divinae revelationi conformis », etc. *Ratio*: ut supra.

N. 6, pag. 12, lin. 20: post verba « quo homines » addatur: « religionem profitentes, in iure naturae vel divinae revelationis fundatam », etc. *Ratio*: ut supra.

N. 7, pag. 12, lin. 27: post verbum « ordinandam » addatur: « ad iuris naturalis vel divini normam », etc. *Ratio*: ut supra.

N. 7, pag. 12, lin. 29: post verba « ad determinandam rationem » addatur: « huiusmodi institutionis », etc. *Ratio*: sese refert ad notam praecedentem.

N. 7, pag. 12, linn. 30-35: videntur omittenda. *Ratio*: ad rem non faciunt.

N. 8, pag. 13, linn. 1-14: videtur retinenda sola haec paragraphus, sequentibus omissis, usque ad n. 11 inclusive.

18

EXC.MUS P. D. MICHAEL ANGELUS BUILES

Episcopus S. Rosae de Osos

1. Non clare videtur quomodo libertas religiosa in Divina Revelatione directe et apodictice fundetur.

2. Fundamentum esset rationis, seu dignitas personae humanae, ut ait schema. Sed Ecclesiae doctrina non est systema philosophicum; etenim in Divina Revelatione fundatur.

3. Libertas religiosa est contraria revelationi affirmanti: « Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit, qui vero non crediderit condamnabitur » (*Mc.* 16, 16). Etenim secundum schema etiam religiones non christianae habent ius ad sese propagandas, et quidem in iure naturali fundatum.

4. Libertas religiosa est contraria magisterio ordinario Ecclesiae qui semper damnavit indifferentismum religiosum, relativismum, liberalismum, subiectivismum religiosum, ethicam situationis.

5. Libertas religiosa contraria est rationi, quia profitentes confessiones religiosas contrarias, eadem iura habent, secundum schema, ad propagandas suas ideas.

6. Libertas religiosa est contraria ordini publico, saltem in America Latina, ex eo quod saepe confessiones religiosae non catholicae faciunt praedicationem negativam, loquendo contra sacerdotes catholicos, contra Romanum Pontificem et contra Beatam Mariam Virginem, unde non raro reactio populi provocatur.

7. Libertas religiosa contraria est interessibus ipsius Ecclesiae saltem in Hispanoamerica, ubi est plus quam tertia pars Ecclesiae Catholicae. Etenim secundum statisticas anno praeterito in ista aula auditas quadringenti millia (400.000) catholici transeunt in unoquoque anno ad alias confessiones religiosas, scil. plus quam conversi ad Ecclesiam catholicam ex missionibus et aliis confessionibus religiosis.

8. Libertas religiosa scandalosa et nociva est populo vere christiano qui nec petit, nec vult eam.

9. Usque adhuc ego credebam Ecclesiam catholicam esse *unicam veram religionem* et in hac fide spero moriturus.

Omnibus ergo bene consideratis ac mature perpensis, rogo vos, venerabiles Patres, ut schema *de libertate religiosa a sacrosancto concilio tollatur* ut materia eius discutionum.

19

REV.MUS P. D. CHRISTOPHORUS BUTLER
Praeses Congregationis Angliae O.S.B.

Pag. 5, n. 1, linn. 2 et 6. Pro « postulat » et « postulatio » dicatur: « exigit » et « exigentia » (cf. verba Ioannis XXIII) quia est quaestio iuris stricte sumpti.

Ibid., lin. 9 rescribatur: « respiciens, Ecclesia exponere intendit ». Quia « discernere proponit » est vix dignum Concilio.

Pag. 7, n. 3, lin. 19. Inter « veritatem » et « in re religiosa » ponatur: « praesertim ». Ne Concilium videatur de iure ad alias veritates quaerendas velut indifferens esse!

Pag. 8, lin. 3. Pro « nulla vi adhibita » dicatur: « ulla vi vel coactione adhibita ». *Ratio*: quia non solum vis sed omnis iniusta pressio reprobanda est.

Pag. 11, n. 5, lin. 8. Pro « ad vitam religiosam » scribatur: « ad veritatem divulgandam et vitam religiosam ... ». *Ratio*: ut, sicut supra, Concilium cernatur curam habere de valore veritatis.

Ibid., n. 6, lin. 26. Post « communitatibus » inseratur: « praesertim autem Ecclesiae Universali ».

Pag. 12, n. 7. (Debet hic cautius procedere declaratio, cum in aliquibus partibus mundi « familia » est patriarchalis, multos adultos in se habens; hi autem habent ius de religione statuere independenter ab auctoritate « parentum » — vel saltem deberent habere. Ideo post « Cuique familiae » (in initio numeri) addatur: « quatenus ex parentibus et liberis minoris aetatis constat ».

Ibid. linn. 36 s. *Aut* omittantur verba « ex qua etc. », *aut* dicatur: « praesertim si ex ea omnis formatio religiosa excludatur ». *Ratio*: Quia educationis ratio unica, si includat unicam formationem religiosam (ceteris exclusis), potest graviter laedere iura parentum.

Pag. 13, n. 9, linn. 22 ss. Scribatur: « illum deinde per prophetas ... ad Deum sese convertere debere ... ». *Rationes*: *a*) Haec doctrina prophetarum est alterum stadium (post initum foedus) educationis religiosae Israelis. b) Vox passiva « esse convertendum » minus bene sonat.

Ibid., lin. 27. Pro « Ubi ergo » dicatur: « at ubi » (progressus in argumentatione, non mere inferentia ex praecedentibus).

Ibid., lin. 32. Omittatur « et caritatem ». *Ratio*: quia non constat Paulum hic loqui de virtute christiana caritatis — potest enim significare caritatem qua Deus nos dilexit.

Ibid., ultima linea et in summa proximae paginae. Omittantur haec de distinctione inter ea quae sunt Caesaris et ea quae sunt Dei. *Ratio*: quia Christus non intendebat ea quae sunt Caesaris subtrahere de auctoritate transcendente Dei (exegetice meo iudicio non potest probari interpretatio quae in textu schematis supponitur).

20

EXC.MUS P. D. ALOISIUS M. CARLI
Episcopus Signinus

I. *Aspetti positivi del « Textus reemendatus »*. A lode del nuovo « Textus reemendatus » possono ascriversi i seguenti aspetti positivi:

1. Non si afferma più senza alcuna limitazione, come nei testi precedenti, che le aspirazioni degli uomini d'oggi sono da lodarsi, ma molto saggiamente si precisa che la Chiesa intende esaminarle per vedere « quantum sint veritati et iustitiae conformes » (pag. 5, lin. 10) e confermare quelle che siano « giuste » (pag. 5, lin. 14).

2. La dottrina non è più proposta quasi divulsa tra Fede e ragione, bensì appoggiata congiuntamente a Fede e ragione (pag. 5, linn. 11 e 18; p. 13, linn. 6-14).

3. Si dice, sia pur di sfuggita e brevissimamente, che la Chiesa « ad suam doctrinam divinitus traditam denuo animadvertens, de thesauro suo vetera profert et nova » (pag. 5, lin. 11). Con ciò si afferma abbastanza chiaramente che il progresso della dottrina dev'essere regolato mediante la Tradizione.

4. Chiaramente vengono esclusi gli errori dell'indifferentismo e relativismo religioso e del liberalismo dottrinale (cf. pag. 6, linn. 16-19).

5. Si afferma chiarissimamente: « Ratio libertatis religiosae intactam relinquit doctrinam catholicam de unica vera religione et unica Christi Ecclesia » (pag. 6, linn. 25-28).

6. Quasi sempre, quando era proprio necessario, si ricordano esplicitamente i giusti limiti dell'esercizio della libertà religiosa sociale (cf. pag. 6, lin. 8; pag. 8, linn. 8 e 24; pag. 9, linn. 15-36; pag. 12, linn. 6-7).

7. Si riconosce, in determinate circostanze storiche, la situazione e il trattamento speciale che può competere ad una comunità religiosa nell'ordinamento giuridico civile (pag. 11, linn. 13-20).

8. Molto opportunamente è stato soppresso il n. 4 del testo precedente, il quale conteneva una dottrina assai discutibile, sostenuta con argomenti non convincenti.

9. Si riconosce buona la redazione del testo sulla questione del proselitismo (pag. 12, linn. 7-13).

10. Ottimo quel che si scrive sul « Munus Ecclesiae » (pag. 17, l'intero n. 13).

11. Conseguentemente, lo « spirito » missionario non risulta indebolito, come pareva nel testo precedente, ma piuttosto rinvigorito (pag. 18, linn. 12-31).

12. Il « Textus reemendatus » più volte riconosce che deve esserci perfetto equilibrio tra la libertà personale e l'ubbidienza dovuta all'Autorità,

tra la libertà individuale e la responsabilità sociale. Così si evita quel certo « neo-individualismo » che sembrava favorito dai testi precedenti.

II. *Aspetti discutibili del « Textus reemendatus »*. Se non ci inganniamo, nel « Textus reemendatus » possono rilevarsi due difetti fondamentali, e talune contraddizioni interne.

1. Il « Textus reemendatus » prende l'avvio e poi prosegue sempre in base alla nozione del diritto cosiddetto « puramente civile » e considera la libertà religiosa solo sotto l'aspetto « puramente giuridico ». Secondo i relatori dello schema, ciò si dimostrerebbe sia dalla dignità della persona umana sia dalla Rivelazione.

A noi sembra invece che ciò non possa dimostrarsi né razionalmente né da documenti certi e provati della dottrina autentica della Chiesa Cattolica.

2. Il « Textus reemendatus » suppone — anzi talora propone — una dottrina circa la natura e la competenza dell'Autorità Civile in materia religiosa che sembra difficilmente componibile con la dottrina tradizionale cattolica. Il « Textus » dà l'impressione di avere una visione piuttosto pessimistica dello Stato, derivante dalla linea Hobbes-Locke-Rousseau-Rivoluzione francese, fatta propria anche da taluni esponenti protestanti, quali Vilnet e Karl Barth (cf. PH. DAULTE, *Le problème de l'Etat Chrétien,* Lausanne 1958). Infatti:

a) il compito dell'Autorità Civile ingiustamente viene ridotto ad un compito negativo, quello di conservare l'*ordine pubblico* (= lo Stato gendarme, lo Stato Leviatan);

b) viene completamente esclusa dal « Textus » la nozione, veramente tradizionale nella Chiesa Cattolica, del *Bonum Commune;*

c) riguardo alle relazioni tra Chiesa Cattolica e Pubblici Poteri si stabilisce come « principium fundamentale » la libertà della Chiesa; invece, tale libertà non è il vero principio fondamentale positivo, bensì piuttosto la conditio sine qua non, di quelle relazioni.

3. Si rilevano talune contraddizioni interne al testo. E precisamente non si vede come possano conciliarsi alcune parti nuove, introdotte lodevolmente nel « Textus reemendatus » (cf. supra, sub I), con altre parti provenienti dalle precedenti redazioni dello schema. Così, per esempio:

a) se le aspirazioni moderne circa la libertà religiosa in tanto la Chiesa le ammette in quanto siano conformi a verità e giustizia (pag. 5, linn. 5-10), come può poi ammettere che a tutti gli uomini e a tutte le comunità religiose (quindi, anche a quelle non conformi a verità e giustizia) debba riconoscersi lo stesso vero diritto? (cf. pag. 6, linn. 9-15; e tutto il n. 6 a pag. 11). Non sarebbe questo un incentivo al relativismo e indifferentismo religioso che, invece, viene escluso a pag. 6, linn. 16-19?

b) Come si compone lo « spirito » missionario cattolico (pag. 18, linn. 12-31), cioè dell'unica vera religione e unica vera Chiesa di Cristo (pag. 6, lin. 25) col diritto vero e legittimo riconosciuto a tutte le comunità

religiose di propagandare le loro idee (in ipotesi, errate) (cf. pag. 12, linn. 4-13)?

Né, a togliere queste e simili contraddizioni sembra possa servire la distinzione, indicata nella relazione (pag. 41-52), tra la nozione di diritto « puramente giuridico » (con la conseguente nozione di libertà religiosa « puramente giuridica ») e la nozione di diritto veramente « giusto e morale » (con la conseguente nozione di libertà religiosa « psicologica e morale »). Infatti tale distinzione non pare ammissibile perché porta al positivismo giuridico, secondo il quale il « ius » può e deve separarsi dalla moralità e dalla giustizia, cioè dalla norma oggettiva della moralità (cf. Pio XII, in *A.A.S.*, 1949, pag. 604-608). Distinzione pericolosa, inoltre, per la « ratio » del criterio giuridico proverrebbe non da una norma oggettiva, anteriore e superiore ai Pubblici Poteri (la norma, cioè del Bonum Commune), bensì da una norma soggettiva stabilita dagli stessi Pubblici Poteri (cioè l'ordo publicus) o dalla positività dei fatti.

III. *Emendamenti che si propongono.* Si propongono diversi emendamenti, ispirati ai seguenti criteri:

1. Ogni qual volta il « Textus » parla indiscriminatamente di un vero « ius ad libertatem religiosam », si sostituiscono le locuzioni « facultas », oppure « ordinatio iuridica », oppure semplicemente « libertas religiosa ». Così si evita di affermare un vero diritto, ma soltanto si ammette il fatto in tanto in quanto sia conforme a verità e giustizia (pag. 5, linn. 8-10). Con questo procedimento si eliminano quasi tutte le contraddizioni interne, e il testo rimane materialmente quasi immutato.

2. Ogni qual volta il « Textus » propone la sua dottrina, per noi inaccettabile, sulla competenza dell'Autorità civile in materia religiosa, noi proponiamo un altro testo che ci sembra più conforme alla dottrina cattolica tradizionale e vera.

3. Dei singoli emendamenti si dà la spiegazione.

Textus reemendatus	*Modus emendamenti*
1) Titulus	
« Declaratio de libertate religiosa seu de iure personae et communitatum ad libertatem in re religiosa ».	« Declaratio de libertate *publica* (vel: sociali; vel: civili) *in re religiosa* ».

Ratio: supprimuntur verba « de iure etc. » quia ex una parte non sunt necessaria; ex alia vero, praeiudicium iam afferunt ad quaestionem de vero iure, necne, omnium personarum et communitatum ad libertatem religiosam.

Dicimus « publica » (vel sociali, vel civili) ad significandum quod in declaratione agimus praecise de his quae possit aut non possit Auctoritas civilis in re religiosa.

Textus reemendatus — *Modus emendamenti*

2) pag. 5, linn. 1-14:

« Dignitatis humanae personae homines hac nostra aetate magis in dies conscii fiunt. Postulat haec dignitas, ut in agendo homo proprio suo consilio et libertate fruatur, sitque non coercitione commotus sed officii conscientia. Quae libertatis postulatio in societate humana ea maxime respicit quae ad religionem spectant. Ad has animorum appetitiones diligenter attendens, Ecclesia sibi proponit discernere, quantum sint veritati et iustitiae conformes. Simulque ad suam doctrinam divinitus traditam denuo animadvertens, de thesauro suo vetera profert et nova quae ad iustas hominum appetitiones confirmandas inserviunt ».

« *Ecclesiae Catholicae sollicitudo, divino semper obtemperans mandato, doctrinam de personae humanae dignitate, eiusdemque verum ius ad Deum colendum privatim publice, eniti et contendere numquam destitit. Cum autem perspectam habeat rationem, seu signa temporum, atque aetatis nostrae honesta et utilia incrementa confirmanda putet, rerumque publicarum tutiora ab offensionibus itinera ac firmiora fundamenta percupiat, idque incolumi manente germana populorum libertate, Ecclesia Catholica in hac Sacrosancta Synodo congregata,* ad has animorum appetitiones diligenter attendit *in quantum* sint veritati et iustitiae conformes. Simulque ad suam doctrinam divinitus traditam denuo animadvertens, de thesauro suo vetera profert et nova, quae ad iustas hominum appetitiones confirmandas inser*viant* ».

Ratio: textus reemendatus habet introductionem nimis abruptam quae non praebet aptam rationem de his quae schema tractaturum est.

3) pag. 5, linn. 15-19:

« Itaque haec Vaticana Synodus declarat ius ad libertatem religiosam esse revera fundatum in ipsa dignitate personae humanae, qualis et ratione et maxime verbo Dei revelato cognoscitur ».

« Itaque haec Vaticana Synodus declarat *libertatem religiosam esse Dei donum praestantissimum, quo homo, ad imaginem sui Creatoris factus, potestate expedita ac larga gaudere debet ut, sive singulariter sive consociate, verum Deo cultum tribuere valeat. In quo ipso posita est digna personae humanae utilisque civitati libertas* ».

Ratio: hoc modo praebetur notio libertatis religiosae magis positiva ac theologica, ex qua deinde recte deducitur illa libertas religiosa socialis, seu iuridica.

Textus reemendatus	*Modus emendamenti*
4) pag. 5, lin. 19 - pag. 6, lin. 8:	
« Huiusmodi autem libertas etc. ... iuxta suam conscientiam privatim et publice agat intra debitos limites ».	Omnia *supprimantur*.

Ratio: supprimantur, quia haec paragraphus praebet notionem nimis strictam libertatis religiosae, nempe notionem pure iuridicae libertatis. Haec autem omnia non sunt nisi consequentiae ex notione positiva libertatis, de quibus inferius pluries redibit sermo.

5) pag. 6, linn. 9-15:	
« Insuper declarat huiusmodi ius in iuridica societatis ordinatione ita esse agnoscendum, ut ius civile evadat, quod omnes homines omnesque communitates religiosae legitime sibi possint vindicare. Cura autem huius iuris tum ad cives tum ad potestates publicas pertinet modo unicuique proprio.	« Insuper declarat huiusmodi *libertatem* in iuridica societatis ordinatione ita esse agnoscendum ut (...) omnes homines omnesque communitates (...) *ipsa frui possint.* Cura autem huius *iuridicae ordinationis* (...) ad potestates publicas pertinet *secundum prudentiam politicam in prosequendo Bono Communi.*

Ratio: ita fit distinctio necessaria inter « ius » et « ordinationem iuridicam ». Item datur vera ratio quare, in ordinatione iuridica facienda, potestates civiles sese gerere debeant iuxta prudentiam politicam quae habet pro scopo Bonum Commune civitatis.

6) pag. 7, lin. 20:	
« ... certa conscientiae iudicia prudenter efformet ».	« ... *vera ac* certa conscientiae iudicia prudenter efformet ».

Ratio: homo tenetur, praesertim in re religiosa, non solum « certa » sed praesertim « vera » sibi efformare iudicia.

7) pag. 7, lin. 33:	
« ... ad agendum contra suam conscientiam ».	« ... ad agendum contra suam *rectam* conscientiam ».

Ratio: conscientia debet esse « recta » (cf. verba « Pacem in terris ») secus (v. g. si esset contra ius naturale) eius actio externa potest et debet impediri.

Textus reemendatus	*Modus emendamenti*

8) pag. 8, lin. 7:

« ... iuxta suam conscientiam, intra videlicet debitos limites ».	« ... iuxta suam conscientiam, intra *tamen* debitos limites ».

Ratio: dicendo « videlicet » viderentur identificare duo commata « iuxta suam conscientiam » et « intra debitos limites ». Quod omnino verum non est.

9) pag. 8, lin. 20:

« ... ut homo internos religionis actus socialiter manifestat ».	« ... ut homo internos religionis actus socialiter *manifestare possit* ».

Ratio: exigentia religionis est ut homo manifestare possit, si velit aut si ita praescribatur, suos actus; non autem est exigentia ut de facto et semper manifestet. Dari enim potest religio quae non exigat, immo vero prohibeat omnem manifestationem externam et socialem.

10) pag. 8, linn. 27-38 usque ad pag. 9, lin. 14:

« Praeterea actus religiosi, quibus homines privatim et publice sese ad Deum ex animi sententia ordinant, natura sua terrestrem et temporalem ordinem transcendunt. ... publice agat, intra debitos limites, iuxta suam conscientiam ».	« *Quapropter, cum haec omnium excellentissima personae humanae dignitas Boni Communis principem partem constituat, Sancta Vaticana Synodus potestates civiles, a Deo ordinatas ad Bonum personae humanae servandum, enixe hortatur ut ipsam custodiant, protegant atque foveant, nihil umquam prosequendo quod dignitati personae humanae, ab ipso Deo creatae atque redemptae, contradicat* ».

Ratio: tota paragraphus « Textus reemendati » supprimitur, et per novam substituitur, quia doctrinam praebet de competentia Potestatis civilis in re religiosa quae non videtur respondere traditionali doctrinae catholicae, prout dictum est sub II, n. 2.

11) pag. 9, linn. 15-16 et 21-22:

« Ius ad libertatem in re religiosa exercetur in societate humana... Etenim in iuribus suis exercendis singuli homines coetusque etc. ».	« *Exercitium libertatis* in re religiosa *fit* in societate humana... Etenim in *hoc exercitio libertatis religiosae* singuli homines coetusque etc. ».

Ratio: ita vitatur affirmatio periculosa de iure indiscriminatim concedendo religionibus sive vera sive falsis.

Textus reemendatus — *Modus emendamenti*

12) pag. 9, lin. 27 - pag. 10, lin. 13:

« Societas civilis ius habet sese protegendi contra abusus, qui haberi possint, invocato titulo libertatis religiosae. Pertinet praecipue ad potestatem civilem huiusmodi protectionem praestare, non tamen modo arbitrario, sed secundum normas iuridicas, quas necessitates ordinis publici postulant. Illud autem societatis bonum, quod est ordo publicus, requirit sufficientem pacis publicae curam, debitam custodiam publicae moralitatis, et pacificam compositionem atque efficacem aequalium iurium tutelam pro omnibus civibus. Quod quidem bonum etc. ... nisi quando et prout est necessarium ».

« *Potestas autem civilis, Bonum ipsum civitatis Commune servare intendens,* ius habet protegendi *societatem* contra abusus qui, *sub specie* libertatis religiosae, haberi possint.

Hoc vero non arbitrario modo facere potest, sed secundum normas iuridicas *ante statutas,* et secundum quod ordo publicus postulet. *Qui ordo publicus est illa pars essentialis Boni Communis quae* requirit sufficientem pacis publicae curam, debitam custodiam publicae moralitatis, et pacificam iurium tutelam pro omnibus civibus ».

Ratio: in nostra emendatione melius declaratur norma iuridica limitationis libertatis religiosae, quatenus haec norma fundatur in aliqua re obiectiva et positiva, scil. in principio de Bono Communi servando, et quidem servando non ab ipsa societate (ut dicit Textus reemendatus) sed a Potestate seu auctoritate civili.

Ipse ordo publicus nihil aliud est quam « illa pars essentialis Boni Communis quae etc. », sicut optime iam dicebatur in textu schematis anteriore.

13) pag. 10, lin. 21:

« .. laedatur propter rationes religiosas ».

« ... laedatur propter *solas* rationes religiosas ».

Ratio: ut est evidens, Potestas civilis numquam proponit rationes religiosas cum libertatem religiosam laedit.

14) pag. 10, lin. 25:

« ... reiectionem cuiusvis religionis ».

« ... reiectionem cuiusvis *honestae* religionis ».

Ratio: secus, potestas publica diceretur non posse imponere reiectionem religionis inhonestae (v. g. quae occisionem infantium, aut prostitutionem sacram exigat)!

15) pag. 11, linn. 1-3:

« Huic Vaticanae Synodo in votis est ut ius personae humanae ad libertatem religiosam in omnibus terrarum ».

« Huic Vaticanae Synodo in votis est ut *libertas* personae humanae *in re religiosa* in omnibus terrarum ».

Ratio: ita clara fit distinctio inter haec tria: « ius ad libertatem », libertatem ipsam, et « ordinationem iuridicam ».

Textus reemendatus — *Modus emendamenti*

16) pag. 11, lin. 19:

« ... ut ius ad libertatem in re religiosa agnoscatur et observetur ».

« ... ut *iusta libertas* in re religiosa agnoscatur et observetur ».

Ratio: ne indiscriminatim concedatur verum ius simul omnibus civibus et communitatibus religiosis, etiam falsis.

17) pag. 11, linn. 23, 26, 34:

« Libertas religiosa, quae singulis personis competit, etiam communitatibus agnoscenda est ».

« His igitur communitatibus iure debetur immunitas, ut secundum proprias leges sese regant...

« Communitatibus religiosis pariter competit ius, ne mediis legalibus vel actione administrativa status impediantur... ».

« Libertas religiosa, quae singulis personis competit, etiam communitatibus agnoscenda est *intra debitos limites supra statutos* ».

« His igitur communitatibus *ea competere potest* immunitas *in ordinatione iuridica civili,* ut secundum proprias leges sese regant...

« Communitatibus religiosis, *si ita exigat Bonum civitatis Commune,* pariter *competere potest ea immunitas,* ne mediis legalibus vel actione administrativa Status impediantur... ».

Ratio: ita, dum vitatur periculosa et ambigua affirmatio de vero iure concedendo omnibus indiscriminatim communitatibus religiosis, datur via expedita ut Potestates civiles, quando hoc requirat Bonum commune civitatis, possint iustas ordinationes iuridicas efficere secundum quas omnes communitates religiosae possint habere illam libertatem religiosam quae ipsis competat iuxta rationem iustitiae distributivae.

18) pag. 12, linn. 4-5:

« Communitates religiosae ius etiam habent, ne impediantur in sua fide ore et scripto publice docenda atque testanda ».

« Communitates religiosae (...) ne impediantur in sua fide ore et scripto publice docenda atque testanda ».

Ratio: denuo vitatur affirmatio periculosa de vero iure indiscriminatim concedendo omnibus communitatibus religiosis.

19) pag. 12, lin. 19:

« ... in ipsa indole religionis fundatur ius quo homines, suo ipsorum religioso sensu moti, libere possint conventus habere... ».

« ... in ipsa indole religionis fundatur *libertas qua* homines, suo ipsorum religioso sensu moti, (...) possint conventus habere... ».

Ratio: eadem ac supra in Modo n. 18.

Textus reemendatus	*Modus emendamenti*
20) pag. 13, lin. 1:	
« Quae de iure hominis ad libertatem religiosam declarat haec Vaticana Synodus etc. ».	« Quae de *libertate in re religiosa* declarat haec Vaticana Synodus etc. ».

Ratio: Concilium, potius quam de « iure ad libertatem » (de quo multae sunt discussiones apud theologos catholicos hodiernos) agere intendit de ipsa libertate.

21) pagg. 14-15-16:	
Integer n. 10 (Modus agendi Christi et Apostolorum).	*Supprimatur.*

Ratio: supprimatur quia aut iterum iste numerus 10 esset reficiendus ex integro ut exemplum Christi et Apostolorum — allegatis etiam aliis locis biblicis, qui hic silentur — sub vera luce poneretur, aut, si hoc fieret a peritis in Sacra Scriptura et iuxta exegesim omnino certam, esset nimis longus et latus.

22) pag. 16, linn. 1-4:	
« Ecclesia igitur, evangelicae veritati fidelis, viam Christi et Apostolorum sequitur quando rationem libertatis religiosae ut hominis dignitati consonam agnoscit eamque fovet ».	Haec paragraphus servetur, sed immediate adiungatur ad n. 9.

Ratio: ita enim habetur enuntiatum propositum intentum in n. 10, qui, ut supra dicitur, supprimi debet, quia exegetice rem non demonstrat.

23) pag. 16, lin. 34 - pag. 17, lin. 2:	
« Ex catholica traditione libertas Ecclesiae est principium fundamentale in relationibus inter Ecclesiam et ordinem civilem vitae humanae ».	« Ex catholica traditione libertas Ecclesiae *ita est necessaria ut absque ea* relationes inter Ecclesiam et ordinem civilem vitae humanae *recte procedere nequeant* ».

Ratio: libertas Ecclesiae non est « principium fundamentale », sed potius conditio sine qua non, relationum inter Ecclesiam et Potestates civiles.

24) pag. 17, linn. 18-21:	
« Praeterea christifideles non minus quam ceteri homines, iure civili gaudent ne im-	« Praeterea christifideles *catholici* non minus quam ceteri *religiosi* homines, *eam*

Textus reemendatus	*Modus emendamenti*
pediantur in vita sua iuxta conscientiam agenda ».	*possunt sibi vindicare ordinationem iuridicam civilem in re religiosa quae ipsis competat secundum Bonum Commune civitatis* ».

Ratio: agitur hic de quaestione valde complexa, quae redactionem exigit valde prudentem. Nam, ex una parte, Ecclesia Catholica non potest affirmare idem *ius* pro se ac pro aliis communitatibus religiosis, utpote quae non sint verae religiones. Ex altera vero parte, exsistunt certissime « situationes » in quibus Ecclesia Catholica potest convenire cum aliis communitatibus religiosis in exigendo a Potestate civili aliquo ordinamento iuridico, iuxta quod sive ipsi Ecclesiae sive aliis communitatibus religiosis recognoscatur ea iusta immunitas quam ipsum Bonum Commune civitatis exigit.

Iamvero, emendatio nostra videtur exprimere haec omnia breviter et simpliciter.

25) pag. 17, linn. 21-24:

« Concordia igitur viget inter libertatem Ecclesiae et libertatem illam religiosam, quae omnibus hominibus et communitatibus est tamquam ius agnoscenda ».	« Concordia igitur viget inter libertatem Ecclesiae et libertatem illam quae omnibus hominibus et communitatibus est agnoscenda *in iusta ordinatione iuridica civili* ».

Ratio: ita apparet haec paragraphus tamquam mera conclusio ex dictis in emendatione anteriore, n. 24.

26) pag. 19, lin. 5:

« ... iam ut ius civile declarari et instrumentis internationalibus agnosci ».	« ... iam *in ordinatione iuridica civili* declarari et instrumentis internationalibus agnosci ».

Ratio: Constitutiones civiles et alia instrumenta iuridica abstrahunt a quaestione utrum agatur necne de vero « iure ». Unde melius est loqui simpliciter de « ordinatione iuridica ».

27) pag. 19, linn. 8-9:

« ... etsi in eorum constitutione ius ad cultum Deo praestandum agnoscitur ».	« ... etsi in eorum constitutione *libertas religiosa* agnoscitur ».

Ratio: Constitutiones plurimae nullam faciunt mentionem de Deo deque cultu Ei exhibendo, sed tantummodo de libertate religiosa, vel de libertate opinionis etc.

21

Exc.mus P. D. BARTHOLOMAEUS CARRASCO
Episcopus Huejutlensis

Schema declarationis *de libertate religiosa* in genere omni laude digna est. Maxime autem placet cap. I, ubi doctrinale principium statuitur, dignitatem scilicet personae humanae iuris fundamentum esse ad religiosam libertatem.

Praeter animadversiones iam a Patribus optime propositas ad accuratiorem schematis redactionem, aliam pastoralis indolis addam.

Multae enim regiones habentur in quibus maior pars hominum, ne dicam maxima, catholici sunt. Iisdem tamen in regionibus, non catholicae communitates habentur, quae saepe saepius proselytismum inter catholicos fanatico, ut ita dicam, ardore exercent, ita ut maxima pars eorum qui non catholici sunt, per defectionem a catholica Ecclesia seiuncti sint.

Memoranda porro est doctrina a Concilio Vaticano I iam exposita in sess. III, constitutione de Fide catholica, cap. 2: « ... minime par est conditio eorum, qui per caeleste fidei donum catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis falsam religionem sectantur; illi enim, qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, nullam umquam habere possunt iustam causam mutandi aut in dubium fidem eamdem revocandi ... » (Denz. 3014).

Porro, quamvis doctrina haec explicite in Concilio Vaticano I proposita iam sit, et implicite in schemate de religiosa libertate contineatur, ne confusionis ansa nostris christifidelibus praebeatur, atque ad audaciam non catholicorum in propagando errore cohibendam, explicita rememoratio expositae doctrinae Concilii Vaticani I necessaria videtur, quod apte fieri potest in fine n. 2, pag. 6, inde a lin. 25, textum hoc vel alio congruentiori modo redigendo: « Porro ratio libertatis religiosae intactam relinquit doctrinam catholicam de unica vera religione, de unica Christi Ecclesia et de morali obligatione christifidelium qui in Ecclesiam catholicam cooptati sunt, ipsi firmiter inhaerendi ».

22

Exc.mus P. D. GERALDUS EMMET CARTER
Episcopus Londonensis

In genere. 1. Schema placet. Attamen nunc urget ulterior necessitas ampliandi notionem libertatis in genere. Maxima confusio in mente fidelium, etiam clericorum eruitur ex absentia distinctionis conceptuum de libertate, ut referatur ad vitam civilem et politicam, et de libertate christiana prout referatur ad vitam christianam. Aliquod paragraphum, vel prooemium, vel appendix suggeritur ad istam confusionem dissipandam.

Et ut clarius pateat, sic refero:

2. Agnoscimus naturam verae libertatis politicae vel civilis. Ab initio historiae humanae, vidimus, ut effectum peccati originalis, tendentiam hominum coercendi, vi vel astutia, voluntatem aliorum, praesertim minus fortium. Libertas politica vel civilis exurgit ex illuminatione et evolutione, proprie dicta, generis humani reverentiam et agnitionem dignitatis humanae amplius ampliusque cognoscentis et concedentis.

Istum conceptum schema optime applicat in favore libertatis religiosae quae ut primus fructus istius evolutionis et maturitatis politicae bene agnoscitur.

Sed meo iudicio schema maximi momenti occasionem praeteriit clarificandi mentes omnium et praesertim bonorum christianorum, etiam presbyterorum supra veram naturam libertatis et imprimis supra distinctionem necessariam inter libertatem religiosam, politice loquendo, et libertatem religiosam in sensu christiano. Primus conceptus postulant emancipationem « a » vel « b ». Est medium ad finem. Postulat conditionem humanam in qua abest vis coercitiva excessiva. Desideratur ut homo crescere et seipsum totaliter invenire possit. Sed est medium, non finis.

Secundus conceptus, nempe libertatis christianae longe alius est. Aliquo sensu praeciso participat de natura « finis ». Dicit Dominus, « Veritas vos liberabit ». Et S. Paulus « Libertate qua liberavit nos Christus ». In eodem sensu, Deus ipse est ens perfectae libertatis et status creaturae in aeterna beatitudine maximae libertatis erit. Sic participat ista libertas christiana de natura « finis ».

Exinde sequitur etiam in terra christianam libertatem quamvis nos liberet a quibusdam elementis negativis et obscuris, nos ducere ad nostram propriam plenitudinem in Christo. Non est emancipatio « a » sed « ad ». Mensura ergo libertatis istius non erit in absentia legum et auctoritatis sed in profunditate fidei et dedicationis Deo in Christo et Ecclesia.

3. Libertas intra Ecclesiam. Non supponitur disciplinam Ecclesiae absonam et mundam esse ab omni excessu et abusu potestatis. Omnes homines etiam viri ecclesiastici tentationem patiuntur potestate abutendi.

Etiam possumus dicere quod ista vera necessitas alicuius recognitionis excessuum in ista materia multos inducit ad confusionem de qua loquimur. Si simplex visio emancipationis ab auctoritate ecclesiastica ad Ecclesiam applicatur, fautores « libertatis in Ecclesia », uti tam frequenter repetunt, videbunt ut veram libertatem christianam, hanc solam relaxationem disciplinae. Quod maxime vitandum est. Mensura libertatis in Ecclesia non potest esse in « abolitione Indicis librorum prohibitorum », « omnium legum restrictivarum », etc. Oportet nos demonstremus « servire Deo regnare est ». Sacerdos qui reverentiam et obedientiam episcopo ad ordinationem profitetur non se servum facit sed liberum. Voluntarie ex manu Christi, ante factum, accipit laborem et statum vitae sibi ab Ecclesia — potestatem clavium habentem — imponendum.

(Terminatur postulans a Sacrosancta Synodo). Saltem aliqua referentia ad duo:

1. Ut idem conceptus libertatis conscientiae et reverentiae personae humanae concedatur ad omnes qui laborant pro Ecclesia et in Ecclesia.

2. Sed ut iste conceptus non generet confusionem et non obscuret verum sensum libertatis christianae quae res totaliter alia est. Ista libertas christiana suum « dynamismum » proprium habet et non sequitur easdem leges ac libertas « politica ». Uti dixit Sanctus Paulus ad eum qui potestatem suae vitae habebat, « Opto apud Deum ... non tantum te sed omnes qui audiunt, hodie fieri tales qualis et ego sum exceptis vinculis his » (*Act.* 26, 29). Definiamus vincula sed non omittendo ante omnes profiteri quod iste qui talibus vinculis ligatur, potest inter omnes liberrimus esse.

23

Exc.mus P. D. LAUREANUS CASTÁN LACOMA
Episcopus Seguntinus-Guadalajarensis

Ut iam inde ab initio meam in hac re mentem pandam, simpliciter dicam textum reemendatum magis, immo, multo magis placere quam ii qui praecesserunt.

Multo magis placet... ergo non plene placet. Quod non plene placeat non est propter odium libertatis, sed propter amorem veritatis.

Libertatem diligo, etiam in re religiosa; sed magis veritatem, sine qua nec religio nec libertas consistit.

Ideo ut veritatis imperium in hac re cum libertate concordent, candide indicabo quaenam meo humili iudicio addenda, quaenam auferenda, quaenam vero perficienda in textu reemendato videntur.

Hoc autem facere intendo non modo asseverativo et polemico sed potius per humiles interrogationes.

I - *Addenda.* Iam igitur, textus autem noster non plene placet, non praecise eo quod errores contineat; sed eo quod multas veritates dimidiatas, seu semi-veritates proponat.

Ideo puto has semi-veritates complendas esse per aliam dimidiam partem veritatis quae nunc silentio premitur, addendo quaedam huic textui.

1) Sufficienter, sine dubio, textus noster defendit hominis iura etiam erga Deum. Sed defendit et asserit pari saltem gradu iura Dei erga homines? Certe, in numero 2 aliqua hac de re dicuntur; sed forsan non sufficienter affirmatur hominem non gaudere vera libertate morali ad amplectendam veram religionem quando ei sufficienter proponitur, et ipse eam ut a Deo revelatam apprehendit.

2) In textu hoc non explicite asseritur potestati publicae licere aequo iure habere verum et falsum, neque hominem verae conscientiae et homi-

nem conscientiae erroneae esse in pari vel simili conditione aut morali aut spirituali, quod ipsa relatio agnoscit non posse admitti (pag. 48), sed neque contrarium affirmatur. Unde, cum defendatur libertas sub respectu iuridico, et nihil dicatur de hac quaestione sub respectu morali aut theologico, veritas dimidiata manet, cum magno periculo ne populus fidelis, qui subtiles distinctiones capere non potest, intelligat agi de iure obiectivo et morali et theologico ipsius personae errantis.

Cur non additur in textu doctrina circa hanc rem sub respectu morali et theologico, affirmando revera obiective et coram Deo tantum eos qui veritatem docent aut defendunt habere verum ius, et sic remaneret veritas non dimidiata sed plena? Quod dicitur in relatione, cur non affirmatur in textu?

3) Affirmatur etiam in num. 5, pag. 11 textus reemendati, licere propter rationes historicas specialem agnitionem tribuere alicui communitati religiosae in iuridica civitatis ordinatione. Unde mea interrogatio, humilis et timorata: quod licet propter rationes historicas, non licebit omnino propter rationes theologicas? Si hoc affirmaretur, textus pleniorem sine dubio veritatem contineret, magis concordem cum doctrina RR. PP. Decetne ut Concilium maiorem, potius, unicam vim tribuat historiae quam revelationi?

4) In hoc textu unicum fundamentum libertatis religiosae agnoscitur: nempe dignitas personae humanae. Iam vero, hoc fundamentum idem est pro omnibus religionibus. Unde non difficile concluditur omnes coetus religiosos paria iura habere. Cur, praeter hoc fundamentum non indicatur clarius Ecclesiam habere alia duo potiora fundamenta, quae nulla alia religio habet, nempe, ius quod fluit e veritate quam docet, et ius quod fluit ex divina missione sibi a Christo sollemniter commissa ut sic vitetur alia veritas dimidiata?

5) Cum fundamentum pro hac libertate religiosa sit tantum dignitas personae humanae, ex hoc principio fluit evidenter libertatem religiosam non tantum secum ferre libertatem pro professione alicuius religionis, sed etiam libertatem pro profitendo et defendendo atheismo, materialismo, scepticismo aut agnosticismo, nam ex iis quae in textu supponuntur, dignitas personae obiective non minuitur propter errores quos profitetur. Cur Concilium non audet expresse hoc in textu affirmare, cum ex textu clarissime deducatur? Si prima pars huius propositionis est vera, addatur secunda veritas. Si autem pars addenda censetur error inadmissibilis, auferatur similiter primus error. Textus noster procedit logice cum in num. 5 ait: « Quo magis societas civilis propitias suppeditabit conditiones ad vitam religiosam fovendam, eo magis fruetur bonis »? Nonne potius dicendum ex his principiis, « quo magis societas civilis propitias suppeditabit conditiones ad vitam religiosam aut irreligiosam aut antireligiosam fovendam, eo magis fruetur bonis »?

Unde, in genere dicendum est, defectum capitalem huius textus esse in hoc quod consideret in libertate circa religionem tantum aspectum iuridicum, abstractione facta ab aspectu theologico et morali. Magna voce affirmantur ea quae ad quaestionem iuridicam spectant, et magno silentio plerumque premitur respectus theologicus. Decetne ut Concilium Oecumenicum hoc

modo procedat? Cur silet de iis quae ad Concilium stricte pertinent, nempe, de quaestione theologica dum e contra loquitur de iis quae stricte ad eum non pertinent, ut est respectus mere iuridicus, cuius competentia ad potestatem publicam civilem potius pertinet?

II - *Auferenda.* Praeter has veritates complendas per additionem, textus perfici debet per suppressionem alicuius partis, de qua non potest dici neque quod sit dimidia veritas.

Loquor de nn. 9 et 10 in quibus sermo est de libertate religiosa in historia salutis.

In hac re unam tantum interrogationem faciam: Textus biblici qui his in locis citantur, adducuntur serio et modo scientifico aut forsan ad hilaritatem excitandam?

Scopus textuum qui citantur est vere humilis et timidus. Non afferuntur ut argumentum apodicticum, sed tantum quasi remota radix libertatis religiosae. Hoc innuere videtur titulus: « Libertas religiosa in historia salutis *radicatur* ». Tantum ergo agitur de radice, non de argumento. Iam vero, neque pro radice inservire textus qui allegantur, quippe qui agunt de re omnino diversa a libertate religiosa prout definitur et proponitur in nostro schemate. Unum tantum exemplum videamus.

Iuxta textum Iesus « ea prodigia semper renuit patrare quae violentia quadam assensum fidei ab hominibus non bene dispositis extorquere viderentur ». Tamquam exemplum maximum affertur reprehensio a Christo apostolis facta eo quod ipsi proponerent ut ignis descenderet de caelo (*Lc.* 9, 54 ...). Nunc igitur, omnino falsum est talia miracula esse contra libertatem religiosam in credendo. Haec prodigia, cum tantum extrinsecam evidentiam, non intrinsecam gignant, non auferunt ab homine libertatem, neque consensum vi extorquent. Quod ex ipsa Scriptura probatur. Ochozias Rex misit contra Eliam quinquagenarium principem cum quinquaginta militibus sub eo, qui omnes, Elia orante, consumpti sunt igne caelesti. Crediditne ideo Rex vi evidentiae compulsus? Minime, sed, e contra, misit alium quinquagenarium principem cum quinquaginta militibus qui rursus, Elia orante, igne de caelo consumpti sunt. Credidit tandem Rex ex coactione miraculi? Minime, sed misit rursum quinquagenarium cum quinquaginta. Ergo haec magna miracula, fidem nullo modo vi extorquent, et non sunt contra libertatem religiosam hominis.

Praeterea, nonne Christus magna alia fecit miracula, maiora quam quae petebantur, ut resurrectio Lazari et propria resurrectio? Nonne apostoli alia adhuc maiora miracula fecerunt (*Io.* 14, 12), sine laesione humanae libertatis?

Unde concluditur textus hos ineptissime allegari ad hanc notionem religiosae libertatis probandam.

Sed manet adhuc alia consideratio erga hanc rem.

In Sacris paginis multi alii textus sunt in quibus libertas religiosa, prout hic exponitur, non modo non asseritur, sed negari videtur, saltem primo

intuitu. Sic — ut pauca tantum exempla afferam —, in Deuteronomio (13, 2-18) falsus propheta iubetur interfici, alii seductores, etsi sint fratres, soror, filius uxorve, iubentur lapidari; urbs apostata, iubetur deleri. Similia dicuntur in alio loco eiusdem libri sacri. Gedeon altare Baal destruxit, ut refert liber Iudicum (6, 25 ...) et nemus quod est iuxta aram destruxit, quod fecit non propria voluntate, sed iubente Deo. In Libris Regum apparet Eliam sacerdotes Baal quadringentos et quinquaginta iussisse occidi, ita ut « ne unus quidem effugerit ex eis » (*3 Reg.* 18, 40); similiter piissimus rex Iosias laudatur in textu sacro eo quod aruspices deleverit (*4 Reg.* 23, 5) idololatriam extirpaverit in Iuda (*ib.,* 10-13) et falsam religionem abstulerit (*ib.,* 24).

Iehu exterminavit omnes sacerdotes et cultores Baal, et eius templum destruxit, qua de causa a Scriptura laudatur; e contra reprehenditur eo quod non similiter abstulerit « vitulos aureos qui erant in Bethel et in Dan » (*Reg.* 10, 18-19).

Asa Rex, inductus a propheta Dei Azaria, idolorum cultum abstulit ex Iudae regno, populum universum coadunavit, et simul cum populo hoc emisit iuramentum: « Si quis non quaesierit Dominum Deum Israel, moriatur, a minimo usque ad maximum, a viro usque ad mulierem » (*2 Par.,* 15, 13).

Simili modo Iosaphat rex, « cum sumpserit cor eius audaciam propter vias Domini, etiam excelsa et lucos de Iuda abstulit » (*2 Par.* 17, 6). Hoc autem, non est causa cur a Deo reprehendatur, sed pro merito in eo habetur, ex ore prophetae: « Sed bona opera inventa sunt in te eo quod abstuleris lucos de terra Iuda » (*2 Par.* 19, 3).

Zelo Domini inductus, vir ille piissimus, Matathias, ut refert I Machabaeorum liber, videns iudaeum qui accesserat « in omnium oculis sacrificare idolis super aram, in civitate Modin », « accensus est furor eius secundum iudicium legis, et insiliens trucidavit eum super aram » (2, 23-24). Quam viam secutus est etiam vir fortissimus ille Iudas Machabaeus, qui etiam ut Scriptura refert, « exterminavit ex Israel impios » (*1 Mac.* 9, 73).

Etiam in Novo Testamento non desunt loci in quibus Apostolici apparent agentes modo valde diverso a doctrina quae perperam in nostro schemate probari intenditur. Sic, loquente Petro, Ananias et Saphira a Deo morte plectuntur propter mendacium in re sacra (*Act.* 5, 1-11) ita ut « factus sit timor magnus in universa ecclesia et in omnes qui audierunt » talia. Similiter, Paulo increpante, Elymas, magus et pseudopropheta, qui Paulum a fide avertere conabatur, fit caecus et solem non vidit « usque ad tempus » (*Act.* 13, 8-11). Et in *2 Cor.* idem apostolus asserit suam potestatem « durius agendi » cum iis qui non secundum verbum suum ambulabant (13, 10). Eodem modo Ioannes Apostolus in Apocalypsi increpat episcopum Pergami eo quod non totis viribus se opponeret tenentibus doctrinam nicolaitarum (2, 15) et Episcopum Tyatirae ad poenitentiam invitat eo quod permiserit pseudoprophetissam Jezabel « docere et seducere servos » Dei (2, 20), dum ii qui sequuntur talem prophetissam morte minantur.

Sine dubio, multo clariores sunt hi et alii textus contra doctrinam de liber-

tate religiosa prout in schemate proponitur, quam ii qui allegantur pro ea. Rebus sic stantibus, simpliciter quaero: estne scientificum, immo, estne honestum eos tantum citare versiculos qui aliquando neque speciem argumenti veri pro libertate religiosa praebent et omittere omnes alios, sine dubio plures numero et potentiores vi, qui contra doctrinam propositam praesto sunt? Vos ipsi, venerabiles Patres, iudicate.

III - *Corrigenda.* Tandem, sunt aliqua in textu reemendato schematis, quae corrigi debent.

Nonne melius esset ut quoties dicitur « ordo publicus », dicatur « bonum commune »? Nonne melius esset ut, quoties innuitur aut supponitur Status laicus aut agnosticus, supponeretur Status qui componi posset cum doctrina plurium encyclicarum Romanorum Pontificum?

Notio boni communis, ad ipsam notionem legis iustae pertinet, quae, Thoma doctore, nihil aliud est quam « ordinatio rationis ad bonum commune ». Num ipsa legis notio mutanda est, et dicenda ordinatio rationis ad ordinem publicum?

Cur a Concilio accipienda et velut canonizanda est quaedam Status notio seu conceptio quae, non multis abhinc annis omnino ignota erat, et quae, etiam hodie tum in theoria tum in praxi a multis respuitur? Nonne sunt hodie plures respublicae quae esse profitentur islamicas? Nonne adhuc quaedam quae iuxta leges fundamentales catholicae dicuntur? Nonne sunt multae aliae quae Statum concipiunt non modo hoc, mere « policiaco », parcite verbo, sed iuxta alias ideologias valde oppositas? Nonne, tandem, praedicta notio Status, est omnino aliena ab encyclicis Romanorum Pontificum, etiam Ioannis Papae XXIII, qui in sua postrema huiusmodi epistula *Pacem in terris,* explicat per longum et latum hanc boni communis notionem?

Similiter quoties dicitur ius ad libertatem religiosam, dicatur simpliciter libertas religiosa, ne praeiudicetur aut solvatur quaestio de fundamento ultimo huius libertatis, utrum scilicet sit iuris naturalis vel minus.

Ut finem huic meae orationi imponam, sinite venerabiles patres ut quasdam interrogationes generales vobis faciam. Quarum prima haec est:

Doctrina quae in textu reemendato proponitur est fructus evolutionis homogeneae doctrinae Romanorum Pontificum circa hanc rem, ita ut sit in eodem sensu et in eadem sententia, aut e contra est fructus non evolutionis sed revolutionis doctrinalis? Haec quaestio est maximi momenti. Sunt multae pericopes in textu quae, sine dubio, componi omnino non possunt saltem cum littera encyclicarum. Rebus sic stantibus, quando hi textus inter se conferentur, quinam praevalere debebit? Quem sequi debebunt catholici, Romanum Pontificum aut Vaticanum II? En periculum novi equi Troiani in Ecclesia qui forsan non modo non obtinebit unionem christianorum sed potius gignet divisionem catholicorum. De me firmiter assero numquam a doctrina Romanorum Pontificum discessurum nisi explicite et expresse a Concilio reiciatur.

Alia innocua interrogatio: Iura quae in hoc textu asseruntur et vindicantur pro conscientia erronea in re religiosa, etiam concedenda sunt conscientiae erroneae in quacumque re? Scil., quaelibet alia doctrina quae sit contra bonum commune propter errores perniciosos, sed non contra ordinem publicum, libere omnino diffundenda relinqui debet, modo fiat sine ordinis publici perturbatione? Res mihi videtur nimis gravis ut leviter solvi possit.

Hodie saepe, et merito, sermo est contra iniustum imperialismum et colonialismum magnarum nationum erga alias. Inde tertia mea generalis interrogatio. Si hic modus concipiendi libertatem religiosam prout in textu est, qui quidem est proprium magnarum quarumdam nationum hodiernarum, imponatur aliis nationibus quae sine dubio etiam suam christianam traditionem circa hanc quaestionem habent, sed diversam, nonne periculum aderit ut dicatur praevaluisse supra Concilium et supra has nationes quemdam ut ita dicam colonialismum et imperialismum religiosum?

Ultima, tandem, mea generalis interrogatio. Libertas, sine dubio valde amabilis. Sed defendere aliquam libertatis formam quae non bene cum veritate concordet, nonne potest etiam contra ipsam libertatem verti? Exemplum adducere mihi fas sit. Si in aliquo Statu seu natione praedicatio missionariorum, etsi modo legitimo facta, suscitaret violentem reactionem incolarum, ita ut ipse ordo publicus ab ipsis perturbaretur, nonne dici posset iuxta doctrinam in textu reemendato propositam, tunc talem Statum prohibere posse praedicationem Evangelii, eo quod per eam ordo publicus turbabatur? Hoc autem admitti non potest; nam est contra iura eius qui veritatem praedicat et contra quae promanat ex missione ab Ecclesia a Christo accepta.

Libertas, sine dubio, magni facienda est; sed multo pluris veritas. Si poetae dicere licuit « non bene pro toto libertas venditur auro », liceat et mihi asserere: « non bene pro tota veritas venditur libertate ».

Amica libertas, amici omnes qui in hac aula libertatem defendunt religiosam — inter quos et ego sum — sed magis amica veritas.

Aliunde, concedere libertati aliquod quod sit contra veritatem superat facultates Concilii et Ecclesiae et nostram. Non sumus plus quam Paulus, sed minus quam ille, qui, attamen aiebat: « Non possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate » (*2 Cor.* 13, 8).

A Spiritu Sancto postulo pro omnibus nobis, lucis suae radium ut inveniamus formulam in qua maxima libertas religiosa concedatur quae possibilis sit incolumi manente veritate revelata.

24

Exc.mus P. D. FRANCISCUS COGONI

Episcopus Octeriensis

Cf. supra Aloisius Carli, pag. 100-107.

25

Exc.mus P. D. ANTONIUS CORSO

Episcopus tit. Moglaenensis, adm. ap. s. p. Montisvidei

Declaratio libertatis religiosae a Concilio facta, debet esse, *clara et brevis,* immo, brevissima, non solvendo omnes quaestiones laterales vel intime connexas, sed relinquendo ad meliora tempora et maturitate difficultates quae ex ea derivantur.

Declaratio debet esse ecclesiastica, non civilis, quia ab auctoritate ecclesiastica fit, in exercitio sui extraordinarii et sollemnis magisterii. Concilium non est O.N.U. nec repetere debet quae ab ipsa dicuntur.

Ecclesia in Concilio debet defendere libertatem propriam imprimis et per se, et etiam legitimam libertatem aliorum, ad hoc ut homines habeant portam apertam ad ipsam ingrediendam, etiam propter defensionem facultatis elementaris ad assequendam veritatem.

Ergo: 1. Ecclesia debet vindicare sibi, plenam libertatem praedicandi Evangelium omni creaturae, etiam vindicare libertatem pro consectariis quae ex ipsa libertate promanant.

2. Ecclesia debet defendere libertatem individualem omnium hominum in eo sensu quod possint ad veritatem venire sine coactione. Pertinet ad ius naturale.

Consequenter: *a*) libertas plena praedicandi Evangelium veritatis et libertas ad eum amplectendi; libertas pro omnibus hominibus et coetibus etsi sint in errore bonae fidei; error bonae fidei supplet accidentaliter veritati. Tuetur ita capacitas et conditio sine qua non, placendi Deo.

b) Immunitas totalis a quacumque coactione, sive physica sive moralis amplectendi aliquam religionem. Ita protegitur libertas naturalis hominum.

c) Damnatio, sicut factum est pro iudaeis, omnium persecutionum religiosarum.

Puto etiam, declarationi praemittere debere, assertionem aliquam, in eo sensu quod Ecclesiam consciam esse, et firmiter convictam suae missionis et in possessione versari veritatis revelatae.

Nullo modo potest Ecclesia agnoscere aequo iure, aliquam vel alias communitates religiosas; hoc esset vera defectio. Melius est silere de ipsis.

Cavere debet Concilium, non utendi illae citationes Sacrae Scripturae, ad probandam libertatem religiosam, quando ipsa Scriptura, tum in Vetere, tum in Novo Testamento fortiter agit contra eos qui cultum verum Deo non tribuunt.

Meo iudicio, declaratio proposita, non est logica, nec conformis doctrinae S. Scripturae, nec traditionis, nec constanti magisterii ecclesiastici. E contra,

declaratio proposita est, plerumque contradictoria, plena confusionum, aliquando patitur complexuum (hispanice complejos); videtur potius mosaicum doctrinarum quae inter se non bene componuntur.

Relatio et sinceritas relatoris non respondet realitati schematis.

26

Exc.mus P. D. IOSEPH M. CUENCO

Archiepiscopus Jarensis

Schema declarationis *de libertate religiosa,* prout iterum nunc nobis proponitur in textu reemendato, mea sententia approbari non potest. Plures in illud animadversiones, et magni quidem ponderis, alii Patres iam obiecerunt; quasdam adhuc adiungendas esse censeo.

In primis autem contra huiusmodi declarationis *opportunitatem.* Ipsum enim schema talem opportunitatem non semel asserit ex actuali hominum postulatione libertatis in genere et quoad religionem in specie (nn. 1 et 14). Revera tamen graviora quoque pericula exinde sequi possunt, quae parvipendere non expedit; nam ex libertate religiosa fideles dolose facilius decipi possunt et in errorem religiosum attrahi, praesertim in nationibus, quae, Deo favente, usque adhuc religionem catholicam modo fere unanimi profitentur.

Secundo, contra *fundamenta* seu documenta quae ad probandam libertatem religiosam adducuntur. Nam plures textus S. Scripturae videntur modo nimis arbitrario afferri. Quod vero evidentius accidere dicerem quoad textus qui ex praecedentibus Romanis Pontificibus adducuntur, v. g., ex Leone XIII, felicis recordationis. Saepius enim in hac declaratione (in annotationibus ad calcem) huius magni Pontificis verba citantur in favorem libertatis religiosae, quin tamen ullatenus explicare intendatur quomodo cum hac Declaratione de libertate religiosa componi possit generalis doctrina ab illo Pontifice suisque Successoribus in pluribus documentis expresse et categorice proposita circa necessitatem agnoscendi ac profitendi ex parte Status civilis religionem catholicam prout unicam veram religionem, et circa tolerantiam quae simpliciter ex necessitate maiora mala vitandi aliquando permitti potest (revocentur praesertim Litterae Encyclicae *Immortale Dei* et *Libertas* Leonis XIII et plura alia documenta pontificia, v. g. propositio quam *Syllabus* Pii IX, in n. 77 damnat: « Aetate hac nostra non amplius expedit, religionem catholicam haberi tamquam unicam Status religionem, ceteris quibuscumque cultibus exclusis »). Quod toto caelo distat a ratione qua in hac declaratione *de libertate religiosa* permittitur ut, « attentis populorum circumstantiis historicis, uni communitati religiosae specialis agnitio in iuridica ordinatione civitatis tribuatur »! (pag. 11, linn. 14-17).

Tertio, contra ipsum *conceptum* libertatis religiosae. Quatenus nempe, haec libertas independenter ab ordine obiectivo veritatis vel erroris proponitur prout aliquod ius naturale cuiusvis personae humanae, ut exinde coac-

tiones ex parte cuiusvis potestatis humanae in re religiosa impediantur (n. 2). Et tamen ipsa declaratio admittere cogitur, ad vitandos abusus, huius iuris limitationes, quarum autem determinationem et applicationem pertinere dicit praecipue ad potestatem civilem (n. 4 b). Quotnam autem quantaeque arbitrarietates exinde profluere possint et revera profluant, luculenter patet ex historia et ipsa realitate actuali prout quotidie vel fere apud nationes communismo subiectas observari potest.

Demum, contra *titulum* declarationis. Declaratio siquidem « de libertate religiosa » seu de iure « ad libertatem in re religiosa », prout in actuali schemate prostat, pluribus hominibus statim suggerere potest principium indifferentismi religiosi eo vel magis quod iam plures sunt eidem proclives. Ideoque opportunius forsitan ageretur de « libertate seu iure *sociali* in re religiosa », scilicet de iure quod quaelibet persona habere dicitur coram societate et ratione societatis, religionem colendi iuxta propriam conscientiam.

27

Exc.mus P. D. ALOISIUS GONZAGA DA CUNHA MARELIM

Episcopus Caxiensis in Maragnano

Pag. 5: Titulus: loco: « de iure personae et communitatum ad libertatem in re religiosa », corrigatur: « De iure personae et communitatum ad libertatem civilem in re religiosa ». *Ratio est*: quia schema vindicare intendit libertatem ab intromissione Status vel cuiuslibet potestatis mere humanae in re religiosa, sed non a legitima auctoritate religiosa, maxime Ecclesiae (quod esset contra divinam ordinationem).

Pag. 5, n. 1, lin. 4, post: « homo proprio suo consilio et libertate fruatur » addatur: « salvis iustis limitationibus a publica auctoritate latis, ad promovendum ac tuendum bonum commune et ius aliorum ». *Ratio est*: quia illa propositio sine ullo limite, ut legitur in textu, absurda est, contra legitimae auctoritatis potestatem, et ansam praebet abusibus ac falsis interpretationibus.

Pag. 6, n. 2, lin. 28, addatur: « et ideo iure ipsius Ecclesiae Evangelium ubique praedicandi atque illum defendendi ab omnibus erroribus et impugnationibus, necnon eiusdem Ecclesiae plena potestate erga suos subditos ». *Ratio est*: etiamsi, in decursu schematis, haec iura Ecclesiae plus minusve declarentur, necesse est tamen, iam ab initio, declarato iure contra Status intromissionem in re religiosa, simul tueri Ecclesiae divina missio ac auctoritas in hac materia.

28

EXC.MUS P. D. EMMANUEL D'ALMEIDA TRINDADE
Episcopus Aveirensis

Concilium, de libertate religiosa agens, mea humili sententia rem aggredi deberet velut per tria stadia, nempe:

1. characterem obiectivum revelationis christianae, in qua ipsa Ecclesia eiusque missio ac iura fundantur, sine ambagine affirmando;

2. ad conditionem in qua inveniuntur ii qui sine eorum culpa factum Revelationis christianae ignorant clare attendendo;

3. demum officia Status eiusque membrorum erga eos qui conscientia sive vera sive erronea aut individualiter aut collective versantur stabiliendo.

1. *Character obiectivus revelationis christianae.* Primum principium, Concilio Oecumenico dignum, est hac in re humilis sed indubia affirmatio ipsius Ecclesiae fidei, scilicet ipsam esse, non obstantibus eius filiorum peccatis ac defectibus, divinae Revelationis expressionem, Regnum Dei hoc in mundo inchoandum a Christo Domino fundatum. Non licet de libertate religiosa in Concilio agere ut de ea sic dicta « Charta Sancti Francisci » ab O.N.U. exarata loquitur.

Mundo qui tot dubiis et incertitudinibus versatur necesse est quod Ecclesia non dimittatur a functione quam ab ipso suo Fundatore accepit nempe ut *columna et firmamentum veritatis* sit et appareat.

In textu reemendato talis affirmatio fit utique sed veluti metu et quemadmodum in obliquo. Accentus tonicus cadit in affirmationem satis aequivocam libertatis religiosae, cum incidere deberet per primum et in recto in affirmationem veritatis divinae Revelationis eiusque historicae expressionis, quae est Ecclesia.

En gressus per quos, meo sensu, procedendum erat:

a) Revelatio divina religionem christianam ut unicam veram religionem et Ecclesiam Catholicam ut unicam veram Christi Ecclesiam proponit.

b) Haec affirmatio non est gratuita. Motiva obiectiva subsunt quae eam iustificant et assensum eorum qui libere et bona voluntate ei adhaerent « Obsequium rationale » vere efficiunt.

c) Homines obligatione morali tenentur ut amplectent religionem quam Revelatio divina eis ut sequendam praesentat et ut, per primum perpendendo motiva quibus ipsa revelatio fulcitur, recte efforment suam conscientiam, dummodo notitia Revelationis divinae argumentis quae vere et sufficienter eam commendare possint eis pervenerit.

2. *De situatione eorum qui sine culpa ignorant divinam Revelationem et veram Ecclesiam. a*) Etsi certum est non raro passiones homines impedire quominus conscientiae suggestiones vel exigentias sequantur, aut eorum gres-

sus ad veritatem tardiores reddere (quo fiunt magis vel minus responsabiles gradu qui a solo Deo perfecte agnoscitur), de facto, sine culpa, multi homines non consequuntur efformare suam conscientiam in re religiosa modo plene obiectivo, sive quia eis praedicatio divinae Revelationis simpliciter non pervenit sive quia ipsis sufficientibus argumentis talis praedicatio non videbatur fulciri sive quia ipsi tali praedicationi non serio attenderunt propter rationes sociologicas aut historicas.

b) Desiderium et officium Ecclesiae est omnibus hominibus servitium et testimonium veritatis praestare, etiam pretio gravium aerumnarum et sacrificiorum, ut omnes possint verum Deum agnoscere et eum quem Ipse misit Iesum Christum.

c) Ecclesia vult hanc suam missionem adimplere et adimplet magno cum respectu erga vias Domini (quae nec semper sunt viae nostrae) et exigentias humanae conscientiae.

Ipsa reprobat omnem et qualemcumque formam coactionis in fidei adhaesione et in religionis exercitio. Hac in re Ecclesia sine ambagine profitetur omnes homines ius habere ut immunes sint a coercitione sive hominum singulorum, sive coetuum socialium et cuiusvis potestatis humanae, et ita quidem ut in re religiosa nec aliquis cogatur ad agendum contra suam conscientiam, neque impediatur quominus iuxta suam conscientiam privatim et publice agat intra debitos limites. Postulat enim dignitas humana ut in agendo homo proprio consilio et libertate fruatur, sitque non coercitione commotus sed officii conscientia.

3. *Officia Status et eius membrorum. a*) Hoc ius (nempe, ut nullus homo cogatur agere contra conscientiam aut intra limites ordinis publici recte intellecti, impediatur ab agendo iuxta conscientiam) ita in iuridica ordinatione societatis est agnoscendum ut ius civile evadat, quod omnes homines omnesque communitates religiosae legitime sibi possint vindicare. Nulla discriminatio est legitima inter cives eiusdem patriae fundata in motivis mere religiosis.

b) Hoc non impedit quominus, propter rationes historicas, societas civilis concedat determinatae confessioni religiosae specialis agnitio, eo tamen pacto ut simul omnibus civibus et communitatibus religiosis ius ad libertatem agnoscatur et tribuantur.

29

Exc.mus P. D. FRANCISCUS M. DA SILVA

Archiepiscopus Bracharensis

1. Titulus schematis, modo quo sonat, scil. « de libertate religiosa » non placet. *Ratio*: « Libertas religiosa » expressio verbalis est carens univocitate, nam est ambigua. Tot sensus habere potest quot aures eam capientes. Ideoque melius diceretur: *De iure ad libertatem in re religiosa.*

2. Schema autem, in genere sumpto, placet. *Ratio*: principia generaliora enuntiat quae facilius ab omnibus admitti possunt.

3. Haec tamen sunt notanda: *a*) Pluries in textu loquitur de « limitibus debitis » de « exigentiis ordinis publici ». Hae sunt expressiones sensu amplo praeditae. Iuvat magis in concreto sensum determinare; itaque a qua auctoritate fieri debet modumque iuxta indicare oportet.

b) Quaedam expressiones clarius redigendae videntur. Primo pag. 9, linn. 2-3, ubi legitur: « in ea quae ipsam ordinationem hominis ad Deum respiciunt », legatur: « in ea quae rectam ipsam conscientiae ordinationem hominis ad Deum ». *Ratio* est quia ad potestatem civilem pertinet « debitos limites » quoad exercitium externum religionis interpretare ac defendere iuxta totum n. 4 *b*) et 5.

Deinde n. 5, pag. 11, linn. 1-13, magis mihi placet alia redactio, scil.: « Quamvis ad potestatem civilem de veracitate cuiusvis religionis discernere non pertineat, cum tamen homines rite exculti ad veram religionem certe cognoscendam pervenire valeant, potestas civilis ut veram quamdam religionem agnoscere potest et publice profiteri; quo vero in casu et alias religiones permittere debet, quin eas cives iuxta rectam conscientiam sequi et debita mensura propagare prohibeantur.

Tertio, n. 6, pag. 12, lin. 7, loco: « ordinis publici non violati » dicatur: « ordinis publici et *boni communis* non violati », ut clarius pateat ratio explicitiore modo.

Quarto, n. 7, pag. 12, lin. 37, ubi legitur: « ex qua omnis formatio religiosa excludatur » legatur: « ex qua *libertas religiosae formationis excludatur* ». Ne potestas civilis religionem suam omnibus imponat.

c) Quaedam sunt omittenda vel seiungenda. Omittatur textus, n. 9, pag. 14, linn. 5-24, quippe non agat « de doctrina libertatis religiosae *sub luce revelationis* ».

d) *Simili causa* textus incipiens in pag. 16, lin. 5, usque ad pag. 18, lin. 31, *seiungatur* a praecedenti et novum caput vel sectionem constituat.

Conclusio: Textus in genere placet; et, correctionibus actis, etiam in specie.

30

Exc.mus P. D. IOSEPH D'AVACK

Archiepiscopus tit. Leontopolitanus in Pamphylia

Relatio, quam exc.mus secretarius commissionis legit, optime plura distincte designat et definit et declarat. Sed relatio non est pars integrans decreti; est tantummodo subsidium ad interpretandum. In schemate vero non item satis apparent illae declarationes et limites. Ex schemate, prout iacet, attenta humana infirmitate, valde timendum est ne quis — vel catholicus — ita inferat: « Ego teneor " in universa activitate mea conscientiam sequi fide-

liter " (sch. n. 3 lin. 15); atqui iuxta meam conscientiam talis vel talis lex ecclesiastica fundamento caret; ergo circa talem vel talem legem ecclesiasticam non debeo oboedire Ecclesiae ».

Siquidem schema recte revocat ordinationem divinam, scil. recolit Deum creasse hominem talem ut « veritatem incommutabilem magis magisque cognoscere possit. Dictamina vero huius legis divinae homo semper percipit et agnoscit mediante conscientia sua, etc. » (sch. n. 3, linn. 9 ss.). Sed hoc non est integra veritas circa hominem; et in re tanti momenti nefas est tacere partem aliquam veritatis. Recolendum pariter est Deum creasse non unum tantum hominem, nec plures homines sed omnino extraneos inter se et independentes; sed creasse homines tales ut egeant et valeant communicare inter se et tradere bona cuiusvis ordinis, et vitam et veritatem; tales ut egeant et valeant vivere in societatibus diversi ordinis (incipiendo a familia), ordinatis et hierarchicis eosque ut « potestas » sit « a Deo », et « qui potestati resistit Dei ordinationi resistit » (*Rom.* 13, 1-2). (Quae omnia donum et velut imago sunt divinae Caritatis; per inoboedientiam peccati originalis facta sunt gravia et ardua; dum vero medium Redemptionis est oboedientia).

Itaque, iuxta meam humilem sententiam, aut schema est reducendum et aptandum ut omnino clare, expresse, continuo, appareant limites et declarationes de quibus in relatione; aut, sicut schema ipsum monet homines debere agere iuxta suam conscientiam; et « non ulla obligatione in re religiosa teneri, nec esse a Dei auctoritate emancipatos », nec « falsum ac verum posse aeque aestimare », nec « dispensari officio efformandi sibi veram de rebus religiosis sententiam », etc. (sch. n. 2, linn. 18 ss.); idem schema debet expresse monere homines quod, cum sint a Deo creati sociales in sensu nuper revocato, in efformanda sua conscientia non tantum inniti debent in sua personali opinione (sicut inferri posset e schemate) sed etiam argumento auctoritatis (prout ceteroquin fit in scientiis humanis). Itaque si quis sua conscientia sentit se debere Ecclesiae adhaerere, Ecclesiae parere debet etiam in his legibus quarum fundamentum ipse non valet videre.

Talis revocatio ordinis naturalis — quem ordo supernaturalis perficit — circa auctoritatem, maximi et amplissimi momenti est, etiam ultra fines stricte religiosos. Prae oculis habeamus — quaeso — immania mala hodie lugenda in iuvenibus, immo in adolescentibus, praecise ob contemptum auctoritatis seniorum, parentum, Ecclesiae; ob defectum conscientiae de propria auctoritate ex gravi munere recte exercenda, apud seniores, parentes, et nonnunquam apud Ecclesiasticos. Prae oculis habeamus defectus in disciplina non raros in sacerdotibus iunioribus. Quae mala utique valde timendum est ne confirmentur et augeantur — attenta humana infirmitate — praesenti decreto nisi afferantur emendationes de quibus supra innui.

31

REV.MUS P. D. GODEFRIDUS DAYEZ
Abbas Praeses Congr. Belgicae O.S.B.

In n. 1. Pag. 5, linn. 2-3: loco « postulat haec dignitas », scribatur: « exigit haec dignitas ». *Ratio*: ne correctione indigere videatur textus Ioannis XXIII in Litt. Encycl. *Pacem in terris,* ubi legitur: « Illud praeterea humana dignitas personae *exigit,* ut in agendo homo proprio consilio et libertate fruatur ».

Pag. 5, lin. 5: post « coercitione » addatur: « vel sollicitatione ». *Ratio*: servetur modus loquendi Ioannis XXIII, qui ita loquitur in *Pacem in terris*; et quia libertas non tantum « coercitione » proprie dicta sed etiam vario modo « sollicitatione » offendi potest.

Pag. 5, lin. 9: loco « Ecclesia sibi proponit discernere », dicatur: « S. Synodus sibi proponit declarare ». *Rationes*: 1) Vox « Ecclesia » hoc in loco non accipitur eodem sensu ac in sequentibus, ubi agitur v. g. de libertate Ecclesiae; hic agitur non de Ecclesia ut societate, sed de Magisterio Ecclesiae. Aequivocatio vitetur, et de S. Synodo agatur. 2) Verbum « discernere » aliquam suspicionem iam ab initio manifestat circa libertatem religiosam (« discernere » verum a falso) et animum non bene pacatum indicat: talis manifestatio iam in ipso prooemio non videtur opportuna. Cum de « declaratione » agitur, dicatur simpliciter « declarare ».

Pag. 5, linn. 12-13: loco « vetera profert et nova », ponatur: « nova profert et vetera ». *Ratio*: ordo verborum in Evangelio servetur oportet: « qui profert de thesauro suo nova et vetera » (*Mt.* 13, 52). « Nova » quae proferuntur sunt etiam « vetera ».

Pag. 5, lin. 6: loco « Quae libertatis postulatio », scribatur: « Quae libertatis exigentia ». *Ratio*: eadem ac in linn. 2-3.

In n. 3. Pag. 7, lin. 19: post « veritatem » addatur adverbium: « praesertim ». *Ratio*: ne ius et officium veritatem quaerendi videatur restringi ad solum campum religiosum. Etenim textus prior de hoc officio agebat modo omnino generali; ex modo quo textus nunc emendatus est facile concluderetur Concilium ius et officium veritatem quaerendi renuere, nisi in re religiosa.

Pag. 8, lin. 3: post « ulla vi » addatur: « vel coactione ». *Ratio*: libertas vera auferri potest non tantum « vi », sed etiam variis modis coactionis moralis.

In n. 5. Pag. 10, linn. 29-30: loco « quando vis quocumque modo adhibeatur » ponatur: « quando vis vel quaecumque coactio adhibeatur ». *Ratio*: eadem ac in emendatione praecedenti.

Pag. 11, linn. 8-9: loco « condiciones ad vitam religiosam fovendam » ponatur: « condiciones ad veritatem divulgandam vitamque religiosam fovendam ». *Ratio*: haec verba textus prioris nullatenus omitti debent, nam ius veritatem divulgandi a libertate religiosa separari non potest.

In n. 6. Pag. 11, lin. 26: loco « iure debetur » dicatur: « competit ». *Ratio*: schema nimis insistit in « ius » communitatum coram Statum; de iis quae ad libertatem competunt potius agatur.

Pag. 11, linn. 34-35: loco « Communitatibus religiosis pariter competit ius » scribatur: « ad libertatem communitatum religiosarum pariter competit ». *Ratio*: eadem ac in emendatione praecedente.

In n. 9. Pag. 13, lin. 20: additio proponitur: « cum populo quem a servitute redemerat et qui Ei... ». *Ratio*: prius de redemptione a Deo facta loquendum est, deinde de promissione quam homines spoponderunt; ita est factum historicum, quod habet momentum theologicum maximum.

Pag. 13, linn. 22-23: loco « . Per Prophetas illum paulatim edocuit » ponatur: « , illum deinde per Prophetas paulatim edocuit ». *Ratio*: affirmatio principalis linn. 19-20 ex iis quae de foedere sinaitico in linn. 20-21 dicuntur insufficienter fundatur; ne ergo punctum in lin. 22 ponatur, sed phrasis continuatur oportet.

Pag. 13, linn. 28-34: textus « Ubi ergo ... iam vocati » hoc modo retractetur: « At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus (*Gal.* 4, 4-5). In cordibus eorum caritatem suam diffundit Deus per Spiritum Sanctum, quem dedit eis (*Rom.* 5, 5), ut quicumque eo aguntur, iam non sunt servi, sed filii Dei (*Rom.* 8, 14; *Gal.* 4, 7), in libertatem iam vocati... ».

Rationes: 1. Coniunctio « ergo » lin. 28 non iustificatur. Dicatur « at » sicut in textu citato.

2. Textus *Gal.* 4, 4-5, qui in schemate citatur, recte citetur oportet; non expedit illam citationem « corrigere » ex altera citatione, *scil.* Io. 6, 44, quae cum hoc contextu connexionem nullam habet.

3. Citatio *Rom.* 5, 5 interpretationem evidenter falsam in schemate recipit: « caritas Dei » de qua S. Paulus loquitur est caritas qua Deus diligit nos, non vero directe caritas qua Deum diligimus. Respectus ergo habeatur oportet significationis genuinae citationis allatae.

4. Apostolus vivide affirmat realem filiationem divinam nostram: « Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei » (*Rom.* 8, 14); « Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui... Itaque non est servus, sed filius... » (*Gal.* 4, 4-7). Schema autem loquitur de aliqua filiatione morali, quae ex praxi virtutis oritur. Ita sensus verus verborum apostoli pessimo modo deturpatur et alteratur.

Omnino ergo oportet ut textus schematis corrigatur.

In n. 10. Pag. 15, lin. 9: loco « Servum Yahweh », dicatur « Servum Dei ». *Ratio*: usus Ecclesiae traditionalis servetur oportet.

Pag. 15, linn. 33-34: loco « virtute ad potestates Deo adversas destruendas est homines ad fidem... » dicatur: « virtute ad homines in fidem... ».

Rationes: 1. Bellicosa apostoli imago a quibusdam lectoribus quasi ne-

cessario in sensu politico intelligetur. Melius est ansam tali interpretationi non praebere, et verba ambigua delere.

2. Sub respectu stylistico vitandus videtur duplex usus vocabuli « ad » in sensu diverso.

In n. 12. Pag. 17, linn. 3-13: tota paragraphus hoc fere modo retractetur: « In societate humana et a quavis potestate publica Ecclesia iustam agendi libertatem exspectare potest et debet, quae ad vitae usuram atque incrementum opus habet prout est societas hominum convocationi divinae libere respondentium. Ipsi pariter fideles omnes et singuli iure gaudere debent vivendi in societate civili secundum fidei christianae praescripta ». *Ratio*: a potestatibus civilibus in genere Ecclesia exspectare non potest ut illae agnoscant suam divinam missionem et auctoritatem spiritualem quam a Christo Domino accepit. Si talis agnitio necessaria esset ut Ecclesia libertate fruatur, potestates civiles acatholicae necessario libertatem Ecclesiae concedere non possunt, cum missionem suam divinam non agnoscant. Textus ergo schematis valde periculosus evadit. Multo melior erat textus mense aprilis 1964 typis mandatus et in Aula discussus. Optandum est ut ad huius textus respectum redeatur.

In n. 14. Pag. 19, linn. 33-34: loco « utantur » ponatur « destituantur ». *Ratio*: propter latinitatem; nam schema negare videtur quod affirmare vult.

32

Exc.mus P. D. ALBERTUS DEANE
Episcopus Civitatis Mariae

In cap. 2 *de libertate religiosa* sub luce revelationis, ad n. 12 in textu recognito, mea humili sententia, variatio notabilis introducta est. Etenim: in textu priori reemendato legebatur (cf. pag. 5, lin. 4): « Tandem, etsi inter Populum Dei in terris peregrinantem non defuerunt qui alias vias, spiritui evangelico minus conformes inierint, inconcussa tamen semper mansit Ecclesiae doctrina, neminem esse ad fidem cogendum ».

Verbis istis libentissime assentior. Sed nunc, in textu recognito non iam amplius illa servatur sententia; immo variatio introducta longe a veritate abesse videtur et ansam dare potest ad iniustas historiae interpretationes, quae admittere non possumus. Sic enim Textus recognitus se habet: « Etsi in vita populo Dei per vicissitudines historiae humanae peregrinantis interdum extitit modus agendi, spiritui evangelico minus conformis, immo contrarius, semper tamen mansit Ecclesiae doctrina neminem esse ad fidem cogendum ».

Estne verum quod *totus populus Dei* interdum habuerit modum agendi spiritui evangelico contrarium? Nam si hoc in aliquibus certe locis, in quibusdam forsitan nationibus acciderit, totam Ecclesiam, populum Dei in genere accusare de hac culpa nequimus. Sed ut verba novissimi textus sonant,

patet quod criminatio sub universum cadit populum Dei, quod magnam sapit iniustitiam. Concilium vix suam sententiam recte factum est de non culpabilitate generica populi hebraici in Christi morte; quare ergo nunc populum Dei in genere gravare possumus culpis quibus interdum pars illius tantum sese oneravit? Adsunt sententiae quae accusationes efficiuntur, sicut et haec quae in textu perpenso apparet; ac certe certius satis superque est. Ceteroquin, ni falor, verba ut stant, cum veritate historica minime sunt concordia.

Formulam antiqui reemendati textus pervalde mallem. Attamen, si novus hic textus servari deberet, omnino aliis verbis muniri debet, quibus procul ab ipso appareat accusatio totius populi Dei.

33

EXC.MUS P. D. EUGENIUS DE ARAÚJO SALES

Episcopus tit. Thibicensis, adm. ap. S. Salvatoris in Brasilia

Pag. 5, lin. 19. « Huiusmodi autem libertas... ». Proponitur: Huiusmodi autem libertas consistit in facultate hominis cum Deo fidei et amoris colloquium plene instituendi. *Ratio*: libertas religiosa non est solummodo immunitas a coactione, sed realis facultas humanae creaturae dirigendi mentem ad cognoscendum Deum Creatorem et Redemptorem, et voluntatem ad Eum amandum. Haec libertas est apex similitudinis et imaginis Dei in homine, qui hac praerogativa exprimit suam religiosam personam, quoad rerum usum, quoad intimum animum suum, quoad communitatem, quoad Deum. Sententia expositio videtur nimis extera et vana.

Pag. 7, lin. 1. « Suprema humanae vitae norma est lex divina... ». Proponitur: Suprema humanae vitae norma est bonitas divina, obiective amabilis, secundum Dei consilium sapientiae et dilectionis sese communicans... *Ratio*: schema videtur confundere normam cum lege; norma includit relationem ad exemplum et finem prospicit, lex vero respicit media ad finem.

Pag. 10, lin. 5: « Pax publica... ». Nota: phrases ambiguae sunt. Status totalitarii opus Ecclesiae de pacis perturbatione accusant quamvis ad pacem et iustitiam impendatur; eo quod, sicut dicit declaratio, christiana doctrina dictaturam condemnet. Civile gubernium omnia secundum sua principia interpretatur. Esset suo gladio iugulari. Argumenta quibus tribuitur Civili Gubernio ius et officium servandae pacis placent Reipublicae Ministris, ac populis bene de ratione libertatis et politicae gestionis edoctis. Vellem clare notandum semper « Humanae personae dignitatem, tum ex iure naturae ortam tum ex pacto gentium comprobatam, esse servandam ».

34

EXC.MUS P. D. IOANNES DE CAMBOURG

Episcopus tit. Eutymensis, aux. Bituricensis

Bien que la « relatio » en son quatrième paragraphe, sous le numéro 1 (p. 47, de difficultatibus motis circa schema - quoad methodum) précise que la question traitée par le schéma n'est pas de savoir si l'homme recevrait d'une conscience « vraie » un droit d'agir que la conscience « erronée » ne lui donnerait pas, mais seulement celle de l'« immunitas a coercitione », je souhaiterais qu'au n. 3, ligne 19 (p. 7), en ce passage où il s'agit de la recherche de la vérité, l'on indiqua que *seule la connaissance de la vérité est réellement perfectible de l'homme.* Ainsi, tout en restant sur le plan personnel, on éviterait le risque que les Pères du Concile puissent être accusés d'avoir « ignoré » les condamnations portées depuis 150 ans contre l'indifférentisme théorique.

35

EXC.MUS P. D. MAURITIUS DE KEYZER

Episcopus tit. Tiniensis, aux. Brugensis

Textus reemendatus valde placet. Quaedam tamen observare liceat.

1. Pag. 10, n. 4, linn. 10-13: Addatur: « Quae regula iuris in ipso iure naturae fundatur ».

2. Pag. 11, n. 5, linn. 13-20: Hoc deleatur: *a*) ob rationes ab em.mo card. Alfrink iam expositas et quibus adhaereo.

b) Quod circumstantiis historicis innititur potest circumstantiis historicis mutari. Quamobrem melius est in documento conciliari nostro hac de re non agere.

c) Mihi videtur evidens quod tendentia in relationibus inter Statum et religionem est in maiorem separationem inter utrumque. Nam in societate magis evoluta religio non pertinet ad munus et ad competentiam Status.

Animadvertendum est insuper quod, si consideratur in scala mundiali, hoc vinculum inter religionem et Statum valde nocet Ecclesiae tum quia in plurimis casibus religio privilegiata non est religio catholica, tum quia hoc in dies magis magisque nocet ipsi religioni. Nam plurimi homines qui sive iure sive immerito adversantur certis dispositionibus aut institutionibus Status, insimul adversantur Ecclesiae sic a Statu privilegiatae et nimis cum Statu identificatae.

Insuper ne obliviscamur homines hodiernos esse « allergicos » erga privilegia institutionibus stabilita.

3. Pag. 14, n. 9, linn. 7-8: Deleatur. Nam historice falsum est. Huic assertioni obstat Inquisitio. Bella religiosa semper fuerunt valde fanatica etiam, proh dolor!, ex parte Ecclesiae nostrae.

Temporibus quibus vigebat regula « cuius regio, illius et religio », etiam Ecclesia catholica suberat fermentis tam parum evangelicis.

4. Pag. 48, n. 3: Valde placet. Etenim iure insistitur in hoc quod non omnis error necessario est reprimendus: 1. Quia hoc esset officium impossibile. 2. Tempore Galilei tunc Ecclesia non tantum non potuisset condemnare Galilei sed errantes patres Sancti Officii debuisset condemnare. Quis autem dicere auderet Sanctum Officium non fuisse bonae fidei et non sincere existimasse eius opinionem erroneam esse tuendam?

36

Exc.mus P. D. EMMANUEL DEL ROSARIO

Episcopus Malolosinus

Doctrina *declarationis de libertate religiosa,* prout nunc in textu « reemendato » exstat, mea quidem sententia, minime potest ut vera doctrina Ecclesiae mundo proponi. Scatet enim quibusdam erroribus quoad doctrinam, ut dicitur in nn. 2-7 nostri schematis, « ex ratione desumpta ». Deviat quoque a doctrina per saecula a Magisterio Ecclesiae edocta, et tacet de quibusdam essentialibus in hac materia prorsus necessariis. Redolet *legalismum iuridicum,* ac si placita legislationis hodiernae quarumdam nationum aliquid afferre posset in determinanda hac materia, utique *pastorali,* sed essentialiter *doctrinali.*

Ex hac deficientia claritatis principiorum, oriri posset naturalismus et indifferentismus religiosus, licet verbis *declaratio,* prout in *schemate,* vellet hoc discrimen evadere.

Defectus fundamentales *declarationis* in hac parte respiciunt praecipue doctrinam 1) *de dignitate personae humanae,* et 2) *de iure personae et communitatum ad libertatem in re religiosa iuxta cuiusque hominis conscientiam.* Videamus hos defectus (et hos errores) per partes:

1. Dignitas personae humanae, utpote mente et libertate arbitrii ornatae, est magna sane. Tamen homo in sui prima conditione ad ordinem supernaturalem est elevatus et, exinde, eius dignitas ex dono gratiae et divinae filiationis quasi infinite transcendit hominis dignitatem mere naturalem. De hac vero dignitate et de hac elevatione hominis ad supernaturalem ordinem declaratio penitus tacet. At, licet non quidem intentione, re tamen, fallax et dolosa in hac quaestione est haec omissio, nam Deus elevationem ad supernaturalem ordinem minime reliquit hominis liberae acceptationi, sed necessario atque sanctione aeterni discriminis hominem in ordine supernaturali creavit, constituitque.

Dignitas igitur mere naturalis hominis in re religiosa res esset valde problematica. At talis dignitas pure naturalis hominis nec existit, nec extitit unquam. Consideranda ergo est nominatim in declaratione *dignitas hominis prout est elevatus ad supernaturalem ordinem.*

2. Consequentia quae sponte fluit ex *dogmate* dignitatis humanae personae ad ordinem supernaturalem elevatae est *ius strictissimum* Deum libere colendi absque ullo impedimento a qualibet humana potestate. At, simul cum iure illo homini a Deo *imponitur strictissimum officium et obligatio* de Deo sentiendi, ad Deum tendendi, Deumque colendi non pro lubitu suae propriae aestimationis aut iudicii, sed prout Deus Ipsemet homini sive *per rationem rectam* sive per *revelationem* Sese manifestavit. Ex Dogmate igitur hominis elevati nascitur ius strictum ad libertatem religiosam *in vera religione.*

Sed haec hominis dignitas nec in ordine naturae, nec in ordine supernaturali ullum ius confert ut notionem veram et obiectivam de Deo aut modificandi, aut alterandi, aut mutandi, aut quomodocumque corrumpendi. Proinde, perperam et absurde vindicatur ius pro qualibet religione ab homine modificata aut alterata aut corrupta. Falso igitur praedicatur verum et obiectivum ius pro quacumque religione a vera religione quomodocumque errante. Gravissimus siquidem error in declarationis schemate est agnitio iuris et libertatis aliis quibusvis religionibus a vera religione errantibus. Ergo ius ad libertatem in vera religione est ius verum et obiectivum. Ius vero ad libertatem in aliis religionibus non est ius verum et obiectivum, sed ius falsum et ab asseclis existimatum.

3. Alia quoque exinde sequitur consequentia logica, videlicet: Verum et obiectivum ius parit conscientiam rectam. Falsum tamen et existimatum ius, parit conscientiam falsam et errantem, licet, forsan, quis invincibiliter erret aut bona fide.

Libertas religiosa agnita et edocta ab Ecclesia fuit semper libertas verae religionis et *rectae conscientiae.* Nunquam vero Ecclesia agnovit aut docuit ius ad libertatem falsae religioni aut falsae conscientiae, quamvis conscientia, cum invincibiliter et bona fide errat, a peccato agnoscatur immunis et nulli coercitione debeat unquam subdi, sed, e contra, debeat permitti aut tolerari.

Liceat hic notari sophisma in huius declarationis schemate: transcribuntur *in notis* verba Leonis XIII et Ioannes XXIII, atque in huiusmodi verbis tantorum Pontificum fundari praetenditur haec peregrina et nova doctrina. Verba Ioannis XXIII *in nota* citantur sic: « In hominis iuribus hoc quoque numerandum est, ut Deum, ad rectam conscientiae suae normam, venerari possit, et religionem privatim publice profiteri » (Nota 2, pag. 21).

Nunc vero, verba et mens desideratissimi Patris detorquentur, aut saltem male intelleguntur. Summus Pontifex loquitur de Deo vero et de recta conscientia. Declarationis schema autem loquitur de supremo numine cuiuslibet vel falsae religionis, necnon et de quacumque conscientia.

Quo iure, liceat nobis quaerere, in declaratione mutantur verba et mens tanti Pontificis eiusque Praedecessorum? Necesse est igitur ut in declaratione Conciliari suam perennem doctrinam Ecclesia proponat et propugnet, doctrinam nempe de iure et libertate verae religionis, iuxta hominis rectam conscientiam, nullimode vero de iure et libertate quarumlibet aliarum religionum, aut cuiuslibet conscientiae.

37

Exc.mus P. D. GERALDUS DE PROENÇA SIGAUD
Archiepiscopus Adamantinus

De sensu dignitatis humanae uti fundamentum declarationis.

Legenti textum declarationis *de libertate religiosa,* venerabiles Patres conciliares, et praesertim legenti relationem quae eam sequitur patet fundamentum totius doctrinae de competentia Status in defensione Ecclesiae Christi esse *modernum sensum dignitatis humanae.* Momentum omnino speciale datur phaenomenon illi augmenti conscientiae huius dignitatis (nn. 1, 2, 3, 8, 10, 14).

Sic igitur n. 3 pag. 8, linn. 1-9 legimus: « Nostris autem diebus, aucto sensu dignitatis humanae personalis et civilis, exigitur insuper ne quis in societate humana, ulla adhibita vel a singulis hominibus vel a coetibus socialibus aut a potestate publica, impediatur quominus privatim et *publice* agat in re religiosa iuxta suam conscientiam, intra videlicet debitos limites ».

I. Primo videamus utrum affirmatio declarationis de « augmento sensus dignitatis humanae » correspondeat veritati.

Augmentum hoc potest intelligi extensive vel intensive.

Quaerimus: estne certum hunc sensum esse hodie magis extensum quam temporibus anteactis? et tam certum ut sit basis inconcussa alicuius actus conciliaris?

Videtur hoc non esse verum. Videamus breviter mundum hodiernum: tertia pars humanitatis iacet sub iugo communismi. Quemnam sensum dignitatis humanae habent marxistae? eundem quem habebant nazistae.

Quemnam sensum dignitatis humanae, praesertim mulierum habent musulmani cum suis « harem » et cum commercio servorum nigrorum?

Quem sensum dignitatis humanae habet hinduismus?

Sensus hic de quo loquitur declaratio, estne in Hispaniis, in Italia, in America Latina? In isto sensu, certo non est. Hic homo « modernus » de quo loquitur relatio est phaenomenon Americae Septemtrionalis et Europae Centralis, et quidem partialiter tantum.

Si dicitur sensum dignitatis humanae esse hodie intensiorem quam temporibus antiquis, iterum dicendum est hoc non constare. Homo Medii Aevi et dicti « Ancien Régime » habebat sensum vivissimum dignitatis tam naturalis quam supernaturalis hominis. Hodie massae materializatae et proletarizatae nostrarum urbium saepe nullum sensum dignitatis humanae habent. An forte hic laudatus sensus dignitatis est ille spiritus irreligiositatis et insubmissionis erga auctoritatem paternam, civilem et divinam quae nostrae modernae aetatis propria est? Cf. Addendum I.

II. Dato sed non concesso maiore sensu dignitatis humanae nostris diebus,

quaerimus utrum ipse demonstret incompetentiam Status impediendi propagationem erroris religiosi.

Sensus dignitatis humanae non videtur esse fundamentum solidum argumentandi, si pondus ponitur in « *sensu* ».

1. Hic modus argumentandi est omnino novus in Ecclesia.

2. Inimici libertatis religiosae possunt vertere hoc argumentum contra nos.

Nam si sensus dignitatis humanae fundat ius, dicent marxistae, noster sensus est magis evolutus quam sensus occidentalium. Noster autem sensus nobis dicit omnem religionem esse contra dignitatem humanam, esse « alienationem » libertatis.

Inde concludunt Statum debere impedire manifestationes externas religiosas et adlaborare ut quam primum etiam religio interna non amplius exsistat.

Ad hoc argumentum respondere non valebimus. Si sensus noster est argumenti fundamentum et ratio, cur sensus eorum non erit?

III. Si pondus argumenti non ponitur in verbo « sensus » sed in ipsa dignitate humana, dicemus fundamentum esse bonum, sed conclusionem quam inde infert declaratio esse falsam.

Dignitas humana fundatur in natura hominis intellectualis. In eo consistit quod homo destinatur ad cognoscendam veritatem et ad amandum bonum. Homo habet ius ad veritatis cognitionem, in mensura qua ipsa ei necessaria est ad vitam. Hoc valet tam de naturalibus quam de supernaturalibus. Si aliquis inducit hominem in errorem, sive bona sive mala fide, obiective laedit ius sacrum hominis. Quantum maius bonum quod in discrimen ponitur, tantum gravior est haec iniuria.

Finis autem Status est, saltem subsidialiter, defendere iura subditorum suorum, maxime debilium et ignorantium. Unde iure concludunt auctores catholici et prae primis Summi Pontifices, Status habet per se potestatem impediendi quominus iura suorum subditorum ad veritatem laedantur a propagatione erroris religiosi.

Notate, Patres venerabiles, dignitatem humanam nos ducere non ad negandam potestatem Status ad impediendam propagationem erroris religiosi, sed ad affirmationem huius potestatis.

Considerate malum ingens quod causat praesertim debilibus et ignorantibus ille qui eis aufert veram fidem et thesauros Ecclesiae Christi. Regnum Dei est illa pretiosa margarita quam qui invenit homo, vendit omnia quae habet, et emit eam. Christus et Ecclesia eius est donum quod Deus dat omnibus hominibus. Omnes homines ius sacratissimum habent ad possessionem huius supremi boni quod est Christus et sua Ecclesia.

Inde sequuntur haec consectaria:

1. Nemo potest impedire vel difficilem reddere praedicationem Evangelii ab Ecclesia Christi.

2. Nemo ius habet impediendi hominem quominus accedat ad thesauros Christi et Ecclesiae eius.

3. Committit gravem iniustitiam qui, abutendo debilitate et ignorantia fidelis qui ad Ecclesiam Christi pertinet, eum a sinu Ecclesiae Christi removet.

4. Status ius horum subditorum tueri debet, impediendo quominus maximo bono fidei priventur.

Nec dicat declaratio Caesarem non debere sese immisceri iis quae sunt Dei. Nam Scriptura dicit: « In nomine Iesu omne genu flectatur, caelestium terrestrium et infernorum », etiam genua Caesaris.

Quando Caesar iuvat Ecclesiam Christi in diffusione vel in defensione Evangelii non sese immiscet iis quae sunt Dei, sed inservit ei qui est Rex regum et Dominus dominantium.

Venerabiles Patres, habeamus animum apostolicum dicendi: « O Caesar, reddemus tibi quae tua sunt. Sed tu quoque Caesar, redde Deo quae Dei sunt ».

Conclusio: Cum doctrina declarationis non fundetur neque in philosophia, neque in revelatione, neque in magisterio ecclesiastico, funditus reformetur.

Si dixerit quis: Carissime Pater, non intellexisti doctrinam declarationis neque argumentum philosophicum super quod fundatur, respondebo: Fortasse res ita se habent. Sed tunc repeto, funditus mutanda est haec declaratio quia certe non ad illos privilegiatos homines destinatur qui sunt sapientes « sicut angelus Dei », sed ad homines sicut nos, qui ingenio acutissimo non sumus praediti.

Addendum I. Ars moderna, quae dicenda est anthropophaga, estne expressio sensus dignitatis humanae maioris? Exsistentialismus modernus, phaenomenon illud quod dicitur « Beatles », suntne expressiones maioris sensus dignitatis humanae, praesertim occidentalis?

Addendum II. Si declaratio prout iacet, in sua ipsa substantia suffragationi subiicietur, multi Patres, in conscientia votum dabunt « non placet » quia errorem in doctrina continet et magisterio Ecclesiae contradicit.

38

EXC.MUS P. D. CAROLUS DE PROVENCHÈRES

Archiepiscopus Aquensis in Gallia

Hoc schema mihi valde placet. Aliquas emendationes propono.

Pag. 5, n. 1, lin. 4, post: « libertate », legere: « utatur et fruatur ». *Ratio*: « frui » posset intelligi ac si libertas esset finis. Expressio habetur apud Ciceronem.

Pag. 6, n. 2, lin. 25, post: « velit », addere: « Nam quia persona summo Deo directe de se rationem reddere obligatur ius habet erga auctoritatem humanam (vel: civitatem politicam) sese libere determinandi ». *Ratio*: in para-

grapho res tantum negative ponitur. Debet etiam positive affirmari. Fundamentum hoc est: *debitum erga Deum* fundit *ius erga societatem humanam*. Dicitur: civitas politica, distinguendo ad Ecclesia.

Pag. 7, n. 3, lin. 9, pro: « veritatem incommutabilem », legere: « voluntatem divinam » vel: « quomodo in conformitate cum divina voluntate agere debeat ». *Ratio*: finis legis est actio recta, non veritatis cognitio. In textu allato S. Thomae agitur de cognitione legis aeternae quae est veritas (nam titulus articuli sic sonat: utrum lex sit nota) non de cognitione veritatis mediante lege, sicut textus declarationis insinuare videtur.

Linn. 18-19, legere: « Ideo homo officium *erga Deum et ex consequente ius erga alios et societatem* habet veritatem... ». *Ratione* supra allata.

Linn. 21-24, legere: « Veritas autem est *modo humanae naturae conformi* inquirenda... ». *Ratio*: agitur de consectariis ethicis, quoad agere humanae naturae, quae scilicet rationalis et socialis est.

Lin. 27, legere: « per *multimodam* communicationem atque dialogum ». *Ratio*: ne explanatio exhaustiva videatur.

Linn. 27-30 deleantur, quia « vel invenisse putant » posset male intelligi ac si certa cognito veritatis et opinio in idem redirent.

Loco, legatur: « Nam homo veritatem invenire non potest sine aliorum adiutorio ».

Pag. 8, n. 8, lin. 25, cf. pag. 9, lin. 12: Pro « debitos limites » legere: « debitos, scil. normis iuris naturalis et moralitatis conformes, limites ». *Ratio*: ad abusus praecavendos. Huiusmodi debiti qualis erit interpres? Normae obiectivae desiderantur, inquantum est possibile.

Pag. 8, lin. 20 legere: « socialiter manifestet, ad ipsos ponendos ab aliis adiuvetur atque cum aliis communicet ». *Ratio* patet. Homo etiam *recipit* mediante societate.

Pag. 10, n. 4, lin. 8, legere: « nisi vel perturbet *veram* (vel: *veri nominis*) pacem publicam ». *Ratio*: ad abusus praecavendos. Caute de his est loquendum. Uti ex Actibus patet, apostoli pacem publicam perturbare accusabantur.

Pag. 12, linn. 6-7, legere: « legitimis exigentiis *veri ordinis publici* ». *Ratio*: ad abusus praecavendos.

Pag. 14, n. 9, lin. 15, legere: « minus conformes, *immo eiusdem offensivos...* ». *Ratio*: aliquando praxis fuit directe spiritui evangelico contraria.

39

EXC.MUS P. D. REMIGIUS IOSEPH DE ROO
Episcopus Victoriensis in Ins. Vancouver

I - *In genere*: Schema placet quam maxime.

De opportunitate et urgentia declarationis. a) *Exigentiae intrinsecae.* In schemate *de Oecumenismo* Ecclesia affirmat voluntatem dialogandi cum omni-

bus religionibus, ut omnes homines maiorem scientiam et possessionem veritatis attingant.

In schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis* Concilium aperturam ad omnes valores creatos, respectum pro diversis culturis, voluntatem collaborandi ad perfectionem mundi in bonum humanitatis manifestat.

Declaratio *de libertate religiosa* logice et necessarie effluit ex apertura Ecclesiae erga mundum hodiernum.

Etenim dialogus supponit reverentiam erga alios homines, eorumque dignitatem, sinceritatem, conatus ad veritatem attingendam, et modum personalem ad eam accedendi.

Dialogus etiam exigit agnitionem donorum diversorum quae Deus, qui vult salutem omnium hominum, in cordibus eorum posuit per operationem Spiritus Sancti.

Ad efficacitatem collaborationis inter Ecclesiam et mundum, fiducia mutua necessaria est. Haec autem realizari nequit sine declaratione non aequivoca de libertate religiosa hominis et de respectu tali libertati debito.

b) *Exigentiae extrinsecae.* Vicissitudines historiae multis hominibus falsam dant impressionem ita ut censeant Ecclesiam non vindicare libertatem nisi ad fines proprios assequendos (et ad proprium interesse). Quidam aestimant catholicos libertatem in aliis colere solummodo quando aliquem profectum inveniunt vel quando aliter agere nequeunt.

Haec declaratio *de libertate religiosa* fons luminis et pacis erit. Documentum illud propheticum grave impedimentum auferret pro irradiatione Ecclesiae.

Idea libertatis religiosae a principiis christianis inspiratur. Nonnisi lente sibi viam aperuit. Hodie cum gaudio comperimur homines novam significationem suae dignitatis consecutos esse. Gens humana post difficilia luctamina et progressus lentos diem praevidet in quo libertas religiosa omnium cognoscetur et in tuto ponatur.

Ecclesia in Concilio non potest sese substrahere exspectationi hominum in hoc magno momento historiae. Occasionem hanc unicam amplecti debet et mundo auscultanti solemniter proclamare se libertatem non timere sed eam offerre omnibus sicut fructum maturum Nuntii Evangelici ut in eo participent.

Mundus gaudio exsultavit quando Ioannes XXIII libertatem religiosam in caritate et iustitia pro omnibus postulavit. Ioannes XXIII homines amavit. Magni fecit eorum ius ad comprehensionem et amorem. Ideo petiit ut ianuae aperirentur non ex mero formalismo sed ad universos homines accogendos.

Libertatem religiosam proclamare pro nobis est officium fidelitatis et docilitatis erga Christum magistrum nostrum, et officium caritatis erga homines fratres nostros.

II - *In specie.* Auctores relationis modo perclaro explicaverunt principium secundum quod nonnisi personae physicae et morales subiectum iurium sunt.

Sic stricte loqui licet non de iure veritatis sed de iure personae ad veritatem (pag. 50).

Ideo schema non considerat primario veritatem abstractam in seipsa sed Christum, qui nobis veritatem dat, et homines fratres nostros quorum ius ad veritatem et ad libertatem religiosam recognoscimus.

Fundamentum proprium et proximum libertatis non reponitur in veritate obiectiva boni religiosi sed in qualitate ontologica personae, scilicet in veritate obiectiva dignitatis humanae.

Ideo proponimus (pag. 18, n. 13) ne agatur de officio erga veritatem sed potius erga Christum. Melius diceretur (ad lin. 19): « discipulus erga *Christum magistrum* gravi adstringitur officio inaestimabile donum veritatis *ab eo receptae* plenius in dies cognoscendi... », quam: « erga donum veritatis »; et (ad lin. 25) item melius diceretur respiciendum esse « ad officia erga *Christum,* verbum vivificans quod praedicandum est... ». quam: « erga verbum... ».

Discipulus potius erga personam Christi, veritatis magistri, quam erga veritatem a Christo acceptam adstringitur.

Conclusio etiam videtur nexu logico carere (pag. 19, n. 14).

Denuo redigatur auferendo, si opus est, id quod observatio factorum (« Constat igitur... Manifestum est... Manifestum praeterea... ») potius quam genuina conclusio videtur. Item valor harum observationum ut *signa temporum* in meliori luce ponatur; et satis sit una sola exhortatio quae ad omnes homines insimul dirigatur.

Ultima animadversio: Textus pag. 14, n. 9, linn. 7-17 triumphalismum sapit; neque totam historicam veritatem dicit. In memoriam revocentur persecutiones a catholicis iteratae contra alios christianos et contra iudaeos (cf. Edward H. Flannery, *The Anguish of the Jews,* MacMillan, New York, 1965). Longe abest ut praxis saecularis doctrinae officiali conformis fuerit.

Conclusio. Declaratio nostra *de libertate religiosa* documentum maximi valoris est. Promulgatio eius ab hac S. Synodo non solum urget sed etiam indispensabilis est. Haec declaratio Ecclesiae totique humanitati immensum beneficium afferet, nam nos impellet ad aestimandum, magis quam antea, bona huius genuinae libertatis qua Christus nos ditavit.

40

Exc.mus P. D. ALBERTUS DEVOTO
Episcopus Goyanensis

Circa schema in genere. Schema *placet* quoad textum et quoad methodum. Tamen omittendae sunt quaedam repetitiones, in textu, prorsus innecessariae. *Ratio*: brevitatis et claritatis causa.

Animadversiones: 1. Pag. 5, linn. 1-14, nova redactio proponitur: « Dignitas humanae personae, cuius homines hac nostra aetate, magis in diem

conscii fiunt, postulat ut ii in agendo proprio suo consilio ac libertate fruantur, sintque non coercitione commoti, sed officii conscientia.

Quae quidem libertatis postulatio in societate humana ea maxime respicit, quae ad religionem spectant. Ad has animorum appetitiones diligenter attendens, Ecclesia sibi proponit discernere, quantum sint veritati et iustitiae conformes; simulque de thesauro doctrinae sibi divinitus traditae nova et vetera proferre, quae ad iustas hominum appetitiones confirmandas inserviunt ». *Ratio*: quamvis doctrina eadem remanet, hic modus dicendi opportunior et clarior videtur.

2. Pag. 6, linn. 25 ss. Mutatio proponitur hoc modo: « Ratio itaque huiusmodi libertatis religiosae, minime adversatur doctrinae catholicae de unica vera religione... ». *Ratio*: sic melius ostenditur nexus inter hanc orationem et praecedentia ex quibus conclusio profluit. Sic etiam mutatur formula « intactam reliquit », quae quidem interpretari posset ac si hic sermo de doctrina omnino independens esset.

3. Pag. 7, linn. 14 ss. Hoc modo fiat redactio: « Quapropter tenetur quisque, etiamsi ad explicitam Dei cognitionem non pervenerit, in universa activitate sua propriam conscientiam sequi... ». *Ratio*: hac additione nexus inter conscientiam et tendentiam clarius ostenditur, simulque sensus const. dogmaticae *Lumen Gentium* (n. 16) exhibetur.

4. Pag. 11, linn. 13-20. Melius mihi videtur si paragraphus tota omitteretur. *Ratio*: res ita simpliciter proposita in textu, periculum facile involvit concedendi magnam aestimationem circumstantiis historicis fortasse iniustis, siquidem elementa historica saepe valde implicata sunt et non semper facile discernenda. Agitur enim in casu « de gladio acuto anticipe ».

Ad n. 12: *a*) pag. 17, lin. 19: post « Praeterea christifideles... » addantur verba: « sicut omnes homines... ». *Ratio*: hoc modo species comparationis inter christifideles et reliquos homines vitatur.

b) Pag. 17, linn. 21-24: comma quae incipit a verbis « Concordia... tamquam ius agnoscenda », substituatur his aliis verbis: « Ecclesia itaque sibi nihil plus exigit quam id quod omnibus agnoscit ». *Ratio*: haec formula omnino intelligibilis est unicuique hominum. Praeterea verbum « exigit » clare exprimit Ecclesiam aliquid amplius libere sibi oblatum acceptare posse.

Ad n. 13: pag. 18, lin. 22: fiat additio sequenti modo: « ... strenue evangelicis adhibitis mediis defendendi ». *Ratio*: hoc modo interpretatio vitatur, secundum quam, sub verbo « strenue » aliquam aggressivitatem latere.

Ad n. 14: pag. 19, lin. 39: post verba « ... parvi faciant », haec verba addantur: « quod hodie praesertim periculum nos spernendi constituit ». *Ratio*: additio haec phrasem magis completat, et simul de hac re iudicium aliquod profertur.

41

Exc.mus P. D. MICHAEL DOUMITH
Episcopus Sarbiensis Maronitarum

Circa ultimam alineam n. 5 (pag. 11, linn. 13-20). Ista alinea ita interpretari potest ut tota doctrina « de libertate religiosa » evacuetur. Duo enim in hac alinea dicuntur: *a*) specialis conditio agnoscitur alicui communitati religiosae in iure civili, *b*) hac tamen conditione ut aliis communitatibus religiosis ius ad libertatem non denegetur. De quibus liceat notare:

Ad *a*): *Specialis conditio* agnoscenda alicui communitati religiosae sive propter rationes civiles, sive propter rationes religiosas:

Si propter rationes civiles: v. g. quia talis communitas est communitas *maioris partis* civium vel communitas religiosa *nationalis* inde ab antiquo tempore (ut insinuatur in ipso textu ubi dicitur « attentis populorum circumstantiis historicis ») tunc locus huius affirmationis non est in *decreto conciliari* sed in *civili constitutione,* ut pateat motivum affirmationis esse ordinis civilis.

Si propter rationes religiosas, v. g. quia talis communitas *veram religionem* profitetur, tunc haec ratio viam aperit *aequivocationi*: omnis enim religio se proponit et adhibetur ut *vera* religio: si *in iure* specialis conditio agnoscenda esset *verae* religioni, *in praxi* haec specialis conditio agnoscenda est omni religioni quae *se dicit* esse veram. Unde si in aliquo loco hoc fit in favore verae religionis, in alio loco, et saepe saepius, idem fit in favore falsarum religionum et in detrimento verae religionis.

Ad b): Specialis conditio alicui communitati non agnoscitur, nisi « hoc pacto ut simul omnibus civibus et communitatibus religiosis ius ad libertatem agnoscatur »...

Hoc, quod optime dicitur, non tam frequenter verificatur: tantum enim verificatur — et nullum praebet inconveniens — cum communitas in cuius commodo requiritur favor iuris, veram et plenam libertatem religiosam admittit.

Sunt enim communitates religiosae, adhuc existentes, quae principium libertatis religiosae *non admittunt*: credit talis communitas se esse *solam* veram, aliis exclusis tam a religiosa veritate quam *a iure civili*: error enim non habet ius, etiam in civitate, et fideles talis communitatis religiosae bona fide credunt se *solos esse cives pleni iuris,* non tantum in paradiso sed etiam *in statu.* Alii tolerantur tantum et illis ad plus agnoscitur limitata libertas cultualis.

Secundum has communitates, status est *natura sua « theocraticus »* et *vi potestatis civilis* tueri debet *« veram » fidem.* Secundum autem doctrinam catholicam, *nulla theocratia post adventum Christi legitima* est, et nulla religio haberi potest ut religio status, nisi *ex consensu civium omnium* et non propter rationes religiosas.

Conclusio. Propter supradictas rationes, affirmatio quae in alinea venit totam doctrinam de libertate religiosa inficit:

1. Non est Concilii Oecumenici, aliquam particularem situationem consecrare, licet sit in favore catholicae religionis.

2. Ab aliqua situatione particulari, quae esset in commodo verae religionis, alia religio, quae non est vera, inferre potest eamdem situationem legitimam esse in iure et non quidem in commodo sed in detrimento verae religionis.

3. Vera fides non indiget favore iuris civilis, nec mediis externis legitime usurpare potest, quae internum assensum afficiunt. Sufficit Veritati quod sit Veritas.

His dictis proponitur ut ultima alinea n. 5 supprimatur, ad claritatem doctrinae et ad pericula practica vitanda.

42

Exc.mus P. D. EUGENIUS D'SOUZA

Archiepiscopus Bophalensis

His diebus, cum intelligimus Deum per diversas vias homines bonae voluntatis ad salutem adducere posse, quaedam crisis conscientiae missionariae orta est. Ad quid, aiunt multi, labor missionalis Ecclesiae? Etiam subiacens declaratio *de libertate religiosa* elementum quoddam responsionis afferre potest.

Finis missionis est, gentibus communicare investigabiles divitias Christi. Inter quas annumeratur sensus genuinus dignitatis personalis, quia in Christo Deus appellat ad liberum obsequium fidei praestandum, ad liberam adhaesionem veritati. De facto solus Christianismus et absolutum valorem veritatis, et iura conscientiae agnoscit. Foris viget, vel intolerantia, vel agnosticismus, vel, sicut in Hinduismo, relativismus et syncretismus.

In hoc etiam gratia Christi apparet ut sanans et elevans, profundo desiderio hominis obvians. Nam quid videmus? In capite primo de Ecclesia in mundo huius temporis recte asseritur sensum dignitatis personae humanae inter coaetaneos nostros magis semper vigere. Sed quid de facto obtinet? De solis sic dictis novis nationibus loquar.

Etsi saepe perantiquas et magni valoris culturas possident, fere omnes hae nationes, conatu plerumque laborioso, novum aequilibrium, novum modum evolvendi se et ad statum adultum perveniendi quaerunt. In hoc titanico conamine periculum tamen est, ne aliquot aspectuum fundamentalium dignitatis humanae insufficiens ratio habeatur. Urget finis prosequendus, difficultates immanes sunt. Ideoque magna tentatio est, ut ab omnibus civibus rigida disciplina exigatur quae uniformitatem omnimodam requirit.

In specie periculum est, ne ad colligendas omnes energias, nationalismus sic dictas mysticas vires religionis adhibere conetur, et ne quaedam religio

nationalis ut elementum supremum cohaesionis adhibeatur, cum aperta aut larvata persecutione minoritatum religiosarum.

Sane non ubique hoc obtinet. Testari possum in mea patria Constitutionem plenam libertatem religiosam assecurare, et tum auctoritates, tum maiorem partem civium vere tolerantes, immo amicos esse, ut occasione Congressus Eucharistici Bombayensis et itineris Summi Pontificis patuit. Sed neque illic absunt, et non sunt tam pauci, qui Hinduismum cum patriotismo confundere velint.

Ideoque summopere interest Ecclesiam Catholicam sincero corde, et sine ulla restrictione, genuinam, ut in schemate expressa est, libertatem religiosam vel conscientiae asserere et vindicare.

Hoc includit quod catholici ubique terrarum exemplum dent dissociationis religionis a patriotismo. Scio me hic punctum delicatum tangere, sed ut episcopus nationis in qua catholici parvam minoritatem constituunt, mei officii hoc esse puto.

Sane optamus ut omnes homines veritati catholicae adhaereant, et gaudemus quod in quibusdam gentibus hoc iam realisari videtur. Nihilominus refugiendum est ab imponenda, qualicumque modo, sive per leges, sive per pressionem socialem et opinionem publicam, homogeneitate religiosa in populo vel natione.

Habeatis me excusatum si dico hunc modum cogitandi vel agendi praechristianum esse. Sic sentiebant Iudaei. Sic sentiebant Graeci: mementote quomodo Socrates capitis damnatus sit eo quod deos civitatis non coleret. Sic agebant imperatores Romani christianos persequentes. Etiam post adoptatum christianismum, per saecula viguit haec instinctiva intolerantia, hic modus gregarius, tribalis, politicus cogitandi. Pensate quomodo imperatores Romani christiani, nomine eorumdem principiorum ac decessores sui pagani, vicissim arianos et paganos persecuti sint. Pensate famosum adagium « cuius regio, illius et religio ». Multorum saeculorum opus fuit antequam plene realisaretur revolutionaria liberatio quam Christus attulit, nempe quod quilibet homo personaliter, in sua intangibili conscientia, coram Deo et Patre suo ponitur.

Tempus nunc fortasse maturum est ut Ecclesia Catholica ultimum gressum faciat.

In paragrapho quinta dicitur, linea decima tertia et sequentibus, circumstantias historicas explicare, immo quodammodo iustificare, quod quandoque uni communitati religiosae specialis agnitio tribuatur. Cum agitur de religionibus non christianis, saepe hae rationes historicae sunt etiam ideologicae; cum vero agitur de quadam religione christiana, inclusa catholica, nonne dici potest has circumstantias historicas statum nondum plene maturum christianismi constituere, ut e supradictis considerationibus patere puto.

De facto, si rem bene comperi, nonnisi duo tresve nationes adhuc remanent, quae catholicismum de iure ut religionem status agnoscunt, vi Con-

cordatorum quorum etiam aliae quaedam stipulationes hodie parum faustae habentur.

Si Ecclesia sollemniter huic statui privilegiato renuntiet, nonne « gestus » esset tum vero et adulto modo christianus, tum etiam tactice opportunus? Si nos plene, ubique terrarum, renuntiamus positioni privilegiatae, tunc vere sinceri apparebimus cum petimus ut nobis, ubi minoritatem constituimus, ius ad libertatem in religione exercenda et diffundenda agnoscatur et observetur.

Nam quamdiu quodvis privilegium alicubi nobis exposcimus, activitas missionalis Ecclesiae in discrimine erit. Semper enim accusari poterimus hypocriseos et opportunismi velut nobis ipsi poscimus quod aliis denegamus.

Ideoque, sepositis omnibus praeiudiciis nationalibus, quibus quis « arbitratur obsequium se praestare Deo », omnes unanimiter consentiant in declarationem, quam vocabo « maximalistam » de libertate religiosa.

43

Exc.mus P. D. MARCELLUS M. DUBOIS
Archiepiscopus Bisuntinus

I - *De libertate religiosa in omni persona et in omni communitate personarum a Statu civili servanda.* Tel est bien, je pense, ce qu'a voulu fondamentalement exprimer la Commission. En tout cas on peut se tenir à cet objet précis. Aussi je propose ce titre.

II - Et aussi ce plan.

A. Les principes supérieurs (je les exprimerais très brièvement):

a) *Les droits de Dieu* sur tout homme et toute communauté sont suprêmes.

b) *Les droits du Christ* le sont également.

c) *Les droits de l'Eglise de Jésus Christ,* de même, dans sa fidélité à son Fondateur.

d) *Les droits de l'Etat* pour la sauvegarde du droit naturel, spécialement de la morale naturelle, découlant de sa fonction.

e) *La dignité de la personne humaine* découle de ce qu'elle *est,* en fait, selon le plan de Dieu, ou au moins en soi dans son intention.

B. Quant à la question précise. Les droits de l'Etat sont limités par les droits légitimes de la personne humaine s'éclairant de son mieux et éclairée sur son devoir religieux.

Preuves. a) *Le droit naturel* (cf. texte: à simplifier);

b) *la Révélation.*

1. *Celle-ci demande à l'Etat catholique* de s'interdire des contraintes, de quelque nature qu'elles soient, pour amener ses sujets à professer la foi catholique.

1) Ce que Dieu, le Christ et les Apôtres n'ont pas *fait* pour contraindre à le suivre et à les suivre (rappel ici de l'essentiel des §§ 7 et 8), à plus forte raison l'Etat catholique ne peut y prétendre.

Jésus n'a jamais contraint. Voire, il a peut-être procédé davantage par questions que par affirmations: « Pierre, m'aimes-tu? ». « Qui dit-on que je suis? ».

2) Les *paroles* de N.-S. indiquent aussi qu'il ne veut pas contraindre (ici rappel de *Mt.* 12, 20).

Il faut laisser l'ivraie dans le champ, jusqu'à la moisson.

Il faut laisser les mauvais poissons dans le filet, jusqu'à l'élection sur la plage.

(Entre parenthèses, il est pour le moins curieux que le schéma ne relève pas ces comparaisons. Ce sont pourtant celles que St Augustin, un des plus grands Docteurs de l'Eglise, et surtout Evêque placé en face d'un gouvernement et d'hérétiques, a mises en valeur à plusieurs reprises).

2. La révélation catholique, considérée seulement comme une sagesse, parmi d'autres sagesses faisant partie du patrimoine humain, sagesse promulguée par quelqu'un que l'ensemble des hommes révère comme un Sage, demande à tout Etat, n'eût-il rien de commun avec l'Eglise, de s'interdire des contraintes de quelque nature qu'elles soient pour amener ses sujets à professer une foi donnée: 1) ce sage n'a jamais contraint; 2) il faut, dit-il, *laisser* dans le même champ, jusqu'à la moisson, ivraie et blé, *laisser* dans le même filet, jusqu'au choix sur la plage, bons et mauvais poissons; Dieu donne la pluie aux mauvais et aux bons, et aussi son soleil (*Mt.* 5, 45) et à *tous* la vie (*Act.* 17, 24-27).

Ce sont des choses dictées par une sagesse quasi élémentaire, que tout esprit de bonne foi ne peut qu'admettre.

De sorte qu'un Etat, rempli de cette *sagesse* qui n'est en définitive que *bon sens,* ne contraindra jamais, mais voudra toujours le bien commun.

Ainsi, la *révélation divine* est utilisée: et pour les chrétiens, à leur joie, y compris, et très vivement, celle de nos frères protestants; et pour les non-chrétiens, à leur satisfaction intellectuelle.

Utilisée sans doute sous deux aspects différents. Mais elle est utilisée: ce qui se doit dans un Concile Œcuménique d'Evêques.

Finir par le rappel de quelques beaux textes (sur la *puissance en soi de la vérité*) de N.-S. (*Jn.* 18, 37), de St Paul (*1 Cor.* 2, 3-5; *2 Cor.* 10, 3-5) et l'admirable proposition de saint Augustin aux donatistes, de recherches communes de la vérité, « ut quietissime quaerentibus *veritas* innotescat... satis *ipsa persuadeat* » (*PL* 33, 98 et 132).

44

EXC.MUS P. D. BERNARDINUS ECHEVERRIA RUIZ
Episcopus Ambatensis

Schema circa libertatem religiosam, iuxta nostram humilem sententiam, non solum utile et verum est declarandum, sed etiam ut necessarium pro dirigenda conscientia hominum nostri temporis. Attamen, licitum nobis sit, aliquas animadversiones facere.

a) Titulus schematis forsitan non omnino clarus est, hac de causa magna surrexit confusio non solum inter fideles in genere, sed etiam inter ipsos Patres conciliares uti omnibus notum est. Et credimus quod attenti esse debemus ne tales confusiones, praesertim inter fideles, sese extendant. Credimus quod omnis difficultas et obscuritas tolleretur si simpliciter diceretur de civili iure quoad libertatem religiosam. Cum tali titulo omnia dicimus quae in schemate contenta sunt, et ex alia parte credimus quod nemo negare audeat iura civilia hominis circa professionem religiosam.

b) Forsitan aliquantulum magis insistendum est non tantum in declarationibus theoreticis seu de principiis generalibus theologiae iuxta quam homo obligationem habet inquirendi veram religionem, sed potius de habitudine quam Ecclesia habere debet circa personas quae religionem christianam non profitentur. Sine dubio, et hoc forsitan cum rubore fateri debemus, tempora fuerunt, in quibus fides coactione materiali imponebatur. Aliqua facta historica, si criterio sociologiae modernae revideantur, non omnino approbari possunt. Sed hoc non solum catholici, sed etiam non catholici fecerunt et utrique quamvis forsitan illis temporibus recta intentione procedebant, hodie non amplius probandi essent. In nostro tempore, nec auctoritates civiles, nec auctoritas ecclesiastica, imponere possent fidem mediante coactione; et circa hoc omnes conveniunt. Attamen, quamvis omnes conveniant in hoc quod, quamvis Ecclesia veram religionem habeat et haeres sit depositi Revelationis, tamen ad fidem inducere non potest coactione materiali vel morali, tamen aliqui adhuc Ecclesiam accusant ac si talem coactionem exerceret, immo nec desunt qui etiam inter catholicos et inter ecclesiasticos exemplum sequi vellent apostolorum qui ignem petebant supra contumaces, hac de causa non solum necessariam, sed urgentem credimus declarationem de libertate religiosa.

c) Ad hoc accedit quod Ecclesia in diversis nationibus multum mali passa est ex eo quod multi catholici nimis religionem cum sic dictis partitis confusionem fecerunt. Scimus quod aliquando etiam poena excommunicationis plectuntur qui in eligendis diversis repraesentantibus civitatis criterium non habent uniformem cum fractionibus de dextra. Et hoc multum mali attulit Ecclesiae, nam multae persecutiones contra Ecclesiam, non in odium Ecclesiae sunt exortae, sed simpliciter quoniam ecclesiastici partes habuerunt in rebus civilibus et forsitan nimis religionem cum politica confunderunt, in aperta

contradictione cum doctrinis Sanctae Ecclesiae. Hac etiam ratione, necessarium credimus hanc declarationem, immo putamus quod talis declaratio non solum in posterum multa mala vitabit, verum etiam multa bona pro sponsa Christi in mundo universo conferet.

45

Exc.mus P. D. VINCENTIUS ENRIQUE Y TARANCÓN
Archiepiscopus Ovetensis

Declaratio *de libertate religiosa* magna cum anxietate est in expectatione omnium.

Fratres separati tenent hanc declarationem necessariam ut decretum *de Oecumenismo* in praxim deduci possit.

Hi qui « non-christiani » nuncupantur exigunt praefatam Declarationem tamquam conditionem sine qua non ut dialogus cum Ecclesia ab illis instaurari possit.

Ipsimet catholici agnoscunt in declaratione, de qua sermo, medium, illudque efficax, quo accedere queant ad mundum hodiernum, qui libertatem maxime colit, ut mundi evangelizatio possibilis reddatur.

Concilium non potest effugere huius thematis tractationem. Et de eo agere debet cum sinceritate et absque ambiguitate.

Mihi tamen videtur quod, mundi exigentiis obsessi et freti desiderio eum propitium reddendi, legibus obliti sumus dialogi qui summam fidelitatem ab utraque parte et usum terminorum qui confusionem aut dolum non includant exigit.

Sine his conditionibus impossibilis evaderet dialogus honestus.

Horum respectu, proponere teneor observationes sequentes:

1. N. 2, pag. 5, lin. 15, loquitur de iure ad libertatem religiosam et expressio ista in pag. 5, linn. 3-4 explicatur: « ut in agendo homo proprio suo consilio et libertate fruatur » ac in pag. 6, lin. 2: « ... quod homines debent immunes esse a coercitione sive hominum singulorum sive coetuum socialium et cuiusvis potestatis humanae ». Consequentia patet, prout deducitur ex tota declaratione: homo Deo servire debet iuxta propriae conscientiae dictamina, absque ulla externa coactione.

Sed haec affirmatio duplici modo intelligi potest et de facto intelligitur:

Mundus non christianus ita intelligit: Necessarium est Deo servire, non autem determinato modo; quia norma obiectiva non existit — religio una quae unica vera sit — omnes obligans.

Ecclesia catholica ita talem affirmationem intelligere non potest; ipsa enim conscia est unam veram existere quae est religio christiana. Infallibiliter scit hanc religionem substantialiter incolumem in Ecclesia catholica conservari. Ipsa cogitur affirmare hominem teneri ad Deum serviendum *modo quo ipse vult*; id est: in religione christiana et quidem intra Ecclesiam ca-

tholicam. Ergo homo non est *moraliter liber* ad eam admittendam vel dimittendam: supra hominis iura necessario Dei iura esse debent.

Sed hac affirmatione Ecclesia extollere vult *liberum* hominis servitium erga Deum prout competit personae humanae conditioni, ita ut omnis coercitio vitetur quae libertatem auferat actui fidei. Adhuc etiam Ecclesia sibi reservat ius quod est missionis sacratissimae acceptae consequentia, mediis licitis omnibus utendi ut omnes homines ad verae religionis cognitionem perveniant et ad « unicum gregem » — unicam Ecclesiam — sub unico Pastore. Ecclesia abdicare non potest hoc ius, missionem istam, quin neget propriam essendi rationem.

Ipsamet declaratio agnoscit hanc lacunam, ideoque in pag. 6, linn. 25-28, dicit: « ratio libertatis religiosae intactam relinquit doctrinam catholicam de unica religione et de unica Christi Ecclesia ». Hoc gratuito affirmatur, quia saepe contingit declarationis affirmationes altero intelligi sensu, prout iam constat. Iam etiam dicitur a nonnullis sacerdotibus catholicis praecipuum esse Deo servire iuxta singulorum conscientiam non autem Ecclesiam catholicam ingredi, eo quod omnes religiones ecclesiaeque omnes ad hominum salvationem inserviant, quod nonnisi *veritas dimidiata* est quaeque non paucis erroribus ansam praebere potest, indifferentismo praecipue naturalistico qui in dies magis conscientiam hominis pervadit.

Quare declaratio non incipit aperte affirmando, textibus S. Scripturae fulcitam, hanc catholicam veritatem: homines teneri Deo servire prout ipse vult, et unicam veram religionem esse religionem christianam pontificia infallibilitate tutam, ut nemo in errorem vocari possit? Tunc dialogum incipere possumus plena fidelitate et honestate.

2. Ad istam probandam libertatem religiosam, pag. 7, linn. 21-22, legitur: « veritas autem est humano modo inquirenda, libera scilicet inquisitione », quod quidem validum est in ordine theoretico. Sed quid dicendum de pueris et de his qui sufficienti cultura carent? Ergo magisterium et institutio necessaria aestimantur etiam in textu; et magisterium ac institutio *aliquam coactionem prae se ferre indubium est.* Experientia teste, filii religionem parentum fere semper sequuntur et potior « massa hominum » religionem medii ambientis in quo vivit prosequitur, secus in indifferentismum veniunt.

3. In pag. 8, linn. 18-20, legitur: « ipsa socialis hominis natura exigit ut homo internos religionis actus socialiter manifestet ». Sed opus est statim addere ipsam socialem hominis naturam iurium personalium exercitium limitare, et hoc tamquam principium generale. Tunc « exercitium debitos limites non excedens », quod ipsa declaratio in fine paragraphi ponit, iustificatur.

Atque hic opportunum esset exclarescere:

a) Utrum homo sit moraliter liber ad socialiter oppugnandam unicam veram religionem, christianam nempe, vel ad propagandam religionem falsam. Aliud est quod possit absque culpa facere si bona fide, quae probanda esset, et ignorantia invincibili procedat.

b) Quousque puerorum iura necnon iura hominum parvae culturae, veram profitentium religionem, speciatim in regionibus ubi maiorem partem constituant, limitare possunt individuale ius manifestandi externe et socialiter falsae religionis principia?

Nonne etiam in omnibus nationibus limitationes dantur, propter rationes politicas, quin illas imponentes infallibiliter tuti de veritate inveniantur? Et hoc accidit ob rationes democraticas absque scandalo, dum quaedam cautiones observentur quae ab ipsa conviventia sociali exiguntur.

4. In pag. 8, linn. 30-35, legitur: « Competentia vero potestatis civilis ad ordinem terrestrem et temporalem restringitur ». Haec iterum est *veritas dimidiata.* Nam auctoritas civilis, iuxta omnium consensum, intervenire etiam potest supra actus spirituales qui ordinem socialem afficiunt, v. g. respicientes moralitatem publicam. Et communis Summorum Pontificum doctrina est (Ioannes XXIII aperte affirmavit) *bonum commune,* quaerendum ac defendendum ab auctoritate publica, bonis constitui etiam spiritualibus. Quis igitur, tandem aliquando, determinabit et exiget hos « debitos limites » intra quos ius ad libertatem religiosam restringitur, prout ipsa agnoscit declaratio? In textu conciliari dictiones nequeunt aequivocae includi quae in errorem inducere possint.

5. In pag. 11, linn. 7-9, legitur: « quo magis societas civilis propitias suppeditabit condiciones *ad vitam religiosam fovendam,* eo magis ipsa fruetur bonis ». Quo agnoscitur societatem civilem intervenire posse in ordine religioso et, vitam religiosam fovendo, providere propriae utilitati.

Sed stat quaestio: Quod detur in ordine civili absoluta libertas ad propagandum errorem, dici potest favere vitae religiosae cuiusdam regionis in qua maximam catholici constituant incolarum partem, cum ex ordinario contingentibus talis libertas, plurimos saltem, ad indifferentiam religiosam ducat?

Revera magnam ex se ipsa vim veritas habet. Attamen certitudine non minore verum est hominem, ex peccato originali, ad errorem pronum esse et quamplures homines inveniri impares ad per semetipsos iudicandam veritatem quarumdam affirmationum. Debilium libertas proprias habet exigentias.

Abs dubio pluralismus religiosus est hodie in mundo sat communis. Hanc mundialem realitatem Concilium ignorare non potest. Attamen non minus certum est talem pluralismum magis magisque in dies supernaturalem obscurefacere horizontem; etiamque in dies naturalismum omnes hominum conscientias ultra modum penetrare. Iste est novus modernismus a Paulo VI in encyclica *Ecclesiam suam* denuntiatus.

Num declaratio haec naturalismo, nobis insciis, infecta erit? Num ad fovendam inserviet indifferentiam quam pluralismus religiosus iamiam causat?

Et nunc quidem ac praesertim, quando Concilium dialogum cum omnibus bonae voluntatis hominibus statuere intendit, nos invigilare debemus ne indebitae fiant concessiones et ne, urgenti apostolatus causa, naturalismo, *a radice* christianae religioni opposito, ipsi nos faveamus. Nimio videmur impensi conatu ut christianismum talem consequamur qui hodiernis homi-

nibus *stultitia et scandalum* non sit; sed frustra. Christus « signum cui contradicitur » semper erit; semper eius in cruce mors futura erit « iudaeis quidem scandalum gentibus autem stultitia ».

Ecclesia erit semper « pusillus grex ». Nunc et semper « nos odiet mundus quia de mundo non sumus ». Religio quaevis nimis rationalis nimisque technica ac humana, non erit religio Christi.

Si dominum Iesum reum mortis fuisse dixerunt eo quod se Filium Dei faciebat, Ecclesiam suam quoque mundus indifferens semper condemnabit, quoniam se divinam dicit et infallibiliter tutam in veritatis possessione se exhibet.

Sed neque Iesus Christus silere poterat suam divinitatem in faciem mortis ad mortem vitandam, neque Ecclesia catholica, ob incomprehensionis metum vel ob damnationis a mundo moderno periculum, se credi unicam veram dissimulare potest.

46

Exc.mus P. D. IOSEPH FADY

Episcopus Lilongwensis

Quelques réflexions du point de vue pastoral. A part les *commandements de Dieu* qui sont en somme la loi naturelle inscrite dans le cœur de l'homme, Notre Seigneur ne procède que par *invitation*: Si quis vult... Veni, sequere me... Beati pauperes... Qui me sequitur, non ambulat in tenebris... etc. etc.

Cette invitation n'est cependant pas une simple et vague exhortation: elle implique réflexion, décision et sacrifice, responsabilité.

Elle *suggère,* elle *inspire,* elle *propose, mais ne violente pas.*

Tant pis pour ceux qui dédaignent l'invitation: les invités au festin qui refusent pour des motifs futiles, n'y entreront pas; les disciples incroyants à Capharnaum, il les plante là; les chômeurs sur la place restent libres. Il ne réitère pas toujours l'invitation.

Par sa sobriété et sa vérité — le Christ lui-même est la vérité — il est notre modèle à imiter dans la Pastorale.

Conclusion. Il y aura toujours des hommes dont le *cœur* est *mauvais... et* leurs *œuvres.*

Il y aura toujours des hommes dont le *cœur* est *bon,* mais, étant faibles, leurs *œuvres restent encore mauvaises,* en attendant...

Il y aura toujours des hommes dont le *cœur* est *bon* et dont les *œuvres* sont *bonnes* aussi.

Ex fructibus eorum cognoscetis eos...

Il faudrait pour la déclaration sur la liberté religieuse trouver une formule heureuse qui satisfasse les deux camps opposés — peut-être moins opposés qu'ils ne prétendent — pour *ne pas scandaliser les cœurs bons* d'une part, *ni encourager les cœurs mauvais,* d'autre part.

47

EXC.MUS P. D. ARMANDUS FARES
Archiepiscopus Catacensis, episcopus Squillacensis

De hoc schemate, momentoso simul ac maximis difficultatibus implicato: momentoso, ob mundi expectationem sive apud credentes sive apud ipsos christianos; difficultatibus implicato: ob novitatem materiae in Concilio tractatae; ob periculum aequivocationis terminorum, quod in hac materia vere est amplissimum, cum usus mentalitati populorum et individuorum respondeat, et insuper non est eadem ratio eosdem terminos usurpandi sensu philosophico et vulgari: et omnes sciunt quanto praecipue diversus sit usus technicus in philosophia perenni et moderna, et maxime contemporanea...; ob facilitatem transeundi ab aspectu obiectivo ad aspectum subiectivum huius quaestionis: et omnes etiam scimus scientiam non de particularibus (et hic dicendum esset de individualibus...) sed de universalibus est...; ob rationes historicas, se evolutionis doctrinae de iuribus hominum: inter quae, licet emineat et eminere debeat quod refertur ad Deum colendum, tamen — cum fere ab omnibus religio consideretur ut res privata (affare privato) — difficultates multiplicantur circa agnitionem *practicam* huius iuris.

Tria mihi videntur dicenda:

1. de ratione intima libertatis religiosae qua gaudere debet: homo individuus, familia, Ecclesia: animadversiones ad n. 1;

2. an detur ius in communitate ad evulgandam religionem *non* veram: animadversiones ad n. 6;

3. de exhortatione finali in schemate amplianda, ita ut attingat: omnes homines, omnes Dei cultores, omnes christianos, omnes catholicos, omnes moderatores Statuum modernorum: animadversiones ad n. 14, in fine.

1. *De ratione intima libertatis religiosae qua gaudere debet homo individuus, familia, Ecclesia.* In schemate in lucem ponitur dignitas personae humanae. Ratio huius dignitatis, hodie tam longe lateque diffusa, est fructus iucundissimus praedicationi christianae per viginti saecula.

Fundamentum huius dignitatis est in *participatione analogica ipsius dignitatis divinae* per intellectum et voluntatem, et hanc liberam. Sed libertas, quae consistit in electione mediorum ad finem, servato ordine finis, exerceri debet primario *in officiis* hominis erga Deum, qui unice agnosci potest hominis et dignitatis humanae *Creator* atque vitae humanae ultimus finis eiusque finis perfectus *consummator.*

Officio ergo *primo* erga Deum *ius primum* et fundamentale et omnium aliorum iurium substantia seu sustentaculum respondere debet, videlicet ius tendendi ad Deum, ius Deum cognoscendi et agnoscendi, ius Deum colendi, ius religionem profitendi: ius ergo quod omnes alii homines agnoscere debent.

Sed, uti omnes scimus, Deus non videtur immediata cognitione, sed per

rationem cognosci adeoque etiam demonstrari posse profitemur (cf. « Deum nemo vidit unquam », *Io.* 1, 18; et S. Paulus in sermone ad Areopagum dixit: Deus fecit habitare omnes singulos populos super totam faciem terrae eo fine « ut quaererent Deum si forte [Vg] attrectent eum, aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum. In ipso vivimus, et movemur, et sumus », *Act.* 1, 27-28). Cognitio autem Dei est culmen philosophiae: et omnes philosophi sunt, tamen in potentia tantum, et non semper in actu. *Hinc* studium et indagationes personales — sed tamen non omnes, de facili, expedite, nullo admixto errore ad eius cognitionem perveniunt (cf. de necessitate morali revelationis divinae etiam circa veritates naturales, quarum prima est cognitio existentiae Dei). *Hinc* adiumenta socialia in hoc studium perficiendum vel in has veritates assequendas saltem modo communi. *Hinc* ergo ius familiae, ius societatis adiuvandi hominem in exercitio suae libertatis, in ordine ad Deum assequendum. *Hinc* demum ius Ecclesiae libere, semper, et ubique praesentandi nuntium salutis aeternae — bonum nuntium - rei laetae annuntiationem - evangelium — sibi a Christo commissum, sigillis divinis munitum, ut homo *possit* Deo et Christo eius credere; et de facto *credat,* et quidem adiuvante gratia, modo omnino libero, qui respondet quam plenissime humanae dignitatis substantiae, mirabiliter a Deo conditae et mirabilius per Christum reformatae.

Quis non perspicit in his omnibus homini inesse ius *libere* sese ordinandi interne ad Deum, et externe *minime,* a quocumque, *impediendum* ad Deum vivum et verum cognoscendum, et amplectendum, et maxime colendum?

Libertas ergo religiosa dici potest et debet veluti « ambiens » seu vulgo « l'ambiente, il clima naturale » perfectionis hominis acquirendae cum Deo, studii revelationis Christi, propagationis Evangelii ex parte Ecclesiae.

Haec omnia in schemate sublineari oportet.

Sic vitaretur etiam periculum inveniendi in praesenti schemate aliquid quod aperte favere posset conceptui positivismi cuiusdam iuridici, contra traditionalem sensum Ecclesiae. Aliud est enim, in re nostra, libertas religiosa ab extrinseco — *ab extrinseco* —, quae effertur in schemate, idest immunitas a coactione, a coercitione — quae considerari debet *tamquam conditio* ad plenam libertatem exercendam, seu ad plene libertate ab intrinseco utendum; aliud est libertas religiosa ab intrinseco — quae est vera et positiva libertas qua homo in suis dirigitur relationibus ad Deum Creatorem: en religio naturalis; et ad Deum dulcissimum Patrem nostrum: en religio supernaturalis.

Duo isti aspectus ad invicem sese compleri debent, sed vera et propria libertas est illa ab intrinseco, cui favere debet illa ab extrinseco, seu immunitas a quacumque coactione, sive ex parte individui, sive ex parte communitatis socialis, et praecipue auctoritatis publicae.

Sub hac consideratione, auctoritas publica *sub aspectu negativo* tutare debet libertatem religiosam ab extrinseco, seu omnibus et singulis civibus praestare debet immunitatem a coactione et a coercitione in re religiosa; sed *sub aspectu positivo* fovere debet libertatem religiosam ab intrinseco: in suo

exercitio — semper; licet non semper in suo obiecto, idest « in iis quae sunt ad Deum », nisi generice: etenim Status non potest esse nec atheus nec agnosticus.

2. *An detur ius in communitate ad evulgandam religionem non veram.* Huic quaestioni responderi posset vel potest: historice, philosophice et theologice.

a) Historice. Propagatio religionis nullum habet exemplum in historia, nisi religionem Christi, qui dixit suis: *Euntes, docete!* Fautores et asseclae aliarum religionum, sensu polemico ducti, propagationem aut quandam propagationem suae religionis effecerunt vel tentaverunt, non semper tamen zelo *tantum* religioso ducti.

b) Philosophice: sub aspectu theoretico: alia est *libertas personae,* cui est agnoscenda libertas conscientiae etsi bona fide erranti; et alia res est praerogativas quasdam agnoscere *personae morali.* Hinc mihi videtur posse affirmari, in se et per se, nullam dari rationem seu motivum agnoscendi cuidam communitati, cuicumque communitati seu personae *morali* aliquod ius ad evulgandam religionem *obiective non veram.* Huic (praesumpto) iuri respondere deberet *officium* in aliis amplectendi religionem *non* veram, vel saltem officium non contradicendi. Hoc autem est contra ipsam rationem personae moralis, quae ut sit vere *moralis,* in suis actionibus collectivis debet semper sese conformare moribus rectis, idest *veritati* in intellectu et *iustitiae* in voluntate.

Si practice res consideretur, tunc amplus locus esse potest *non tolerantismo, sed tolerantiae,* seu patientiae et prudentiae, quae debent esse virtutes propriae christiani et hominis recti.

c) Theologice re inspecta, idest ex divina revelatione arguendo, evidens est:

— in linea iuris: uni Christo, qui est veritas, et uni Ecclesiae, quae est mandataria veritatis Christi, ius divinum, positivum et universale competere evulgandi religionem supernaturalem, quae ad salutem aeternam ducit. In mentem revocemus: « Data est mihi omnis potestas...: euntes docete! »;

— in linea facti: omnes agnoscere debent hoc ius evulgandi religionem Christi ex parte Ecclesiae; ubi non agnoscitur hoc ius, per martyrium Ecclesiae Deo et Christo animas et populos ducit, inter aerumnas huius saeculi; nulli tamen communitati agnosci potest ius ad evulgandam religionem non veram.

3. *De exhortatione finali in schemate amplianda.* Quia quae synthetice dicuntur intimius memoriae imprimuntur, puto esse opportunum ut « declaratio » exhortatione finali pastorali magis ampla muniretur, quae dirigi deberet verbis congruis ad varia hominum categorias.

Exhortatio, e. g., dirigi posset et de facto dirigatur ad omnes homines: ut primum praeceptum legis naturalis de Deo colendo praesens semper habeant, et elevent suam dignitatem in exercitio propriae libertatis tendendi

ad Deum eumque colendi; ad omnes Dei cultores: ut ad veritatem religiosam assequendam invitentur libere, nec praepediantur ab atheismi fautoribus; ad omnes christianos: ut non impediant exercitium libertatis religiosae iis qui quaerunt plenam revelationem Christi Domini; ad omnes filios Ecclesiae catholicae: ut zelo pastorali et caritate permoti semper agentes, in oblivionem non ponant libertatem conscientiae uniuscuiusque hominis; ad omnes auctoritates publicas: ut non solum libertatem religiosam a quacumque coactione seu coercitione sive privata sive publica tueantur, sed etiam positive foveant, agnitis iuribus veritatis et iuribus Ecclesiae, cum revera « beatus sit populus cuius Deus est Dominus ».

48

Exc.mus P. D. EMMANUEL FERNÁNDEZ-CONDE

Episcopus Cordubensis

Sane profiteor pro me etiam esse necessariam declarationem de libertate religiosa. Tum ex parte individui, tum ex parte status elucet haec necessitas, quam urgentem appellare possumus sive ex lugenda situatione religiosa in aliquibus populis, sive ex magna expectatione omnium hominum tam catholicorum quam non christianorum.

Sed quaestio, in se difficilis, tota mihi videtur pendere a positione problematis. Unde initium est sumendum? A clariori expositione conceptus libertatis religiosae.

1. Hodie — et est iam terminus technicus — per libertatem religiosam intelligimus duo: Quod homines debent esse immunes a coactione externa, ita quidem ut in re religiosa aliquis neque cogatur ad agendum contra suam conscientiam, neque impediatur quominus iuxta hanc suam conscientiam privatim et publice agat intra debitos limites.

Pro iis vero qui talem conceptum vel ignorant vel confuse percipiunt, talis libertas potest diversos sensus accipere et inde difficultates in ea admittenda fundamentaliter venit.

2. His expositis clare stabiliendum est quod talis conceptus technici libertatis religiosae minime significat libertatem conscientiae, scilicet, hominem verum aut falsum posse idem aestimari, aut dispensari ab officio formandi sibi veram sententiam de rebus religiosis, quum talis obligatio ab ipsa natura procedat. Ac proinde talis conceptus technicus non secum fert libertatem conscientiae.

3. Hic conceptus libertatis nullo modo adversatur doctrinae catholicae de unica vera religione et de unica Ecclesia Christi obligatorie amplectenda.

4. De libertate religiosa, prout dicit hominem cogi non posse ad agendum contra suam conscientiam et in quantum significat, hominem agere debere privatim iuxta talem conscientiam, nulla est quaestio.

5. Problema aperte proponitur cum asseritur hominem posse agere publice in materia religiosa intra *debitos limites,* ex ipsa natura sociali hominis. Ius ad taliter agendum deberet non negari. Sed quaestio venit circa hos limites. Quales sunt isti limites et a qua norma regulantur? Quia omnes vident, in praxi, hoc punctum esse vel posse multis difficultatibus obnoxium. Aliquis Pater in aula iure quaesivit hos limites esse bene determinandos, et sane conandum est aliquid definiri cum hic praecise posset disparere conceptus libertatis religiosae.

6. Ex facto quod Status non possit aliquem cogere ad religionem amplectandam contra suam conscientiam, immo debere positive tueri ut iuxta talem conscientiam publice et privatim agat, non sequitur logice aconfessionalismus Status, seu eius indifferentismus. Exinde concluditur non unam vel univocam esse debere relationem inter Ecclesiam et societates omnes earumque publicas auctoritates. Potest enim accidere quod, rationibus historicis aut agnitio unius eiusdemque religionis a fere omnibus membris alicuius societatis — non obstante conceptu libertatis religiosae — uni communitati religiosae specialis agnitio attribui debeat, quin tamen supponat denegationem iuris libertatis religiosae ceteris communitatibus.

7. In hoc enim casu quaestio gravissima est de sic dicto *proselytismo.* Ratio est haec: quomodo componi potest haec specialis agnitio unius religionis cum tuitione iurium ceterarum religionum minimarum in hoc populo ad earum fidem praedicandam? Nonne hoc in casu daretur vera ratio proportionata et necessitas restringendi « aliquo modo » ius personae et parvae communitatis ad libertatem in re religiosa in quantum haec dicit facultatem publicam, ore et scripto, fidem docendi? Iam aliquis Pater de proselytismo locutus est.

Nonne etiam ab auctoritate civili tueri debent iura maioris, prae minoris, partis civium, et quidem iure naturae. Ius maioris prae minoris partis civium laederetur ab ipso facto aequiparationis iurium utriusque partis.

Proinde iura in materia religiosa alicuius societatis, in qua longior maior pars civium, immo, moraliter fere omnes cives unam determinatam fidem agnoscunt, vulnerantur si, ab auctoritate civili, omnino aequiparantur iuribus in materia religiosa unius alteriusve parvissimae communitatis religiosae efformatae non nisi a paucibus civibus huius societatis.

Consequenter hoc in casu videtur adesse, et quidem iure naturae, ratio valida probans ius huius maioris partis societatis « aliquo modo » cohibendi usum libertatem aliarum minimarum communitatum in re religiosa, semper in quantum haec dicit facultatem harum communitatum publice, ore et scripto, fidem suam docendi, et quidem maxime in hoc puncto a quo, in ordine causarum externarum, fides religiosa primo initium sumit; fides enim ex auditu. Quoad ius ab auctoritate civili tuendum est et quidem iure naturae, salvo semper iure fundamentali libertatis religiosae personae privatae et parvorum coetuum tum quantum haec affirmat quod nemo cogi potest ad agendum con-

tra suam conscientiam, tum etiam quatenus asserit quod nemo impediri potest ad agendum privatim, immo « aliquo modo » etiam publice, contra suam conscientiam.

Hoc punctum solutionem postulat ut non perturbetur conscientia plurimorum Patrum.

49

EXC.MUS P. D. SALOMON FERRAZ
Episcopus tit. Eleuthernensis

Libertas una est ex proprietatibus essentialibus personae humanae, quae, recto usu intelligentiae et voluntatis, suam propriam dignitatem exprimit. Est, proinde, exigentia aliqua suae spiritualitatis.

Libertas donum est Dei pretiosissimum et ipse Deus sic eam respicit et reverentiatur ut hominem, non constrictione sed docilitate in vita sive temporali sive aeterna movet, et dirigit.

Deus vult ut homo, recto usu libertatis suae, ad vitam aeternam, ad perfectionem in ea assequendam, et ad ipsam salutem animae perveniat. Si vis ad vitam ingredi, si vis perfectus esse, qui crediderit salvus erit (cf. *Ev.* passim).

Huiusmodi usus rectus libertatis participes nos efficit sanctitatis Dei, quae in ipsa conformitate cum voluntate Dei consistit, ideoque Iesus nos docuit Patrem orandum esse: « Fiat voluntas Tua sicut in caelo et in terra ». Et: « Non omnis qui dixerit Domine, Domine, intrabit in regnum Dei, sed qui fecerit voluntatem Patris mei qui in caelis est ».

Insuper Iesus, ut verus homo qui fuit, nobis exemplo fuit perfectissimae conformitatis cum voluntate Patris et in tota vita: « Quae placita sunt Ei facio semper », et in ipsa oratione agonizantis in Horto: « Pater, si vis, transeat a me calix iste, sed non mea sed tua voluntas fiat » (*Lc.* 22, 42).

Homo, autem, potest bene vel male uti sua libertate, et iuxta usum quem elegerit, erit bonus vel malus, praemio vel poena dignus. Homo bene utitur sua libertate cum veritatem recipit atque bonum facit. E contra, abutitur cum, loco veritatis, errorem voluntarie amplectitur et, loco boni, malum facit et tum errorem tum malum inter contribulos suos propagat. Etenim libertatis exercitium nullo modo contra ordinem rite statutum et firmiter servandum collidere potest, eo vel magis quod huiusmodi ordo rerum, secundum veritatem statutum, veram libertatem, scilicet quoad bonum, maxime adiuvat atque fovet, iuxta illud Domini, in Evangelio S. Ioannis cap. V « Veritas liberabit vos ».

Quapropter, Summus Pontifex et episcopi, maxime in Concilio adunati, utpote apostolorum legitimi successores, ab ipso Iesu, potestatem et missionem docendi omnes gentes receperunt, easque baptizandi in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docendo eas servare omnia, quae Iesus eis praeceperat (*Mt.* 28, 20).

Proin, parati esse etiam debebunt, ad vitam ipsam sacrificandam ut testimonium veritati reddant, ideoque his qui ab hac missione perficienda eos impedire auderent, respondere debent sicut Apostoli: Videte utrum iustum sit, coram Deo, hominibus potius quam Deo obedire...

Nunc autem, ipsi non satisfacerent huic missioni docendi Evangelium et testimonium dandi veritati, si sua qualicumque declaratione, conciliariter facta, motivum praebeant indifferentismi religiosi fovendi, et forsitan atheismum ipsum, in mundo hodierno, progrediendi.

Illa autem sic dicta tolerantia religiosa, quae in quibusdam regionibus stabilitur, ob ipsum bonum commune seu sociale convivium in pace habendum, potius respicit practicam rationem agendi, et si rite perficiatur, non parum ipsam veram religionem protegit atque fovet dummodo tamen, etiam apud nationes in sua maioritate catholicas, prae oculis illud habeatur principium a Ioanne XXIII traditum: « Agentibus nobis cum dissidentibus, uti debemus comprehensione, respectu et amore ». Cui principio, omnino bene et pulcherrime consonat oratio « De Caritate » a Summo Pontifice Paulo VI habita, in sollemni initio sessionis IV Concilii Vaticani II.

50

EXC.MUS P. D. IACOBUS FLORES MARTIN

Episcopus Barbastrensis

Speciatim contra generalitates. 1. Nimio insistit schema propositum in libertate qua homo debet liber relinqui ut iuxta suam conscientiam agat, sine agnitione valoris obiectivi quo tenetur homo ad rectitudinem obiectivam, submissus Deo in ordine naturali, Deo revelanti obligatus; societati, publicae auctoritati subiectus ne aliis in suis iuribus et obligationibus offendat, impediat, praeiudicium afferat.

2. Principia tali modo generali asserit et statuit ut limitationes quae dein admitti debent, videntur contradicere iis quae antea asserta sunt.

Quod ex eo procedere videtur, quia principia non statuuntur absolute rationibus innixi philosophicis et theologicis, sed ut remedium ponatur contra abusus exortos in societate tam ex parte liberalismi, quam ex parte socialismi Hitleriani, quam ex desiderio defendendi doctrinam Ecclesiae... ex quo exurgit contradictio inter ea quae dicuntur e. g. n. 3, pag. 7, lin. 31 et ea quae alibi de iure Ecclesiae ad praedicationem statuuntur n. 13, pag. 17, linn. 25-30.

Etiam reprobandum est schema ex eo quod fiat non parva confusio inter iura Dei et iura societatis civilis... inter ius pure humanum et ius divinum, inter iura conviventiae et iura absoluta... inter sollemne ius, principium morale et limitationes... intra videlicet certos limites... hoc sonat incongruentiam.

Melius ergo esset, si res matura non est ut omnia plene sub luce ponatur in cohaesione doctrinae plene catholica et congruenti cum omnibus theoriis politicis hodiernis ut fiat aliqua declaratio de modo practico quo conviventia

humana debeat statui inter homines diversae opinionis religiosae, scil. quando datur pluralitas religionum in quolibet statu.

Absonum videtur velle proclamari hodie ea principia quae nemo ex nobis potest admittere, immo contra quos parati sumus etiam mori magis quam ea admittere; sunt enim contra ea quae certe Dominus in Evangelio proclamavit, contra ea quae Apostoli et docuerunt et fecerunt.

Multa contradictorie dicuntur: e. g. Principia generalia n. 1 et n. 2 quae in pag. 6 lin. 25 asseruntur, contradicunt multis aliis quae dein dicuntur.

Pag. 8, lin. 23. Iniuria ergo homini fit, si quis internam cuiusque libertatem agnoscit quidem et simul ei deneget liberum in societate religionis exercitium debitos limites non excedens. Quomodo ergo si talis limitatio admittitur tam sollemne est principium.

Item pag. 9, lin. 31 dicitur « si in ea quae ipsam ordinationem hominis ad Deum sese immisceat ».

Pag. 8, lin. 27: « Actus religiosi ... natura sua terrestrem et temporalem rerum ordinem transcendunt ».

Et tamen pag. 10: « Inviolabilia hominis iura tueri ac promovere est praecipuum cuiusvis societatis civilis officium. Debet ergo potestas civilis per iustas leges efficaciter suscipere tutelam curamque libertatis religiosae omnium civium. Eidem providendum est, ne civium aequalitas propter rationes religiosas laedatur ».

Licet ergo oratorio modo quasi in parlamento fortissime asserantur nunc haec nunc contraria non possumus admittere, et manebit semper hodie sicut et heri: « Veritas Domini ».

Dein difficile defendere possumus quomodo Ecclesia possit sibi vindicare ius humanum ad omnes gentes faciendas discipulas...

Tota vita apostolorum in Ierusalem (cf. Actus Apostolorum, Vita S. Pauli in medio persecutionum... Cf. *Actus* 13 ss. Cypri, Perge, Athenis, Corinthi, Ephesi, Ierosolymis).

Quae autem divina sunt quomodo regulis pure humanis circumscribere poterimus?

Attamen omnium concursu, et non solis ideis alicuius, scripto speciatim statui posse credimus, aequo animo et non oratorio, normas quae possunt solvere difficultates practicas quae in mundo inveniuntur.

Solummodo hanc viam ingressi poterimus regulas seu normas invenire quibus relationes pacificas inveniemus quae vitent turbationes pacis, inter diversas confessiones religiosas.

Ex principio de bona fide in conscientia ab omnibus admisso sequitur neminem cogi posse ad amplectendam quamcumque determinatam confessionem.

Ex principio de obligatione religionis sequitur hominem debere liberum relinqui in investigatione veritatis religiosae et in praxi religionis.

Ex principio de conviventia pacifica sequitur omnes homines debere convenire ad mutuum respectum et ad vitandum proselytismum.

Ex respectu erga aliorum libertatem, conscientiam etc. sequitur omnes nos considerare debere de non turbandis aliis, aliorum conscientiam, pueris, rudibus etc. ...

Ex iure Dei ad alios obligandos ut sua mandata acceptent et impleant, nemo debet persecutionem pati propter opiniones religiosas, nisi agat contra limites statutos in n. 4 pag. 9 etc.

Ecclesia ius habet ex mandato divino ad omnes gentes praedicandas et discipulas faciendi, nec quisquam prohibere potest nisi in aliquo casu ordo turbetur, et tunc in propagatione Evangelii ipsa Ecclesia cum tali prudentia divina agere debet, iuxta iudicium Romani Pontificis.

Quae videntur regulae quae possent pacem nostris temporibus dare. Attamen haec sunt regulae quae omnes homines afficere possunt et hi qui bona voluntate agunt optimi erunt... Attamen ne obliviscamur non omnes homines habere bonam voluntatem et tunc lex debebit praevidere, quid agendum sit in casu et videtur necessarium statuere aliquam normam pro diversis confessionibus ut ordo servetur quem Ecclesia credat servandum; minime vero potest relinqui res ad voluntatem aliorum, sunt enim non paucae sectae quae vere nullum respectum habent nisi ad leges civiles et ad vim, nec alio modo possunt ad legum oboedientiam constringi.

Nn. 9-10. Postulo ut hi duo numeri, prout sunt, expungantur omnino e textu declarationis. *Rationes*:

1. *In genere*. Plurimi textus Sacrae Scripturae hic citantur, qui neque directe neque indirecte ad rem, de qua agitur, pertinent. Agnoscitur quidem in Sacra Scriptura hominem esse vera libertate praeditum. Sed haec libertas alia est, et omnino distincta a libertate religiosa, quam schema declarationis stabilire conatur. Iure meritoque dicebat exc.mus relator: « Si accurate res inspicitur, concludi debet in Sacris Litteris nullibi directe affirmari hominem ius habere ad immunitatem a coactione in humana conviventia. Religiosa libertas moderna non potest considerari ut iuridica consequentia libertatis evangelicae » (Relatio super schema declarationis..., pag. 5, linn. 24 ss.).

Sed neque indirecte quidquam sequitur e textibus citatis in favorem libertatis religiosae modernae. Historia enim salutis, sive praesertim e Veteri Testamento, sive etiam e Novo Testamento desumpta (conferantur, v. g., illud saepius repetitum « Vae! » Christi contra impias civitates, contra generationem sui temporis perversam et adulteram, contra pharisaeos; et S. Pauli dicta contra iudaizantes), vel nihil adducit ad libertatem religiosam modernam aestimandam, vel ei oppositionem dicit.

Est quidem, inter « mentalitatem » hodiernam et « mentalitatem » totius Sacrae Scripturae, magna diversitas, cultura diversa, mundus omnino differens. Mundus, cultura illorum temporum transierunt. Non possumus proinde illas vitae formas nostris temporibus applicare. Libertas igitur hodierna minime coarctanda est normis vel iuris vel culturae humanae illorum temporum.

Attamen, falsum esse videtur affirmare, libertatem religiosam hodiernam

Sacris Litteris inniti, vel Christum et apostolos exemplum huiusmodi libertatis nobis praebuisse. Sunt enim, inter nos et illa tempora, res, conceptus, cultura, mundus toto caelo diversi.

Ergo, in genere, ex Sacra Scriptura vel ex modo agendi Christi et Apostolorum, neque indirecte quidem sequitur quidquam pro libertate religiosa in schemate propugnata.

2. *In specie*: *a*) Exegesis, quae fit, quorumdam textuum Veteris Testamenti omnino incongrua est et declarationi conciliari impropria.

Ex *Gen.* 1, 27 et *Eccli.* 15, 14 (melius diceretur *Eccli.* 15, 14-17, ablata citatione *Eccli.* 17, 6) sequitur tantummodo hominem esse libertate praeditum ad legem Domini observandam vel respuendam, non vero ad hoc, ut hanc vel illam religionem pro sua conscientia eligat. Similiter dicendum est de textibus ex libris Exodi et Iosue desumptis.

Textus *Ier.* 31, 31-33 et *Ez.* 36, 26-27 expresse docent, observantiam religionis Israeliticae magis consciam esse debere. Sed minime concedunt, vel insinuant, vel supponunt, hominem esse liberum hanc vel illam religionem sequendi.

Ergo ex textibus citatis e Veteri Testamento nihil sequitur pro nostra quaestione. Immo, potius adduci possent nonnulli textus sacri, qui libertati religiosae hodiernae quodammodo contradicerent.

b) Inepte etiam afferuntur plurimi textus Novi Testamenti, qui, e contextu eorum avulsi, aliquod fundamentum praebere putantur ad hodiernam libertatis religiosae notionem. Nam e contextu horum textuum, et e multis aliis locis Novi Testamenti, qui adduci possent, potius concluderetur contra schema.

Citatur, v. g., *Gal.* 5, 13: « Vos enim ad libertatem vocati estis ». Sed haec libertas nullo modo est « radix » vel fundamentum, ne quidem e longinquo, hodiernae libertatis religiosae. S. Paulus agit hic de libertate credentium in Christum relate ad subiectionem legi mosaicae, ad quam iudaizantes cogere volebant et christianos. Si respicitur ad *Gal.* 5, 13, respiciamus etiam ad ea quae immediate praecedunt: « Qui autem conturbat vos, portabit iudicium quicumque ille est » (*Gal.* 5, 10); iudicium, inquam, condemnatorium. Quare Apostolus ipse concludit: « Utinam et abscindantur qui vos conturbant » (*Gal.* 5, 12).

Rom. 8, 21 agit de liberatione credentis in Christum, immo de liberatione totius universi, quia per fidem in Christum nec homines nec res ullae creatae erunt amplius subiecti peccato. In textu autem citato ad *Rom.* 13, 1-7 expresse docet Apostolus fideles christianos teneri ad obedientiam erga auctoritates civiles « etiam propter conscientiam » (v. 5), siquidem civiles potestates « a Deo ordinatae sunt » (13, 1), « Dei enim minister est » (v. 3) qui potestate civili gaudet.

Si quid ergo ex his textibus concludere licet, potius in contrarium quam in favorem declarationis erit.

c) Neque plus probant textus allati in declaratione circa modum agendi

Christi et apostolorum. Exegesis quae in declaratione fit, vel supponitur, circa textus *Lc.* 11, 16 et *Mt.* 27, 42-43, scil., ubi Christus renuit miracula patrare, quando ea expresse a suis adversariis petuntur, risum movet et ingenua puerilitate abundat. Idem dicendum est de non adhibendo gladio ad propagationem religionis christianae (quod ultro quidem concedimus), eo quod Iesus in horto Gethsemani dixit Petro: « Converte gladium tuum in locum suum... » (*Mt.* 26, 51-53).

Conclusio. Cum conceptus hodiernus libertatis religiosae, prout in nn. 1 et 2 declarationis explicatur, toto caelo sit diversus a conceptu libertatis in Sacris Litteris propugnatae; cum exegesis supposita textuum qui e Veteri vel e Novo Testamento citantur omnino inepta, puerilia, absolute impropria declarationi conciliari sit, nihilque probet relate ad rem pro qua afferuntur huiusmodi textus, propono ut nn. 9 et 10 declarationis penitus ab ea eradicentur. Quaestio autem in declaratione proposita aliis principiis, non vero textibus Sacrae Scripturae, solvenda est.

51

Exc.mus P. D. FRANCISCUS FRANIĆ

Episcopus Spalatensis et Macarscensis

Schema multa bona et optima continet quae laudanda esse videntur, e. g. quando extollitur dignitas personae humanae et valor libertatis, quando dicitur unica esse vera religio et quidem catholica etc.

Ad n. 2 hoc adnotandum esse puto: Fundamentum proximum et secundarium omnium iurium quae homini debentur est dignitas humanae personae, sed fundamentum primarium et ultimum iurium est Deus, qui homini tribuit iura et imponit officia. Ideoque in hoc n. 2 exprimenda esset haec veritas fundamentalis (quae veritas tangitur infra in n. 8).

Ex mea humili opinione haec veritas prae mente habenda est. Essentiae rerum earumque necessariae relationes sunt immutabiles et determinatae. In iisdem essentiis earumque necessariis relationibus fundantur verum et rectum obiectivum, quod nempe tale est independenter a quacumque humana consideratione. Prima seu suprema rationis principia has essentias earumque necessarias relationes immediate exprimunt, proinde et haec principia sunt necessaria et immutabilia. Falsitas et malitia illis opponuntur tamquam privationes veri et boni. Verum-falsum, bonum-malum inter se referuntur tamquam affirmatio et negatio, lux et tenebrae. Veritas obiectiva non est nisi una, unde nec veritas-falsitas, bonitas-malitia simul stare possunt.

Ex hoc sequitur: *a*) falsitas et malitia nullum ius obiectivum habent ad existendum, nullum ius ad propagationem, nullum ius ad actionem, sicut nullum ius obiectivum habet aliquis ut aliquod crimen committat.

b) Nemo potest approbare aut velle *per se* id quod est obiective falsum et malum.

c) Item nequaquam licere petere, defendere, largiri, cogitandi, scribendi, docendi, itemque promiscuam religionum libertatem, veluti iura totidem, quae homini natura, dignitas personae humanae dederit. Natura, dignitas vera personalis dat enim iura veri et boni, non falsi et mali.

Tamen, si de casibus concretis agatur, prudentia tamquam sapientia vitae dictare potest ut falsitas et malitia mediis coercitivis non supprimatur sed potius tolerentur.

Non ergo videtur bene dictum in hoc n. 2, linn. 9-15. Neque facile est videre qua ratione conciliari possint verba expressa linn. 19 s. cum verbis linn. 10-20. In his locis namque dicitur legibus licere positive tueri id quod obiective est falsum, malum, dum e contra oportet dicere: « Vetat iustitia, vetat ratio eademque singulis iura promiscue largiri ».

Ad n. 3. Etiam ex experientia nostra, qui in statu marxistico vivimus, sequitur, secundum meum modulum videndi, Ecclesiam non deberi inniti statui, sed populo fideli. Nam status hodie cito mutantur et populus, et quidem ille pauper populus, remanet. Non est ergo protectio quaerenda a « Faraone » (i. e. a Statu civili) nec debemus ab eo salaria mensilia, praesertim nos episcopi, accipere. Nam Status nihil dat gratuito: semper enim expectat a nobis, ut ei inserviemus; etiam status catholicus.

Attamen, etsi status aliquomodo a religione distare debet obligatur ad verum cultum vero Deo exhibendum. Nam Deo sunt omnia subiecta, etiam status politicus.

Proinde etsi status est incompetens ad discernendam veram a falsa religione uti status, tamen status potest accipere ab Ecclesia veram religionem eamque exercere.

Eo vel magis, quia hodie sensus communitarius inter homines praevalet et homo non concipitur nisi pars communitatis.

Nullatenus ergo possumus docere quemdam neutralismum statalem erga omnes religiones veram scil. et falsam. Iste neutralismus potest esse in aliqua determinata situatione minus malum, immo maximum bonum relativum, sed numquam potest esse bonum absolute dictum.

Ad n. 4, pag. 10, dicitur « moralitas publica » esse limes libertatis religiosae. Sed quid est moralitas publica in societate marxistica? Secundum doctrinam marxisticam moralis evangelica est valde et graviter nociva moralitati publicae et bono communi societatis, quia producit alienationem in homine ab eo ipso, ab eius labore et ab eius societate etc. Similiter etiam alii limites libertatis religiosae sunt in textu variis interpretationibus obnoxii.

Peto ergo ut schema secundum observationes praedictas reformetur.

52

EXC.MUS P. D. BRUNO FRATTEGIANI

Archiepiscopus Camerinensis

Schema multum placet. De eius obiecto velim omnibus repetere ea quae de titulo Mediatricis B. M. Virgini tribuendo clamabat anno elapso em.mus card. Suenens: « ne simus timidi! ». Adiutorium nostrum in nomine Domini, non in cruribus, non in equis, non in generalibus, non in brachio saeculari...!

Principia sunt sancte servanda et omnibus veneranda manet auctoritas Syllabi et damnatio putidi liberalismi. At non secus ac sabbatum, principia sunt propter hominem « pro quo Christus mortuus est » (*Rom.* 14, 15). Hic homo, homo praesertim nostri temporis, ab Ecclesia quaerit veniatne cupidine ducta dominandi an exemplo allecta Magistri, qui « non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret, et daret animam suam redemptionem pro multis » (*Mc.* 10, 45); veniatne mitis ac mansueta an provocans « duodecim legiones », quae non sunt semper « angelorum » (cf. *Mt.* 21, 5 et 26, 53). Numquam tantum serviemus Christo Veritati, quantum cum errantibus fraterne occurremus.

Pauca de particularibus. Pag. 10, linn. 5-10: exercitium religionis potest perturbare pacem publicam duplici modo, active scilicet et passive; active quia exercitium reapse perturbat, passive quia v. g. membra maioritatis religiosae non tolerant vel ordinarias manifestationes minoritatis religiosae. Quod satis periculosum est et aliquo modo, ni fallor, praecavendum.

Pag. 11, linn. 13-20: quod dicitur de speciali agnitione unius communitatis religiosae (anathema esto, quaeso, perfida dictio « religione di stato »!) ita proponendum esset ut ex parte status una sustineatur competentia definiendi sociologice, non dogmatice, peculiarem indolem quam religio habet in ambitu status. Ne obliviscamur nos non loqui tantum pro Hispania vel Lusitania, sed et pro Algeria, Persia, India, Iaponia. Sana laicitas status agnosci debet. Reges sacristani (vel duces!), nolumus vos.

Pag. 17, lin. 18: in notula 17 fit mentio de concordatis. Cur de iis tacetur in textu? Sermo fiat expressus ita ut etiam dici possit nihil in Concordatis huic declarationi contradicere posse (quid tunc sentiendum de art. 5 Concordatus Italici?).

Pag. 18, lin. 25: cur suppressa sunt optima illa verba quae in textu emendato ultimam periodum praecedebant (Adhibendus est ... allicit)? Ea velim conservare, addita opportunissima citatione *Mt.* 5, 44-48. Utinam sicut fumus dispergantur ii, qui praesertim fratres in fide temere ut haereticos adoriuntur, quia diversas a se colunt opiniones (quis obliviscatur aggressionem 1961 contra benemeritum Institutum Biblicum?).

53

Exc.mus P. D. HYACINTHUS GAD

Episcopus tit. Gratianopolitanus

Etsi clare in textu schematis *de libertate religiosa* declaretur « ne quis impediatur quominus in re religionis tum privatim tum publice agat » et quod « communitates ius habent Numen supremum cultu publico honorare » attamen nullibi refertur quod communitates aut cives ius habent ut templa proprii cultus libere erigant. Templa autem sunt loca ubi praecipue fideles coadunari possunt et convenienter cultum supremum Deo reddere. Quapropter censemus quod ius erigendi templa expresse referri debet in schemate.

Sunt enim constitutiones nationum quae hoc ius catholicis aut non agnoscunt, aut alienis auctoritatibus subiiciunt.

Ut abstrahamus ab aliis et solummodo legislationem nationis Graeciae referamus, liceat breviter haec notare:

In constitutione graeca, libertas conscientiae declaratur et religio catholica tamquam libera (ἐλευθέρα) admittitur. Attamen extat lex (A.N. 1940/ 2 200/ 44) quae ad erectionem cuiuscumque nominis templi (oratorii publici aut semipublici, cappellae etc.) licentiam requirit episcopi orthodoxi et approbationem ministerii cultus; quam licentiam episcopus orthodoxus fere numquam concedit et ita catholici Graeciae appellare coguntur ad supremum tribunal Consilii Status. Quasi semper erectio templi obtinetur sed multo labore et magnis expensis. Tamen, lex de qua supra, actionem hierarchiae catholicae approbationi hierarcharum orthodoxorum submittere conatur quod iniustum est atque aequalitatem iuridicam civium aufert.

Cum autem, non raro, tribunalia civilia in Graecia iuri canonico et universalibus Ecclesiae catholicae legibus vim iuris interni agnoscant in Regno Graeciae, opportunum nobis videtur ut in hac solemni declaratione circa libertatem religiosam saltem semel, affirmetur ius catholicorum erigendi sibi templa.

Propterea textum in pag. 12 lin. 18 ita proponimus: « Praeterea in sociali hominis natura atque in ipsa indole religionis fundatur ius, quo homines, suo ipsorum sensu religioso moti, libere possunt templa erigere, conventus habere vel associationes educativas, culturales, caritativas, sociales constituere ».

[*Subscripserunt etiam*] G. Xenopulos; G. Perris.

54

EXC.MUS P. D. EMMANUEL GALEA

Episcopus tit. Trallianus in Asia, aux. Melitensis

Declaratio *de libertate religiosa,* nostra aetate, maxime necessaria est, eademque satis periculosa. Si quid enim in hac re obscurius relinquetur, non deerunt qui illud « depravent... ad suam ipsorum perditionem ».

Hac cogitatione motus, has mutationes vel additiones suadere audeo.

Prooemium. Fol. 6, linn. 1 s. Puto praemittendum esse libertatem religiosam duplici sensu sumi posse. Potest primo loco significare hominem a nemine, ne a potestate publica quidem, impediri posse ne religionem amplectatur et profiteatur. Altero sensu significare potest hominem a nemine adigi posse ad determinatam religionem aliquam profitendam prae ceteris.

Haec distinctio necessaria videtur, quia haec hominis libertas primo sensu sumpta est eius ius absolutum. Religio enim est obligatio, ex ipsa lege naturali orta, et nemo potest hominem impedire quominus suas obligationes adimpleat. Eadem vero libertas, secundo sensu sumpta, est ius relativum. Cum enim religio vera non possit esse nisi una, obiective loquendo, nemo potest habere ius ad religionem eligendam. Sed, cum de facto alii aliam religionem amplectantur et, praeterea, lex humana non possit impedire omnia mala (cf. *S. Th.,* 1. 2, q. 91, a. 4), bonum commune exigit in hac re tolerantiam, scil. ut unusquisque, ob bonum commune, liber relinquatur ad eligendam religionem, quam post seriam investigationem iudicat esse veram, etsi obiective possit errare.

I. *Declaratio.* Fol. 6, lin. 28. Post verbum « Ecclesia », addi potest: « necnon disciplinam ecclesiasticam qua poenae statuantur contra eos qui ab Ecclesia, sive per apostasiam, sive per haeresim, deficiant ».

Si memoratae poenae non abrogantur, haec verba videntur necessaria ut praecaveantur faciles obiectiones.

II. *Doctrina de libertate religiosa ex ratione desumpta.* Fol. 7, lin. 10. Post verbum « possit » addatur: « ac debeat ». Haec additio utilis videtur ad parandam viam ad ea quae dicentur lin. 18.

Fol. 7, lin. 15. Post verbum « conscientiam » addatur: « sibi recte efformandam et ».

Sic a principio statuitur de quanam conscientia sermo sit, scil. non de aliqua vaga opinione, sed de vero iudicio post diligentem investigationem efformato.

Fol. 11, lin. 20. In fine addatur: « intuitu boni communis »; ut innuatur non agi de iure aliquo intrinseco et absoluto.

Fol. 11, lin. 23. Post verba « agnoscenda est » addatur « intra limites supra descriptos ». Quamvis haec verba non sint necessaria, cum hic con-

ceptus iam habeatur in fol. 9, linn. 15 s., tamen, cum in fol. 12 repetantur circa facultatem docendi, valde convenit ut etiam hic includantur.

Fol. 12, lin. 27. Post verba: « vitam suam domesticam », addatur: « iuxta suae religionis praecepta ». Haec additio videtur necessaria, quia non desunt catholici qui, iurgii causa vel ex propriae factionis politicae arbitrio, exigant, vi potestatis paternae, ut ipsorum filii, in scholis catholicis, eximantur ab instructione religiosa catholica quae inibi datur.

* * *

Schema *de libertate religiosa* videtur agere de immunitate a coactione ex parte auctoritatis civilis. Sed in variis locis adhibentur locutiones nimis generales, quae rem obscuram faciunt. Cf. pag. 6, linn. 4 s.; pag. 7, linn. 11 s.; 20 s.; 31 s.; pag. 9, linn. 9 s.; pag. 12, linn. 30 s.; pag. 16, linn. 1 s.

Hinc non pauci catholici, dum ex una parte gloriantur se esse catholicos, ex alia, sub specie libertatis religiosae, contendere possent se posse doctrinam et disciplinam Ecclesiae non admittere, quia ipsorum conscientia aliud exigit.

Quare declarandum videtur expressis verbis schema loqui de relatione inter conscientiam et auctoritatem civilem; sectatores tamen cuiuscumque societatis ecclesialis esse quidem liberos, si ita iudicent, sese separandi ab illa societate, sed dum in ea remaneant, non posse aliter sentire ac ipsa doceat.

55

Exc.mus P. D. RAPHAEL GARCIA Y GARCIA DE CASTRO
Archiepiscopus Granatensis

Praesens schema declarationis *de libertate religiosa,* si comparetur cum textu die 17 novembris 1964 Patribus tradito, dicendum est eumdem spiritum, quem ille habebat, substantialiter servare. Difficultates ergo, quae in voto nostro circa textum illum proponebamus, adhuc ut validas relate ad praesens schema retinemus. In concreto, quatuor sunt quaestiones, quibus, nostro iudicio, textus declarationis satisfacere debet.

1. Schema praecedens valde senserat, quam gravem difficultatem offerret suae doctrinae magisterium pontificium praecedens. Illam diluere conabatur in n. 2, explicando magisterium pontificium praecedens per circumstantias historicas saeculi XIX (ac si Pius XII ad saec. XIX pertinuisset!). Sine dubio, explicatio schematis praecedentis non satisfaciebat: problema non est reducendum ad circumstantias, in quibus aliqua doctrina proposita est; sed principia doctrinalia, occasione illarum circumstantiarum proposita, sunt serio consideranda.

In praesenti textu, redactores, conscii de insufficientia explicationis in textu praecedenti oblatae, solutionem facilem invenerunt: « Cum multi Patres graves rationes contra expositionem historicam textus emendati obiece-

runt, totus textus huius numeri omissus est. Quaestio difficilis et complexa evolutionis doctrinalis, quae brevi declaratione sufficienter exponi nequit, potius scientiae theologicae relinquenda est » (Relatio, Pars prima, IX, pag. 38).

Gravis interrogatio surgit circa hanc methodum: potest explicatio evolutionis doctrinalis a Concilio theologis relinqui facienda? Cur supponitur talem explicationem sine contradictione esse possibilem? Nonne Concilio gravissima urget obligatio doctrinam quamdam non proponendi, nisi prius *ipsi Concilio* constet illam cum traditione cohaerere? Sic omnia Concilia praecedentia egerunt. Nec aliter nos agere possumus sine culpa levitatis.

2. A pag. 47 ad pag. 50 saepe repetitur quaestionem non poni in sensu tolerantiae, sed in sensu veri iuris. Nec error nec veritas, sed personae iura habent (cf. pag. 49 s.). Hoc ultimum aliquid veri continet. Sed ne ludamus verbis. Cum Pius XII affirmabat errorem obiectiva nulla habere iura, non cogitabat de abstractione quadam, sed de personis in errore degentibus.

Nostra maxime interest ut secretariatus ad christianorum unitatem fovendam clare declaret utrum haec doctrina Pii XII adhuc sustinere possit necne: « Con questo sono chiariti i due principi, dai quali bisogna ricavare nei casi concreti la risposta alla gravissima questione circa l'atteggiamento del giurista, dell'uomo politico e dello Stato sovrano cattolico riguardo ad una formula di tolleranza religiosa e morale del contenuto sopra indicato, da prendersi in considerazione per la Comunità degli Stati. Primo: ciò che non risponde alla verità e alla norma morale, non ha oggettivamente alcun diritto né all'azione. Secondo: il non impedirlo per mezzo di leggi statali e di disposizioni coercitive può nondimeno essere giustificato nell'interesse di un bene superiore e più vasto » (Alloc. *Ci riesce,* 6 dec. 1953: *A.A.S.,* 20 [1953], p. 799). « (L'Eglise) estime que leurs convictions (des non-catholiques) constituent un motif, mais non toutefois le principal, de tolérance » (Alloc. *Vous avez voulu,* 7 sept. 1955: *A.A.S.,* 22 [1955], p. 679).

3. Non bene perspicimus quomodo logice inter se cohaereant hae duae affirmationes schematis: « Potestas (...) civilis limites suos excedere dicenda est, si in ea, quae ipsam ordinationem hominis ad Deum respiciunt, sese immisceat » (schema n. 3, pag. 8 s..) « Hoc vero libertatis religiosae regimen non impedit, quominus attentis populorum circumstantiis historicis, uni communitati religiosae specialis agnitio in iuridica civitatis ordinatione tribuatur, eo tamen pacto... » (schema n. 5, pag. 11). Si Potestas civilis suos limites transgreditur, si se in res religiosas immisceat, quo iure fundatur haec possibilitas Status confessionalis?

4. Si schema approbaretur, plures Conventiones a Sancta Sede cum Statibus catholicis concordatae omnino mutandae essent. Non est mea intentio sublineare quot difficultates ex hac necessitate subsequentur. Solum indicare velim tales Conventiones opus a Sancta Sede peractum esse, ac simul interrogare utrum Concilium hunc campum activitatis Sanctae Sedis invadere possit.

56

Exc.mus P. D. GABRIEL GARRONE
Archiepiscopus Tolosanus

Quamvis gravia dicta sint de hac declaratione, tamen, admissis emendationibus praesertim in ipsa declaratione, in qua ultima pars I fieri deberet, ut vere primaria nobis accipienda videtur. Insuper quaedam difficultates inter illas quae textui antecedenti obiiciebantur, non omnino superatas esse videntur: quas breviter indicare liceat simul cum idoneis suggestionibus. 1) Quoad continuitatem doctrinae; 2) quoad rationem « coactionis in fide »; 3) quoad modum agendi Ecclesiae in saeculis praeteritis.

1. *Quoad continuitatem doctrinae* (n. 2). Arduum quidem, nec forsan possibile est, in brevi declaratione iis occurrere quaestionibus quae ultro surgere patet ex comparatione huius textus cum pluribus aliis declarationibus de eadem re saeculo praeterito a Pontificibus prolatis.

Non tamen decet de hac apparenti contradictione omnino tacere. Reticentiam istam pro fraudulento silentio habitum iri non dubitandum est. Sed, et imprimis, *nihil affirmare nobis licet quod non expresse secundum traditionem esse clare nobis appareat* et *explicite tale dicere valeamus.*

Ideo, in fine n. 2 addatur: principia in loco allata et confirmata de valore exclusivo veritatis etc. *ea ipsa esse* quae continebantur in his textibus prioribus qui, primo oculo, non cohaerere viderentur cum doctrina in nostra declaratione exhibita. De quo propositio in scriptis.

2. *Quoad rationem « coactionis in fide »* (n. 9). In n. 9, dicitur: « Neminem esse ad fidem cogendum ».

Quae propositio aliquo modo aequivoca, vel saltem explicatione indigens videtur.

Ipsa enim expressio: « Coactio ad fidem » est *contradictio in terminis,* ut ex ulterioribus patet (n. 11). Non potest igitur fieri quaestio nisi de coactione ad actus exteriores ponendos quae fidei speciem habeant, ideoque hypocrisis rationem praebeant ipsi cogenti imputabilis.

Hoc exprimere expediret ut expressius cohaereat n. 9 cum n. 11. De quo propositio in scriptis.

3. *Quoad modum agendi Ecclesiae in saeculis praeteritis* (n. 9). Evocatio modi agendi in praeterito *insufficiens videtur.* Non enim satis est ad veritatem dicere *in* Ecclesia alio modo actum esse ac in textu nostro dicitur. Quamvis enim aequitas historica hoc diversis modis apte explicare extra scandalum valeat, hoc tamen fatendum videtur aperte: non hunc vel illum sed ipsam Ecclesiam in causa esse. Quod per modificationem minimam textus sine nimia difficultate fieri posse videtur. De quo idem propositio in scriptis.

4. *Quaedam minora adduntur. a*) Loco « excludatur » (n. 7) dicatur: *theoretice vel practice impossibilis evadat. Ratio*: exclusio potest esse de facto tantum.

b) Ad « assensum fidei » (n. 10) addatur: *nescio qualem... Ratio*: non posset vocari « assensus fidei » assensus sic exoriens.

c) Virtus Verbi Dei in textu S. Pauli non excludit, immo semper implicat « ostensionem Spiritus », quod in textu non est tacendum.

Propositio emendationum. N. 2. Addatur in fine et in continuatione ultimae paragraphi: « Haec sunt principia quae, fortiter saeculo praeterito a Pontificibus asserta, non raro, ob formam suam diversam, immerito mutationem in doctrina Ecclesiae factam esse innuere possent ».

N. 7. Mutetur textus in fine modo sequenti: « ... ex qua omnis formatio religiosa theoretice vel practice impossibilis evadat ».

N. 9. A verbo « etsi » mutetur textus modo sequenti: « Tandem, etsi de facto, in aliis ambitibus historicis vel socialibus secundum aequitatem diiudicandis, aliae viae spiritui evangelico minus conformes usui fuerunt in Ecclesia, tamen semper mansit Ecclesiae doctrina: nempe fidem non posse nisi ex actu libero inveniri, et consequenter nemo cogi posse ad actus exteriores contra suam conscientiam ponendos.

Aliunde si, decursu temporum latius agnitum est principium de immunitate servanda in re religiosa a quacumque humana coercitione, multum ad hoc contulit ipsum evangelicum fermentum in mentibus operans, ita ut hodie quicumque modus agendi speciem coactionis offerens odiosus immo scandalosus appareat, et e regione fini ipsi Ecclesiae contradicent ».

N. 10. Ad « assensum fidei » addatur: nescio qualem.

N. 10. Citentur textus ita ut non praetermitti videatur operatio virtutis Spiritus Sancti etiam externa.

57

Exc.mus P. D. MICHAEL GONZI
Archiepiscopus Melitensis

« De libertate religiosa », prout in textu reemendato schematis agitur, brevem sermonem instituam tum quia iam satis dictum videtur de eiusdem valore ac defectibus, tum ut em.mi card. Decani opportunis monitis de brevitate sermonis morem geram.

1. Schema, uti proponitur acceptandum videtur, si substantialiter sumatur; nam, quasi media via incedens, oppositos excessus vitare satagit et sapienti cum aequilibrio ad generaliores rationes attendit, quin particularibus exigentiis alicubi urgentibus adversetur.

2. Sunt tamen quaedam minus clare aut insufficienter proposita, quae aptius exponenda sunt ad impediendum quominus Concilii verba citra suam significationem distorqueantur ad errores quoslibet fulciendos.

Iam plura dicta sunt circa textus emendationem faciendam. Ne gravemini tamen, venerabiles Patres, si quasdam observationes adiciendas puto; agitur enim de re valde gravi, quae summam expostulat diligentiam.

3. Declarandus est conceptus libertatis religiosae de qua hic tractatur, ita ut apprime evidens fiat non esse hic quaestionem de libertate morali eligendi pro lubitu inter varias religiones, quasi una alterave sit aequaliter bona, aut sequendi quamlibet agendi normam; sicque reiiciatur iam a limine quodvis indifferentismi religiosi periculum.

4. Ad conscientiam ab unoquoque sequendam quod attinet res non satis clarae neque sufficienter dictae apparent.

Conscientia enim non est norma veritatis in se et per se. Ipsa est mere manifestativa boni et veri eique praecedit norma obiectiva. Clariore igitur et ampliore sermone edicendum est — quod in textu praesenti quasi perfunctorie affirmatur —, nempe unicuique officium incumbere veritatem religiosam aptis mediis exquirendi ut inde non modo « certa » sed et « vera » iudicia conscientia sibi efformet. Sic a principio statuitur de quanam conscientia agatur, scilicet non de vaga quadam opinione, sed de vero iudicio post diligentem investigationem efformato.

Ex hoc patebit et patere debet quod qui catholicae veritati aberrent inepte ad propriam conscientiam provocare praesumunt ut normam obiectivam revelatione traditam et ab Ecclesia propositam eludant.

Proinde in pag. 7, lin. 15 post verbum « conscientiam » addatur saltem « sibi recte efformandam ».

5. Limites libertatis religiosae aptiore ratione sunt definiendi, ut praecaveantur abusus tum ex parte potestatis civilis, cum ex parte fidelium.

Hinc non placet terminus « ordo publicus » utpote subiectivis interpretationibus et restrictionibus nimis obnoxius. Potius adhibenda videtur vox « bonum commune ».

Insuper aliquid addatur oportet circa relationes quae vigere debent inter fideles et ecclesiasticas auctoritates.

6. Servandus est textus qui loquitur de speciali agnitione a potestate civili tribuenda alicui religiosae communitati, attentis populorum circumstantiis historicis ac maiore civium parte; eo tamen pacto ut simul omnibus civibus et religiosis communitatibus libertas in re religiosa agnoscatur et observetur.

7. Ubi sermo est de libertate religiosa familiae, res ita proponitur quod apparet ius esse parentibus vitam religiosam domesticam et rationem institutionis pro suo arbitrio determinandi et ordinandi. Igitur pag. 12, lin. 17 post verba « vitam suam domesticam » addantur verba « iuxta suae religionis praecepta ». Haec verba videntur necessaria quia non desunt catholici, qui, iurgii causa vel ex propriae factionis politicae arbitrio, exigant ut filii in scholis catholicis ab instructione religiosa ibidem tradita eximantur.

8. Ultimo mihi videtur insistendum esse ut bonae, immo optimae, si fieri potest, relationes inter Statum et Religionem vigeant, atque abstrahen-

dum esse a formis iuridicis particularibus circa interventum Status in vita religiosa.

Inutile esset leges universales circa hoc argumentum condere; nam quaestio est valde implexa et est potius solvenda in singulis casibus iuxta diversas traditiones politicas et varias circumstantias sociologicas.

58

Exc.mus P. D. PAULUS GOUYON

Archiepiscopus Rhedonensis

Schema quale proponitur, iure meritoque a Concilio approbandum est; modus quo scribitur est generaliter clarus et logicus; attamen melius placeret, ut em.mus D. card. Meouchi expostulavit, si a facto universali pugnae pro libertate exordium sumerent quae exponuntur. Quae aliunde optime dicta sunt in relatione ab Exc.mo D. de Smedt facta, par. 4, linn. 9-14 et 32-36.

Cum definit schema libertatem in re religiosa, modo magis negativo agere videtur; sed intelligimus quare et quomodo auctores schematis solliciti fuerint ne ansam praeberent acerbioribus censuris, positivam et magis explicitam definitionem dantes. Attamen:

1. « Declaratio » nimis brevis videtur, nec sollemnitate sat magna donatur. Optaremus ut in ea revocaretur obligatio quae ipsis communitatibus religiosis incumbit agnoscendi et observandi huiusmodi libertatem; quod aequali modo exponitur pag. 12, linn. 7-13.

2. Doctrina ex ratione sumpta non satis clare exponitur. In paragrapho tertia tria argumenta, ut visum est, agnovi, quae maiore cum claritate exprimenda essent.

Doctrina de libertate civili in re religiosa, cum oriatur ex dignitate personae humanae et obligatione quae ei incumbit veritati adhaerendi, fundatur in his, tribus praemissis:

1. Structura intellectualis intellectus humani personae et rationes quibus cognoscit: ut totam veritatem inveniat, opus est personae libertate investigationis et libertate dialogi;

2. Natura socialis personae: naturaliter et modo cui nulla vi resisti potest, ad hoc tendit ut quae interius sentit, exterius patefaciat in publica professione fidei: opus est personae libertate exterius profitendi fidem;

3. (Ad modum cuiusdam « confirmatur ») ex transcendente indole modi quo persona ad Deum tendit sequitur ut huius modi tendentia potestatem Civitatis evadat: nequit ergo Civitas in hac parte intervenire.

Haec tria non sufficienter apparent ex textu schematis qualis proponitur.

59

Exc.mus P. D. IOSEPH GUERRA CAMPOS
Episcopus tit. Mutiensis, aux. Matritensis

Titulus declarationis, qui nunc sonat *de libertate religiosa* mutetur in: « De libertate *civili* in re religiosa ».

Immutetur ipse titulus, non tantum sub-titulus. *Ratio*: haec mutatio: quae a pluribus Patribus desideratur, videtur necessaria:

1. quia positive ac praecise enuntiat obiectum declarationis, prout in Relatione et in ipso textu declaratum est;

2. quia, secus, non vitarentur gravia aequivoca quae titulus *de libertate religiosa* secumfert, etiamsi sit expressio iam usitata in litteratura iuridica, vel forsitan quia usitata est. De facto, sive relatio sive textus ipse declarationis diversas acceptiones termini distinguere conantur. Multi vero, fideles aut infideles, qui ad illas distinctiones parum animadvertent, quasi automatice ex ipsa sola pronuntiatione tituli inducentur ad eam significationem cogitandam cui assuefacti sunt, quaeque menti Concilii non semper convenit. Titulus autem qui proponitur statim attentionem trahit ad aliquid speciale, et sic reflexionem promovet, ut mens Concilii definitive capiatur.

Ad n. 7 (etiam ad n. 6). Ubi agitur de iure parentum ad determinandam rationem institutionis religiosae suis liberis tradendae.

Haec quaestio amplius explicanda est. Nec in casu valeret quod in relatione (pag. 39) affirmatur, scil.: « cum ad thema declarationis non stricte pertineat (nam respicit relationes intra ipsam familiam), sine detrimento declarationis omitti potest ». Sed contra, quaestio est quae afficit totum ambitum libertatis socialis. In educatione puerorum non viget solum principium libertatis, sed et principium « tutelae », sive exerceatur a parentibus sive ab Ecclesia, cum de baptizatis agitur. Unde pueri non tantum pars quaedam sunt societatis, sed — ob exigentias « tutelae » educativae — aliquo modo permanenter modificant iura et libertatem totius societatis.

Ne igitur subintelligatur declarationem respicere puram, et irrealem, societatem adultorum, necesse est proclamare legitimos educatores non solum habere ius ad determinandam institutionem eorum quorum curam habent, sed eo ipso habere *ius ut ab educandis arceant intromissiones noxias extraneorum. Hoc autem ius potest aliquando requirere protectionem iuridicam potestatis civilis.* Sic in libertatis regulatione ac limitatione habetur causa specifica, non occasionalis, sed ex ipsa societatis structura desumpta.

Verum est hic tangi rem valde periculosam: cum ex una parte ipsa educatio promovere debeat sensum libertatis responsabilis, et ex altera parte « tutela » in favorem minorennium non debeat adhiberi tanquam praetextus ad libertatem publicam adultorum nimis restringendam. Attamen res est maximi momenti, quam Ecclesia nequit omittere vel parvipendere. Nisi viam aperire velimus iis qui, absoluta quadam libertatis aestimatione ducti, omissionem baptismi infantium iamiam postulare incipiunt.

60

EXC.MUS P. D. ANTONIUS HACAULT

Episcopus tit. Mediensis, aux. S. Bonifatii

Hoc schema nobis valde placet. Expositio declaratioque doctrinae dubia expungit obiectionesque communiter allatas confutat. Praeterea, schema clare demonstrat mentem perspicuam doctrinae traditionalis adservandae quoad libertatem religiosam ita ut pura retineatur et in praxim iugiter redigatur ab Ecclesia per saecula futura.

Ut haec declaratio favorabilius accipiatur, velim in lucem proferre rem magni momenti in hac materia, i. e. declaratio illa vere conformis est traditioni neque cuipiam licet obiectiones maiores in eam attollere. Duo aspectus huius conformationis sua sponte eminent:

a) Quoad doctrinam quae confirmat libertatem plenam intime coniungi cum actu fidei.

Haec doctrina absque dubio progressus definitos assecuta est, attamen sibi ipsi semper fidelis remansit, de qua re prae oculis semper retinemus admirabilem explicationem historicam a Mgr. E. De Smedt factam (cf. Relatio super schema decreti *de Oecumenismo,* pag. 27-36) et ab ipso S. P. Ioanne XXIII denuo et auctoritative prolatam in *Pacem in terris.* Optandum ergo est ut textus schematis (pag. 14, n. 9, linn. 7-17) qui magis explicite de hac traditione tractat, affirmationes nimis generales vitare conetur et definite distinguat inter doctrinam et praxim, et modo aptiore, i. e. non tam securo et universali (triumphalisto) loqui satagat. Proponimus ergo textum novum quem ad Secretariatum submittimus: « Constanter in Ecclesia permansit traditio aliqua libertatis. Potestatum saecularium oppressioni saepe nonobstantibus periculis restitit, sui ministerii sacri libertatem vindicans. Inconcussa semper mansit Ecclesiae doctrina neminem esse ad fidem cogendum, etsi aliqui de populo Dei, spiritui sui temporis magis quam spiritui evangelico obsecundantes, hanc doctrinam non semper plene intellexerunt nec in praxim deduxerunt ».

b) Quoad praxim in vita Ecclesiae.

Ne quisquam inferat affirmationem iteratam huius veritatis quamdam « pastoralem remissionem » (seu passivitatem) effecturam esse (cf. pag. 35, lin. 9). Haec enim declaratio nullam remissionem pastoralem invitat neque in *textu* suo neque in *consequentiis* practicis exinde oriundis. N. 11 (Libertas actus fidei) indicat potius amplitudinem laboris pastoralis adhibendam cum homo ad responsum liberum et totale sit inducendus.

Eo quod proponitur maior reverentia dignitatis personae humanae (cf. pag. 5, n. 1, linn. 1-5) et inquisitionis eius in fidem consequendam (i. e. eius responsi liberi et personalis), nonne invitatur et stimulatur reflectio pastoralis profundior in ipso evangelio proponendo?

Nam difficultas maior invenitur et cura subtilior adhibenda est ad evangelium proponendum hominibus vere liberis (cf. D. C., *Paul VI au Congrès Euch. de Pise,* n. 1451, col. 1166) quibus in animo est plene uti mediis uberioribus et aditu acceptiore, disquisitione et electione mature facta in rebus his religiosis. Non vero tanta est difficultas apud homines assuetos « conformismo vulgari » aut animo spirituali immaturo.

Decretum accurate et optime definit reverentiam promovendam relate ad personam humanam communitatesque ecclesiales, prout subiiciuntur labori pastorali et missionario Ecclesiae (nn. 3 et 6).

Constitutiones et decreta conciliaria iam promulgata (cf. *de Ecclesia* et *de Oecumenismo*) nos dirigunt ad renovatam et magis accommodatam pastorali et missionario operi viam. Absque ullo dubio, non est mens Concilii minuendi Christi exempli vim neque eius mandati « praedicandi Evangelii omni creaturae ». Quod patet in textu (nn. 10 et 13) et ex consequentiis eius apertis.

Nova aestimatio personae humanae et communitatum ecclesialium in hac declaratione perspicua nos impellit ad quosdam modos operis missionarii modificandos nobisque aperit vias maiores collaborationis cum ceteris in his rebus. Ergo, nedum extinguat spiritum missionarium, eum potius fovet.

Praeterea quem fugit caritatem bonam, patientem esse debere (cf. *1 Cor.* 13) in labore evangelii praedicandi Ecclesiaeque aedificandae sine ulla verborum offensione aut vi illata adversus alias christianas communitates, siquidem sentiendum est eas in se pollere authenticis christianis virtutibus (n. 6). Exinde logice deducenda est maior pastoralis exigentia et spiritus evangelicus purior, adiumentis nimis naturalibus relictis eisque solis servatis quae magis consentanea sint cum spiritu Evangelii (cf. *1 Cor.* 1, 17 ss.).

Omni periculo remissionis pastoralis et exstinctionis spiritus missionarii sublato, nemini licet dubitare quin obsecundare promovereque debeat hanc declarationem, siquidem plene conformis est cum puriore Ecclesiae Traditione. Neque quisquam timore retineatur ne clare proponat notionem omnino integram et positivam huius libertatis.

Ad hunc finem novum textum proponimus et secretariatui submittimus:

Pag. 5, n. 2, lin. 19; pag. 6, n. 2, linn. 1-8: « Huiusmodi libertas in eo consistit quod homines, ut vitam suam vere secundum consilium liberum suum dirigant, debent immunes esse a coercitione sive hominum singulorum sive coetuum socialium et cuiusvis potestatis humanae. Quae immunitas a coercitione efficit ut cuilibet homini securitas detur ne cogatur ad agendum contra suam conscientiam, neque impediatur ... etc. ».

61

EXC.MUS P. D. LUDOVICUS SEVERINUS HALLER

Episcopus tit. Bethleemitanus, abb. S. Mauritii Agaunensis

Duae emendationes circa n. 3 proponuntur.. Pag. 7, linn. 6-18, a verbis « Deus autem » ad verbum « perveniat », dicatur potius: « Deus autem divinae legis hominem participem reddit, largiendo irradiationem quandam tam veritatis quam libertatis, quibus simul omnis lex fundatur. Etenim lex et veritatem et personam liberam respicit. Unde dictamina legis divinae semper mediante libera conscientia perspiciuntur, et hoc praecipue quando de lege revelata agitur, cum fides sit de non visis. Quapropter tenetur quisque in universa activitate sua conscientiam sequi fideliter quaerendo profundiorem veritatem ut ad Deum qui est Veritas, perveniat ». *Ratio*: quia libertas religiosa pertinet ad iustitiam cui proprium est « inter alias virtutes ut ordinet hominem in his quae sunt ad alterum » (S. THOMAS, *Summ. theol.,* II-II, 57, 1). Iustitia enim non solum obiectum secundum se, seu medium rei, sed etiam respectum ad personam importat.

Pag. 9, loco linn. 1-13 dicatur: « Potestas igitur civilis limites suos excedere dicenda est si veritatem religiosam et cultum divinum determinare vult, sed nullo modo limites suos excedere dicenda est si personae humanae tum privatim tum publice ad suum finem ultimum qui est Deus, libere perveniendum inservit, et communitates religiosas, salvo ordine publico, agnoscit et eas adiuvat ». *Ratio*: Potestas civilis est propter personas humanas. Ideo ad potestatis civilis officium pertinet, personis humanis inservire.

62

EXC.MUS P. D. ALOISIUS EDUARDUS HENRIQUEZ JIMENEZ

Episcopus tit. Lamdiensis, aux. Caracensis

Novus textus, in genere, mihi valde placet et existimo puncta fundamentalia doctrinae catholicae in ipso tecta manere; tamen ad aliquas obscuritates et impraecisiones tollendas, haec mihi observanda videntur.

I. Ad n. 3, linn. 11 ss.. « Dictamina vero huius legis divinae homo *semper* percipit et agnoscit mediante conscientia sua... ».

Propono verbulum « semper » tollendum, aut textum ipsum clarius redigendum esse. Nam textus ambiguitate laborat. Docere intendit hominem, ope conscientiae suae, legem divinam percipere et agnoscere *posse*; aut hominem legem divinam percipere et agnoscere quia conscientia sua illam ipsi patefacit. Sed textus ut iacet etiam intelligi potest: hominem *semper* percipere proindeque legem divinam semper agnoscere debere, nam conscientiam ipsimet legem divinam *semper* patefacere. Ideoque homines in re religiosa nunquam inculpabiliter errare possit.

II. Ad n. 3, pag. 8 et 9, linn. 38 et 1-3: « Potestas igitur civilis limites suos excedere dicenda est, si ea, quae ipsam ordinationem hominis ad Deum respiciunt sese immisceat ».

Ne quid nimis! Potestas publica in re religiosa et positive et negative sese immiscere potest. Positive, quatenus auctoritas publica qua talis cultum erga Deum tuendum et fovendum statuit. Negative, in quantum impedit cultum vel rem religiosam quoquomodo perturbat. Certe, *negative* oportet ne potestas civilis ne quomodocumque in re religiosa se immisceat. Attamen, et positive? Status, utpote societas civilis politice organizata, nullum erga Deum officium habet?

Certissime Status, quoad religionis *obiecta* immisceri non debet; nempe, controversias religiosas dirimere non valet, nec in ipsis iudicium suum civibus imponere, nec religionis et cultus determinatos actus imperare; sed, etiam incompetens est ad religionem, ut bonum necessarium ad civium felicitatem etiam temporalem diiudicandam, proindeque ut ad bonum commune necessariam; ideoque ut ipsam, in ordinatione iuridica, tueri et vindicare oportere diiudicet? Suae competentiae ambitus potestas civilis excedit, cum ad ordinem temporalem rite ordinandum, religionem ut ipsi ordini temporali necessariam vindicat atque defendit?

Ceteroquin in toto n. 3, munus potestatis publicae omnino negativum apparet: « ne impediat », « ne quis impediatur », « ne sese immisceat », etc. Quaeri potest: an doctrina catholica in hoc negativismo concludatur.

III. Sed ex alio enim capite auctoritati publicae nimium concedere videtur. Existimo tamen non in re; sed propter locutionum ambiguitatem sic facillime interpretari posse.

Nimia quasi insistentia textus de « debitis limitibus » libertatis religiosae loquitur; tamen cum de norma iuridica agit, illos debitos limites « in ordinis publici necessitatibus » reponere videtur. Proinde « exercitium religionis in societate legitime non potest prohiberi coercitiva interventione potestatis civilis nisi vel perturbet pacem publicam vel publicam violet moralitatem vel iura laedat aliorum » (n. 4, pag. 10, linn. 5 ss.).

Existimo non « in ordinis publici necessitatibus », sed in « *boni communis* necessitatibus » reponere oportere.

Ordo et pax publici multiplici interpretatione, praesertim in Statibus totalitariis vel sic dictis democratibus popularibus, obnoxii sunt. Ordo publicus est ordo coercitionis; pax vero publica, pax silentii et servitutis. Quis autem non videt in ipsis Statibus exercitium religionis ut ordinis et pacis publici laesivum et moralitatis publicae contrarium statuere posse? Verba etiam « intra debitos limites » vaga et multiplici interpretationi obnoxia videntur. Nam in permultis Statibus, etiam in sic dicto Occidenti Democratico, positivismo iuridico laborantibus, non nisi « ius obiectivum », nempe *a lege civili statutum,* agnoscitur; ideoque pro ipsis « debitos limites » non nisi a potestate civili statutos esse possunt et debent. Proinde verba relata pro re religiosa periculum suscitare nemo est qui non videt.

63

Exc.mus P. D. MAXIMUS HERMANIUK

Archiepiscopus Vinnipegensis Ukrainorum

Animadversiones quaedam circa schema declarationis *de libertate religiosa,* seu de iure personae et communitatum ad libertatem in re religiosa *in genere,* et de III parte istius schematis, circa nn. 12 et 13, *in specie.*

Schema declarationis *de libertate religiosa* mihi placet *iuxta modum.*

I. In genere. Schema hoc *placet mihi,* et maxime quidem:

1. Propter claram notionem libertatis religiosae de qua agitur in nostra declaratione, significando nempe omnino clare *ibi non agi*: *a*) de aliqua emancipatione hominis ab auctoritate Dei; *b*) neque de aequa aestimatione veri et falsi; *c*) neque de dispensatione hominis ab officio formandi sibi veram sententiam de rebus religiosis; *d*) neque de arbitraria determinatione utrum et in qua religione et quanam ratione homo Deo servire deberet; *e*) neque, finaliter, de aliqua infirmatione doctrinae catholicae de unica vera religione et de unica Christi Ecclesia; *sed unice agi ibi* de immunitate a coercitione sive hominum singulorum sive coetuum socialium et cuiusvis potestatis humanae, et ita quidem, ut in re religiosa neque aliquis cogatur ad agendum contra suam conscientiam, neque impediatur, quominus iuxta suam conscientiam et publice agat inter debitos limites. A. v., in textu reemendato schematis nostri omnino clare significatur ibi agi de declaratione Ecclesiae tantum circa istud ius civile ad libertatem in re religiosa, et non de aliqua alia libertate immoderata revera periculosa pro vera religione (linn. 1-28, pag. 6).

2. Schema hoc placet adhuc propter claram declarationem circa limites — ex norma morali et ex norma iuridica —, quibus gubernari debet exercitium istius iuris ad libertatem in re religiosa, ad vitandos abusus qui oriri possint ex indebito usu istius libertatis (linn. 15-36, pag. 9, et linn. 1-13, pag. 10).

3. Finaliter schema hoc placet et eo, quod omnino clare demonstrat ius ad libertatem religiosam, tam personarum individualium, quam coetuum religiosorum, fundari in dignitate personae humanae et radicari in historia salutis, in modo agendi Christi et apostolorum (nn. 8, 9, 10, 11, pag. 13-16).

II. In specie. Attamen schema hoc laborat uno magno defectu, propter quod *non placet* et *emendari debet.*

Defectus magnus huius schematis invenitur in *tractatione incompleta relationis* inter libertatem Ecclesiae, ex una parte, et principium libertatis religiosae, sub forma iuris civilis ad libertatem in re religiosa, ex altera parte.

Schema nostrum tangit istam quaestionem prima vice, quando loquitur de iure et fundamento libertatis Ecclesiae in n. 12, pag. 16-17, sed sub aspectu *concordiae* tantum inter duas illas libertates, libertatem nempe Eccle-

siae et principium libertatis religiosae in sensu supra definito in genere (linn. 14-24, pag. 17).

Secunda vice sermo fit in nostro schemate de hac re in n. 13, pag. 17-18, ubi tangitur solus aspectus non-oppositionis inter duplicem illam libertatem (linn. 25-31, pag. 18).

Sed ex toto schemate omnino clare apparet principium libertatis religiosae, sub forma iuris civilis ad libertatem in re religiosa, non solum non opponi libertati Ecclesiae, sed econtra, in societate hodierna, ubi Ecclesia Christi invenitur in minoritate, ubi populi, nationes et variae religiones in dies magis permiscuntur, ius istud saepissime esse — *conditionem sine qua non* — pro libero exercitio ipsius libertatis Ecclesiae, tam in munere suo inter christianos quam in actione sua missionali inter non-christianos.

Quamobrem aspectus iste frequentissimae dependentiae libertatis Ecclesiae in societate hodierna a iure civili nationum in re religiosa deberet modo clarissimo exprimi in schemate nostro, ubi agitur de relatione inter duplicem illam libertatem. Talis clara expressio istius magnae veritatis in vita sociali familiae humanae huius temporis possit non tantum efficaciter removere omne dubium a mente eorum qui adhuc haesitant de rectitudine et necessitate praesentis declarationis, sed simul praestare optimum fundamentum pro exhortatione Ecclesiae ad suos fideles semper magni facere ius civile ad libertatem in re religiosa et ubique, ubi necessarium esset, ius hoc in societatem introducere, debita tutela iuridica munire et fideliter in vitam practicam deducere.

III. Quapropter, post lin. 31, pag. 18 textus reemendati, proponere auderem insertionem alicuius novae paragraphi plùs minusve huius tenoris: ex bene considerata structura sociali communitatis humanae huius temporis, in qua homines postulant posse libere religionem suam privatim et publice profiteri, clare apparet ius civile ad libertatem in re religiosa, fundatum in dignitate personae humanae, radicatum in historia salutis, frequentissime constituere hodie veram *conditionem sine qua non* pro ipsa libertate Ecclesiae, tam in exercitio muneris eius inter christianos, quam in actione eius missionali inter non-christianos. Unde ius civile ad libertatem in re religiosa fit quodammodo *fundamentum practicum in societate hodierna pro libero exercitio muneris Ecclesiae inter christianos et actionis eius missionalis* inter illos qui Christum non agnoscunt.

Talis additio perficeret, nostra humili opinione, schema *de libertate religiosa,* praeparatum cum tanta diligentia et tanta cura a nostro Secretariatu ad Unitatem Christianorum fovendam. Hoc schema, tam diligenter praeparatum, et per varias emendationes, a Patribus propositas, adhuc perfectum, toto corde et anima proponimus venerabilibus Patribus huius Sacrosanctae Synodus per unanimum suffragium sollemniter approbare.

Ad n. 9. Pag. 13, linn. 15-27. Textus hoc fere modo retractetur: Deus enim initio ad imaginem suam constituit hominem ab eoque requisivit ut Creatoris sui voluntati se libere subiciat. Huius submissionis praeclarum

exemplum praebuit Abraham, qui credidit Deo et promissiones adeptus est. Ex eo igitur Deus populum suscitavit, ut libere sancta societate ei haereat: quem a servitute redemit et cum quo, oboedientiam ei spondente, foedus in deserto inivit, illum deinde per Prophetas paulatim edocuit unumquemque personali devotione ad Deum esse convertendum, novum foedus promittens, quo legem suam in cordibus inscriberet (cf. *Ier.* 31, 31-33; *Ez.* 36, 26-27). *Rationes*:

1. Loco « eumque in manu consilii sui reliquit », ponitur « ab eoque requisivit... » ut sensus clarior evadat, ut affirmatio narrationi de hominis creatione melius respondeat, et ut vitetur idea quod Deus hominem a Se creatum « reliquit ».

2. Exemplum *Abraham* additur, quod iure ab aliquibus Patribus postulatur. Et simul nexus inter Abraham et populum indicatur.

3. Foedus sinaiticus non tantum populi sponsionem supponit, sed prius *liberationem a Deo* factam: de hac liberatione expresse loquendum est.

4. Idem foedus dicitur « in deserto » potius quam « sanctum », ut repetitio eiusdem vocabuli vitetur: « sancta » societate.

5. De munere Prophetarum in eadem phrasi agitur (cum *deinde*), quia intentio « ut libere sancta societate ei haereat » ex solo foedere sinaitico sufficienter non iustificatur.

6. Scribitur « in cordibus » potius quam « in corde et mente », ut ratio de textibus citatis habeatur.

Pag. 13, lin. 28, ad pag. 14, lin. 6. Textus hoc fere modo retractetur: At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, ut qui in Eum crediderint a peccato ac lege liberentur et adoptionem filiorum reciperent (cf. *Gal.* 4, 4-5). Itaque in cordibus eorum Ipse caritatem suam diffudit per Spiritum Sanctum, quem dedit eis (cf. *Rom.* 5, 5), ut quicumque Eo impellente aguntur iam non sunt servi, sed filii Dei (cf. *Rom.* 8, 14; *Gal.* 4, 7), in libertatem vocati (cf. *Gal.* 5, 13), adducendi tandem ad « libertatem gloriae filiorum Dei » (*Rom.* 8, 21). *Rationes*:

1. Loco « ergo » ponitur « At » (sicut in *Gal.* 4, 4), quia nexus consequentiae non bene apparet.

2. Textus a quo desumuntur verba quibus schema utitur citari debet: *Gal.* 4, 4. Immo, quia de textu maximi momenti pro argumento agitur, sensus huius passus fusius indicatur.

3. In secunda phrasi nexus primum indicatur: *Itaque*. Deinde ad sensum attenditur textuum qui inepte a schemate invocantur. « Caritas Dei » de qua *Rom.* 5, 5 loquitur est caritas qua Deus diligit nos: non agitur de christiana caritatis virtute. Filiatio divina nostra non pendet a virtute caritatis quam ostendimus, sed a Spiritus Sancti dono, quo fideles aguntur. Haec filiatio est realis; non sufficit dicere « sicut filii Dei agunt ». Cum *Rom.* 8, 14 citare oportet *Gal.* 4, 7.

4. « adducendi » aptior videtur ac « perventuri ».

5. Omittitur recursus ad *Mc.* 12, 17 (« Reddite quae sunt Caesaris... »), qui invocatur secundum interpretationem ab exegetis recentioribus reprobatam. Dominus scil. campos diversos distinguere non intendit. Affirmat obligationem tributum reddendi non esse contra obligationes religiosas, et simul affirmat praevalentiam obligationum religiosarum. Respectus quo de hac re agitur in Evangelio alius est quam respectus quo Paulus loquitur in *Rom.*: res diversas commisceri non oportet.

6. Ultima phrasis « Hanc viam... » melius in n. 10 reponatur.

Pag. 14, linn. 7-17. Textus hoc fere modo retractetur: Illam proinde libertatem sanguine Christi acquisitam et Spiritus Sancti dono acceptam Ecclesia suscepit custodiendam et promovendam. Fideles, quos lex Spiritus vitae in Christo Iesu liberavit (cf. *Rom.* 8, 2), ad maiorem in dies libertatem spiritualem fruendam instituit, et in eis genuinum oboedientiae sensum excolet. Potestatum adversarum oppressioni resistit, suique ministerii sacri libertatem propugnat. Tandem, etsi in certis temporum adiunctis non defuerunt usus spiritui evangelico minus conformes, Ecclesia tamen semper inconcussam professa est doctrinam, neminem esse ad fidem cogendum. *Rationes*:

1. Loco « Quae omnia... », res de qua agitur explicite memoratur, ita ut pretium libertatis christianae clarius appareat.

2. Textus schematis nimis « triumphalismum » sapit. Potius quam Ecclesia gloriose de se loquatur in praeterito, melius videtur affirmare munus quod ipsa suscepit.

3. « Promovere », potius quam « tradere », quod est ambiguum: quonam sensu Ecclesia libertatem « tradidit »?

4. In secunda phrasi additur allusio ad *Rom.* 8, 2, quae in hoc contextu valde opportuna apparet.

5. In praesenti ponantur verba potius quam in praeterito, ad vitandam omnem speciem triumphalismi.

6. Loco « potestatum saecularium », dicatur modo generaliori « potestatum adversarum ». Potestates saeculares non sunt ipso facto contra Ecclesiam.

7. Loco « etsi inter populum Dei in terris peregrinantem non defuerunt qui alias vias ... inierint », potius alludatur ad « usus », qui aliquam explicationem inveniunt in « certis temporum adiunctis ». Ita affirmatio esset magis vera et sincera.

8. Finis ultimae phraseos reformata est ratione stylistica.

Pag. 14, linn. 18-23. Textus hoc fere modo retractetur: Evangelicum fermentum in mentibus quoque hominum diu est operatum atque multum contulit ad hoc, ut homines temporum decursu latius agnoscerent dignitatem personae suae, quae in re religiosa immunis servanda est in civitate a quacumque humana coercitione. *Rationes*:

1. Mentio dignitatis personae humanae non videtur omittenda in hac conclusione.

2. Modus dicendi minus abstractus adhibeatur.

Ad n. 10. Pag. 14, lin. 25, ad pag. 15, lin. 15. Textus hoc fere modo retractetur: Deus Ipse quidem sua sola benignitate et misericordia homines ad inserviendum sibi vitamque suam participandam vocat; homines vero huic divinae vocationi respondere nequeunt nisi modo plene humano, Deum diligentes ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex totis viribus suis. Hoc autem summe apparet in Christo Iesu, in quo Deus seipsum ac vias suas perfecte manifestavit. Etenim in ministerio suo peragendo Christus, qui Magister et Dominus est noster (cf. *Io.* 13, 13) idemque mitis et humilis corde (cf. *Mt.* 11, 29), discipulos patienter allexit et invitavit, prodigia vero quibus homines quasi violenter sibi subiceret semper renuit, sese praebens ut perfectum Servum Dei (cf. *Is.* 42, 1-4), qui « harundinem quassatam non confringit et linum fumigans non extinguit » (*Mt.* 12, 20). In opere autem redemptionis cruce complendo, quo salutem et veram libertatem hominibus acquireret, eandem revelationem perfecit. Testimonium enim perhibuit veritati (cf. *Io.* 18, 37), sed veritatis iura contradicentibus et opponentibus vi imponere noluit: « qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur » (*1 Pt.* 2, 23). Seipsum autem tradebat ad mortem, qua simul auctor factus est et libertatis et salutis nostrae (cf. *Sacramentarium Augustodunense*). Hanc etiam viam secuti sunt innumeri martyres et fideles per saecula et per orbem. Regnum enim Christi non percutiendo vindicatur, sed stabilitur testificando et audiendo veritatem, atque crescit amore, qui in mysterio crucis manifestatur et completur. - *Rationes*:

1. Vocatio divina clarius refertur ad amorem misericordem Dei et plenius determinatur. Additur responsum quod Deus ab hominibus exspectat: responsum scil. amoris, qui necessarie debet esse liberum.

2. Textus schematis unice insistit in exemplum quod Christus, tamquam « perfectus humanus exemplar », nobis dedit in ministerio publico. Et simpliciter tacetur mysterium redemptionis per crucem. Propositio nostra brevius exponit ea quae ministerium publicum, et addit expositio de cruce. Haec secunda pars expositionis omnino necessaria apparet.

3. Deinde additur phrasis ex n. 9, pag. 14, linn. 4-6 (« Hanc viam ... per orbem »), quae hic meliorem locum invenit.

4. In fine verba cum contextu aptantur.

5. Pro lin. 9 « Servum Yahweh » mutatur in « Servum Dei », ut servetur modus dicendi traditionalis in Ecclesia.

Pag. 15, lin. 16-36. Textus hoc fere modo retractetur: Christi revelatione et exemplo edocti virtuteque Spiritus Sancti roborati, apostoli eandem viam secuti sunt. Ab ipso enim Ecclesiae exordio discipuli Christi allaborarunt ut homines ad Christum Dominum confitendum converterent, non actione coercitiva neque artificiis Evangelio indignis, sed in primis virtute verbi Dei (cf. *1 Cor.* 2, 3-5; *1 Thess.* 2, 3-5). Sicuti Christus, Apostoli intenti semper fuerunt ad testimonium reddendum veritati Dei, abundantius audentes coram populo et principibus « sine timore verbum Dei loqui » (*Phil.* 1, 14; cf. *1 Thess.* 2, 2; *Act.* 4, 13-20). Firma fiducia tenebant ipsum evangelium

revera esse virtutem Dei in salutem omni credenti (cf. *Rom.* 1, 16). Omnibus ergo spretis « armis carnalibus » (cf. *2 Cor.* 10, 4), exemplum mansuetudinis et modestiae Christi sequentes, verbum Dei praedicaverunt plene confisi divina huius verbi virtute ad homines in fidem et obsequium Christi reducendos (cf. *2 Cor.* 10, 3-5). - *Rationes*:

1. In initio, textus ampliatur, ut ratio habeatur doctrinae in paragrapho praecedenti expositae. Mentio etiam de Spiritu Sancto facienda videtur.

2. Ad lin. 26 additur referentia ad *1 Thess.* 2, 2, qui idem dicit cum vocabulo « parrhèsia ».

3. In fine omittitur « ad potestates Deo adversas destruendas », quod nimis facile detorqueretur in sensu politico. Dicitur « *in* fidem » (cf. *2 Cor.*) potius quam « *ad* fidem » ut vitetur repetitio vocis « ad » sensu diverso.

Pag. 16, linn. 1-4. Proponitur parva additio: Ecclesia igitur, evangelicae veritati fidelis, viam Christi et Apostolorum sequitur quando rationem libertatis religiosae ut *Dei vocationi et* hominis dignitati consonam agnoscit eamque fovet. *Ratio*: Conclusionem oportet conformem esse doctrinae expositae: principium articuli 10 praecise insistit in vocationem Dei: « Deus ipse quidem ... vocat ».

64

Exc.mus P. D. IOANNES HERVÁS Y BENET

Episcopus tit. Doritanus, prael. Cluniensis

Certe omnes Patres conciliares declarationem *de libertate religiosa* maxime exoptamus, quae, intacta servans principia immutabilia doctrinae a Christo traditae et a Magisterio Ecclesiae expositae, perfecta sit, accurata et nostris temporibus adaptata, ita ut praesentibus historiae circumstantiis feliciter respondeat.

His rationibus, et non aliis, debetur longum maturationis spatium et legitima huius schematis dilatio usque ad hanc IV Sessionem.

Utens iure ac libertate dialogi, quem haec Sancta Synodus Patribus agnoscit ac tribuit, liceat mihi aliqua postulare.

Si Concilium loqui debet « in verbis scientiae iuris » et non « in verbis philosophiae iuris », id est, si agitur de « materia determinata et valde limitata », ut bene notavit clarissimus Relator; de notione in vita sociali et in legislatione huius aetatis « stricte definita, vel ut dicitur, technica »; de statuto iuridico — obiectum exigentiae universalis — « iuxta quod homini competit ius ad immunitatem a coactione in re religiosa », clare constet quod Ecclesia, diligenter attendens ad animorum appetitiones, sibi proponit discernere *quantum* sint istae appetitiones *in ordinatione et iudicio politico civitatum* considerandae; et hoc iam in ipso titulo declarationis dicatur, et aperte affirmetur, inde ab initio declarationis, salvam integramque manere doctrinam de libertate, quam constanter Ecclesia docuit, etiam nunc, quando

de eadem libertate, sub hoc respectu scientiae iuris et politicae, argumentum consideratur.

Haec quidem *quaestio est maxime pastoralis*: ut homines schema legentes, non dent valorem verbis quem schema certe vitare voluit. Sic effugi poterit confusio et sapor subiectivismi, quo haec doctrina videretur contraria principiis obiectivis qua talibus, et quatenus fundamenta sunt pro civitate recte constituenda (ius constitutionale).

Non timeamus evolutionem et progressum doctrinae catholicae de libertate, dummodo haec evolutio *vere homogenea* sit, et Patres conciliares conscii ac certi esse possint doctrinam a se authentice docendam, nullo modo adversari doctrinae ab Ecclesia traditae, et ita valeant suffragium tuta conscientia ferre. Iam suo tempore Sanctus Vincentius Lirinensis dicebat: « Sed forsan dicit aliquis: Nullusne ergo in Ecclesia Christi profectus habebitur religionis? Habeatur plane, et maximus... Sed ita tamen, ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio » (*Commonitorium,* 434; *Enchir. Patrist.* 2174).

A commissione redactrice etiam postulo ut iterum revisioni mandet declarationis paragraphum, quae agit *de competentia potestatis civilis* in materia religiosa, ita ut non videatur proponi « Status laicus » tamquam exemplar et optatum archetypum societatis humanae (quod vel ipsis iuris naturalis principiis et traditionali Ecclesiae doctrinae adversatur); neque extolli et laudari videatur *separatio Ecclesiae a Statu* quasi principium generale et optanda solutio pro civitate et pro Ecclesia (quam opinionem Ecclesia numquam docuit); neque potestas publica ita describatur tamquam instrumentum societatis cui solummodo competit *ordinem publicum* servare. Silentio praeteriri non potest notio aptissima *boni communis* ab Ecclesia constanter adhibita et explicata. Ad quaestionem boni communis quod attinet, notandum est textum usurpare ambiguum loquendi modum; et, ex alia parte, oblivioni mandare non posse ipsum Ioannem XXIII in Encyclica *Pacem in terris,* caput speciale bono communi explanando dedicasse, quando de iuribus et officiis (aut limitationibus) potestatis publicae agit, relate ad iura hominis et iura diversarum communitatum in societate civili.

Item proponere audeo suppressionem totius par. 10 schematis, in quo adducitur « *Modus agendi Christi et apostolorum* », propter rationes a Patribus iam allatas. Dignitas Sacrae Scripturae, a Deo inspiratae, postulat ut non temere sacer textus adhibeatur!

Quoad ius propagandae, quod vocant, in ordine religioso, existimo non esse adhuc inventam formulam exactam et felicem, quae iura propria exprimat tum agentis tum patientis seu accipientis talem propagandam (sive agatur de individuis sive de communitatibus). Nam quando agitur de eo qui passive talem influxum recipit, non solus ordo publicus, sed etiam *iustitia commutativa* consideranda est uti norma debita (individuis et communitatibus), iuxta postulata veritatis et boni communis.

De his et aliis concretis animadversionibus varias emendationes in scriptis

transmitto, et novas dicendi formulas, cum animo sincero collaborandi ad schema perficiendum, humiliter propono.

Ad pag. 5 et 6, linn. 15-19; 1-28.

I. In hac parte schematis, quae incipit verbis: « Itaque haec Vaticana Synodus declarat... », et finit pag. 6 his verbis: « ... de unica vera religione et de unica Christi Ecclesia... », continetur declaratio proprie dicta de libertate religiosa. Haec declaratio diversas quaestiones fundamentales complecti debet:

a) In primis claris verbis definire oportet in quo consistat libertas religiosa sub respectu de quo in schemate agitur, i. e., quid significare vult haec declaratio de libertate religiosa ut e limine reiiciatur omnis notio libertatis vel aspectus huius quaestionis, de quibus praesens declaratio non loquitur, eo quod in ambitu tantum pastorali et practico versatur.

b) Libertatis religiosae aperta et solemnis declaratio et defensio affirmatur.

c) Haec libertas religiosa proponitur tamquam ius civiliter exigendum.

d) Clare exponitur libertatem, de qua in declaratione agimus, nullo modo falsam vel periculosam esse, cum salva semper atque immutata maneat doctrina catholica de unica vera religione et de unica Ecclesia Christi.

II. Ordo logicus ad haec omnia exponenda, meo quidem iudicio, ita instaurari deberet:

a) Definitio libertatis religiosae et explicatio sensus vel respectus sub quo in schemate consideratur.

b) Dignitas humanae personae, uti docet Revelatio divina et humana ratio postulat, hanc libertatem religiosam exigit.

c) Haec libertatis notio doctrinam catholicam salvam integramque servat.

d) Haec libertas ubique terrarum tamquam ius civicum est consideranda; quod quidem ius in iuridica societatis ordinatione agnosci debet, tum ab individuis tum a communitatibus legitime vindicandum.

III. Hanc novam totius paragraphi redactionem propono: « Haec Sancta Synodus declarat libertatem religiosam, sub respectu quo nunc consideratur, in eo consistit quod omnes debent immunes esse ab iniusta coercitione sive omnium singulorum sive coetuum socialium et cuiusvis potestatis humanae, ita ut in rebus religiosis neque aliquis cogatur ad agendum contra suam conscientiam, neque impediatur quoniam extra suam conscientiam privatim et publice agat intra debitos limites.

Haec libertas religiosa est revera ius fundatum in ipsa dignitate personae humanae, qualis et ratione et revelatione cognoscitur.

Ex hac libertatis religiosae affirmatione non sequitur hominem nulla obligatione in re religiosa teneri et ... (sicut in textu legitur).

Insuper huiusmodi libertas in iuridica societatis ordinatione ita est agnoscenda, ut ius civile evadat, quod omnes homines omnesque communitates

religiosae legitime sibi vindicare possunt. Cura autem huius iuris tum ad cives tum ad potestates publicas pertinet, modo unicuique proprio ».

Conclusio. Ita hac nova redactione multae difficultates et obscuritates vitabuntur in interpretanda doctrina de libertate religiosa. Maximi interest ut haec pars fundamentalis schematis perspicua claritate exaretur, et perfecto ordine logico munita appareat. Praeterea omnino servatur mens et intentio redactorum schematis.

Ad pag. 9, lin. 16. Textus reemendatus dicit: « Ius ad libertatem religiosam exercetur in societate humana... ». « Etenim in iuribus suis exercendis singuli homines... ». Proponitur haec levis emendatio: « Libertas religiosa exercetur in societate humana... ». « Etenim in exercitio libertatis religiosae singuli homines... ».

Rationes: Contextus agit de limitibus libertatis religiosae ac de eius norma morali.

Unde textus, post hanc emendationem, clarius videbitur agere de his limitibus libertatis et non de iure ad libertatem.

Ad par. 9, linn. 32-35. Textus reemendatus dicit: « ... sed secundum normas iuridicas quas necessitates ordinis publici postulant. Illud autem societatis bonum, quod est ordo publicus requirit... ». « ... Legitimis exigentiis ordinis publici... ». Textum sic emendandum credo: « ... sed secundum normas iuridicas quas iura aliorum et necessitates ordinis publici, iuxta bonum commune societatis, postulant... ». « ... Legitimis exigentiis ordinis publici, iuxta bonum commune societatis, non violatis ». *Rationes*:

a) « Iura aliorum » dico, ut clarius constent limites, et non solum exprimatur iustitia publica seu legalis-distributiva, sed etiam iustitia commutativa.

b) Potest admitti conceptus ordinis publici, sed tamquam pars boni communis, prout dicebatur in priori redactione textus quae simul cum textu reemendato exhibetur.

c) Secretariatus pro Unione nimis a Concilio exigere videtur dum textum schematis proponit in quo « ordo publicus » pro « bono communi » statuitur, contra traditionalem praxim et doctrinam Ecclesiae, contra innumera Romanorum Pontificum documenta in quibus « bonum commune » quasi limitem libertatis civium determinant, sub cura et tutela auctoritatis publicae.

d) « Ordo publicus » est conceptus satis vagus et incertus, qui iuxta communem dicendi usum, ordinem mere materialem significat. Si potestas et competentia Status ad hoc reducitur, in Liberalismum incidimus statalem (état-gendarme). Rationes quae in textu et in notis allegantur, omnino impares sunt ad hanc speciem et legitimam accusationem tollendam.

e) Notio « boni communis », constanter a Magisterio pontificio adhibita, luculenter ab auctoribus explanata et definita est, ita ut facile omnes quid significet et quousque extendatur scire possint.

f) E contrario, notio « ordinis publici » prima vice usurpata et in-

venta fuit, tempore Revolutionis Gallicae, in Declaratione Humanorum Iurium (1769); illa quidem Declaratio, ut omnibus patet, quae nullo modo hominum iura protexit, sed potius violare permisit et effusiones humani sanguinis abundantissimas produxit. Praeterea ordinis publici interpretationes ita arbitrariae et personales factae sunt, ut haec notio inutilis evaderet ad societatis tutelam. Declaratio Conventionis revolutionariae gallicae, anno 1789 habita affirmat: « Nemo ob proprias opiniones etiam religiosas molestiam patiatur, dummodo harum opinionum manifestatio *ordinem publicum* lege sancitum non laedat » (Art. 10). Sed quid proderit haec cautio ad pacem et libertatem civicam tuendam, historia testatur.

g) Tandem, si Secretariatus pro Unione vestigiis Ioannis XXIII inhaerere desiderat, prout non semel professus est, sequatur revera exemplum huius Pontificis, qui in Enc. *Pacem in terris* optimam explanationem boni communis habet illudque proponit tamquam normam in exercitio auctoritatis pro magistratibus et in exercitio libertatis pro civibus.

Ad pag. 10, linn. 19-21. Haec paragraphus agit de *potestate publica vel civili* quatenus per leges iustas efficaciter religiosam civium libertatem tueri debet. *Dicit enim textus*: « Eidem providendum est ne civium aequalitas iuridica umquam laedatur propter rationes religiosas.

Animadversiones. Nonne congruentius alia verba adhiberi possent, quibus, dum veritas integre affirmatur idemque dicitur quod in textu supra allato, omnis significatio vitiosa, omnisque confusio vitaretur et via praecluderetur privatis quorumdam opinionibus vel futuris inter catholicos disputationibus?

Idem, sed tutius, diceretur hac nova redactione textus: « Eidem providendum est ne civium legitima iura umquam laedantur propter solas rationes religiosas ».

Ad pag. 11, linn. 13-15. Textus sic se habet: « Hoc vero libertatis religiosae regimen non impedit quominus, attentis populorum circumstantiis historicis... ».

Textum sic emendandum credo: « Hoc vero libertatis religiosae regimen recte componitur cum eo quod, attentis populorum circumstantiis historicis... ». *Ratio*: ne exprimatur modo negativo et quasi tolerante doctrina quam positive Romani Pontifices et saecularis praxis Ecclesiae semper tenuerunt.

Ad pag. 12, linn. 4-7. Textus schematis reemendatus sic se habet: « Communitates religiosae ius etiam habent ne impediantur in sua fide ore et scripto publice docenda atque praestanda, legitimis exigentiis ordinis publici non violatis ».

Textus ita emendari deberet ut non solum *ordo publicus,* sed etiam *iustitia* prae oculis habeatur. Qualiter emendatio fieri debeat dicemus in fine. *Rationes*: schema vult ut omnes homines libertate utantur sua iuxta conscientiam propriam, *absque valoratione obiectiva extrapersonali.* Sed cum non introducat distinctionem inter actiones personales, communitarias et sociales, conclusio schematis venit ad ultimam applicationem valorativam pro vita so-

ciali, scilicet, ad libertatem propagandae pro omnibus communitatibus et personis.

Hinc deducitur criterium valorativum pro Statu et societate, cum societatis ordinatio et Status non possint non protegere libertatem propagandae omnium communitatum religiosarum absque distinctione, salvis exigentiis ordinis publici.

Iam vero haec omnia, si sub aspectu valorativo considerantur, contradicunt Magisterio ordinario Romanorum Pontificum; si vero considerantur in planu scientiae iuris, sunt insufficientia.

Etenim scientia iuris bene distinguit inter actiones quae ponuntur a persona vel a communitate *in proprium interesse* (actiones personales vel communitariae pro vita propria fovenda vel pergenda), et *actiones sociales,* quae ponuntur *in interesse aliorum* (in casu, pro religione propria diffundenda vel propaganda in alios).

Actiones personales vel communitariae « ad intra » ad personam ipsam vel communitatem agentem proprie tantum intersunt, societatem vero non directe sed consequenter afficiunt. Societas eiusque ordinatio iuridica non debet has actiones attingere, nisi in et ex consequentiis, scilicet, ratione ordinis publici. Unde unaquaeque persona et omnis communitas libertate gaudet ad actiones huius generis (pro propria vita degenda et fovenda), intra limites ordinis publici, *iuxta postulata boni communis,* ut libere agat iuxta conscientiam absque ulla coactione. Hoc principium semper valet, ubique et semper a Magisterio Ecclesiae sustentatum.

Actiones autem erga alios vel ad extra (e. g. « propaganda ») directe attingunt alias personas vel communitates, indeque directe respiciunt non tantum agentem sed etiam patientem. Consequenter, servanda sunt omnia iura patientis.

Omnis enim persona libera esse debet non solum in propria decisione religiosa sumenda (« nemo invitus ad amplexandam fidem cogatur »), sed etiam libera ut in propria fide manere possit (« nemo invitus ad audiendam fidem cogatur, nisi agatur de hominibus in statu infrahumano pro veritate audienda »).

Ius ergo ad liberam propagandam non existit simpliciter, a persona in personam, a communitate in communitatem vel in societatem, nisi in quantum haec persona, communitas vel societas libere permittat talem propagandam, scilicet, nisi in quantum propriam voluntatem sese aperiendi alienae praedicationi, vel expresse vel saltem praesumpte, manifestent. Libertas propagandae non existit in patientem invitum.

Ius ergo ad libertatem religiosam est ius (ad propagandam quod attinet) *ne ab aliis in sua pace religiosa invitus quis perturbetur.*

Idem dicendum est de communitatibus religiosis, quae uti possunt hoc iure manendi pacifice in propria religione, non solum personaliter sed etiam socialiter, seu quatenus communitatem efformant. Unde ordinatio iuridica societatis tueri debet hoc ius pacis.

Immo ipsa membra societatis, cum sint cives, possunt leges ferre, vel saltem postulare, ad tutelam propriae pacis, ita ut pro ipsis prohibeatur illa propaganda religiosa quam invite ferunt. Usus talis iuris honestus et moralis erit dummodo fiat secundum principia iam a Pio XII in Allocutione ad Iurisconsultos Italianos (6-XII-1953) exposita. Hoc ius exercentes nemini iniuriam faciunt, cum nemo habeat ius « propagandam » invitis faciendi.

Non datur ergo ius ad propagandam in persona vel communitate religiosa ex eo simpliciter quod sit persona humana vel communitas, ut docet schema, quia propaganda est relatio socialis essentialiter, et requirit ut attendatur non solum ad agentem sed etiam ad patientem.

Non tantum ordo publicus sed et iustitia commutativa exigit consensum amborum, saltem praesumptum vel implicitum.

Schema autem de iis omnibus silet, licet aliquid insinuare videtur quando dicit in n. 4: « rationem habere iurium aliorum... »; item n. 4, *b*): « nisi laedat iura aliorum... ». Attamen agit tum de norma morali vel exprimit tantum rationes de ordine publico; quod valde insufficiens est.

Si concedatur talis libertas propagandae omnibus communitatibus aliis de causis, e. g., propter maiora bona vel minora mala, propter pluralismum religiosum universalem (non alicuius concretae civitatis), propter bonum universale Ecclesiae, etc., attinguntur rationes extrinsecae relate ad ius. Hae rationes non agunt ut libertas propagandae sit ius simpliciter ex consideratione agentis. Concedere vel non talem libertatem pendet a iudicio prudentiae politicae, ut Pius XII clare exposuit in supradicta allocutione (6-XII-1953), sub norma morali.

Conclusio. Propter allatas rationes textum schematis sic emendandum proponimus: « Fides sua ore et scripto publice docenda atque testanda, populo non renuente et legitimis exigentiis ordinis publici iuxta bonum commune non violatis ».

Ad pag. 14, linn. 24 ss.; totam pag. 15; pag. 16, linn. 1-4. Votum respicit totum n. 10 textus reemendati, ubi legitur « Modus agendi Christi et apostolorum ».

a) Haec pars schematis admiratione et ingrata oppressione lectorem afficit, ob novas et particulares Sacrae Scripturae interpretationes, quibus explicatur modus agendi Christi et apostolorum.

b) Sacrae Scripturae periti, quos de re audivi, affirmarunt has citationes biblicas earumque interpretationes nullo modo esse proprias et dignas schematis conciliaris, ex his rationibus: 1. Interpretationes textuum biblicorum, quae exhibentur controvertibiles saltem sunt, et a sensu contextus alienae, unde vi probatoria carere dici possunt; 2. Textibus biblicis citatis, alii textus opponi possunt qui contraria probent; 3. Si doctrina de libertate in declaratione proposita auctoritate Sacrae Scripturae probari debet, ex una parte, longa opus erit cura et studio ad eligendos textus biblicos qui vere rem probare possint; ex alia vero parte, tota doctrina politica et iuridica in sche-

mate exposita in alio plano et sub alia luce ponitur, a praecedenti contextu aliena, si eam Revelatione probare contendimus.

Quibus de causis, ex toto corde postulo ut hic n. 10 omnino supprimatur.

Ad summum, admitti potest textus pag. 16, linn. 1-4, ubi dicitur: « Ecclesia, evangelicae veritati fidelis, viam Christi et apostolorum sequitur quando rationem libertatis religiosae hominis dignitati consonam agnoscit eamque fovet ».

Haec verba revera sufficiunt et longas disputationes vitare poterunt atque inutiles de recto et vero sensu textuum biblicorum.

Ad pag. 14, linn. 40-41; et ad pag. 15, linn. 1-4. Textus reemendatus dicit: « At vero ea prodigia semper renuit patrare, quae violentia quadam assensum fidei ab hominibus non bene dispositis extorquere viderentur. Auditores quidem eiusmodi signa petebant, quae tamen recusavit Iesus ».

Critica huius textus. Dato, sed non concesso, quod miracula evidentiam praebeant veritatis credendae, talis evidentia nec violenta nec contra dignitatem personae esset.

Ex alia parte, aperte ipsa Relatio huius schematis agnoscit libertatem religiosam, de qua hic agitur, nec exegetice nec theologice probari posse. Unde citationes Sacrae Scripturae quae adducuntur omni fundamento carent. Insuper ratio allegandi textus biblicos omnino impropria est Concilii Oecumenici. Etenim illa tantum loca Sacrae Scripturae citantur, quae apparenter favere videntur praeconceptis ideis redactorum. Sed multa alia citari possent quae contrarium affirmant, e. g. *Mt.* 23, 37-38, ubi de reprobatione Ierusalem agitur, quia Dominus « voluit congregare filios suos et noluerunt ». Cf. etiam quae ad Corozain, Bethsaida, Cafarnaum referuntur in *Lc.* 10, 13-15. Ad apostolos quod attinet, inter alia citari posset agendi modus S. Pauli cum pseudopropheta Bariesu (Elyma), *Act.* 13, 6-12.

Conclusio. Textus biblicus citatus, et multo melius integer n. 10 schematis, ex similibus rationibus supprimi debet.

Ad pag. 16, linn. 34-35; ad pag. 17, linn. 1-2. Textus schematis dicit: « Ex catholica traditione libertas Ecclesiae est principium fundamentale in relationibus inter Ecclesiam et ordinem civilem vitae humanae ».

Notandum est: Libertas Ecclesiae non est proprie « principium fundamentale », sed potius *conditio sine qua non* harum relationum inter Ecclesiam et potestatem civilem. Unde emendatio textus proponitur: « Ex catholica traditione, libertas Ecclesiae ita est necessaria ut absque ea relationes inter Ecclesiam et ordinem civilem vitae humanae recte statui nequeant ».

Ad pag. 17, linn. 18-21. Textus schematis dicit: « Praeterea christifideles non minus quam ceteri homines, iure civili gaudent ne impediantur in vita sua iuxta conscientiam agenda ».

Nota. Agitur de complexa quaestione, unde caute verba seligenda sunt. Ex una parte, Ecclesia non potest sibi vindicare, tamquam principium, aequale ius pro se ac pro aliis communitatibus religiosis.

Ex altera parte, certissime existunt « situationes » in quibus Ecclesia

catholica convenire potest cum aliis communitatibus religiosis in exigenda vel admittenda aliqua ordinatione iuridica, iuxta quam sive Ecclesiae catholicae sive aliis communitatibus ea concedatur immunitas, quam bonum commune societatis postulat.

His de causis hanc emendationem proponimus: « Praeterea christifideles catholici, non minus quam ceteri religiosi homines, eam possunt sibi vindicare ordinationem iuridicam civilem in rebus religiosis, quae ipsis competat secundum bonum commune civitatis ».

Ad pag. 17, linn. 21-24: Textus schematis reemendatus dicit: « Concordia igitur viget inter libertatem Ecclesiae et libertatem illam religiosam, quae omnibus hominibus et communitatibus est *tamquam ius* agnoscenda ».

Nota. Rectius videtur et aptius ad consensum Patrum obtinendum, erit tollere verbum « ius », quod erroneis interpretationibus locum dare posset. Ut dicatur quod revera dicere intenditur, sufficit affirmare necessitatem agnoscendi libertatem religiosam, de qua sermo nunc est, in omni iusta ordinatione iuridica.

Hanc ergo emendationem propono: « Concordia igitur viget inter libertatem Ecclesiae et libertatem illam religiosam, quae omnibus hominibus et communitatibus est agnoscenda *in iusta ordinatione iuridica* societatis ».

Ad pag. 19, linn. 3-6. Textus reemendatus dicit: « Libertatem autem religiosam in plerisque constitutionibus iam ut ius civile declarari et instrumentis internationalibus agnosci ».

Critica textus: Haec assertio impropria est declarationis conciliaris, quia *a*) plures constitutiones nullam de religione mentionem faciunt, et de quadam opinionis libertate loquuntur valde aliena a christiano conceptu libertatis; *b*) si de facto nonnullae constitutiones politicae tale ius civicum scripto affirmant, non inde necessario sequitur quod in praxi observetur. Omnibus enim compertum est quorumdam Statuum constitutiones libertatem, quam theoretice agnoscunt, numquam in praxi permittere.

Emendatio ergo proponitur: *Haec assertio* tamquam inconveniens *supprimenda est.* Declarationes conciliares ex circumstantiis politicis concretis influxum vitare debent. Doctrina Concilii ita exarari debet ut in posterum, mutatis circumstantiis pariter vigeat.

65

Exc.mus P. D. IOSEPH HEUSCHEN

Episcopus tit. Druensis, aux. Leodiensis

1. Ad titulum seu potius *ad subtitulum* quod attinet: textus propositus loquitur « de iure... ad libertatem in re religiosa ». Proponitur ut potius dicatur: « De libertate religiosa seu de iure personae et communitatum ad religionem amplectendam et profitendam ». *Ratio*: 1. ius ad libertatem quodammodo est tautologia; 2. ius « ad libertatem » facilius ansam praebet falsis

interpretationibus; 3. ius ad religionem est tum ius ad rem, tum ius in re (amplecti et profiteri).

Si correctio proposita retinetur, textus receptus adhuc in aliis locis opportune emendari posset, et quidem:

1) Pag. 5, n. 2, linn. 15 s.: « Itaque... declarat ius ad amplectendam et profitendam religionem, quod sat communiter libertas religiosa nuncupatur, esse fundatum... ».

2) Pag. 9, n. 4, lin. 15: « ius ad libertatem » mutetur in « libertas religiosa ».

3) Pag. 11, n. 5, linn. 1 s.: « ius personae humanae ad religionem colendam ».

4) Pag. 11, n. 5, lin. 19: « ius religionem suam profitendi ».

2. Duabus quaestionibus difficilioribus in textu de facto solutio datur, quin fundamentum solutionis clare stabiliatur aut quin sufficienter indicetur quomodo ea quae ad solvendas has quaestiones in textu affirmantur cohaereant cum primatu conscientiae, qui tantopere sublineatur in argumento ex ratione desumpta, prout in parte II, sub n. 3 evolvitur. Loqui intendimus: 1) de iure quod competit parentibus educandi prolem in religione ab ipsis professa (et non secundum conscientiam adhuc insufficienter formatam liberorum ipsorum); 2) de iure fidelium opponendi, saltem in re disciplinari, propriam conscientiam quibusdam praescriptis quae eorum conscientiae obstarent (cf. v. g. olim: « servitium militare »).

Quae puncta fortasse primo breviter tangi possent in fine n. 4, qui tractat de limitibus libertatis religiosae, addendo in fine huius expositionis: « De quibusdam aliis limitibus libertatis religiosae, qui titulo particulari fideles catholicos respiciunt, v. g. in prole educanda vel in formanda conscientia authentice christiana, infra breviter sermo fiet ». Ad easdem dein quaestiones textus breviter redire posset sub nn. 7 et 13 et quidem sequentibus vel similibus modis (qui argumentum ex ratione desumptum corroborarent argumento theologico):

1) In initio n. 7 phrasis sequens inserenda proponitur: « Sicuti in omni societate etiam primitiva soboles tanquam membrum diversarum communitatum in vitam ingreditur (familia, stirps, tribus, populus), ita proles e parentibus sacramentaliter unitis orta, vocatione divina, ad Ecclesiae augmentum nascitur (est modus argumentandi patristicus) atque, per fidem et baptismum, de eius vita organica ordinata particeps fit ».

2) In n. 13, qui tractat de munere Ecclesiae, in lin. 12, post verba « atque confirmet », addi posset: « Ecclesiae membra fide atque baptismo ita ordini hierarchico inhaerent ut, expositis ipsi, in quantum necesse sit, propriae conscientiae argumentis, practicae eiusdem ordinis hierarchici ordinationi tuta conscientia obsequi possint ac debeant. Insuper... ».

[*Subscripserunt etiam*] J. V. Daem, ep. Antverpiensis; L. De Kesel, ep. aux. Gandavensis.

66

EXC.MUS P. D. CAROLUS M. HIMMER
Episcopus Tornacensis

1. Textus reemendatus clarior ac valde melior apparet. Multas difficultates eliminavit quin propterea doctrinae proclamandae substantia mutationem subiret.

2. Attamen duo breviter animadvertuntur.

a) Pluribus in locis (speciatim nn. 1 et 2), « coercitio », utpote personae humanae dignitati contraria, reprobatur. Haec autem reprobatio verbis valde generalibus formulatur.

Inde quaestio ponitur an hoc modo legitimitas coactionis a lege derivantis (vis obligatoria legis) et exercitii « potentiae coercitivae », tam ex parte societatis civilis quam ex parte Ecclesiae, sufficienter adhuc salvetur.

Hic in mente venit illud genus obligationis ab Ecclesia imperatae in materia fidei et morum. V. g., definitiones dogmaticae ab Ecclesia prolatae sunt veri nominis leges (secundum id quod semper usque nunc docetur) et per eas fideles vere *coguntur* ad assensum non tantum externum sed *internum*. Item censurae ecclesiasticae sunt et intendunt esse sanctiones quae moraliter cogunt.

Nonne optandum est redactores *attendere* huic quaestionis aspectui? Et hoc quidem ne schematis formulae impedimentum constituant quando alia puncta doctrinae Ecclesiae iustificanda erunt: sicut valor coactiva definitionum dogmaticarum et sanctionum canonicarum...

b) N. 3, pag. 8, linn. 35-36. Formula « eo consilio... ut » non facile intelligitur. Estne aequivoca? Quomodo intelligenda est: vel quod societas civilis *non aliam missionem habet* nisi hominibus expeditiorem reddere finis eorum ultimi prosecutionem? vel quod in prosecutione finis sui proprii, societas civilis *curam habere debet* faciliorem reddendi finis ultimi prosecutionem?

Secundum primum sensum, Status videtur Ecclesiae directe subordinari.

67

EXC.MUS P. D. DIONYSIUS EUGENIUS HURLEY
Archiepiscopus Durbanianus

Though the Schema on Religious Freedom received overwhelming support in the Council, it was obvious that not many were satisfied with it. It appears that most of those who voted for it did so not so much because they were convinced by the arguments of the Schema as because they had already accepted religious freedom for other reasons.

The Schema relies chiefly on a philosophical argument. Men must search for the truth in religion. The truth must be sought in human fashion, that is, by free inquiry. This human fashion involves communication and dialogue. Therefore man cannot be coerced in religion against his conscience.

The argument is good, except that it fails to take into account one aspect of the social dimension of religion. On purely philosophical grounds and abstracting from Christian Revelation and the Church, the social dimension of religion involves political authority. Just as political authority has a say in cultural and educational matters, it would, on purely philosophical grounds, have a say in religion—for instance, in its external and institutional manifestations. Consequently the following statement must be called in question—on natural and philosophical grounds: « Potestas igitur civilis limites suos excedere dicenda est, si in ea, quae ipsam ordinationem hominis ad Deum respiciunt, sese immisceat » (page 8, line 38 to page 9, line 3).

The fact that the philosophical argument cannot totally exclude the state from a say in the social control of religion leaves one with a sense of uneasiness. Once the state has a say in any matter it is difficult to limit its competence.

Again, the philosophical argument has a certain unreality about it. It is not the real reason why religious freedom is compatible with Catholic teaching. The real reason is to be found elsewhere. It appears that there are two important steps in the development of the Catholic doctrine of religious freedom:

1. Christian Revelation and the fact of the Church. Christian Revelation taught the distinction of the spiritual order from the temporal. The Church gave institutional expression to this in our historical experience.

2. The realisation that the State has no competence in religious matters. It has taken us a long time to accept this. Though the Church taught the distinction between the two orders, from the time of Constantine to the twentieth century she accepted that the temporal society had to recognise, uphold and promote the spiritual. It is only through painful experience that we have been brought to re-examine this proposition. Now we are almost unanimous in rejecting state competence in religious matters and its obligation to the one true Church, but we are not agreed on our reasons for the rejection. The only reason that I regard as cogent is that Christ established a special society to take care of religion, that is, the Church, and thereby dispensed the state from responsibility in the matter.

A schema reflecting a truly Catholic view should begin with the freedom of the act of faith and the Church's independence of the political society. After admitting the historical difficulty concerning the role of the political power in religious matters, it should point out that we now clearly see that the state has no religious competence. After this the philosophical argument should be introduced as confirmation and further development of the Catholic position.

It could be objected to this that the schema does not intend to present a specifically Catholic view, as it is intended not merely for Catholics but for the world in general. The reply is that we should give the reasons why the Catholic Church accepts religious freedom and not present an artificial case.

Another objection is that the method proposed here would mean rewriting the Schema. This has to be admitted. So on pragmatic grounds the Schema had better stay substantially as it is. Though an effort should be made to remove the unproven conclusion in the philosophical argument: « Potestas igitur civilis limites suos excedere dicenda est, si in ea, quae ipsam ordinationem hominis ad Deum respiciunt, sese immisceat » (page 8, line 38 to page 9, line 3).

68

EXC.MUS P. D. IOSEPH PATRICIUS HURLEY

Episcopus S. Augustini

Antequam Concilium nostrum Vaticanum finem capit, Martyres et Confessores hodierni temporis per declarationem solemnem honorare debemus. Gravis etenim fuit defectus in nostra declaratione initiali quod de his viribus eximiis nulla mentio invenitur. Quid magis salutare omnibus hominibus, praesertim iuvenibus, quam eis ad imitandum tales exemplares proponere!

Propositum est nobis ut de persecutione Iudaeorum loquamur. An nobis silere licet de persecutione fratrum nostrorum catholicorum?

Propositum est nobis ut principium libertatis in re religiosa declaremus. Numquid deficiemus insistere ut libertas detur fratribus nostris christianis qui hodie persecutione exitiali in regionibus communistarum patiuntur?

Fratres nostri in terris persecutionum degentes oculos ad nos convertunt. Consolabuntur et novum robur spirituale capient si Patres conciliares ad eos verbum comprobationis et confirmationis mittere dignabunt.

Numquam tot viri tot mulieres tot pueri in testimonium Christi vitam dederunt. Nunquam tantum sanguinis in confessionem Salvatoris nostri effusum est. Episcopi et sacerdotes et laici. Viri, mulieres et pueri, Europaei, Asiatici, Africani et Americani. Hi sunt praecones authentici, hi testes veri.

Hic non agitur solummodo de verbis — Kerygma, Martyria —. Hic invenitur genuinum Ecclesiae triumphum.

Numquid Consilium tot Martyres tot Confessores tacitum praeterire potest?

69

Exc.mus P. D. GERARDUS HUYGHE
Episcopus Atrebatensis

Ad cap. III, n. 10. Hanc declarationem mihi valde placere imprimis affirmare cupio.

Aliquas animadversiones solummodo propono ut melius in lucem ponatur argumentum scripturisticum.

1. *Vita et mors Christi libertatis religiosae probatio.* Domini *tentatio* in deserto ostendit Iesum ab initio ministerii publici reiecisse omnes methodos apostolatus quae, propaganda, opulentia et potentia fretae, hominum conscientiae violationem constituerent.

Christus *mortuus est* quia voluit ut Iudaei liberi manerent recipiendi aut denegandi salutem ab eo oblatam. Iesus spem habuit Iudaeos hanc salutem accepturos esse et eis in hac spe praedicavit. Sed, manantibus mensibus et oppositione durescente, agoniae dolores expertus est quae Gethsemani in horto culmen attigerunt.

In passione sua, Christus hanc libertatem inimicorum suorum reveritus est, cum plus quam duodecim legiones Angelorum a Patre petere potuisset (*Mt.* 26, 53).

Item, Christus non descendit de cruce « ut homines in eum crederent » sicut proponebant Pharisaei; nam discipulos non vult propter res mirandas eum sequentes, sed discipulos persuasione intima libere sibi adhaerentes.

Et si *usque ad redemptionis actus profundum* penetrare tentamus, dicere possumus Iesu in cruce mortem sigillum esse reverentiam erga hominis libertatem ad summum authentificans.

Per mortem suam, non solum Christus salutem plene perfecit, sed etiam revelavit hanc salutem humanitati imponi non posse. Unde affirmari potest « iura veritatis » (saepe ab aliquibus Patribus evocata contra libertatem religiosam ut a declaratione praesentatur) iura esse Christi Iesu ipsius et Christum iuribus illis uti renuisse, excepto iure pro veritate moriendi.

In eodem spiritu, *post resurrectionem,* inimicis non apparuit ut eum admiratione moti sequantur, sed solummodo amicis iam credentibus aut ad credendum bene dispositis.

Ergo vita et mors Iesu probatio summa sunt libertatis religiosae.

2. *Bene interpretanda sunt omnia verba Christi.* Quidam declarationis adversarii insistunt in severitatem aliquorum verborum Christi erga errantes. Unde opportunum esset distinctionem bene notare inter stadium terrestre et stadium eschatologicum. In hoc ultimo, severitas. In primo, patientia et longanimitas. Coexistere debent in terra frumentum et zizania. Et, si oportet frumentum tueri a zizania, arma solummodo spiritualia esse debent. Sanctiones temporales et sociales Veteris Testamenti ab adventu Christi in ordinem spiritualem transponendae sunt.

70

Exc.mus P. D. NARCISSUS JUBANY ARNAU
Episcopus Gerundensis

Schema non paucis meritis gaudet atque plurima continet, quae laudanda sunt. Quare *in genere placet*; attamen *plura corrigi debent.* Ratio est haec: declaratio non concipienda est tamquam res practico-practica, sed tamquam *vera doctrinae promulgatio,* a qua — eo quod a suprema auctoritate Concilii conficitur — postea recedere non licebit. Ergo *declaratio clare doctrinam certam continere debet.*

En aliquae animadversiones.

1. *De titulo. Titulus idem manere potest,* sc. « De libertate religiosa ». Neque mutandus videtur ita ut dicatur « De libertate civili in re religiosa »; immo et auferendus videtur subtitulus « seu de iure personae et communitatum ad libertatem in re religiosa ». *Ratio.* Perspicuum est in declaratione agi *praesertim* de iure coram societate civili. Sed hoc ius in ipsa rerum natura fundatur; ideo explicari debet et rationes quibus cohonestatur exponendae sunt. Hae autem rationes fundamentum constituunt iuris, quae transcendunt considerationes iuridicas civiles. Ex alia parte, subtitulus est innecessarius, quum omnes sciant libertatem religiosam praesertim audire illud ius.

2. *N. 1.* Pag. 5, linn. 1-14. *Textus mutari debet,* ita ut nullo modo appareat Ecclesiam quaestionem de libertate religiosa pertractare, ratione cuiusdam *opportunismi* motam. Introductio ergo alio modo conficiatur.

Ideae huiusmodi introductionis esse possent hae: doctrina Ecclesiae de dignitate hominis, utpote creaturae Dei ad ordinem supernaturalem evecti; munus Ecclesiae illam dignitatem proclamandi et defendendi; circumstantiae nostri temporis, quibus fit ut homo de sua dignitate magis magisque conscius sit; scopus huius declarationis.

Praeterea, *antequam deveniatur ad libertatem religiosam in genere,* in dignitate hominis fundatam, *prius doctrina exponatur catholica de iure hominis ad veram religionem christianorum colendam,* in revelatione fundato. *Ratio.* Agitur nempe de duplici libertate distincta, de qua et de cuius fundamento *separatim* loquendum est. Doctrina de libertate ad religionem christianam colendam est traditionalis in Ecclesia: iamvero si de hac primo sermo instituitur, postea logice proclamari poterit libertas religiosa in genere, ad quamcumque sc. religionem sequendam debitis limitibus appositis. Immo et clarius apparebit *progressus* in Ecclesia ad doctrinam de libertate religiosa profundius cognoscendam: progressus quidem *sibi cohaerens et logicus,* qui e medio tollere poterit possibile fidelium catholicorum scandalum.

Praeterea hoc quidem modo, optima habebitur doctrinae expositio, quae congruens erit cum charactere sacro Concilii Oecumenici: quod non tantum considerat ius naturale, sed etiam *fontes revelationis,* e quibus *fere unice* libertatem ad veram religionem colendam eruere quis poterit.

Ideae fundamentales huius tractationis sequentes esse possent: Deus hominem creavit ut esset liber; peccatum protoparentum homines subiecit legi peccati; Christus homines liberavit atque eis promeruit libertatem filiorum Dei; contra tamen filios Dei persecutiones semper in mundo adsunt; inde factum est ut Ecclesia christianorum libertatem semper defendit; nostris diebus, eadem libertas proclamari debet, quum gentes non desint, quae bonum commune contra Christum et contra Ecclesiam intellegant et propugnent; etc.
E n. 9 schematis, plura sumi possunt.

3. *N. 2. a*) Pag. 5, linn. 15-19. Sollemnis *declaratio e loco mutetur. Ratio.* Sollemnes declarationes melius *in fine* collocari debent, quam in initio. Ad modum *conclusionis* collocandae sunt.

b) Pag. 5, lin. 19; pag. 6, linn. 1-8. Huiusmodi *definitio libertatis religiosae mutari* debet, quum illa quae in textu continetur *saltem non recta* dicenda est. *Ratio.* Duo elementa adsunt in definitione in textu tradita: primo sermo fit de libertate *in genere*; secundo totum fundamentum libertatis religiosae collocatur *in iure ad conscientiam propriam sequendam.* Primum innecessarium videtur. Secundum non videtur verum. Siquidem dignitas personae humanae postulat ut homo libertate religiosa gaudeat, quia *nemo est* qui ius habeat coactionem exercere in rebus ad religionem pertinentibus. *Consequenter,* homo agere debet iuxta propriam conscientiam. *Consequentia* ergo confundenda non est cum ipso iuris *fundamento.*

Definitio potius attendere debet *obiectum.* Dici posset, e. g.: « Huiusmodi autem libertas in hoc consistit ut, salvis dumtaxat limitibus quos bonum commune imponat, nemini umquam religio aliqua imponatur, immo et nemo umquam impediatur per viam coactionis physicae aut moralis a profitendis etiam publice, et in praxim deducendis opinionibus quas sibi efformet de quaestionibus ad religionem pertinentibus ».

c) Pag. 6, linn. 9-15. Textus *mutetur* hac vel simili forma: « Insuper declarat Concilium huiusmodi libertatem in iuridica societatis ordinatione ita esse agnoscendam ut omnes homines omnesque communitates ipsa frui possint. Cura autem huius iuridicae ordinationis ad potestates publicas pertinet secundum prudentiam politicam in bono communi prosequendo ». *Ratio.* Distinctio fieri debet inter *ius* et *ordinationem iuridicam societatis.* Hoc modo datur vera ratio quare, in facienda ordinatione iuridica, potestas civilis sese gerere debeat iuxta prudentiam politicam, quae habet pro suo scopo bonum commune societatis.

4. *N. 3. Totus numerus retractari debet et iterum emendari.* Quaedam notanda praecipue:

a) Pag. 7, linn. 1-17. Agitur de notionibus generalibus, quae *breviori modo* proponi possunt.

b) Pag. 7, linn. 18-33. Argumentatio in textu posita concludit proponendo principium sollemnissimum: « sollemne ergo est principium morale... ». Iamvero, hoc principium, ita *absolute* propositum, *non concordat cum argumento praecedenti.* Revera, magisterium, inquisitio, communicatio et dialo-

gus (linn. 26-27) limitari possunt ab auctoritate publica, ut postea schema asserit. Praeterea *ipsum principium,* tam *absolute* promulgatum, *non est verum*: certe *in re religiosa quis cogi potest ad agendum contra suam conscientiam,* v. g. si velit polygamiam introducere in matrimonio.

c) Pag. 8, linn. 1-9. Hic iterum sermo fit de iure ad agendum iuxta propriam conscientiam, quasi hoc esset fundamentum libertatis religiosae. *Dictamen propriae conscientiae titulum secundarium constituit* ad libertatem religiosam, teste Pio XII: « Aux non catholiques l'Eglise applique le principe repris dans le Code de Droit canon: " ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur " et estime que leurs convictions constituent *un motif, mais non toutefois le principal,* de tolérance » (Alloc. ad Conv. Int. de Scientiis hist.: *A.A.S.,* 1955, p. 679).

d) Pag. 8, linn. 27-38; pag. 9, linn. 1-8. Totus hic textus *supprimi debet.*

Rationes: aa) Definit quaestionem multis difficultatibus implexam, sc. competentiam potestatis civilis seu Status.

bb) Competentia Status in re religiosa alio modo concipienda est: sc. quaeri debet quinam sint limites potestatis Status *circa exercitium principii subsidiarietatis* in ordine ad bonum commune promovendum, in quo etiam valores religiosi inveniuntur promovendi.

cc) Sermo fit in textu « de ordine terrestri et temporali », qui, praeter aequivocitatem verborum, nullibi definitur, neque clarus apparet in documentis in nota allatis.

dd) asseritur actus religiosos « natura sua terrestrem et temporalem rerum ordinem transcendere »: quod difficiliter admitti potest, siquidem actus religiosi *externi,* etsi ad ordinem spiritualem pertineant, tamen *aliquo modo* in ordine terrestri inveniuntur.

ee) Asseritur totam finalitatem Status restringi ad id quod « personae humanae expeditiore libertate ad finem suum ultimum secundum conscientiam suam tendere possint ». Iamvero hoc non sufficit, quia ex tradita doctrina Ecclesiae finis Status est bonum commune promovere, sc. illas condiciones in societate creare, quibus fiat ut maior civium pars bona materialia *et spiritualia* consequi valeat. Quod certe aliquid amplius est quam simpliciter singulorum hominum libertatem tueri.

ff) Implicite in textu *veluti canonizatur* theoria Status *laici,* de qua gravis exstat controversia inter auctores; neque videtur *absolute et sine distinctione* approbari posse. Omnia pendent a recta boni communis intelligentia.

gg) Nimis absolute affirmatur in textu Statum non posse — quia « limites suos excedere dicendus est » — in ea quae religionem respiciunt *quovis modo* sese immiscere. Hoc enim falsum est, quia *aliquo modo* — quia actus religiosi *externi* sunt *sociales* — eos cognoscere debet. Immo et hoc contradicit eis quae in fine n. 5 traduntur.

Ergo proponitur: supprimatur textus in linn. 27-38 et in lin. 1-8; refor-

metur textus reliquus. Hoc sequenti modo fieri posset vel alio simili: « Certissimum est exercitium religionis, ex ipsa sua indole, primario consistere in actibus *internis* prorsus voluntariis et liberis, quibus homo sese ad Deum ordinet. Huiusmodi autem actus a nulla auctoritate humana legitime imperari possunt, cum quaelibet potestas humana, ex ipsa sua natura, prohibeatur a praeceptis et iudiciis ferendis circa actus hominis internos.

Inde autem sequitur quamlibet potestatem humanam, ne potestate publica quidem excepta, omni iure carere imperandi vel prohibendi etiam *externam* cuiuslibet professionem religionis. Ipsi enim actus externi ad hoc essentialiter ordinantur ut intimos mentium religiosarum sensus et affectus visibiliter exprimant et contestentur. Unde manifestum est humanam potestatem dignitati personae humanae gravem iniuriam inferre, si eam ad sensus et affectus intimos sic exprimendos cogat, quos merito suspicari debeat a veris eius animi dispositionibus discrepare. Immo cum homo natura sua ens sociale sit, ipsa dignitas humana etiam exigit ut intimos suos sensus et affectus libere coram aliis exprimere sinatur, actionesque suas secundum proprias persuasiones dirigere permittatur, salvis tantummodo limitibus, quos bonum commune revera imponat et exigat. Ad rectum ergo societatis humanae ordinem et ad reverentiam dignitati singularum personarum debitam omnino pertinet, ut eis generalis quaedam libertas relinquatur propriam sententiam sequendi in iis omnibus quae ad religionis professionem et exercitium pertinent.

Praeterea ii ipsi qui circa res religiosas in statu incertitudinis versantur, officium et ius certum habent veritatem quaerendi, ut sibi, mediis adhibitis idoneis certa conscientiae iudicia prudenter efforment. Veritas autem est humano modo inquirenda, libera sc. inquisitione, eique inventae firmiter est adhaerendum, assensu nempe personali. Insuper, cum homo sit natura sua socialis, veritas quaeritur et invenitur per magisterium seu institutionem et per communicationem atque dialogum, quibus alii aliis exponunt veritatem quam invenerunt vel invenisse putant, ut sese invicem in veritate quaerenda adiuvent.

Haec autem socialis et fraterna veritatis inquisitio convenienter fieri non posset, si apud omnes non vigeret plena et sincera libertas mentem suam privatim et publice manifestandi.

Ipsa ergo ratione naturali teste, dignitas personae humanae omnino exigit ne quis impediatur, etiam a potestate publica, quominus propriam opinionem libere sequatur et exprimat in iis omnibus quae ad religionis professionem et exercitium pertinent ».

5. *N. 4.* Pag. 9, linn. 27-36; pag. 10, linn. 1-13. Norma haec iuridica *retractari debet,* quia limites iuris assignantur per notionem valde implexam *ordinis publici.* Quid hoc significet difficulter affirmari potest. *Ratio*: omnes noscunt difficultatem definiendi ordinem publicum, tam apud iuris civilis, quam apud iuris canonici cultores. Solutio potius quaerenda est in recta *boni communis* intelligentia; quia tandem quaecumque ordinis publici

notio — semper multis difficultatibus et discussionibus obnoxia — utpote pars boni communis habenda est. Ex alia parte, possibilitas abusus non est causa sufficiens ut a notione boni communis recedatur et recursus fiat ad notionem ordinis publici.

Praeterea alia via forte quaeri posset. Status revera bonum commune persequi debet: hac de causa leges promulgat et cives *ad iustitiam legalem* servandam omnino tenentur. Haec vero iustitia legalis non pendet a libera conceptione Status neque simpliciter creatur a legibus ab ipso promulgatis; sed regitur a recta conceptione boni communis seu *a iure naturali.* Quare bono communi id postulante, libertas religiosa regulari potest et debet, ita ut *quidam determinati eius usus illiciti fiant.* Ergo in textu potius quam sermonem facere *de limitatione iuris ad libertatem religiosam,* melius esset loqui *de quibusdam usibus certe illicitis* ob veras exigentias boni communis. Ergo tandem recurrendum est ad genuinam boni communis notionem, ad quod obtinendum cives *iustitia legali* tenentur, etiam quando de libertate religiosa agitur.

6. *N. 5. a*) Pag. 10, linn. 14-16. Textus *compleri debet,* quia officium potestatis civilis est non tantum *iura* civium promovere, sed etiam curare ut cives *proprias obligationes* rite adimpleant. Id enim asserunt textus Pii XII et Ioannis XXIII in nota citati. Ait enim Ioannes XXIII: « Cum... commune bonum maxime in humanae personae servatis *iuribus et officiis* consistere putetur... in eo sint oportet curatorum rei publicae partes ut hinc *iura* agnoscantur, colantur, inter se componantur, defendantur, provehantur, illinc suis quisque *officiis* facilius fungi possit ». Dici ergo posset: « ad *praecipuum* potestatis civilis officium *essentialiter* pertinet inviolabilia hominis iura tueri ac promovere ».

b) Pag. 10, lin. 30. Dicatur potius: « ad *quamlibet* religionem delendam ». *Ratio*: agitur evidenter de *quacumque* religione, et non tantum de religione in genere.

c) Pag. 10, lin. 33. Dicatur potius: « in determinato *hominum* coetu ». *Ratio*: agitur enim in casu de religione supprimenda intra quemcumque hominum coetum.

d) Pag. 11, lin. 8. Dicatur potius: « ad *sanam* et *rectam* vitam religiosam fovendam ». *Ratio*: bona quae societati civili in textu promittuntur, tantum revera evenient, si religio est bona et principiis moralitatis congrua. Si religio autem bona non est, potius mala evenient.

e) Pag. 11, lin. 19. Dicatur potius: « *libertas religiosa* agnoscatur et observetur », loco « ius ad libertatem in re religiosa ». *Ratio*: ex antea dictis, verba « libertas religiosa » significant totam ordinationem iuridicam, cum limitationibus quas bonum commune aliquando exigit; *ius* autem potius designat aliquid subiectivum, quod ulterius determinari debet.

7. *N. 6. a*) Pag. 11, lin. 23. Potius dicatur: « etiam communitatibus agnoscenda est, *intra debitos limites supra memoratos* »; lin. 26: « his igitur communitatibus *ea competi potest immunitas in ordinatione iuridica*

civili, ut secundum... »; lin. 34: « communitatibus religiosis, *si ita exigat bonum commune societatis pariter competere potest ea immunitas* ne mediis... ». *Ratio*: hoc modo, dum vitatur periculosa et ambigua affirmatio de vero iure concedendo omnibus simul communitatibus religiosis, datur via expedita ut potestas civilis, quando hoc requirat bonum commune civitatis, possit iustas ordinationes iuridicas conficere, secundum quas omnes communitates religiosae possint habere illam libertatem religiosam quae ipsis competat secundum rationem iustitiae distributivae.

b) Pag. 12, linn. 4-5. Dicatur potius: « *Communitates religiosae ne impediantur* in sua fide ore et scripto... ». *Ratio*: hoc quidem modo iterum vitatur periculosa affirmatio de vero iure indiscriminatim concedendo omnibus communitatibus religiosis.

8. *N. 7.* Pag. 12, linn. 35-36. Dicatur potius: « ... educationis rationem, *cuius generalis indoles placitis laicismi accommodetur* ». *Ratio*: textus, prouti proponitur in schemate, afferri posset ad defendendam scholam uti aiunt *laicam,* in qua sc. lectiones religionis darentur iis qui eas petierint, sed a qua abesset omnis formatio religiosa in omnibus disciplinis et in ipsa ratione pueros educandi. Textus ergo nullam ansam praebere debet ad errores propugnandos.

9. *Ad n. 9.* Totus hic numerus *transferatur ad introductionem. Ratio*: omnia quae hic affirmantur de libertate a Christo promerita et a martyribus vindicata, etc. applicantur ad ius hominis religionem *christianam* profitendi; non vero ad quamcumque religionem sequendam iuxta dictamen propriae conscientiae.

10. *Ad n. 10. Integer hic numerus supprimatur*: praesertim ea quae *de miraculis* Christi dicuntur, quia sunt falsa. *Ratio*: asserere quod Christus aliqua miracula patrare renuit, quia violentiam supponebant pro assensu fidei, interpretationem exegeticam supponit, *ingenuam, inauditam,* quaeque *excluditur omnino a contextu* et *ab ipsa natura miraculi.* Christus enim, qui quaedam miracula facere recusavit, ipsis pharisaeis altius miraculum promisit, signum Ionae, suam nempe resurrectionem. Praeterea miraculum *motivum* constituit *credibilitatis,* quod obscuritatem fidei non tollit quodque actum voluntatis supponit atque exigit.

11. *N. 11.* Pag. 16, linn. 17-19. Dicatur potius: « indoli ergo fidei *plenissime consonat* ut... ». *Ratio*: haec affirmatio proposita melius congruit cum doctrina a Patribus propugnata, e. g. circa prohibitionem cultus pagani, etc. E contra textus schematis nimis absolute loquitur de repugnantia, quae apparet tamquam *intrinsece* nata *ex ipsa natura actus fidei.*

12. *N. 12. a*) Pag. 17, lin. 2. Potius dicatur: « ex catholica traditione libertas Ecclesiae *ita est necessaria ut absque ea relatione inter Ecclesiam et ordinem civilem vitae humanae recte procedere nequeant* ». *Ratio*: libertas Ecclesiae non est « principium fundamentale » uti textus affirmat; sed est *conditio sine qua non* ad rectas relationes habendas inter Ecclesiam et ordinem civilem.

b) Pag. 17, linn. 9-13. Dicatur potius: « sed et libertatem sibi pariter vindicare potest Ecclesia *coram non fidelibus,* prout sc. est societas quaedam hominum religiosa, secundum communes iuris naturalis leges ab omnibus agnoscenda ». *Ratio*: idea « convocationis divinae » innecessaria est in notione communitatis religiosae; de quo praecise agitur in casu.

c) Pag. 17, linn. 18-21. Potius dicatur: « praeterea christifideles *catholici,* non minus quam ceteri *religiosi* homines, eam sibi possunt vindicare ordinationem iuridicam civilem in re religiosa, quae ipsis competat secundum bonum commune societatis ». *Ratio*: agitur enim hic de quaestione valde complexa, quae redactionem exigit prudentissimam. Revera, ex una parte, Ecclesia catholica non potest affirmare idem ius pro se ac pro aliis communitatibus religiosis, quae non sunt obiective verae. Attamen, ex altera parte, existunt circumstantiae in quibus Ecclesia catholica potest convenire cum aliis communitatibus religiosis in exigenda ordinatione iuridica, iuxta quam et Ecclesiae catholicae et ceteris communitatibus ea iusta immunitas concedatur, quam ipsum bonum commune societatis exigit. Nova redactio proposita omnia simpliciter exprimit.

d) Pag. 17, linn. 21-24. Potius dicatur: « concordia igitur viget inter libertatem Ecclesiae et libertatem illam religiosam, quae omnibus hominibus et communitatibus agnoscenda est *in iusta ordinatione iuridica* ». *Ratio*: hoc pacto haec paragraphus recta apparet tamquam conclusio eorum quae dicta sunt.

13. *N. 14. a*) Pag. 19, lin. 5. Potius dicatur: « libertatem autem religiosam iam *in pluribus ordinationibus iuridicis* declarari ». *Ratio*: notare iuvat constitutiones et alia instrumenta iuridica plerumque abstrahere a quaestione utrum agatur necne de vero *iure*. Unde melius est loqui de ordinationibus iuridicis et simpliciter de libertate religiosa.

b) Pag. 19, linn. 8-9. Potius dicatur: « ... in eorum constitutione *libertas religiosa* agnoscitur, tamen... ». *Ratio*: plurimae constitutiones nullam mentionem de Deo faciunt; sed solummodo de libertate religionis, de libertate opinionis, etc. loquuntur.

71

Exc.mus P. D. IOSEPH KÖSTNER
Episcopus Gurcensis

Generatim libentissime agnosco Notas pag. 20-25, Relationem pag. 27-40 praesertim autem Partem alteram « De methodo et de principiis schematis » pag. 41-52, quamvis non in omnibus plene assentire valeam, esse eminenter exaratas.

Quoad schema autem ipsum reemendatum liceat mihi proponere quae mea sententia mutari convenit et sunt: *a*) quae vel tantum genus dicendi attingunt vel sensum magis planum reddunt, *b*) quae coniunctionem propositionum clariorem faciunt, *c*) quae sensum, ut puto, in melius mutant.

a) Quae vel tantum genus dicendi attingunt vel sensum magis planum reddunt.

Pag. 6, lin. 9: post verbum « declarat » adiicitur « haec Vaticana Synodus » et continuatur « ut hoc ius agnoscatur ut ius civile... » vel melius « hoc ius esse agnoscendum ut ius civile... ».

Pag. 9, linn. 18-19: loco « legis moralis observandae »: « lex moralis est observanda ».

Pag. 13, lin. 8: loco « incepit »: « coepit ».

Pag. 13, linn. 17-18: loco « consilii sui »: « consilii eius ».

Pag. 13, linn. 19-20: loco: « Ei haereat »: « Ei adhaereat ».

Pag. 14, linn. 18-20: loco: « Evangelicum fermentum in mentibus quoque hominum diu est operatum atque multum contulit ad hoc... »: « Evangelicum fermentum in mentibus quoque hominum per tempora non erat inefficax sed multum contulit ad hoc, ut... ».

Pag. 14, linn. 25-26: loco: « ad inserviendum »: « ad serviendum ».

Pag. 14, linn. 29-32: loco: « Hoc autem summe apparuit in Christo Iesu, in quo Deus seipsum ac vias suas tamquam in perfecto humano exemplari manifestavit »: « Hoc autem clarissime apparuit in Christo Iesu, in quo ut perfecto archetypo humano Deus seipsum ac vias suas manifestavit ».

Pag. 14, lin. 39: loco: « ... ut auditores verbo suo fide haererent »: « ... ut auditores verbo suo adhaererent fide ».

Pag. 15, linn. 11-15: loco: « Regnum eius non percutiendo vindicatur (cf. *Mt.* 26, 51-53), sed stabilitur testificando et audiendo veritatem (cf. *Io.* 18, 37), et crescit amore, quo homines ad seipsum trahit (cf. *Io.* 12, 32) »: « Regnum suum non percutiendo vindicari vult sed stabiliri testificando et audiendo veritatem, ut crescat amore, quo homines ad seipsum trahit ».

Pag. 15, linn. 22-24: loco: « Sicuti Christus, Apostoli intenti semper fuerunt ad testimonium reddendum veritati Dei... »: « Sicuti Christus, Apostoli semper intendebant testimonium reddere veritati Dei... ».

Pag. 16, linn. 5-8: loco: « Caput est ex praecipuis doctrinae catholicae, in verbo Dei contentum et a Patribus constanter praedicatum, ... »: « Doctrina hac in re fundamentalis catholica in verbo Dei contenta et a Patribus constanter praedicata haec est: hominem debere... ».

Pag. 16, linn. 19-21: loco: « Ac proinde ratio libertatis religiosae haud parum eo confert ad illum rerum statum efficiendum, quo ... »: « Ac proinde ratio libertatis religiosae haud parum eo confert, ut ille status rerum efficiatur, quo... ».

Pag. 16, linn. 28-29: loco: « ... eam tanta perfrui agendi libertate, ... »: « eam tanta perfrui debere agendi libertate, ... ».

Pag. 17, linn. 20-21: loco: « ne impediantur in vita sua iuxta conscientiam agenda »: « ... ne impediantur quominus in vita sua iuxta conscientiam agant ».

b) Quae coniunctionem propositionum mea sententia clariorem reddunt.

Pag. 8, linn. 12-14: loco: « Exercitium *namque* religionis ex ipsa eius

indole, consistit primario in actibus internis prorsus voluntariis et liberis, ... » legatur « Exercitium *quidem* religionis, ex ipsa eius indole, consistit primario in actibus internis prorsus voluntariis et liberis... » ut haec pars opponatur parti « *Sed* praeterea... », ubi agitur de actibus externis.

Pag. 16, linn. 32-33: sententiae: « Ecclesiae autem adeo proprium est, ut... » praeponatur: « Quare » ut coniunctio sit cum antecedenti enuntiato et legatur: « Quare Ecclesiae ita proprium est, ut... ».

Pag. 17, lin. 3: primis verbis: « In societate humana... » praeponatur ut coniunctio sit cum antecedentibus: « *Ideo* » et legatur: « Ideo in societate humana... ».

c) Quae sensum, ut puto, in melius mutant.

Pag. 5, linn. 1-2: Ne putetur, Ecclesiam arbitrari, etiam homines catholicos ignorasse dignitatem humanae naturae, legatur: « Agnitionem dignitatis humanae personae homines hac nostra aetate magis in dies postulant ».

Pag. 8, linn. 18-22: dicitur: « Sed praeterea ipsa socialis hominis natura exigit, ut homo internos religionis actus socialiter manifestat... actibus externis ». Ne argumentatio ex « socialitate » hominis difficilior intellectu reddatur, fiat argumentatio iam ex ipsa natura humana; ex ipsis deinde actibus externis habetur character socialis.

Ideo dicatur: « Sed praeterea ipsa hominis natura exigit, ut homo internos religionis actus manifestet actibus externis, quibus secus quoque (vel " alias quoque ") se cum aliis in societate communicet ».

Pag. 12, linn. 36-37: Potestas civilis non tantum violat iura parentum si ... imponat educationis rationem, ex qua omnis formatio religiosa excludatur, sed etiam si pars vel profunda formatio religiosa excludatur. Ideo dicendum esse videtur: « ... ex qua profunda formatio religiosa excludatur ».

Pag. 13, linn. 6-7: legitur « Ast haec libertas *radices* habet in divina revelatione... ». Sed libertas non tantum radices habet, sed *elucet* quoque ex divina revelatione, ideo dicendum esse videtur: « Ast haec libertas elucet quoque ex divina revelatione ».

Pag. 19, linn. 1-6: dicitur: « Constat igitur praesentis aetatis homines optare... », ... non sufficit « constare homines optare » sed dicendum esse videtur: « Optant igitur iure merito praesentis aetatis homines, ut libere possint religionem privatim publiceque profiteri; libertas autem religiosa in plerisque constitutionibus iam ut ius civile declaratur et instrumentis internationalibus agnoscitur ».

72

Exc.mus P. D. FRANCISCUS GERARDUS KRAMER
Episcopus Lunganensis

Pag. 5, linn. 2-5: dignitas humanae personae non postulat ut *nulla* sit coercitione commotus: lex enim est coercitio quae dignitati humanae non obest. Quare potius dicatur: « Postulat haec dignitas ut in agendo homo

proprio suo consilio et libertate fruatur, et potius quam coercitione, officii conscientia sit commotus ».

Pag. 5, linn. 8-14: non apparet quid novi hic dicatur: omittantur.

Pag. 6, linn. 9-13: « huiusmodi *ius* in *iuridica* ordinatione *ius* civile evadat »!!! Potius dicatur: « Insuper declarat huiusmodi ius in societate ita esse agnoscendum, ut omnes homines omnesque communitates religiosae illud sibi legitime vindicare possint ».

Proponitur proinde ut pag. 5-6 sic scribantur: « 1. Dignitatis humanae personae hac nostra aetate homines magis in dies conscii fiunt. Postulat autem haec dignitas ut in agendo homo proprio suo consilio et libertate fruatur, et potius quam coercitione, officii conscientia sit commotus. Quae libertatis postulatio in societate humana ea maxime respicit quae ad religionem spectant.

1. Declaratio.

2. Itaque haec Vaticana Synodus declarat ius ad libertatem religiosam revera in ipsa dignitate personae humanae fundari, qualis tum ratione tum maxime verbo Dei revelato cognoscitur. Huiusmodi autem libertas in eo consistit quod homines immunes sint a coercitione sive singulorum sive coetuum socialium seu cuiusvis potestatis humanae et quod, in re religiosa, neque aliquis cogatur ad agendum contra propriam conscientiam neque impediatur quominus, intra debitos limites, iuxta suam conscientiam agat tum privatim tum publice.

Insuper declarat huiusmodi ius in societate ita esse agnoscendum, ut omnes homines omnesque communitates religiosae illud sibi legitime vindicare possint.

Declarat denique, quod inde minime sequitur hominem in re religiosa nulla teneri obligatione seu esse a Dei auctoritate emancipatum. Libertas religiosa de qua agitur, dicit hominis relationem ad hominem, cui de sua conscientia rationem reddere non tenetur, non vero eius relationem ad Deum: libertas religiosa non implicat personam humanam falsum aeque ac verum aestimare posse, illamve ab officio dispensari veram sibi de rebus religiosis efformandi sententiam, aut posse illam proprio arbitrio statuere qua ratione et in quanam religione ipsa Deo servire velit: in doctrina de libertate religiosa, doctrina catholica de unica vera religione et de unica Christi Ecclesia, intacta semper manet ».

Pag. 7, lin. 23: loco « eique inventae » dicatur « prout dignoscitur »; nam ex libera inquisitione non necessario sequitur inventio (objectiva) veritatis, sed solum inventio « quaedam » (subiectiva), et huic, non alii est firmiter adhaerendum.

Pag. 7, linn. 24-26: « Insuper... invenitur ». Dicerem potius: « Cum vero homo sit natura sua socialis, veritas quaeri et inveniri *potest etiam* per magisterium... ».

Pag. 7, lin. 31 - pag. 8, lin. 9: haec pars non deberet incipi verbo « ergo »: nam minime est conclusio ex superius dictis: sunt duae res omnino diversae: prius affirmatur ius et officium hominis quaerendi veritatem eique secundum

propriam agnitionem adhaerendi; nunc vero asseritur ius ne quis cogatur ad agendum contra conscientiam, et ut quis permittatur agere iuxta conscientiam.

Insuper, huius secundae partis duo elementa deberent tanquam unicum principium morale exprimi. Nec videtur cur una pars « ne quis cogatur ad agendum contra conscientiam » declaretur « sollemne principium morale », altera vero « ne quis impediatur quominus agat iuxta suam conscientiam » dicatur mera « exigentia nostris diebus ». Videtur utraque pars eiusdem valoris moralis!

De cetero, hoc duplex principium morale iam n. 2 officialiter declaratur; quare hic sub n. 3 non est repetendum.

Quare has lineas exprimerem: « Sollemne *autem,* uti supra (n. 2) iam declaravimus, est principium morale, quod dum vetat ne quis in re religiosa cogatur ad agendum contra suam conscientiam, similiter exigit ne quis impediatur, intra debitos limites, privatim et publice, in re religiosa iuxta suam conscientiam agere ».

Pag. 8, linn. 10-26: prima phrasis iam pluries expressa est, et hic nihil addit: quare omittatur.

Ex duobus elementis de quibus hic agitur, alterum est in contextu maioris momenti quam primum. Quare dicerem: « Quamvis enim exercitium religionis, ex ipsa eius indole, consistat primario... voluntati divinae, ipsa tamen socialis... ».

Pag. 8, lin. 27 - pag. 9, lin. 13: videtur negandum. Si Deus aliam societatem pro re religiosa non instituisset, ordinatio rei religiosae proculdubio ad potestatem civilem pertineret. Actus religiosi per se terrestrem et temporalem rerum ordinem *non* transcendunt, et proinde potestas civilis limites suos excedere *non* est dicenda, si in eos se immisceat; suae potestatis limites excedit solum, si limites libertatis religiosae (etiam relate ad societatem religiosam) non observat. Ergo omittantur hae lineae, vel — si omnino exprimendae censentur — transferantur ideae ad III: (e. g. ad nn. 12-13): pertinent ad doctrinam Revelationis, non rationis.

Pag. 9, linn. 28-29: clarius diceretur: « qui invocato titulo libertatis religiosae haberi possint ».

Pag. 12, lin. 37: « omnis formatio religiosa excludatur »: ergo non potest imponi unica educationis ratio si in ea *omnis* formatio religiosa excludatur: sed potestne imponi si in ea *imponitur* formatio religiosa determinata (buddhistica, mahometana etc.)? Quare dicatur: « ... nisi in ea formatio religiosa libere eligi possit ».

Pag. 13, lin. 6: post « radices habet » addatur « etiam ».

Pag. 13, linn. 15-27: hic non agitur de libertate religiosa: Deus populo suo nullam libertatem religiosam reliquit, sed populum a se recedentem flagellis non levibus percussit.

Pag. 13, lin. 34: in libertatem iam vocati, filiorum Dei, utique, sed non in libertatem religiosam! hic vox libertas duplici sensu adhibetur.

Pag. 14, linn. 11-12: « suique ministerii sacri libertatem propugnavit », utique, non autem libertatem religiosam absolute!

Pag. 19, linn. 15-19: ne videatur proclamari necessitas ad propriam utilitatem, melius diceretur: « ... Sacra Synodus universos homines exorat, imprimis autem christifideles hortatur, ut perattente considerent quantopere libertas religiosa moralis sit necessitas, in praesentibus potissimum vitae humanae adiunctis ».

Pag. 19, lin. 24: post « Proinde » addatur virgula et inseratur « cum colluctationes ob motiva religiosa ortae insolentius fervere soleant... ».

73

Exc.mus P. D. IOANNES IOSEPH KROL
Archiepiscopus Philadelphiensis Latinorum

Declaratio de libero in societate exercitio religionis in circumstantiis hodiernis omnino necessaria est. Nisi promulgata fuerit, Ecclesia condemnabitur in foro opinionis publicae ac si libertati religiosae adversaret. Istae deinde animadversiones non ad ipsam declarationem diriguntur, sed potius ad modum quo declaratio proponitur.

Textus declarationis in genere placet, sed modus expressionis, propter nimias repetitiones, comprehensionem claram structurae internae declarationis difficilem reddit. Nimis saepe repetitae restrictiones et nimis protractae elucubrationes theologicae privant declarationem vi desiderata, cum « homines universos » spectet. Maior concisio desideratur, evitando repetitiones quae sensum ac sequelam logicam declarationis obnubilant.

1. *Imprimis*: haud clare exprimitur de quanam libertate religiosa tractatur. An de libertate christiana in Ecclesia? An de libero in societate exercitio religionis? An de libertate religiosa uti communiter concipitur, scil., uti libertas seligendi quamlibet religionem quin eius veritas vel error respiciatur? Quia declaratio non solum ad theologos et re iuridica peritos, sed ad « homines universos » spectat, praecise affirmari debet in textu — et forsan etiam in ipso titulo — hanc declarationem tantummodo de libero in societate exercitio religionis tractare.

2. In ipso declarationis prooemio, clare declarandum est: Deum esse unicum, veritatemque religiosam esse unicam; Ecclesiam catholicam esse custodem veritatis divinitus revelatae; atque omnes homines obligari ad illam veritatem prosequendam et ad suas conscientias secundum normam veram et obiectivam formandas. Tum qui illam veritatem amplexi sunt, tum qui illam veritatem bona fide prosequuntur, pariter iure gaudent ad liberum in societate exercitium religionis.

3. Declaratio, ipso suo silentio suisque omissionibus, Statum quemdam a-religiosum fovet. Status non in quodam vacuo existit; agere omnino non potest ac si Deus non esset. Oportet ut declaratio enuntiet obligationem ex

parte Status agnoscendi, itemque suos cives incitandi ut etiam ipsi agnoscant, Deum tamquam Creatorem atque omnium iurium fontem. Quin favorem specialem ulli sectae religiosae tribuat, Status fovere tenetur — etsi solummodo propter bonum ipsius Status — virtutem, moralitatem et religionem. Itemque, opera religionis, sicuti sunt opera caritatis educationisque, sine ulla discriminatione fovere tenetur. Status et leges et instituta condere debet quae religionem et moralitatem naturalem promoveant. Munus Status in declaratione nimis negative describitur verbis « ne sese immisceat ». Talis conceptio muneris Status, si a decreto conciliari proponeretur, aliquibus Statibus incitamento esset ad quamdam neutralitatem in re religiosa prosequendam quae ineluctabiliter et ultimatim anti-religiosa fieret.

4. Conceptus « pax publica » periculosus esse potest. Accuratius statuendum esset quod limitatio libertatis religiosae fieri non potest nisi normis iuridicis universalibus, quae neque contra actuositatem religiosam civium in se, neque contra determinatam speciem exercitii religiosi directae sunt. Sub titulo protectionis pacis publicae larga oppressio libertatis religiosae possibilis esset et de facto accidit. Historia testificatur quod « pax publica » usurpata est tamquam praetextus ad impediendam praedicationem tum Evangelii tum principiorum iustitiae ex Evangelio derivantium quae ordinem socialem et oeconomicum respiciunt. Multi catholici hodie incarcerati sunt quia illud genus ordinis socialis et pacis perturbaverunt quod a communistis atheisticis propagatur. Conamina Ecclesiae eiusque membrorum ad iustitiam socialem et « racialem » promovendam in aliquibus locis incriminantur uti perturbationes ordinis existentis et pacis publicae. Ergo clarius determinentur limites ordinis publici, cuius tutela auctoritati civili committitur, quia saepe nomine ordinis publici et pacis publicae persecutiones fiunt.

74

Exc.mus P. D. IOANNES LAURENTIUS KULIK
Episcopus tit. Rhandensis, aux. Lodzensis

I. In ipso limine schematis declarationis *de libertate religiosa* seu de iure personae et communitatum ad libertatem in re religiosa, in introductione, sub n. 1, pag. 5, lin. 1, ante verbum « homines » addere propono verbum « omnes » ad significandam universalitatem conscientiae omnium hominum ubique terrarum dignitatis personae humanae, quod omnibus clare notum est et speciali probatione non indiget.

II. In parte I (Declaratio), in n. 2, pag. 5, lin. 16, post verba « Vaticana Synodus declarat ius ad libertatem religiosam » addere propono « non tantum meram tolerantiam », quae iuxta S. Augustinum « non est nisi in malis » (Enarr. in ps. 32 *MPL* 26, 271). Nostris enim temporibus saepe civitates in theoria tolerantiam declarant sed in praxi Ecclesiae libertatem denegant. Recte scripsit Leo XIII Papa in litt. encycl. *Libertas* de die 20 iunii 1888 a.:

« Et quod ad tolerantiam pertinet, mirum quantum ab aequitate prudentiaque Ecclesiae distant, qui Liberalismum profitentur... et qui libertatem effuse largiuntur, iidem liberam sincere Ecclesiam passim recusant ».

III. In eadem parte I (Declaratio), in n. 2, pag. 5, linn. 17-19, verba « qualis et ratione et maxime verbo Dei revelato cognoscitur » mutare propono « qualis verbo Dei revelato atque ratione cognoscitur ». In declaratione Concilii primum semper locum obtinere debet revelatio et postea ratio.

Iam saec. XIII Gregorius IX Papa in epistola sua ad Theologos Parisienses de die 7 iulii 1228 his verbis monet eos: « Tacti dolore cordis intrinsecus amaritudine repleti sumus... quod... quidam apud vos... transferre satagunt... caelestis paginae intellectum ». Concilium Vaticanum I dicit primum de revelatione et fide, deinde de ratione (cf. cap. 4 De fide et ratione Constitutionis dogmaticae de fide catholica).

IV. Consequenter pars II (Doctrina de libertate religiosa ex ratione desumpta) hoc modo mutanda est: Doctrina de libertate religiosa in lumine revelationis.

Pars III (Doctrina libertatis religiosae sub luce revelationis) tali modo mutanda est: Doctrina de libertate religiosa in lumine rationis.

V. In titulo partis I post verbum « Declaratio » addendum est « libertatis religiosae contra falsam *Totalismi* in omnibus suis formis doctrinam cum tendentia de omnipotentia civitatis ».

VI. In parte I (Declaratio), in n. 2, pag. 6, lin. 1, post verbum « homines » addere propono « omnes », ut supra iam dictum est in propositione prima.

VII. In parte II, in n. 6 (Libertas communitatum religiosarum), in pag. 12, post lin. 3 addere propono: « Communitates religiosae ius habent ad liberam nominationem atque translationem ministrorum suorum ».

VIII. In parte II, in n. 7 (Libertas religiosa familiae), in pag. 12, in lin. 26 post verba: « cuique familiae, utpote quae est societas proprio ac primordiali iure gaudens » propono addere verba: « et prior civitate ». Patet ex multis encyclicis allocutionibusque Summorum Pontificum praesertim a Leone XIII usque ad nostra tempora.

75

EXC.MUS P. D. STEPHANUS LÁSZLÓ

Episcopus Sideropolitanus

I. *In genere.* Schema in genere *placet,* quamvis certe nonnullis emendationibus adhuc indiget.

II. *In specie sequentia animadverto.* 1. Melius esset, si *abbrevietur,* ut ita suo titulo (Declaratio...) magis correspondeat et etiam principia de hac materia magis elucescant.

2. *Status quaestionis* iam in ipso textu melius elaboretur, qui multis Patribus post lectionem Relationis tantum clarus fiebat. Nam Relatio non ad textum pertinet, propterea iam ipse textus schematis satis clare loqui debet (cf. relationem ep. De Smedt, pag. 4).

3. In aliquo fasciculo, qui nobis, occasione conferentiae a card. Jäger habitae cum scriptoribus ephemeridum, traditus est, sequentia continentur, quae essentialia pro nostro schemate mihi esse videntur, nempe: « Ebenso stark wie man die zivilrechtliche vollkommene Freiheit der Religion fordern muß, muß man auch die moralische Verpflichtung der rechten Gewissensbildung betonen. Denn die objective Norm des Gewissens ist der Wille Gottes, wie er sich für den Christen kundgibt im Worte Gottes ».

Si cum his verbis optimis schema nostrum comparo, adhuc non istud *aequilibrium* invenio, quod apparere deberet, nempe inter ius personae ad libertatem religiosam ex una parte, et eius officium morale ad rectam conscientiam sibi efformandam ex altera parte, cuius norma obiectiva est Dei voluntas, quae pro christiano in Verbo Dei se revelat.

Schema praeiacens certe satis multa de isto iure continet, non autem pari modo officium hominis huic iuri correspondens exhibet.

Peto ergo, ut hoc *aequilibrium necessarium* (inter ius eiusque officium correspondens) in nova elaboratione schematis melius observetur.

4. Libenter in textu lego, in schemate non tantum ius ad libertatem exaltari, sed etiam officium aut saltem monitionem declarari, nempe « ut homines... genuinae libertatis amatores sint » (pag. 20, linn. 5 ss.). Forte etiam hoc adhuc clarius dici debeat, quia unum peccatum contra libertatem huius temporis istud est, ut proh dolor multi libertate *aut non utuntur aut ea abutuntur*. Schema nostrum ita orientationem tum orientalem cum occidentalem recipiet.

76

Exc.mus P. D. EMMANUEL LLOPIS IVORRA
Episcopus Cauriensis-Castrorum Caeciliorum

Schema declarationis *de libertate religiosa,* pag. 14, lin. 39, in cap. III, ubi textus exaratur: « ... ut auditores verbo suo fide haererent », sequentem propono mutationem ita ut dicat: « ... ut auditores verbo suo fide *adhaerere possint* ».

Libertatem religiosam propositam in schemate quod hodie iterum examini subiicitur, diligenti studio et consideratione submisimus. Quapropter, cum Deus mihi concesserit munus episcopatus in servitium totius Ecclesiae sub Capite Petri successoris, vobis, fratres in collegio episcoporum per orbem disperso, et hodie hic congregato in eodem Spiritu, expandam aliquas considerationes, quas collegit observationis fructu.

Labor impensus mihi inservit ut rite et clarius essentiam huius quaestionis intelligere valeam. Sic, attendite, obsecro.

In cap. III, in n. 10, pag. 14, ubi statuitur quaestio de modo agendi Christi, in lin. 39, ubi dicitur: « ... Ut auditores verbo suo fide haererent », Nos aliquas observationes dicere et denique novam redactionem vobis patefacere volumus.

Sic in primis redactio litteralis nobis non placet; etenim:

1. Non videtur cohaerere cum verbis in ipso textu exposita in eodem capite, in linn. 40-41, ubi haec habentur: « Ea prodigia semper renuit patrare, quae violentia quadam assensum fidei ab hominibus... extorquere viderentur ». Nunc vero eadem sapiunt verba « Miraculis... ut auditores... fide haererent ».

2. Nec etiam videtur apta expressio « Ut auditores... fide haererent », etenim verbum appositum, videlicet *ut* in contextu videtur significare influxum infallibile in ipso actu fidei, i. e.: datis miraculis, dabitur fides ex parte auditoris et videntis. Et hoc satis declarari debet ut doctrina circa miraculorum influxum in actu fidei optime servetur. Licet miracula motiva credibilitatis sint ideoque praerequisita ut actus fidei rationabilis sit, et iuxta Concilium Vaticanum primum « iis divinam religionis christianae originem rite probari » (sessione III, cap. tertio de Fide), quod quidem idem est; tamen non infallibiliter cum ipso actu fidei connectuntur, hoc est, patratis miraculis ex parte loquentis, eo ipso praebebitur fides ex parte audientis et scientis, eo quod miracula solummodo demonstrant verba factoris sui esse credibilia.

3. Clarius in textu exprimi debet quomodo miracula nullo modo vim coactivam inferrent in intellectu ut actus fidei oriatur.

4. Ut actus fidei dari posset, requiritur etiam gratia Dei, de quo silet textus, nam ait Scriptura: « Vobis donatum est pro Christo... ut in eum credatis » (*Phil.* 1, 29) quod quidem auxilium divinum minime excludit nec minuit libertatem hominis in fide amplectenda.

His praelibatis, *vobis proponimus sequentem redactionem*: « ... Ut auditores (cf. *Rom.* 10, 17) verbo suo fide *adhaerere possint* ». Haec propositio sequentibus rationibus inniti nobis videtur.

1. Melius apparet influxus miraculorum in actu fidei.

2. Verbum « possint » optime libertatem hominis patefacit in evangelium amplectendum fide, etenim omnis violentia quae ex anteriori redactione deduci posset, hic et nunc omnino excluditur, siquidem verbum « possint » potentiam indifferentem et externam, si qua est, et internam, quae potior est, optime elucescunt. Haec omnia perfecte cohaerent cum intentione omnis textus, videlicet, exclusio violentiae seu coactionis in actu fidei praebendo.

3. Textus biblicus rite inseritur etenim dicitur: « auditores », sed fides ut ait apostolus ex auditu, ergo, stat iustificatio inclusionis textus biblici.

Audite, precor, denique verba S. Augustini: « Miracula quae fecit D.N.I.C. sunt quidem divina opera, et ad intelligendum Deum de visibilibus *admonent* humanam mentem » (in *Io.* Ev. tract. 24, 1; *ML* 35, 1.593). « Sed quia illa quae non videbantur, non credebantur; per ista temporalia quae videbantur

— miracula — *aedificabat* fides ad illa quae non videbantur » (*Sermo* 88, 1; *ML* 38, 539).

Quae omnia vobis, benevolenti animo, trado ut agnoscatis et iudicetis. Quod quidem iudicium et ego retinebo.

In pag. 15 schematis declarationis *de libertate religiosa,* par. 10, linn. 16-36, novam ex integro redactionem desiderarem, ut textus aperte dicat: « Apostoli, in missione accepta a Christo peragenda Christi exemplum secuti sunt. Ab ipso Ecclesiae exordio opere et verbo allaborarunt in libertate et vinculis, in vita et martyrio ut homines fierent discipuli Christi. Absque ullo timore et cum omni fiducia coram populo et principibus huius saeculi evangelium praedicaverunt atque omnes gentes ad Iesum Christum confitendum exhortarunt. Hac in re nec violentia, nec artificiis evangelio indignis usi, sed in primis virtute Verbi Dei innixi sunt.

Firma enim persuasione tenebant ipsum Evangelium revera esse virtutem Dei in salutem omni credenti et domui. Omnibus ergo spretis « armis carnalibus », exemplum mansuetudinis et modestiae Iesu fideliter sequentes, ipsum « Christum crucifixum », « Dei virtutem et Dei sapientiam ubique praedicaverunt " Domino cooperante signis " doctrinam apostolicam confirmantibus et fidem reddentibus obsequium rationabile Christo et Deo ».

(« Postea, ad calcem, invenietis Sacrae Scripturae convenientia loca »).

Revelatio divina hominibus patefacta est et operibus, praecipue, et verbis; igitur opus est ut labor impendatur in iis investigandis, intelligendi causa doctrinam genuinam de hac re maximi momenti in statu hodierno et Ecclesiae et societatis, nempe: Libertas Religiosa.

Accipite, fratres, quaesumus, desideria omnis Ecclesiae per orbem dispersae sperantis declarationem definitivam et ultimam Episcopatus cum suo Capite huius schematis.

Nos gaudio magno textum reemendatum legimus et studuimus. Salutationem agimus Commissioni quae quidem, data opera novissimum textum nobis proposuit.

Nihilominus aliqua in textu novissimo invenimus quae, credimus, iterum considerari debent ut si vobis placeat aliter proponantur.

Sic, fratres, in pag. 15, in par. 10, ubi tangitur quaestio de modo agendi apostolorum, in linn. 16-36, novam redactionem dari exoptamus; sunt enim lacunae in doctrinae apostolorum expositione et aliqua repetita quae obscuritatem gignunt. Igitur vobis proponimus aliqua fundamenta biblica et denique aliam redactionem.

1. *Missio apostolorum, Paulo non excluso.* « Euntes in mundum universum..., praedicate Evangelium omni creaturae » (*Mc.* 16, 15); « ... et gentibus, in quas nunc Ego mitto te » (*Act.* 26, 17).

2. *Exercitium huius missionis.* « Praedicaverunt ubique... » (*Mc.* 16, 20); « Praedicans regnum Dei, et docens quae sunt de Domino Iesu Christo » (*Act.* 28, 31).

3. *Modus exercitii huius missionis.* Apostoli absque ullo timore praedicaverunt Verbum Dei. Sufficit legere textum Actuum Apostolorum in capite quarto, versibus decimo octavo usque ad vigesimum: « Et vocantes eos denuntiaverunt ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Iesu. Petrus et Ioannes respondentes dixerunt: non possumus quae vidimus et audivimus non loqui ». Et similiter Divus Paulus: « Sine timore Verbum Dei loqui » (*Phil.* 1, 14). « Non enim erubesco Evangelium » (*Rom.* 1, 16).

Immo in ipsa praedicatione nullam coactionem nec extrinsecam, nec intrinsecam auditoribus inferunt. Sufficit consulere textus: « Et ego in infirmitate et timore et tremore multo fui apud vos » (*1 Cor.* 2, 3). Excluditur ergo coactio extrinseca. « Et ego cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis aut sapientiae, annuntians vobis testamentum Christi » (*1 Cor.* 2, 1). Excluditur enim coactio intrinseca ex parte intellectus in fide amplectenda.

4. *Miracula a Paulo patrata nec fidem substituunt nec imponunt.* Secus essent signa diabolica, sicut ipse ait: « Cuius est adventus secundum operationem satanae in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus (*2 Thess.* 2, 9).

5. *Christi exemplum secuti sunt discipuli.* Ita ut divus Paulus vere et realiter dicat: « An experimentum quaeritis eius, qui in me loquitur Christus? » (*2 Cor.* 13, 3).

Iis praelibatis, fratres, vobis *proponimus sequentem redactionem.* Redactionis textus oritur ex integro e Sacra Scriptura, ut modo videbitis. Igitur brevitatis causa, tantum librum sacrum dicemus; omittimus igitur caput et versus. « Apostoli in missione accepta a Christo (cf. *Mc.* 16, 15) peragenda (cf. *Mc.* 16, 20; *Act.* 4, 1) Christi exemplum secuti sunt. Ab ipso Ecclesiae exordio opere et verbo allaborarunt in libertate et vinculis (cf. *Phil.* 1, 13), in vita et martyrio ut homines fierent discipuli Christi (cf. *Act.* 4, 31). Absque ullo timore (cf. *Phil.* 1, 41) et cum omni fiducia (cf. *Act.* 4, 31) coram populo et principibus huius saeculi (cf. *Act.* 3, 12-21; 4, 8-12) evangelium praedicaverunt atque omnes gentes ad Iesum Christum confitendum (cf. *Act.* 8, 35) exhortarunt. Hac in re nec violentia (cf. *1 Cor.* 2, 3) nec artificiis evangelio indignis (cf. *Act.* 8, 18-20) usi, sed in primis virtute Verbi Dei innixi sunt (cf. *1 Cor.* 2, 3-5; 1, 17; *1 Thes.* 2, 3-5).

Firma enim persuasione tenebant ipsum Evangelium revera esse virtutem Dei in salutem omni credenti (cf. *Rom.* 1, 16) et domui (cf. *Act.* 16, 31). Omnibus ergo spretis " armis carnalibus " (*2 Cor.* 10, 4), exemplum mansuetudinis et modestiae Iesu fideliter sequentes, ipsum " Christum crucifixum " (*1 Cor.* 2, 2) " Dei virtutem et Dei sapientiam " (*1 Cor.* 1, 24) ubique praedicaverunt " Domino cooperante signis " (*Mc.* 16, 20) doctrinam apostolicam confirmantibus et fidem reddentibus obsequium rationabile Christo et Deo ».

Mihi haec omnia videntur. Vestro superiori arbitrio reiicio ut quod vobis placeat accipiam et etiam pro me habeam.

77

EXC.MUS P. D. IOSEPH LÓPEZ ORTIZ
Episcopus Tudensis Vicensis

1. Ad declarationem de limitibus libertatis religiosae, quae in fol. 6 continetur a lin. 16 ad finem addendum existimo, post verba « Deo servire velit », in lin. 25 « nec eo protenditur, ut liceat cuilibet christifideli aures praebere non recta docentibus ».

Hoc optarem ne in oblivionem sinamus verba tam iterata Apostolorum (e. g. *Gal.* 1, 8; *2 Tim.* 3, 6 et 4, 3; *Col.* 2, 4 et 8; *1 Io.* 2, 26; *Ap.* 2, 14 et 24), quibus monemur, ne audiamus docentes, quae non oportet. Opportuna videntur, insuper, verba proposita, praesertim cum postea sermo sit de libertate cuiusvis communitatis religiosae in sua fide docenda, ne quis putet huic libertati respondere libertatem accedendi indiscriminatim ad eos qui quascumque opiniones religiosas evulgent.

2. In fol. 8, ubi de competentia societatis civilis agitur, tamquam ad res temporales limitata, dum asseritur hoc evidenter fulgere « ob ipsum eius finem proprium, qui exactius hisce diebus percipitur atque describitur », species datur amplectendi placita nonnullorum cultorum philosophiae politicae, quae certe non unanimiter recipiuntur. Necesse revera non videtur ut haec Sancta Synodus sententias particulares tam solemniter accipiat et laudet. Immo quae immediate dicuntur, nempe, restrictionem competentiae societatis civilis ad ordinem terrestrem eo consilio fieri ut stabiliatur personae libertas ad suum ultimum finem assequendum, est recte doctrina optime in schemate exposita, ast, proh dolor, non accepta nec ab omnibus, nec a pluribus ex his qui hodie exactius perspiciunt atque describunt fines societatis civilis.

Haec modeste proponam: « Competentiam vero potestatis civilis ad ordinem terrestrem eo consilio restringi cogitari licet ut personae humanae expeditiori libertate ad finem ultimum secundum conscientiam suam tendere possent ».

Hisce verbis aut similibus vitatur ut Sacrum Concilium praeferre videatur sententias disputatas a scientiarum politicarum cultoribus.

3. In fol. 11 a linn. 13-20 certe non agnoscitur ius status ad cuivis communitati religiosae specialem agnitionem tribuendam; ast tantummodo declaratur hoc non necessarie impedire libertatem religiosam. Sed vere non sunt omnino perspicua et erroneam interpretationem patiuntur.

Quod vitaretur, si haec verba vel similia adhiberentur: « Hoc verae libertatis regimen non impediretur, nequidem quando attentis populorum circumstantiis historicis uni communitati religiosae specialis agnitio tribuitur in iuridica civitatis ordinatione, maxime quando verae religioni haec iusta tribuuntur, si revera haec agnitio eo pacto facta fuerit ut simul omnibus civibus et communitatibus religiosis ius ad libertatem in re religiosa agnoscatur et observetur ».

78

Exc.mus P. D. ALOISIUS LORSCHEIDER
Episcopus Angelopolitanus

Declaratio *de libertate religiosa* est omnino necessaria et menti huius Concilii Vaticani II respondet.

Obiectum declarationis non est religio sub aspectu veritatis aut falsitatis, neque est habitudo Status Civilis ad religionem. Obiectum vero declarationis est persona ipsa quae suam vivit religionem, eamque, sive privatim sive publice, exercet. Haec persona civile habet ius libere exercendi, intra debitos limites, propriam religionem.

Tali assertione Ecclesia catholica non ponitur in eodem plano cum aliis religionibus, quia obiectum declarationis non est Ecclesia catholica neque quaelibet alia religio, sed obiectum declarationis est persona quae religionem exercet. In eodem plano ponuntur quidem cives, i. e., civis catholicus et civis non catholicus. Qui duo cives, ut personae quae in societate vivunt, eadem iura civilia in societate civili possident, intra quae iura numeratur ius quoque ad libere exercendam religionem.

Affirmando igitur libertatem religiosam civilem, nihil positivi affirmatur de veritate aut falsitate alicuius religionis. Tantummodo propugnatur ius quod cuidam personae competit ut, intra debitos limites, libere exerceat suam religionem, libere tribuat Deo cultum quem, iuxta propriam conscientiam, putat Deo esse tribuendum, et hoc sive privatim sive publice.

Libertas religiosa nullo modo contradicit spiritum missionarium Ecclesiae. E contra, eum in maiorem lucem ponit, plus a catholicis petit, testimonium nostrum religiosum oportet ut sit magis vivum, maiore donatione et amore affectum. Multi, uti videtur, timent propagationem quam alii faciunt de propria religione eam testando sive ore sive scripto, sed oporteret ut catholici examen conscientiae peragerent, et potius timerent sic dictam contra propagationem (contropropaganda) quam de nostra religione facimus ob vitam nostram christianam minus fervidam. Si alii suo testimonio religioso influxum in vitam civilem, socialem, politicam, religiosam alicuius societatis exercent, quare nos catholici non possemus maiorem influxum quam illi exercere? Saepesaepius non adimplemus nostra officia civilia uti decet et tunc desideraremus ut Status nostram absentiam suppleret.

Non debemus a priori existimare omnes non catholicos solos errores disseminare. In declaratione *de libertate religiosa* nullo modo asseritur personas in exercitio libero propriae religionis possidere ius diffundendi errores, sed affirmatur personas, intra debitos limites boni ordinis socialis, ius habere civile diffundendi propriam religionem. Atqui non omnia in aliis religionibus habenda sunt ut falsa, immo plura possunt esse vera et bona uti ipsum hoc Concilium dicet in alia declaratione.

De cetero, declaratio *de libertate religiosa* bene inscribitur in mente totius nostri Concilii Oecumenici Vaticani II, uti iam habetur in const. dogm. *Lumen Gentium,* in decreto *Unitatis redintegratio,* in ipsis verbis allocutionis Summi Pontificis prolatis initio huius quartae sessionis. Concilium nostrum est Concilium *Populi Dei, inserti in historia humana, in itinere positi, peregrinantis in fide* cum aliis hominibus insertis in historia humana, in itinere positis, peregrinantibus. Populus iste Dei est Populus *Pauperum,* qui in itinere progreditur non ductus brachio saeculari sed gratia divina, non potentia humana sed virtute Dei, *in dialogo* cum universo mundo, *totaliter deditus servitio caritatis* erga Deum et homines ut omnes possint salvari.

Non licet affirmare ius concordatarum libertatem religiosam contraire nam Ecclesia concordatas fecit cum Statibus praecise ut libertatem suam religiosam sustineret quin unquam a Statibus in concordatis postularet ut non catholicis libertas religiosa civilis negaretur.

Attamen 1, licet declaratio de libertate religiosa sit necessaria, non videtur probanda *methodus* in declaratione adhibita. Opus est, claritatis causa, ne oriantur confusiones in eius recta interpretatione alio modo procedere.

Quisnam loquitur in nostro documento? Ipsa Ecclesia catholica. Ipsa Ecclesia catholica dicet universo mundo quid sentiat de libertate religiosa in societate. Ut hoc sine ulla ambiguitate faciat, documentum initium sumat a principio nobis a psalmista dato: « Nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laborant qui aedificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilat custos » (*SL* 126 Vg). Quaelibet societas oportet ut pro fundamento habeat cultus erga Deum. Excluditur ergo indifferentismus religiosus absolutus. Qualis vero cultus? Hic Ecclesia mundo claro modo proclamet se solam verum habere cultum. Excluditur indifferentismus religiosus relativus. Ecclesia publice profitetur propriam fidem, uti iam fecit in decreto *Unitatis Redintegratio* in cap. I. Agitur de iure obiectivo Ecclesiae catholicae, de iure divino positivo: « Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae » (*Mc* 16, 15). Hoc vero ius obiectivum, divinum, positivum, non secumfert periculum pro personis quae iuxta propriam conscientiam putant sibimetipsis aliam religionem sequendam esse, nam eadem Ecclesia catholica docet a) *actum fidei esse omnino liberum*; b) *revelationem ipsam nobis ostendere quomodo Deus velit illos qui Eum libere serviant;* c) *ipsam dignitatem personae humanae, a Deo liberam creatam,* postulare ab Ecclesia catholica reverentiam erga personas aliam religionem exercentes. Quam ob rem Ecclesia catholica admittit exsistentiam aliarum religionum in societate et asserit neminem posse detrudi, religionis causa, ad positionem civilem, socialem inferiorem. Ecclesia igitur catholica defendit aequalitatem iurium civilium pro omnibus omnino civibus, inter quae iura civilia etiam invenitur ius libere exercendi, sive privatim sive publice, intra debitos limites boni ordinis socialis, propriam religionem. Quod ius et personis singulis et communitatibus competit.

Deinde declaratio, uti iam nunc facit, ostendet quaenam sunt sequelae

talis iuris civilis libertatis religiosae et pro individuis et pro communitatibus, et ad conclusionem procedet.

Methodus igitur esto: posita religione seu officio cultum Deo tribuendi ut fundamentum pro societate, Ecclesia catholica suam profitetur fidem, quae ipsi ex iure divino positivo ius ad perfectam libertatem religiosam in societate praebet. Hoc facto, ostendat quomodo haec libertas religiosa perfecta ab Ecclesia catholica postulata ex iure divino nullo modo noceat libertati religiosae civili uti in tot constitutionibus civilibus Statuum iam proponitur.

2. Placeret mutationem tituli declarationis. Loco « De libertate religiosa » etc., dicatur potius « De libertate religiosa *civili* » seu « De iure personae et communitatum ad libertatem *civilem* in re religiosa ». *Ratio*: libertas religiosa sic et simpliciter non ubique ita technice intelligitur uti in documento supponitur, sed potius multis in locis libertas religiosa sic et simpliciter sumitur sensu indifferentismi religiosi absoluti aut relativi. Titulus igitur « De libertate religiosa » sic et simpliciter ansam praebet confusioni, ambiguitati.

3. Citatio Conc. Tolet. IV, c. 57, in nota 12, pag. 23 non videtur esse bene ad rem, praesertim si verba quae omissa fuerunt leguntur.

79

Exc.mus P. D. FREDERICUS MELENDRO

Archiepiscopus Nganchimensis

Omissis, brevitatis causa, laudes, quas reemendatum schema vere meretur; sequentia veniunt notanda, ut perficiatur.

Prima animadversio. De Titulo. Titulus sic enuntiatur: *Schema declarationis de libertate religiosa* seu *De iure personae et communitatum ad libertatem in re religiosa.*

Verba « de libertate religiosa » supprimenda esse videntur. Quia schema tantum *de iure personae et communitatum ad libertatem in re religiosa* agit; non de multis aliis argumentis, quae nomen « libertas religiosa » complectitur; de quibus schema silet.

Sit ergo titulus: « De iure et officio personae et communitatum ad libertatem in re religiosa ».

Addita sunt verba « et officio ». Quia ius et officium sunt correlativa; quia non recte, nec debita cum claritate, exponetur ius personae et communitatum ad libertatem in re religiosa, nisi simul declarentur officia seu obligationes personae et communitatum in eadem re.

Liceat huc afferre (in latinam linguam translata) verba Summi Pontificis Pauli VI, feliciter regnantis, in Allocutione Generali, 29 iunii anni currentis, prolata: « Exsistit divina vocatio, universalis vocatio ad salutem, per Christum allatam; exsistit obligatio informandi et sese informandi; exsistit praeceptum instruendi et semetipsum instruendi; exsistit quoad problema reli-

giosum magna responsabilitas; ad quam unusquisque debet et potest respondere, hoc est, libere, per amorem, non per vim ».

Ex quibus verbis dari patet pro omnibus hominibus vocatio divina in re religiosa, ac proinde ius; simul vero obligatio, praeceptum, magna responsabilitas.

Altera animadversio. Pag. 5. Petitur ut art. 1 his, vel similibus, verbis incipiat. « Haec Sacrosancta Synodus, tenens et confirmans doctrinas, quas praecedentes Summi Pontifices *de libertate religiosa* scripto docuerunt; declarationem de iure personae humanae et communitatum ad libertatem in re religiosa; prout huius temporis necessitates, ad Dei gloriam, expostulant, proclamat ». *Additionis ratio*: necessitas dissolvendi damnosas opiniones, huc illuc in populo Dei disseminatas; quibus affirmatur Sacrum Concilium Vaticanum II, quoad libertatem religiosam, novas esse sequendas normas docere, Ecclesiae traditionali doctrinae contrarias.

Inde multi, ut videtur, parvipendere inceperunt, contemnere, in dubium vocare, doctrinas, quas solemnibus documentis Pius IX, Leo XIII, aliique Pontifices *de libertate religiosa* docuerunt.

Tertia animadversio. Pag. 8, lin. 38 et pag. 9 linn. 1-3 haec leguntur: « Potestas igitur civilis limites suos excedere dicenda est, si in ea, quae ipsam ordinationem hominis ad Deum respiciunt, sese immisceat ».

In dictis verbis proclamatur « laicismus Status » a Summis Pontificibus, etiam a Ioanne XXIII et Paulo VI damnatus.

Potestas civilis, ut talis, officium habet verum Deum colendi; officium habet protegendi in natione catholica veram Christi religionem.

In catholica iuventutis educatione, in legibus de matrimonio, etc., etc. officia habet sese immiscendi.

Nonne de istis rebus agunt Concordata inter Status Civiles et Sanctam Sedem, etiam hodie valde desiderata?

Quarta animadversio. Schema multa dicit de personae humanae iuribus, dignitate, libertate; pauca, et aliquoties indirecte tantum, de humanae personae officiis seu obligationibus, de iuribus Deo debitis, de obedientia ei eiusque ministris, tum ecclesiasticis tum civilibus, praestanda; de iuribus aliorum ab individuis et communitatibus servandis.

Vera hominis dignitas veraque libertas, potius quam in iuribus personae humanae, in officiorum personae observantia consistit. Haec magni momenti doctrina, de humanae personae obligationibus, maiori quam fieri possit claritate, necessario exponenda est.

Notandum quoque venit schema saepe non cum debita claritate distinguere inter ius ad libertatem physicam « potestatem libere hoc vel illud agendi », et ius ad libertatem moralem « potestatem scilicet legitimam aliquid agendi iuxta legem divinam vel humanam »: ex quo oriuntur confusiones, quae facile errores generant.

Concretum exemplum in pag. 14, art. 10, attente consideremus. Schema

in hoc numero probare intendit principium evidens, a nemine unquam in dubio positum, ab Ecclesia semper edoctum.

Principium hoc est: « Ad amplectendam religionem nemo cogatur ». « Modus agendi Iesu Christi et apostolorum servandus ».

Has vero evidentes veritates probare conatur per quinquaginta quinque lineas, multis e Sacra Scriptura desumptis textibus.

Articulus ita incipit: « Deus ipse quidem homines, ad inserviendum sibi vocat, non vero coercet ». Re vera Deus non coercet physice hominis voluntatem ut ei serviatur; facultatem homini liberam relinquit operandi bonum vel malum, servandi mandata vel ea infringendi.

Attamen, Deus non facit homini simplicem invitationem ad ei serviendum; sed legem divinam cum gravi obligatione morali ei parendum praecipit; ita ut si homo praeceptis divinis non obediat; et ineffabilia bona amittat in aeternum, et poenis terribilibus atque aeternis sit puniendus.

Benignissimus et iustissimus Deus ad ei serviendum humanam personam moraliter coercere affirmandum est.

Numquid non vector currus per urbem coercetur viam sequi, quam signa rubra aut caerulea ei ostendunt? Servat tamen physicam potestatem infringendi legem.

Simili, et altiore ratione, homo coercetur ad sequendas Dei, Creatoris ac Domini sui, vias.

Coercetur ad Dei servitium per decem Decalogi praecepta.

Coercetur promissione beatitudinis aeternae adipiscendae.

Coercetur per minas supplicii aeterni vitandi.

Coercetur suaviter per internas Spiritus Sancti motiones.

Verba ergo: « Deus ipse quidem homines, ad inserviendum sibi vocat, non vero coercet », mutanda videntur in hunc modum: « Deus ipse hominibus imperat ut sibi serviant, non vero physice coercet ».

In linn. 26-29 asseritur: « Persona humana proprio consilio et libertate frui debet ».

Hoc assertum potest esse verum et falsum. Verum, quia de facto homo proprio libero consilio regitur, recto vel non recto. Falsum, quia homo non debet duci proprio consilio non recto.

Si enim homini liberum esset, et ius haberet, sese proprio consilio ducendi; lex moralis, divina mandata, ei non obligarent. Ita doceretur normam moralitatis subiectivam esse *proprium consilium* verum vel falsum, honestum vel inhonestum.

Itaque, illa verba: « persona humana proprio consilio et libertate frui debet », sic videntur corrigenda: « persona humana proprio *recto* consilio frui debet ».

In pag. 14, linn. 29-40 et 1-15 pag. 15, modum agendi Iesu Christi exponitur. Seliguntur aliqui Evangeliorum textus, quibus certo probatur mansuetudo Iesu Christi in vocandis hominibus ad Dei servitium.

Ut videtur, textus non recte interpretantur; ac partim tantum exhibent agendi Iesu Christi modum.

Christus Magister, qui dixit: « mitis sum et humilis corde »; dixit quoque: « Qui meam doctrinam non crediderit, condemnabitur ». « Qui non servat mandata mea, est qui iudicet eum ».

Christus Magister, qui renuit patrare quaedam miracula, quae eius inimici postulabant; alia multa patravit, ut homines suam doctrinam amplecterentur. E. g. in Lazari resurrectione Iesus oravit dicens: « Pater... propter populum qui circumstat, dixi, *ut credant quia tu me misisti.* Haec cum dixisset, voce magna clamavit: Lazare, veni foras... Multi ergo ex Iudaeis crediderunt in eum ».

In linn. 9-11 legitur: qui « arundinem quassatam non confringit et linum fumigans non extinguit » (*Mt.* 12, 20).

Christus Magister, mitissimus sane, dixit etiam: « Vae autem vobis scribae et pharisaei hypocritae, quia clauditis regnum caelorum ante homines! Vos autem non intratis nec introeuntes sinitis intrare ». Et alia multa, quae in *Mt.* 23, 13 et sq. leguntur.

Et quindecim saltem vicibus, ut narrant Evangelia, de igne inferni a reprobis sustinendo locutus est.

Iesus, Rex mansuetus; sed, « Cui data est omnis potestas in caelo et in terra »; et qui in iudicii universalis die illam dicet iis qui a sinistris erunt sententiam: « Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum ».

Quae in eadem pag. 15, linn. 16-35, ad probandam agendi rationem apostolorum afferuntur, ex litteris S. Pauli desumptis, simili modo refutari valent per plures textus ipsius S. Pauli et Sacrae Scripturae; quae contrarium probant.

Ex dictis duae eruuntur *conclusiones.* 1. Iesus in praedicatione sua non solummodo suaviter invitabat ad doctrinam sui Patris credendam praeceptaque observanda; sed urgebat etiam et moraliter coercebat.

Coercebat (et nunc coercet) per doctrinam et modum quo eam docebat, tanquam auctoritatem habens (nunquam locutus est homo, sicut hic homo); per beatitudinis aeternae promissionem; per supplicii aeterni damnationem; per miracula plurima; per dilectionis infinitae exempla, maxime suae Passionis, Mortis et Resurrectionis.

2. Concilium et Christi Ministri, cum caritate, humilitate et prudentia semper, imitari tenentur rationem praedicandi et agendi Divini Magistri, non in mansuetudine tantum, sed etiam in fortitudine, in integritate doctrinae caelestis etc.

Conclusio sit de toto art. 10. Huius articuli doctrina supprimenda aut ratione valde diversa emendanda est. Prout iacet, incompletam, periculosam, non rectam doctrinam continet.

Quinta animadversio. Pag. 11, art. 6. In hoc articulo nulla fit distinctio inter veram Christi communitatem, hoc est Ecclesiam catholicam, ac ceteras communitates religiosas, sive christianas sive non christianas.

Eadem iura tribuuntur verae Christi Ecclesiae ac ceteris religionibus falsis.

Tacetur de officiis communitatum respectu veri cultus qui Deo, Creatori et Redemptori, a quacumque communitate tribui debet.

In lin. 4 pag. 12 legitur: « Communitates religiosae ius etiam habent, ne impediantur in sua fide ore et scripto publice docenda atque testanda ».

Docetur igitur communitates religiosas possidere ius docendi et disseminandi, etiam illis in nationibus, in quibus omnes fere cives profitentur unicam veram Christi religionem, errores religiosos: e. g.: Christum non adesse realiter praesentem in Eucharistia; Virginem Mariam non fuisse nec Dei Genitricem, nec virginem; liberam Sacrae Scripturae interpretationem; poligamiam et divortium esse licitum etc. etc.

Doctrina ista adversatur S. Scripturae; solis enim Apostolis et eorum successoribus dixit Christus Dominus: « Praedicate Evangelium omni creaturae ».

Adversatur Ecclesiae traditionali doctrinae, usque ad praesens tempus a Summis Pontificibus constanter edoctae.

Adversatur rationi; nam veritas et error iisdem iuribus frui non valent.

* * *

Pag. 5, linn. 1-2. « Dignitatis humanae personae homines hac nostra aetate magis in dies conscii fiunt ».

Valde dubium videtur hoc assertum. Quia dignitas personae humanae potius quam in eius iuribus, in officiis ab ea debite impletis, consistit. Iam vero, existit in mundo hodierno maxima morum relaxatio; fidelium defectio a fide, aliquibus locis massiva quam vocant; ingens praeceptorum Ecclesiae transgressio, v. g. assistentia ad Missam dominicalem; inobedientia, quam Sanctitas Sua Paulus VI « aegritudinem propriam nostri aevi » vocavit; etc.

Lin. 4. Ante verbum « suo » ponatur verbum *recto,* proprio suo *recto* consilio. Aliter sententia falsum habet sensum.

Lin. 8. « Ad has animorum appetitiones ». Haec verba vaga, generalia, videntur. Diversae dantur appetitiones in diversis gentibus erga rem de qua agitur.

Totus articulus primus, qui clare manifestare debet declarationis *finem,* obscuritate laborat.

Pag. 5, art. 2, lin. 17. Verbum « dignitate » substituendum videtur verbo *natura*: « in ipsa *natura* personae humanae ». *Ratio*: *a*) Humanae personae dignitas fundatur in eiusdem natura, a Deo intellectu et libera voluntate creata. *b*) Personae humanae dignitas variis modis explicatur.

Linn. 20 ss. « Huiusmodi autem libertas in eo consistit... debitos limites ».

In hac paragrapho statuitur norma subiectiva agendi *conscientia propria,* vera sit vel falsa, recta vel non recta. Quae norma contradicit Ecclesiae doctrinae hucusque traditae.

Datur etiam contradictio in verbis. Ex una parte affirmatur: « homines debent esse immunes a coercitione sive hominum singulorum, sive coetuum socialium et cuiusvis potestatis humanae... ». Ex alia parte dicitur: « intra debitos limites ». Contradictio patet. Quia homines coerceri possunt ac debent ab aliis hominibus, ab aliis coetibus, a publica auctoritate tum civili tum religiosa; semper ac illi aliorum iura laedant sive singulorum, sive coetuum, sive auctoritatis a Deo constitutae.

Pag. 6, linn. 16-28. In his alineis, negativa et obscura ratione, obligationes humanae personae indicantur. « Declarat... non sequi... non implicat... reliquit intactam... ». Hic locus esse videtur aptus, ut necessaria declaratio, positiva, clara, concisa, fiat de obligationibus humanae personae, communitatum ac Status civilis in re de qua agitur.

Pag. 7, lin. 15. Post verbum « conscientiam » addatur « recte formatam ». Secus, conscientia propria non recta, constitueretur norma moralitatis in omni actu libero morali.

Lin. 19. Addendum post... « religiosa », « discendi vel quaerendi... ».

Lin. 21. Addendum ante « Veritas » « In nationibus acatholicis ». *Ratio additionum*: in nationibus catholicis a christifidelibus *discenda* est veritas, quam populus Dei iam possidet; in acatholicis veritas integra est *quaerenda*.

Lin. 33. Post « conscientiam » addatur « rectam et veram ».

Secus, absurda sequuntur. E. g. Quis dicere poterit: cogi non possum ad servitium militare, ad solvenda tributa, ad implendam poenam a iusto tribunali inflictam, etc.; quia agerem contra meam conscientiam.

Pag. 8, linn. 1-9. Haec iam dicta sunt in pag. 6, linn. 1-9.

Lin. 14. Verbum « prorsus » supprimendum videtur. Interni enim actus hominis in re religiosa minime sunt *prorsus* liberi et voluntarii; quia exerceri debent sub directione legis divinae vel humanae.

Lin. 25. « Debitos limites » non excedens. Verba « debiti limites » amplum, generalem sensum continent; quapropter in praxi a multis non recta interpretatione assumentur.

Pag. 9, lin. 23. Post verbum « habere » haec videntur addenda: « et legis divinae... ».

Lin. 32. Post verbum « secundum » ponatur « iustas normas iuridicas... ». Criteria enim ad diiudicandas necessitates ordinis publici possunt esse diversa iuxta personam, quae applicet legem.

Pag. 10, lin. 2. Verbum « aequalium » omittendum videtur; quia in Statu catholico (ac etiam in acatholico) diversarum confessionum cives iura eadem ac catholici non possident.

Lin. 10. Post verbum « aliarum » addenda sunt « vel legem divinam ».

Pag. 10, art. 5. Totus erit supprimendus, si ea retinentur quae in pag. 8 postrema alinea et ss. pag. 9 leguntur: « Potestas igitur civilis limites suos excedere dicenda est, si in ea, quae ipsam ordinationem hominis ad Deum respiciunt, sese immisceat ».

Supposito quod potestas civilis non debeat sese immisceri in rebus religiosis civium, tota doctrina art. 5 sensu caret.

Si vero illa emendentur, hic notantur sequentia: Pag. 10, lin. 20. Verbum « aequaliter » omittendum est. Quia catholici et acatholici non eadem in re religiosa possident iura.

Ideo dicatur, si placet: « Eidem providendum est, ne civium *iura* unquam laedantur ».

Lin. 23: « alia iniusta media » omittantur; nullus enim homo, quacumque in re, iniusta media adhibere potest.

Pag. 11, linn. 13 s. Hic, non indirecte et obscuro modo prout fit, sed directe et aperte doceatur ius ac officium, quibus Status catholicus tenetur favendi verae Christi religioni.

Pag. 14, lin. 15. Loco verborum « minus conformes » dicatur « contrarias ». Inierunt proh dolor! vias non solum « minus conformes », sed contrarias seu erroneas.

Lin. 17. Post verbum « fidem » addendum « physice ».

Lin. 24. Post verbum « quacumque » addi debet « iniusta ».

Art. 10. Alibi probare intendi doctrinam, quae in eo traditur, esse incompletam, periculosam, non rectam.

Pag. 16, lin. 18. Post verbum « genus » addendum est « physicae ».

Pag. 17, lin. 21. Ante verbum « conscientiam » verbum « rectam » debet addi.

Pag. 18, lin. 31. Addatur « et tenetur ».

Ultimo notare audeo. *Schema est nimis breve.* Propter quam causam nec populi Dei exspectationi, nec fratribus separatis, nec multis Patribus conciliaribus satisfacere valet.

Populus enim Dei a Sacrosancto Concilio Vaticano II, cum quadam anxietate, lucidam atque completam exspectat doctrinam de libertate cogitandi, loquendi, docendi, scribendi, propagandi; de libertate conscientiae; de cultus privati et publici libertate; de libertate Ecclesiae verae aliarumque confessionum; de officiis Status civilis, catholici et non catholici, quoad libertatem in rebus religiosis.

Ista tot ac tantae ponderis problemata actualia, quae cum iure ad libertatem in re religiosa intime sunt connexa, in brevi schemate dilucidare et roborare impossibile esse cuique consideranti patet.

Populus vero Dei hodie de illis indiget clara doctrina; permulti enim errores, dubia, ambiguitates, ore ac scriptis, et quidem occasione Concilii, diversis in nationibus, aliquoties non sine scandalo populi christiani, disseminata fuere.

Cum autem huius Sacrosanctae Synodi mens nunquam fuerit de praedictis argumentis longum schema parare; nostro humili iudicio, tota haec complexa materia *de libertate religiosa* ordinario Ecclesiae magisterio relinquenda esset.

80

Exc.mus P. D. CONRADUS MINGO
Archiepiscopus Montis Regalis

I. Schema videtur perfusum libertatis amore et bonum est; sed libertas fundatur in ordine divino. Ordo divinus manifestatur lege divina, sive naturali sive supernaturali. Lex autem divina aliqua praecipit, aliqua vero tantum permittit; praecipit quidem veritatem et bonum; permittit tantum et debitis conditionibus errorem et malum; ergo solum libertas ad veritatem religiosam sequendam est ius obiectivum et absolutum quod revera, praecipi et promoveri debet.

Libertas autem subiectiva ad sequendum errorem vel malum in re religiosa, a lege divina in qua solum fundatur omne ius, permitti tantum potest debitis conditionibus. Unde pro hominibus, sive singulis sive in communitate collectis, qui veritatem religiosam iam possident sermo fieri debet de vero iure obiectivo et absoluto in re religiosa; pro hominibus vero qui veritatem religiosam adhuc non possident, sermo fieri potest tantum de permissione.

Schema vero nostrum hanc distinctionem fundamentalem non solum neglegit sed positive, licet implicite, respuit ad novam, ut praesumitur, proponendam doctrinam: quae nova doctrina, ut asserunt, fundatur in dignitate personae humanae, in libertate conscientiae, quasi Ecclesia adhuc non cognovisset profunde, sicut nunc, dignitatem personae humanae et doctrinam de conscientia morali.

Ad confutandam hanc opinionem sufficit adducere exemplum Pii XII qui egregie disserens de natura et dignitate personae humanae ac de natura et valore conscientiae nullo modo loquitur de libertate religiosa eodem sensu quo sermo fit in nostro schemate.

II. Ex hoc sequitur quod schema praebeat grave periculum pro ipsa missione Ecclesiae cuius est praedicare et promovere veritatem religiosam et proinde impedire suis viribus omnia pericula quae eidem veritati adversantur.

Immo ipsa Ecclesia, cum sit societas perfecta, ius per se habet ut ab aliis adiuvetur in hac missione implenda.

Tale periculum eruitur ex continua confusione quo schema laborat; nam 1. aequivocatur circa conceptum libertatis religiosae; 2. aequivocatur circa ipsam dignitatem personae humanae quae ponitur in fundamentum huius libertatis; 3. aequivocatur circa naturam conscientiae moralis, quae est norma tantum manifestativa non constitutiva moralitatis obiectivae et ideo iuris obiectivi; 4. aequivocatur circa bonum commune cuius neque natura, neque extensio, neque limites declarantur; 5. aequivocatur tandem circa relationes inter Ecclesiam et Statum, inter doctrinam catholicam, quae integre sumi et promoveri debet, et eius disciplinam idest rationem agendi Ecclesiae in

mundo hodierno et in Statibus pluralisticis, prout postulant varia tempora et prudentia.

Venerabiles Patres, iam multae et circa alia adsunt confusiones in mundo; caveamus igitur ne fideles quos primum instruere debemus, in hoc gravissimo problemate potius conturbentur.

Venerabiles Patres, has animadversiones iudicio vestro humiliter submitto, animarum et Ecclesiae iura vindicandi amore permotus, iura, inquam, Ecclesiae quam supra omnia diligimus, extra quam nulla est salus et pro qua plures Patres etiam in hac aula adstantes, vincula et carceres sustinuerunt atque passionis Christi stigmata adhuc in proprio corpore ferunt.

81

Exc.mus P. D. SANCTUS MORO BRIZ

Episcopus Abulensis

1. Textus « reemendatus » concinnior exhibetur, atque maiore claritate et ordine logico.

2. Doctrina *libertatis* et *dignitatis* personae humanae nequit iure apparere in schemate veluti *aliquid* novum, augens, evolvens doctrinam Ecclesiae: hi enim conceptus formulati sunt sufficienter (immo, quasi exhaustive) in magisterio Ecclesiae. Novae igitur « theoriae » schematis non afferunt ullum « progressum » super ea quae saepe iam tradiderunt Romani Pontifices (ita censent optimae notae theologi).

Quodsi declarat « integram relinquere doctrinam de unica vera religione... (n. 2, lin. 25), et cetera divinitus tradita (n. 1, lin. 11)... », dubitari merito potest an schema sufficienter assequatur plenam statuere *concordiam* suae doctrinae cum traditione catholica. At non licet Concilium deferre incertitudini problema demonstrandi praefatam « concordiam »!...

3. *Fundamenta scientifica doctrinae huius schematis.* Schema, ut videtur, manet in plano stricto « scientiae iuris et politicae », non in plano doctrinali philosophico-theologico, ut decet Concilium. Quodsi re vera ita sit, Concilium debet in explicite animadvertere: secus (nisi expresse advertatur) gentes schema legentes tribuent valorem theologicum (saltem moralem) verbis Concilii, et oriretur magna confusio.

Profecto quum schema tantopere sistat in « phaenomeno sociali nostri temporis », Concilium versatur in discrimine ut eius opiniones tergiversentur si deinde adiuncta nostri temporis mutentur...

Si igitur Concilium vult sese exprimere verbis solius « scientiae iuris », corrigenda sunt verba n. 1, lin. 10: « quantum sint *veritati* et *iustitiae* conformes ». Potius dicere deberet: « Quantum sint *in ordinatione et iudicio politico* civitatum... consideranda ».

4. *Definitio libertatis religiosae,* ut in schemate, insufficiens remanet. Ait enim: *a*) « ne aliquis *cogatur* ad agendum contra suam conscientiam

(pag. 6, lin. 5); *b*) « neque *impediatur* quominus iuxta suam conscientiam agat... ». Notetur tamen existere aliam coactionem libertatis conscientiae: *c*) « si quis *cogatur* ad agendum iuxta suam conscientiam ». Quaero: in tertio casu, violareturne ius ad libertatem?, v. g. potestne catholicus cogi ad matrimonium ineundum secundum formam canonicam?; sacerdos catholicus impediri ne matrimonium civile ineat?; homo, etiam non christianus, cogi ad matrimonium monogamicum?; civis ne exerceat nudismum? etc.

5. *De vera et falsis religionibus.* Oporteret schema magis explicite inculcare: « non omnes religiones esse veras et bonas...; nefas esse fideli catholico de fide (= de veritate suae religionis) dubitare »... Secus, velis nolis, favebitur indifferentismo religioso.

Adhuc demonstratum non est « ius naturale ad profitendam *religionem* » importare etiam « ius naturale ad *qualemcumque religionem* profitendam ». Est profecto quid naturale homini « esse religiosum » (hoc autem ius respondet officio primario creaturae erga Creatorem); at nequaquam est ius naturale « omnes religiones posse satisfacere huic hominis iuri »...

Ceterum Ecclesia nequit agnoscere tamquam humanae personae *iura* ea quae allegantur ab iis praecise quos Christus « lupos rapaces » appellavit... Tales essent profecto « christiani » qui conentur intrare in ovile (= communitatem) catholicorum, in qua illi sequaces non habent (quandonam vero eis iura agnoscentur..., est alia quaestio, quam nunc praetermittimus).

Etiamsi forte nonnulli (immo et complures) PP. conciliares, qui versantur in nationibus « religionis pluralistae », eousque « manum aperirent » ut admitterent tamquam *hypothesim* in mundo universo (attentis hodiernis adiunctis) plenam et veluti indiscriminatam libertatem religiosam..., Concilium tamen proclamare debet *thesim* traditionalem Ecclesiae esse toto caelo diversam. Quodsi Concilium illam « hypothesim » ad categoriam « theseos » elevaret, cogeretur Ecclesia et historiam suam ac saecularem praxim condemnare, et de magisterio suo abdicare. *Plena* ergo libertas religiosa — quae tantopere mundo hodierno placet — theologice demonstrari nequit: est tantum « tolerabilis ».

6. *Libertas religiosa et unitas religiosa* in natione catholica. Valde dubitandum est « derivari maiora bona ex *libertate* religiosa quam ex *unitate* religiosa catholica ». Id certum omnino videtur: in natione ubi adhuc perseverat unitas religionis catholicae, si agnoscatur *libertas* religiosa — qualis in schemate profertur — comportaret necessario plurima et gravissima mala.

(Sch. pag. 11, lin. 13). Posito quod in determinata natione servetur adhuc unitas religiosa catholica, quaeritur: Estne conforme doctrinae schematis circa libertatem religiosam quod — in beneficium paucorum civium dissidentium (v. g. 20.000, pro 30 millionibus catholicorum) statuatur « libertas » religiosa, i. e. facultas diffundendi errores et avertendi fideles a vera via salutis?...

7. *De « propagatione » veritatis religiosae seu de proselytismo.* Schema non distinguit inter: *a*) actiones quae ponuntur a persona vel a communita-

tibus in proprium commodum (pro propria vita fovenda vel pergenda), et *b*) actiones sociales, quae ponuntur in interesse aliorum (scil. pro propria religione spargenda vel *propaganda* in alios). Porro *a*) illas, societas eiusque ordinatio iuridica non debet attingere nisi ex consequentiis, sc. ratione ordinis publici (unde: unaquaeque persona et unaquaeque communitas libertate gaudere debet ad actiones pro seipsis, pro propria vita degenda et fovenda, intra limites ordinis publici), ut agant iuxta conscientiam absque coactione. *b*) Actiones autem erga alios vel ad extra communitatis (« propaganda ») directe attingunt alias personas et societatem, ideoque directe intersunt non solum agenti sed etiam *patienti*. Hinc servanda sunt omnia iura etiam patientis.

Iam vero, omnis persona, non solum esse debet libera in sua propria *decisione* religiosa, sed etiam ut possit in sua propria fide *manere* (« nemo invitus ad audiendam quamcumque fidem cogatur »).

Ius ergo ad liberam « propagandam » non exurgit ex eo quod sit persona vel communitas; non existit simpliciter a persona in personam vel a communitate in communitatem vel in societatem, sed attendenda est relatio socialis essentialiter exurgens, quae requirit ut ius agentis et *patientis* consideretur. Licita erit « propaganda » dummodo haec persona, communitas vel societas id permittant sese aperiendo alienae praedicationi vel « propagandae »... Ubi autem patiens invitus sese manifestaverit, non existit amplius illud ius « propagandae ». Igitur ius ad libertatem religiosam est etiam ius « ne ab aliis in sua pace religiosa, invitus, *perturbetur* »; et possunt leges civiles ferri ad tutelam propriae pacis, ita ut prohibeatur aliena « propaganda » religiosa saltem falsae religionis. In hac autem materia prae oculis semper habeatur ius divinum — Ecclesiae soli a Christo Domino collatum — praedicandi veram Religionem (= Evangelium) in universo mundo.

8. *De habitudine Status erga religionem.* Schema deberet clare et explicite doctrinam traditionalem Ecclesiae extollere (quae theologice semper vera est, et civiliter ac iuridice adhuc quandoque applicationem patitur) circa « ius Status declarandi se " confessionalem ", et officium non procedendi ac si Deus et Dominus non existeret »... Hoc exigit condicio socialis hominis, doctrina Ecclesiae de instauratione ordinis christiani in mundo; implicite continetur in doctrina circa bonum commune (e cuius ambitu perperam excluderetur religio); et forte, in casu concreto, maior civium pars reclamitat...; eo vel magis si unitas religiosa nationis influxum habeat decisivum in pace et bono sociali servandis, et forte si elementum integrale, immo et fundamentale est, boni communis (ex iudicio Ecclesiae...). Et hoc quidem perfici potest absque praeiudicio aliarum religionum « non-officialium ».

9. *De dialogo in materia religiosa* (Sch., n. 3, lin. 27). Ne nimis fidamus dialogo in materia religiosa, etiam quando agitur de ordine mere naturali, qualis habetur et haberi debet in rebus humanis.

Recolenda doctrina Vat. I in quaerendo veritatem religiosam: *a*) etiam pro veritatibus ordinis naturalis (= humanae rationi non imperviae), necessaria moraliter est revelatio; *b*) pro veritatibus ordinis supernaturalis nan-

ciscendis absolute est necessaria revelatio Dei et *fides* hominis, quae fides donum est Dei *gratuitum* (sine quo nec dialogus de se quid potest in fide assequenda).

10. *Schema redolet subiectivismum.* Utique condemnat indifferentismum. Attamen constitutio publica civitatis statuitur tantum super libertatem physicam et civilem..., ut homines agere possint « iuxta conscientiam »: et quidem sine distinctione inter conscientiam veram et erroneam, ita ut non appareat vis legis divinae, ut valor obiectivus et obligans, pro constituenda et ordinanda civitate.

Igitur potestas publica et ordinatio civilis — si agnoscat libertatem religiosam ut ius personale — deberet etiam agnoscere principia obiectiva moralitatis et religionis pro constituenda civitate. Talis est doctrina Romanorum Pontificum.

Alia ex parte, humanae personae dignitas et libertas (i. e. immunitas a coactione) statuitur ut principium maximum. Haec autem immunitas indiscriminatim probari nequit: opponitur enim principio « *coactivitatis legum* » (punitio delinquentium). Data humana fragilitate, coactio consentanea est naturae humanae et sociali.

11. *Aequalitas iuridica civium* (Sch., pag. 10, n. 5, lin. 19) non placet simpliciter ut iacet: In Statu « confessionali » catholico non licet indiscriminatim admitti cives ad quaedam officia publica, v. g. Magistri pro scholis catholicis...

82

EXC.MUS P. D. VILLELMUS MOTOLESE
Archiepiscopus Tarentinus

Toti quaestioni de libertate religiosa quaedam notiones praemittantur oportet, ut, libertatis natura sufficienter declarata, manifeste appareat de quanam libertate agatur.

In consideranda persona humana triplex libertas destinguenda videtur: 1. libertas externa, quae dicit immunitatem a necessitate extrinseca seu a coactione; 2. libertas interna vel psychologica, quae dicit immunitatem a necessitate intrinseca seu a necessitate naturae; 3. libertas moralis, quae dicit immunitatem a lege vel a praecepto Superioris.

Ad 1. Nihil certo certius quam quod homo ius habeat ad libertatem externam, quatenus nulla vi physica ad agendum contra conscientiam cogi potest.

Ad 2. Nihil certo certius quam quod homo libertate psychologica praeditus sit, quatenus, cum sit natura rationalis, eius voluntas in potestate habet ponere vel non ponere actum, secundum quod sub ratione boni vel sub ratione mali hoc ab intellectu apprehenditur.

Ad 3. Nihil certo certius quam quod homo non gaudeat libertate morali, quatenus, a Deo dependens in ordine ontologico cum ab eo accipit tò fieri

et tò esse, nequit a Deo non dependere et in ordine morali. Deus, causa prima efficiens a qua homo procedit, est causa finalis ultima ad quam homo perveniat necesse est aut ad perfruendam eius bonitatem aut ad subeundam eius iustitiam.

Cum igitur sermo est de libertate religiosa, ad praecavendum periculum indifferentismi religiosi prorsus reiciendi, ex una parte est declarandum agi de libertate a coactione et a necessitate naturae, ex altera negandum hominem gaudere tum libertate morali Deum colendi, cum ratione ordinis ontologici homini insit munus Deum, summum Ens, summum Verum, summum Bonum, honorandi, tum libertate morali eligendi sibi formam religionis, cum, ordine supernaturali praesupposito et mysterio Redemptionis, homo non possit sine iniuria Deo, qui est Veritas Subsistens, verbum revelatum respuere et aliam religionis formam colere ac illam qua Deus ipse se honorari velle revelare dignatus est.

83

Exc.mus P. D. HANNIBAL MUÑOZ DUQUE
Archiepiscopus Neo-Pampilonensis

Nomine plus quam 70 Patrum Americae Latinae praesertim, verbum dicere audeo.

Hic autem interventus agere non vult de argumentis doctrinalibus, de quibus longe lateque iam tractaverunt Patres. Non quidem quod nobis lateat momentum doctrinae in hoc gravissimo argumento de libertate religiosa; sed quod nos, episcopi Americae Latinae, iure timemus, maxima cordis angustia affecti, ex textu proposito, practicas consequentias, magnis periculis plenas, derivatum iri in vitam nostram pastoralem. In nostram, dico, vitam pastoralem, prouti de facto et historice versatur in tota America Latina, « arce Catholicismi decadentis », ut aliqui non sine iniuria de ea dicunt.

Vobis enim notissimum est quod Nationes Americae Latinae, absque ulla exceptione, catholicas esse, quarum in singulis maior pars hominum est etiam catholica. In vasta hac ditione, iuxta certas et probatas statisticas, media pars totius Ecclesiae catholicae non post multos abhinc annos invenietur. At vobis etiam notum est quibus in difficultatibus ibidem catholicismus versatur. Unde parcite nobis, si quaestionem proponamus directe: utrum textus huius declarationis de libertate religiosa, *prouti prostat,* bonos an malos fructus producturus sit in vita catholica Americae Latinae?

Liceat nobis vobis sincere candideque nostros ponderis pastoralis sensus aperire in gravissima hac quaestione:

1. Cum fideles, et praesertim auctoritates civiles, suspicari possint Concilium Vaticanum affirmasse omnes religiones simul eadem iura habere, falsis et immoralibus non exemptis, facile inde deducent sequentia:

a) Fideles animo deiicientur, seu, intime delusi erunt, afficientur magna tristitia... Ipsi enim non potuerant non expectare a Concilio Vaticano decla-

rationem de libertate religiosa, in qua primum omnium ius unicum et verum declararetur pro Ecclesia unica et vera in qua nati sunt et vivunt, quam corde unam credunt ut solam veram Ecclesiam, quin non facile etiam intellegant sese caritate mutuum habere debere respectum erga non catholicos.

b) Ex hac amara delusione non mirandum videtur si ad confusionem transeant conceptuum: ergo nostra religio sacrosancta non est unica vera, siquidem et aliis religionibus vera iura conceduntur a Concilio.

c) Confusione conceptuum orta fit transitus in indifferentiam de facto, deinde etiam de iure; i. e. sine dubio videbimus plures numero fideles in veram irreligiositatem incidere. Apud nos clarum pro eo sine praeiudiciis rem ponderanti est quod fructus proselytismi non est renovatio vitae evangelicae, uti aiunt, sed irreligiositas. Nostri catholici catholicismum deserentes, ultimo necessario incidunt in irreligionem.

2. At non solum. Quia catholici nostri, rectores civitatum, aliqualiter erroribus liberalismi infecti, usque adhuc ne in peius inciderent doctrina Magisterii Ecclesiae detinebantur. Cum tamen legant textum huius Declarationis, *prouti prostat* in hoc ultimo fasciculo nobis considerando tradito, immediate et logice sequentia deducent:

a) Nulla ratio est cur sustineamus illum arctum et traditionalem cum Ecclesia catholica nexum, quod ipsa Ecclesia non amplius attendit. Ergo separandus Status ab Ecclesia. Et hoc, ex principiis Vaticani Secundi.

b) Nulla ratio cur concordata sustineamus, aliasque pactiones cum Ecclesia ineamus, ne videamur privilegiis ornare Ecclesiam catholicam cum detrimento libertatis religiosae, ex iure debitae aliis etiam ecclesiis. Et hoc quidem quia ex duabus partibus contractantibus una, sc. ipsa catholica Ecclesia causam dat ex qua concordata vana fieri possunt.

3. At non solum, quasi flentes dicimus, venerabiles Fratres, in caritate Christi coniuncti et in pastoralibus curis, quia adhuc multae sunt pessimae sequelae ex textu, *prouti iacet,* promanantes. Etenim:

a) Contradictorium videtur quod, ex una parte, actio Sanctae Sedis in favorem vitae catholicae apud nationes latinas, ita actuose et operose, sese devoveat, qua occasione sincero corde ei gratias agimus magnas; et ex alia declaratio de libertate religiosa solemniter fiat a Concilio, quae certo certius non nisi pericula gravissima affert vitae catholicae apud nos.

b) Contradictorium quod foveatur instauratio seminariorum nostrorum, et, eadem via edatur declaratio, qua nostri seminaristae in spiritum subiectivisticum contra debitam oboedientiam induci possunt. Nobis persuasum est enim declarationem prouti iacet, quaedam principia ponere, ex quibus educatio seminaristarum nostrorum difficillima evadet.

c) Contradictorium denique videtur quod Summi Pontifices de periculo communismi, protestantismi et liberalismi monuerint, si declaratio de libertate religiosa ansam praebere potest: 1) effrenato cuidam individualismo contra auctoritatem et oboedientiam erga Ecclesiam et Statum, et 2) prosely-

tismo damnando, cum ecclesiae non catholicae facile sibi persuadent sese posse iam liberis manibus evangelizare catholicos, uti dicunt (cf. *Protestantisme Latino-Americain*: 1958, Damboriena, apud *Nouvelle Revue Théologique,* Tm. 80, pag. 950, 944).

Haec sunt, venerabiles Patres, quae nostram conscientiam pastoralem magno dolore afficiunt. Parcite nobis si ita vehementer ea vobis exposuimus. Hoc est enim pondus muneris pastoralis, semper sed praesertim hodie formidandi, de quo reddituri sumus rationem Deo et Christo Summo animarum Pastori.

Id unum instantissime petimus: quod textus iterum revisioni mandetur, non solum in mente habendo veritatem, sicut plurimi ex vobis sapienter dixistis; non tantum respiciendo libertatem, sicut etiam a pluribus iam dictum est; verum etiam ad munus pastorale Ecclesiae Universae attendentes, ad quod fovendum primario Concilium coadunatum est.

Ad munus pastorale universae Ecclesiae, attente considerando, seu, non tantum ad nationes in pluralismo religioso viventes, verum etiam ad nationes quae, Deo opitulante gratia, adhuc in fide catholica permanserunt. Scimus hanc declarationem de libertate religiosa pro nationibus in pluralismo religioso constitutis non posse afferre difficultates ita magnas sicut pro Nationibus, sic dictis, catholicis. Attamen, quia pro tota Ecclesia Universa magna pericula imminere possunt ex hac Declaratione de libertate religiosa, instantissime petimus documentum hoc ita accurate revisioni mandari sub aspectu pastorali, ut fidelibus medicinae remedium praebeatur, non autem veneni poculum porrigatur.

* * *

Schema principiis nititur quae non ab omnibus admittuntur. Ea Principia eiusmodi sunt ut logice ducerent ad quasdam veritates negandas in traditionis catholicae thesauro contentas. Haec principia sunt:

I - Schema personae humanae dignitatem ita extollit ut absolute independens censeatur, non quidem ad veritatem in re religiosa quaerendam sed ad praxim religiosam pro lubitu optandam sive erroneam sive veram.

Principium ita prolatum ad indifferentismum religiosum perducit.

Duo aspectus diversi confunduntur, scil.: aspectus libertatis physicae et aspectus libertatis moralis.

Libertas physica, quae minime coactionem patitur est facultas eligendi inter duo opposita ab hominis arbitrio sub ductu rationis.

Libertas autem moralis bono ligatur, nam hominis libertas mediante intellectu dirigitur ad finem naturae convenientem. Unde persona humana physicam libertatem semper habet, non autem libertati morali semper gaudet.

Libertas denique humana quoad actus externos vim pati potest tum ab aliis hominibus tum ab ipso Statu. Cum vero vi externa non cogatur in eliciendis actibus homo gaudere dicitur *libertate iuridica* seu esse immunis a coactione.

Cum sit sermo de libertate religiosa, solum de libertate iuridica agi potest, quia alii homines et Status in actus internos agere non possunt. Hi enim actus natura sua ipsis sunt impervii.

Cum ergo Status legem in re religiosa producit id unum potest et debet: cives praesidiis munire ita ut non cogantur ad religionem amplectendam quam libere acceptare nolunt; at religione semel admissa ut eam possit homo intra boni communis limites profiteri.

Ex his facile error ortus percipitur in confusione trium conceptuum libertatis, scil. physicae, moralis et iuridicae. Homo enim eo quod ius habeat in religiosa re ad libertatem iuridicam non ideo dicendus est ius ad moralem libertatem habere ut religionem quam vellet etiam falsam eligat.

Schema evidenter religiosam libertatem intra aptos limites statuere vult, i. e., intra libertatis iuridicae limites. Mens non est physicam libertatem statuere, quod otiosum esset. Neque sermo esse potest de morali libertate ad quamcumque religionem amplectendam quia hoc esset indifferentismum religiosum propugnare.

Ex his omnibus concluditur principium de absoluta personae humanae independentia in religiosa re admitti non posse. Quando agitur ergo de hominibus bona fide religiosos errores profitentibus, libertas adhuc consideranda est moraliter ligata, i. e., non « autonoma », cum homini onus incumbat veritatem serio quaerendi ita ut sine coactione ad veram religionem amplectendam demum pervenire possit.

Fundamentum ergo libertatis iuridicae in religiosa re non sistit in absoluta autonomia humanae voluntatis, neque in supposito iure errorem profitendi bona fide conceptum, sed in eo quod Status privatique homines optionibus liberis hominis opponi sese nequeunt, nisi harum optionum exercitio bonum commune obstet. Dignitas enim personae humanae suapte natura terrenarum rerum ordinem transcendit.

II - Theoria qua schema ad Status obligationes determinandas fundatur in multis deficit.

a) Etiamsi explicite a schematis auctoribus negetur eiusmodi theoria « opportunistica » est cum ab adiunctis historico-religiosis quarumdam nationum pendeat.

b) In axiomate politico fundatur iuxta quod democratia hodierna, prout in praedictis nationibus invenitur, culmen progressus humani ac unum regimen acceptabile esset.

c) Fundamentum habet in natura et evolutione historica, iuridico-religiosa et socio-religiosa quarumdam Nationum.

d) Schema opinioni favere videtur iuxta quam pluralismus religiosus non quidem de facto se de iure aliquid doctrinae catholicae consonum esset, veluti progressus theologicus vel bonum doctrinale absolutum. E contra sive rationis argumentis sive doctrina Evangelii pluralismus religiosus vera est regressio in possessione veritatis et aliquid omnino tollendum cum Christus

dicat « Ut omnes unum sint ». Etiam fratres seiuncti de hac dispersione vere dolent et eam componendam ex imo desiderant.

e) Schema prout iacet perspicuum exemplum theologiae sic dictae « situationis » offert.

Sequelae autem talis theoriae gravissimae sunt Nationibus in quibus, Deo opitulante, conditiones illarum Nationum non exstant in quarum favorem excogitata est doctrina de qua in praesente schemate agitur.

At, ex alia parte, circumstantiis historicis mutatis, neque theoria ipsa permanebit. Magnum detrimentum Ecclesiae foret si post parvam laeti temporis durationem falsitas intrinseca theoriae de absoluta personae humanae religiosa autonomia ope ulterioris investigationis criticae detegeretur.

III - Unde satis esset hoc schemate de libertate religiosa nitide, fortiter breviterque libertatem iuridicam religiosam declarare, omnibus theoriis sepositis quae inter catholicos disputari queunt.

Neque unquam mos fuit in Conciliis Oecumenicis quaestiones inter catholicos disputatas dirimere. Nulla in casu necessitas adest nisi libertatem iuridicam in religiosa re declarandi, in quo omnes Patres convenire oportet.

In schemate hoc unum perspicuum sit: libertatem iuridicam in religiosa re asseri.

Modi discussi quibus quaestio exponitur omnino seponantur, nam de illis ratio ulla definitiva a Concilio declaranda est.

[*Subscripserunt etiam*] *a*) J. I. López, arch. Cartagena; M. A. Builes, ep. S. Rosa de Osos; A. Castro B., ep. Palmira; B. Arengo, ep. Barranca Bermeja; R. Sarmiento Peralta, ep. Ocaña; V. Roig y Villalba, vic. ap. Valledupar; J. Coronado, praef. ap. Ariari; G. Garavito, aux. Villavicencio; E. Tato, ep. tit. Cardicio; C. Crous, vic. ap. Sibundoy; M. Solá, ep. tit. Colofone; R. Zambrano, ep. Facatativá; P. J. Rivera Mejía, ep. Socorro y San Gil; A. Ocampo Berrío, arch. Tunja; B. Alvarez, ep. Pereira; J. Pimiento, ep. Garzón-Neiva; A. Cuniberti, vic. ap. Florencia; G. Villa Gaviria, ep. Baranquilla; J. Florez Hernández, ep. Ibagué; G. Valencia, vic. ap. Buenaventura; A. Rubio Diaz, ep. Sonsón; M. Medina, ep. Monteria; A. Duque Villegas, arch. Manizales; J. Giraldo, ep. Pasto; H. Rueda, ep. Bucaramanga; H. Correa Yepez, praef. ap. Mitu.

b) E. Vallego, praef. ap. Tierradentro; J. Arango, praef. ap. Guapi; P. Grau, ep. tit. Pella; G. Escobar, ep. Antioquia.

* * *

Infrascripti Patres e Columbiana Republica, circa schema *de libertate religiosa* quae sequuntur manifestamus.

Prorsus assentimus principio de non adhibenda coactione ne quis in re religiosa ad agendum cogatur, neve impediatur quominus iuxta suam conscientiam tam private quam publice, tam individualiter quam socialiter agat intra debitos et tuto definitos limites.

Admittimus quidem huius generis libertatem religiosam a dignitate personae humanae postulari, Ecclesiae in hodiernis adiunctis plurimum favere

et etiam ad hoc inservire ut fideles magis conscii ac responsabiles de sua fide et religiositate fiant.

Non tamen censemus hanc materiam posse tractari unice, vel etiam praevalenter, sub adspectu sociali et iuridico, secluso adspectu morali, a quo Magisterium nostrum abstinere nefas erit.

Populus enim noster fere totus catholicam fidem profitetur, dum ab extra acrem sectarum protestantium proselytismum patitur. Instare proinde debemus talis populi Pastores ne impraecisa declaratio conciliaris speciem quamlibet sanciti indifferentismi praebeat, quae species sine dubio, dum fideles ancipites redderet, proselytistis faveret.

Hoc vitari arbitramur si declaratio conciliaris logice procedat a thesi ad hypothesim, et non vice versa sicut schema procedere intendit, ideoque enuntiet:

1. doctrinam catholicam de unica vera religione et de unica Ecclesia Christi, pro qua iustam vindicet ubique libertatem;

2. hominem non posse falsum ac verum aeque aestimare, aut suo arbitrio statuere utrum et in qua religione Deum colere malit, sed vero officio morali teneri ad efformandam sibi sententiam de rebus religiosis obiectivae veritati consonam;

3. hoc quidem iudicium non posse concrete efformari nisi mediante uniuscuiusque hominis conscientia, et assensum veritati consequenter praestandum liberum esse debere; quapropter Sanctam Synodum tenere quod *in ordine civili* omnibus hominibus agnosci debet libertas ut de rebus religiosis iuxta suae rectae conscientiae iudicium agant nulla commoti coercitione vel detenti iniusta restrictione extrinsecus adducta.

Ita, putamus, conciliaris declaratio logice procedet; constanti Ecclesiae doctrinae satisfaciet; argumenta non solida cavebit; et, salva veritate, iura personarum sancibit rectamque libertatem religiosam ab omnibus optatam haud temere agnoscet.

[*Subscripserunt*] *a*) *cf. supra a*), *pag. 229.*

b) C. de Brigard, arch. tit. Disti, aux. Bogotá; J. Franco Arango, ep. Duitama; J. Calderón, ep. Cartago; P. Correa León, ep. Cúcuta.

84

EXC.MUS P. D. EDUARDUS NÉCSEY

Episcopus tit. Veliciensis, adm. ap. Nitriensis

Ad n. 4, declarationis *de libertate religiosa.* Haec animadversio est propositio pro commissione et non ideo fit, ut in aula legatur.

In n. 4, sermo est de limitibus libertatis religiosae. Quae sub litt. *a*) (Norma moralis) habentur, possunt retineri, at ea, quae sub litt. *b*) (Norma iuridica) adducuntur, quadam correctione indigent.

Hic agnoscitur societati civili ius sese protegendi contra « abusus, qui haberi possint, invocato titulo libertatis religiosae ». Talis redactio nullum habet serium fundamentum et pro ipsa libertate religiosa potest esse periculosa.

Declaratio nostra sane praeprimis vindicare intendit libertatem religiosam pro Ecclesia catholica. Quales abusus possint haberi invocato titulo libertatis pro nostra Ecclesia?

Ecclesia libertatem sibi vindicat, quae ei competit iuxta ius canonicum et quae nunquam potest offendere *iustas* leges societatis civilis.

Econtra teste experientia constat hic et nunc adesse conatus libertatem religiosam sub diversis praetextibus coercere, talibus conatibus textus de abusibus ex titulo libertatis forsan provenientibus posset auxilium praebere et ideo propono, ut de abusibus, qui haberi possint invocato titulo libertatis religiosae, nulla fiat in declaratione mentio, sed sufficiat hic textus: « Societas civilis ius habet invigilandi, ut libertas religiosa infra iustas leges exerceatur, nam observatio iustarum legum bonum commune et iustus ordo publicus exigit ».

85

Exc.mus P. D. SIMON HOA NGUYEN VAN HIEN

Episcopus Dalatensis

I. *Observationes generales.* Textus schematis reemendati multo clarior ac perfectior quam antea. Attamen mihi ab Extremo Oriente oriundo et in regione non christiana degenti, textus magis dirigi videtur ad populos christianis principiis iam imbutos vel sub eorundem influxu plus minusve positos, qui distinctionem inter Dei et Caesaris dominium facere possint: quod supponit textus, in n. 9, pag. 14, linn. 18-23.

Alii vero populi et quidem multo numerosiores, ad quos Evangelium nondum pervenit aut quos materialismus atheisticus pervertit in communibus notionibus socialibus iuxta modum sibi proprium interpretandis, poterunt principium libertatis propositum accipere in sensu quidem theoretico ac verbali, non vero in sensu practico ac realistico, et hoc bona cum fide, vi habitudinis traditionalis vel mentalitatis socialis ambitus allecti.

Optandum est, ut mihi videtur, mediis communicationis socialis adhibitis internationalibus organismis concurrentibus, verae notiones principiorum socialium propagandas ac inculcandas: quod obviare poterit periculo, praesertim in relationibus internationalibus, eadem verba adhibendi cum sensibus omnino diversis.

II. Observatio specialis *circa ius libertatis religiosae in familia,* n. 7, pag. 12, linn. 35 s.: Proponere auderem ut addatur: Potestas civilis iura parentum violat, si *vel* unicam imponat educationis rationem, ex qua omnis formatio religiosa excludatur, vel *in qua sola nationalis religiosa tanquam unice*

vera proponatur eiusque cultus ab omnibus exigatur. Ratio est quia multis in locis, religio nationalis est quasi elementum unitatis nationis ibique adhuc viget adagium: *cuius regio, eius religio*; quod saepe aggravat nationalismus exaggeratus.

86

Exc.mus P. D. PATRITIUS LUDOVICUS O'BOYLE

Archiepiscopus Vashingtonensis

Doctrina schematis nobis valde placet. Maxime autem laudandum est schema, propterea quod doctrinam de libertate religiosa ita proponit, ut ab ea excludatur omnis species indifferentismi religiosi. Hoc constat ex duplici ratione.

1. Schema sagaciter distinguit duas libertates, quae sunt genere suo diversae, si considerantur theologice.

Ex una parte, in n. 12 fit sermo de libertate Ecclesiae. Nunc autem, si haec libertas theologice consideratur, recte vocatur « libertas divina ». Ita vocatur in textu Leonis XIII, qui in nota 14 citatur. Namque secundum constantem traditionem catholicam, ad quam magnus ille Papa saepius appellat, libertas Ecclesiae est participatio quaedam in libertate ipsius Christi, sicut missio Ecclesiae est participatio quaedam in missione ipsius Christi, iuxta illud Ioannis: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos » (*Io.* 20, 21). Ergo haec libertas, et in textu Leonis Papae et in textu schematis, recte dicitur « propria Ecclesiae ». Immo aeque propria est Ecclesiae ac ipsa eius missio divina ad salutem animarum curandam.

Ex altera vero parte, schema agit de libertate personae in re religiosa. Quae tamen libertas recte exhibetur ut libertas humana. Homo sane factus est ad imaginem Dei; ideoque eius libertas, si theologice consideratur, est participatio quaedam in libertate ipsius Dei Creatoris. Homo enim est subiectum intelligens ac liber, ita ut proprio consilio ac libertate agere possit atque debeat. Attamen libertas hominis in re religiosa, de qua in schemate, manet res ordinis naturalis, sicut ipsa eius dignitas, de qua etiam in schemate, est res ordinis naturalis. Agitur enim de dignitate et de libertate creaturae rationalis.

Ex hoc igitur capite theologico constat, quod libertas personae in re religiosa distinguitur a libertate Ecclesiae, sicut ordo naturalis distinguitur ab ordine supernaturali. Ulterius proinde constat, quod verissima est affirmatio schematis: « ... ratio libertatis religiosae intactam relinquit doctrinam catholicam de unica vera religione et de unica Christi Ecclesia » (n. 2, pag. 6, linn. 25-28).

2. Pari sagacitate schema distinguit duo iura ad libertatem, quae sunt plane diversa, si considerantur iuridice seu secundum fundamenta sua.

Ex una enim parte, ius Ecclesiae ad libertatem fundatur in ipso verbo Dei revelato. Ex mandato enim Christi incumbit Ecclesiae officium praedi-

candi evangelium, iuxta illud Marci: « Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae » (*Mc* 16, 15). In hoc igitur mandato Christi nititur ius Ecclesiae ad libertatem a quovis impedimento in societate humana, quod praedicationi Evangelii obstaret. Aliis verbis, in hoc mandato Christi nititur ius Ecclesiae ad plenam illam independentiam in sua divina missione exsequenda, de qua in schemate (cf. n. 12, pag. 17, linn. 16-18).

Ex altera vero parte, ius hominis ad libertatem in re religiosa fundatur in veritate de dignitate nativa personae humanae. Quae quidem dignitas etiam ratione naturali innotescit, quamvis clarius in verbo Dei praedicatur. Iure enim naturae hoc homini debetur, ut sit independens ab omni potestate mere humana in suis decisionibus religiosis efformandis atque exprimendis. A. v., iure naturae homini debetur immunitas a quavis coercitione quantum ad liberum exercitium religionis in societate. Hoc autem dictamen rationis naturalis his nostris temporibus clarius cognoscitur et communius agnoscitur, crescente apud homines nostrae aetatis conscientia dignitatis humanae, uti sapienter in schemate notatur.

Ex hoc igitur capite iuridico constat, quod ius hominis ad libertatem religiosam plane distinguitur ab Ecclesiae iure ad eius propriam libertatem evangelicam. Namque quoad fundamenta sua distinguuntur haec duo iura, sicut ordo rationis humanae distinguitur ab ordine divinae revelationis. Iterum ergo ex hoc capite constat veritas illius affirmationis, quae in schemate fit: « ... ratio libertatis religiosae intactam relinquit doctrinam catholicam de unica vera religione et de unica Christi Ecclesia ». Nequaquam dici potest, quod doctrina schematis ullo modo favet pessimae theoriae indifferentismi religiosi.

* * *

Quidam modi, quos proponunt infrascripti Patres, ad declarationem *de libertate religiosa* perficiendam.

I. N. 1, pag. 5, inde a lin. 6. Legatur: « Qua fretus veritate, exigit homo hodiernus libertates civiles, ut possit in societate vitam agere homine dignam. Itemque postulat iuridicam limitationem potestatis publicae, ne fines honestae libertatis et personae et associationum nimis circumscribantur. Quae libertatis postulatio maxime respicit liberum in societate exercitium religionis ». Ad has animorum, etc. (lin. 8). *Rationes*:

1. ut accuratius describatur status rerum hodiernus, unde declaratio exordium sumit. Etenim hodie ius ad libertatem religiosam locum habet, et quidem locum principalem, inter plura alia iura humana atque civilia, quibuscum quasi organice coniungitur. Quibus autem iuribus servandis correspondet hodie debita limitatio potestatis publicae, quae agnoscere tenetur et libertatem personae et libertatem coetuum seu corporum interiectorum, uti vocantur in Litt. Encycl. *Pacem in terris.* Tandem, hac facta emendatione, declaratio fideliter reddet atque evolvet doctrinam recentiorum RR. PP. de iuridica ordinatione societatis;

2. ut statim ab initio pateat quam clarissime, declarationem agere de libertate religiosa in societate, non autem de libertate christiana in Ecclesia;

3. propter eamdem rationem adhibeatur formula, « liberum in societate exercitium religionis »; quae quidem est in se magis exacta quam aliae formulae saepius in declaratione adhibitae (libertas in re religiosa, libertas religiosa: quae de se possent de libertate in Ecclesia intellegi); historice autem est formula frequentius usitata in aevo post Reformationem; iuridice denique rata habenda est propter eius usum in pluribus constitutionibus publicis;

4. ut explicite ab initio indicetur, declarationem respicere veritatem, cuius homo hodiernus conscius est, et non quasi nudam eius conscientiam (cf. « qua fretus veritate »).

II. N. 4, pag. 9, inde a lin. 34. Legatur: « Illud autem societatis bonum, quod ordo publicus vocatur, requiritur imprimis efficacem tutelam aequalium iurium pro omnibus civibus et pacificam inter se horum iurium compositionem; aequam insuper requirit curam pacis publicae, quae est praecipuum iustitiae opus; debitam tandem requirit custodiam moralitatis publicae, quae iuxta normas communiter in societate agnitas determinatur ». Quod quidem bonum, etc. (pag. 10, linn. 3-8). « ... nisi vel iura laedat aliorum vel publicam perturbet pacem vel violet moralitatem publicam ». Ceterum servanda est, etc. (lin. 10 ss.). *Rationes*:

1. ut declaratio sibi in doctrina sua constet; nititur enim in conceptu status iuridici sic dicti, quem elaboraverunt RR. PP. recentiores, et secundum quem praecipuum officium status (ut recte dicitur in n. 5, pag. 10, linn. 14-16) est tutela iurium civilium; consequenter ergo hoc loco (n. 4) primo sit sermo de laesione iurium aliorum;

2. ne formula, « pax publica », sit quodammodo abusibus obnoxia, explicite addatur, pacem publicam esse opus iustitiae, eo maxime sensu, quod querelae rationabiles civium inter se agnoscuntur atque iusta ratione solvuntur.

III. N. 5, pag. 10, inde a lin. 14. Legatur: « Cum bonum commune societatis maxime in humanae personae servatis iuribus et officiis consistat, praecipuum cuiusvis potestatis publicae officium est curare, ut hinc iura agnoscantur, colantur, inter se componantur, defendantur, provehantur, illinc autem suis quisque officiis facilius fungi possit ». Debet igitur... omnium civium (linn. 17-19), « et ratione habita circumstantiarum, expedita suppeditare subsidia ad liberum in societate exercitium ». Eidem, etc. (linn. 19 ss.). *Rationes*:

1. ut in declaratione explicite commemoretur illa recentior notio boni communis societatis, quae respondet notioni recentiori status; utraque enim notio invenitur apud RR. PP. recentiores; utraque requiritur ad doctrinam declarationis rite intellegendam;

2. ut, in particulari, plenius intellegatur, cur « ordo publicus » positus sit tamquam norma iuridica (in n. 4 *b*), et non « bonum commune ». Etenim non licet appellare ad bonum commune, in sensu huius notionis hodie ab

Ecclesia declarato, ad ratam faciendam limitationem quoad exercitium iurium civilium; nam ipsum bonum commune, quod consistit in his iuribus servatis, postulat, ut huiusmodi iura non limitentur, nisi instet quaedam necessitas, hoc est, necessitas ordinis publici;

3. ut munus status non exhibeatur tamquam nimis quasi negativum, quod obiectionem facessit apud multos; ergo additur illud de subsidiis suppeditandis; ubi tamen notandum est, quod huiusmodi subsidia respiciunt libertatem religionis seu etiam Ecclesiae in societate, non autem ipsam religionem seu Ecclesiam; ad statum enim pertinet cura libertatis religiosae, non autem cura ipsius religionis.

IV. N. 12, pag. 16, lin. 34. Legatur: « ... iidem contra ipsum Deum, qui in medio est populi sui, impugnare conentur ». Ex catholica, etc. *Ratio*: ut accuratius reddatur sensus traditionis catholicae, qui apparet in textu Leonis Pp. XIII citato in nota 14: « ... iidem contra Deum faciunt... ». Etenim secundum doctrinam constantem Leonis Papae, quae est ipsa traditio catholica, libertas Ecclesiae est quaedam participatio in libertate ipsius Christi Domini, qui per Spiritum suum cum Ecclesia semper est, iuxta illud *Mt.* 28, 20. Notandum insuper est, quod ii, qui contra libertatem generalem religiosam agunt, etiam contra voluntatem Dei agunt. Ergo non sufficit phrasis haec hoc loco. Textus debet saltem insinuare fundamentum profundum theologicum libertatis Ecclesiae.

V. N. 12, pag. 17, linn. 9 ss. Legatur: Pariter libertatem sibi vindicat Ecclesia prout est etiam « populus Dei, gratia et virtute Spiritus Sancti congregatus atque commotus, cuius fideles » iure gaudent, etc. (linn. 12 ss.). *Ratio*: ut recte indicetur fundamentum theologicum libertatis Ecclesiae in quantum est communitas seu populus Dei; quo nimirum sensu, libertas Ecclesiae est quaedam participatio in libertate ipsius Spiritus Sancti, cuius virtute Ecclesia congregatur in unum, cuiusque gratia filii Dei « aguntur » (*Rom.* 8, 14). Notandum enim est, ius ad libertatem christianam in societate idem esse ac ius ad libertatem generalem religiosam quoad obiectum suum, quod est immunitas a coercitione; duo tamen iura non esse eadem quoad fundamenta sua. Libertas utique christiana, sicut ipse Spiritus Sanctus, non invenitur tantummodo intra saepta Ecclesiae visibilis; est tamen libertas quoad fundamentum suum prorsus specialis, loquendo theologice. Textus schematis, prout iacet, videtur insinuare, quod titulus ad libertatem christianam est ipsa hominum libera responsio divinae convocationi. Quod non est verum. Eiusmodi enim titulus in eo est quod ipse Spiritus Sanctus Ecclesiam congregat in eaque inhabitat. Quibus omnibus convenit, ut verba « non minus quam ceteri homines » (lin. 19), omittantur. Non enim hoc loco sunt ad rem. Porro statim inferius venit eadem notio (linn. 21-24).

[*Subscripserunt etiam*] T. Manning, ep. tit. Lesvitanus, aux. Angelorum in California; F. Leipzig, ep. Baker; Ph. M. Hannan, ep. tit. Hieropolitanus, J. Dougherty, ep. Yakima; Fr. Furey, ep. coad. tit. Temno.

87

Exc.mus P. D. CAROLUS OVIEDO CAVADA

Episcopus tit. Beneventensis, aux. Ss. Conceptionis

1. Vox « libertas religiosa » concertationem magnam offert. Anno elapso in relatione exc.mus De Smedt vocabula illa usurpabat quia ita homines moderni loquuntur. Unde erat signum accommodationis cum modo loquendi moderni hominis viae.

Hoc anno autem cl. relator rursus « libertas religiosa » usurpat quia agitur de « termino technico », et quidem iuridico; unde non amplius accommodatur modo loquendi hominis viae, sed potius scientiae iuridicae. Sed, quaerimus, ad quamnam scientiam iuridicam, civilem aut ecclesiasticam? Si ad civilem rursus quaerimus terminum technicum iuris civilis idem significare vel dicere quod in hac declaratione exprimitur? Si ad ecclesiasticam scientiam iuridicam, omnino est negandum, quia omnes tractatus iuris publici ecclesiastici non loquuntur de libertate sed de tolerantia. Unde nequit asseri recte agi de termino technico iuridico, quem anno elapso tantummodo ut sermo vulgaris usurpabatur.

Desideratur alia explicatio, magis profunda, magis vera, magis certa. Haec omnia scripta manent et non valet Concilio praesentare vel offerre quae satis clara non sunt.

2. Titulus declarationis sit « De libertate civili pro observantia religiosa », vel alio correctiori modo hic conceptus exprimatur; nam titulus hodiernus huius declarationis non recte exprimit sensum documenti, etiam cum subtitulo adnexo.

3. Documentum declarationis ita conficiatur ut mundus extra Ecclesiam et populus catholicus recte, perspicue, clare et concinne intelligant quid sibi vult heic Concilium.

4. Ecclesia catholica cognoscit suam veritatem religiosam cum mandato praedicationis. Omnes qui Ecclesiam cognoscunt haec omnia quoque sciunt. Ideoque ampliori modo quam in pag. 6 linn. 25-26, haec dici debent.

5. Clariori modo per omne schema luceat et appareat quod quaestio est de libertate *civili* pro observatione religiosa et non agi ita simpliciter de libertate religiosa. Aliter omne genus concertationis et confusionis erit. Ad rem attinet in memoriam habere et revocare commentaria diariorum absque influxu ecclesiasticorum, non diariorum vel foliarum cum inspiratione christiana sicut in Italia « L'Avvenire d'Italia ». In mea natione, Chilia (Chile), apud folia ubi influxus Ecclesiae nullus est aut non existit sumitur libertas religiosa sicut libertas ad quamlibet religionem amplectendam, ita ut exponatur quod hodie Ecclesia tamquam aequales omnes religiones habet: indifferentismus religiosus exoritur sive ad religionem quandam habendam sive ad illam observandam. Hoc intelligit « mundus », et hoc nemo non videt si legit folia quae « mundus » legit.

88

Exc.mus P. D. PAULUS PHILIPPE

Archiepiscopus tit. Heracleopolitanus

Animadversio generalis. Libertas religiosa in civilis societatis ordinatione iuridica postulanda est, habita ratione hodiernarum condicionum societatis humanae.

At argumenta in schemate allata (praesertim, n. 3) mihi videntur neque solida, neque doctrinae magisterii Ecclesiae consentanea.

a) Non potest probari hominem, ratione dignitatis personae, ius habere ad immunitatem ab omni coercitione ex parte cuiusvis potestatis humanae, si errores docet vel spargit veritatem revelatam evertentes, dummodo ordinem publicum non perturbet. Hoc tanquam principium universale ratione non probatur nec conciliari potest cum doctrina Leonis XIII in Enc. *Libertas praestantissimum* et *Immortale Dei* neque proponi potest tanquam conclusio doctrinae ulterius evolutae in documentis recentioribus Magisterii.

b) Item, argumentum propositum in n. 3, pag. 8, linn. 10-26 soliditate caret. Ex hoc enim quod persona humana naturam socialem habet, sequitur quod religionem suam *naturaliter* actibus externis manifestat, sed non sequitur quod *moraliter et iuridice* hoc facere possit errores in re religiosa docendo et spargendo, et quod in hoc casu iure ad immunitatem gaudeat ab omni coercitione ex parte cuiusvis humanae potestatis, dummodo ordinem publicum non laedat.

c) Punctum saliens schematis consistit in sententia de competentia potestatis civilis relate ad rem religiosam (n. 3, pag. 8-9). Munera eius in hac re restringuntur ad tuendam libertatem religiosam civium, nulla coercitione vel limitatione adhibita nisi ordo publicus laedatur. Sed haec conceptio non concordat cum doctrina a Summis Pontificibus toties exposita. Status Bonum commune societatis prosequi debet, ad quod pertinet rectus ordo civium et potestatis ad Deum. Quare potestas civilis debet veritatem religiosam agnoscere, ac modo sibi competente conservare et tueri.

Animadversiones circa principia adhibita in schemate: a) *De subiecto iuris eiusque natura.* Relatio (pag. 49) respuit sermonem de « iuribus veritatis » vel de « iure ad veritatem », quia subiectum iuris sunt tantum personae physicae vel morales atque ius connotat relationem intersubiectivam inter personam et personam. Sed non debet fieri lis in verbis: nam « iura veritatis » semper intellecta sunt de iuribus sive ipsius Dei, Summae Veritatis, sive personarum quae ordinantur ad veritatem. Concedo quod « ius ad veritatem » agnoscitur in aliqua persona relate ad aliam personam, quae vel dicere debet veritatem, vel non impedire quominus veritas ab altera manifestetur. Sed ius istud in personis existit quia personae, *quatenus sunt intellectualis naturae, ad veritatem ordinantur,* vel, aliis verbis, quia veritas

intellectum personarum ad invicem communicantium *regulat.* Loquendo de iuribus personae, praescindere non possumus ab eorum *fundamento,* quod non est ipsa persona humana, sed verum et bonum ad quod natura sua persona ordinatur. Secus declinatur ad conceptum quodammodo « existentialisticum » personae.

b) *De competentia Status.* Dicitur in Relatione (pag. 48 et 49), potestatem civilem non esse competentem ad iudicandum de vero et falso in re religiosa. Unde sequitur quod in hac re, officium eius restringitur ad servandam immunitatem personae in agendo publice iuxta conscientiam, nisi ordo publicus laedatur.

Sed ad hoc responderi potest Statum non posse iudicare *auctoritative* de veritate religiosa, seu non habere potestatem determinandi qualis sit vera religio, at Status, secundum doctrinam traditionalem Ecclesiae, potest ac debet *agnoscere* veritatem religiosam eamque servare et protegere modo sibi competente.

Conclusio. Allocutioni in aula habitae ab exc.mo D. Morcillo, arch. Matriten., die 16 septembris, consentio, atque peto, ut textus habeat indolem titulo suo respondentem, scil. *merae declarationis,* quae pro omnibus libertatem civilem in re religiosa, intra iustos limites, postulet, quin hoc ius civile argumentis sive ex ratione seu ex S. Scriptura depromptis fulcire intendat. Argumenta disputationi theologorum relinquantur.

89

Exc.mus P. D. ANTONIUS PILDÁIN Y ZAPIÁIN
Episcopus Canariensis

Tranquille, in hac turbulentissima quaestione *de libertate religiosa,* vellem hanc dissertatiunculam meam reducere ad quaedam quaesita, quae, absque dubio, proponent nobis quamplures fideles nostri, et quibus respondere placeret, non opinione mea particulari, sed authentica responsione conciliari.

1. Et primum quod, qua par est humilitate et reverentia, quaero est hoc: Utrum schema praesens — vel redactores schematis vel Commissio — si personis alludere fas sit — utrum doctrinas, toties a Summis Pontificibus a Leone XIII praesertim, S. Pio X etc. promulgatas, existiment adhuc vigentes et viventes, an, e contra, reputent eas nativum robur amisisse, aut penitus obsolevisse.

2. Si hoc ultimum profitentur, quaero quomodo exuere valeant notam illius modernismi moralis, iuridici et socialis, de quo loquebatur insignis Pontifex Pius XI, in sua Encyclica *Ubi arcano,* et in quem, secundum eamdem encyclicam, incidunt illi qui, quamvis doctrinas catholicas in pluribus profiteantur, iidem tamen, sermonibus, scriptis, haud aliter se gerunt ac si doctrinae et praecepta a Summis Pontificibus, a Leone XIII praesertim, a

S. Pio X etc. toties edocta, aut nativum robur amisissent, aut penitus obsolevissent.

« In quo, genus quoddam modernismi moralis, iuridici ac socialis est agnoscendum, quod quidem una cum modernismo illo dogmatico impense reprobamus », concludit ipse Romanus Pontifex.

3. Si vero, ad eludendam hanc modernismi notam, dicant sese doctrinas Leonis XIII praesertim, et S. Pii X etc., vigentes et validas habere, quaero an eodem modo definiant nomen ius, et eamdem significationem eidem tribuant, quam tribuebat huic vocabulo Leo XIII.

Logice, affirmativa responsio exspectanda est, ut vitetur lamentabilis in modernismum lapsus.

Iam vero Leo XIII expresse affirmat: « Ius est facultas moralis ». Si ergo ius est facultas moralis, nonnisi a Deo procedere potest.

Cum vero schema nostrum expresse asseveret ius ad libertatem religiosam competere omnibus personis et communitatibus religiosis — atque proinde etiam religiones falsas profitentibus — ius videlicet etiam ad suas doctrinas publice docendas, humiliter quaero: Ergo haec Sacrosancta Synodus Vaticana declarat personas atque communitates religiosas, falsas religiones profitentes, habere facultatem moralem a Deo acceptam publice docendi, v. g. in Deo nonnisi unicam esse personam, sicut docent mahometani; Iesum Christum non esse Deum, sicut docent iudaei, aut Ecclesiam supra Petrum aedificatam, et cui praesunt Romani Pontifices, eius successores, non esse veram et authenticam Ecclesiam Christi, prout docent Protestantes?

4. Si autem ad has horrendas consequentias vitandas, respondeatur nomen iuris non sumi in schemate prouti semper adhibitum fuit a Leone XIII, pro facultate videlicet morali, sed sumi prouti nunquam adhibitum fuit a praeclaro illo Pontifice, videlicet, pro immunitate a coercitione ex parte cuiusvis potestatis humanae: nonne ipso facto asseritur definitionem iuris Leonis XIII obsolevisse, quod est in modernismum incurrere?

5. Sed acceptemus, cum scholastico « transeat », definitionem iuris a schemate datam; adhuc tamen quaerimus an doctrinae Leonis XIII, etiam in hac hypothesi, concordent cum doctrinis schematis.

Dicit schema: Omnibus civibus et communitatibus religiosis — atque proinde etiam falsas religiones profitentibus — ius ad libertatem in re religiosa, agnoscatur et observetur, et ne mediis legalibus vel actione administrativa potestatis civilis impediatur... et ne impediantur in sua fide ore et scripto publice docenda.

Sed contra docet Leo XIII: Opinionum mendacia — qualia sunt plura quae a falsis religionibus docentur (unica enim est, ipso schemate teste, vera religio et unica Christi Ecclesia) opinionum mendacia, docet Leo XIII, aequum est ab auctoritate publica diligenter coerceri.

Quaero: Putatne commissio hanc Leonis XIII doctrinam nativum suum robur iam amisisse?

6. Item, evidens est a variis falsis religionibus plura doceri quae directe

opponuntur veritatibus naturalibus, quae veluti patrimonium constituunt generis humani, maxime vero veritatibus a Deo revelatis.

Dicit autem schema: Communitates religiosae ius etiam habent ne impediantur in sua fide ore et scripto publice docenda.

Sed contra docet Leo XIII: Nihil tam impium esset, tamque stolide inhumanum quam impune sinere illud patrimonium violari et diripi.

Quaero: Censet commissio haec Leonis XIII verba iam omnino obsolevisse?

7. Item, evidens similiter est, plures adesse in mundo huius temporis religiones, quae fastidiosas censent non paucas sanctissimas Dei leges, necnon et oboedientiam denegant quae debetur potestati legitimae, qualis est inter omnes, potestas Romani Pontificis.

Dicit autem schema: Haec Vaticana Synodus declarat ius ad libertatem religiosam in iuridicae societatis ordinatione ita esse agnoscendum ut ius civile evadat, quod omnes homines, omnesque communitates religiosae legitime sibi possint vindicare.

Sed contra docet Leo XIII. Non potest Ecclesia libertatem probare eam quae fastidium gignat sanctissimarum Dei legum, debitamque potestati legitimae oboedientiam exuant.

Quaero: Iudicat commissio hanc Leonis XIII assertionem esse posthabendam?

8. Item docet schema. Debet igitur potestas civilis per iustas leges efficaciter suscipere tutelam curamque libertatis religiosae omnium civium (atque proinde profitentium religiones, quarum non paucae, ut notum est, docent quae sunt veritati et virtuti contraria).

Sed contra docet Leo XIII. Quaecumque sunt virtuti veritatique contraria, ea in luce, atque in oculis hominum ponere, non est aequum; gratia tutelave legum defendere, multo minus.

Quaero: Censetne commissio hanc assertionem Leonis XIII iam pro nihilo esse habendam?

9. Item docet schema. Huic Vaticanae Synodo in votis est, ut ius personae humanae ad libertatem religiosam in omnibus per orbem terrarum partibus agnoscatur. Libertas religiosa quae singulis personis competit, etiam communitatibus agnoscenda est. Hae namque a sociali natura, tum hominum tum ipsius religionis, requiruntur.

Sed contra, docet Leo XIII: Nequaquam licere petere, defendere... promiscuam religionum libertatem veluti iura totidem, quae homini natura dederit. Omnis enim libertas legitima putanda, quatenus rerum honestarum maiorem facultatem afferat, praeterea, nunquam.

Et alibi: Falsum eodem iure esse ac verum rationi repugnat.

Probe sciebat Leo XIII subiectum iuris esse non posse nisi personam, sed utebatur locutione metonymica, apud iurisperitos usitata, qua significatur repugnare rationi quod verum profitentes et falsum eodem iure fruantur.

Iudicatne commissio has gravissimas Leonis XIII asseverationes omni vi exutas?

Dicit schema — ut alia plura omittamus — aliquid, saltem pro me, vere mirandum.

« Tandem ad libertatem religiosam spectat — dicit — quod communitates religiosae — proinde etiam falsae — libere possint ostendere singularem suae doctrinae virtutem in ordinanda societate ac tota vivificanda activitate humana » (n. 6).

Singularis virtus doctrinae falsarum religionum in ordinanda societate ac tota vivificanda vita humana! Extranea revera et inaudita assertio, contra quam non solum Leo XIII, sed et omnes Romani Pontifices et tota Ecclesia catholica proclamant quod, historia huius temporis teste, si posthabentur christianae sapientiae praecepta, non iam ordo societatis et vivificatio vitae humanae, sed e contrario, discordiarum semina ubique, tamquam opportuno in loco sata, tandem in teterrima illa erumpunt bella, quae vi et sanguine ordinem socialiter penitus evertunt, et millia millium hominum vitas in horrendos convertunt cadaverum acervos.

Quandonam, ubinam, quinam in Ecclesia catholica unquam fuere apostoli, Patres et Doctores qui talem pro falsis religionibus proclamaverunt libertatem?

Concludamus. Textus pontificii, praesertim Leonis XIII quos attulimus doctrinam docent contrariam iis quae in hoc schemate asseruntur.

Cur, hoc schema, illam doctrinam disserit? Uti falsam? Et quomodo vitare poterit notam modernismi dogmatici a S. Pio X damnati? Uti obsoletam iam, in mundo huius temporis? Et quomodo, in hoc casu, exuere valebit notam modernismi illius moralis, iuridici et socialis, quem una cum modernismo illo dogmatico Pius XI impense reprobavit?

En simplicissima quaesita, quorum responsionem quamplures fideles a Concilio avide exspectant.

Et si tempus adsit, adhuc duo verba addamus quae ad doctrinam S. Papae Pii X sese referunt, quae tamen ut obsoleta apparet in nostro schemate.

Omnes enim norunt Sanctum Pontificem aperte reiecisse modum loquendi eorum qui de Iesu Christo agentes, nonnisi de summa ipsius mansuetudine et misericordia loquuntur, tacentes ipsius fortitudinem et sanctam indignationem adversus profanantes templum, scandalizantes pueros, etc.

Quaero, igitur, humiliter, ne in hunc agendi modum incurrat nostrum schema, quod D. N. Iesum Christum semper et unice exhibet mansuetum, cum in Evangelio exhibeatur etiam inimicos suae doctrinae circumspiciens cum ira, et ipsos appellans caecos et duces caecorum, hypocritas, intus rapina et immunditia plenos, filios diaboli, serpentes, gemina viperarum, qui a iudicio gehennae effugere non poterunt.

Similiter apostolos exhibet schema ut mansuetudinem tantummodo exercentes, et tacet omnino Petrum morte plectentem Ananiam et Saphiram, et Paulum durissime increpantem Elipham magum et ipsum caecum reddentem,

et incestuosum Satanae in interitum carnis tradentem, et Petrum et Paulum et Ioannem et Thaddaeum durissimis verbis inimicos doctrinae Christi condemnantes, dicentes de his quod sunt « velut irrationabilia pecora », « homines corrupti mente, reprobi, antichristi, qui post carnem in concupiscentiam immunditiae ambulant, oculos habentes plenos adulterii, maledictionis filii, impii, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, animales, Spiritum non habentes, superbae vanitatis loquentes, in his quae ignorant blasphemantes, libertatem promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis, contingit enim eis illud veri proverbii: canis revertens ad suum vomitum, et, sus lota in volutabro luti ». Ita loquebantur apostoli.

Haec autem omnia schema omnino tacet, et quoniam, ut proverbium docet, « dimidiata veritas, maxima falsitas », imagines exhibet Christi et Apostolorum maxime falsificatas. Ut quid talis et tam reprobandus irenismus? Et quare, quasi per totum schema serpens, ille, adeo impense a Pio XI reprobatus, modernismus?

Ceterum, neminem latet Ecclesiam catholicam plane recognoscere omnibus hominibus plenam libertatem religiosam, procedendi in foro suo interno sub lumine propriae conscientiae, etiamsi si sit erronea, dummodo sit sincera seu bonae fidei, ita ut expresse iubeat ut ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur.

Item omnibus nota sunt illa verba Leonis XIII in sua magna Encyclica *Immortale Dei,* nempe nullam causam iustam dari ut Ecclesiam quisquam criminetur inimicam libertati quae germana sit et legitima.

Revera — addit — quamvis Ecclesia iudicat non licere divini cultus varia genera *eodem iure* esse quo veram religionem, non ideo tamen damnat eos rerum publicarum moderatores, qui magni alicuius boni adipiscendi, aut prohibendi mali causa moribus atque usu patienter ferunt ut ea genera cultus habeant singula in civitate locum.

Quod non approbat, quod expresse reprobat Leo XIII est quod varia cultus genera *eodem iure* sint quo vera religio.

Et hic praecise, in aperta hac dissensione a definitione iuris, et a doctrina iuridica Leonis XIII, latet anguis totius schematis et est causa cur schema, quasi ex toto, scateat modernismo illo iuridico, morali et sociali a Pio XI, ut meminimus, impense reprobato, una cum modernismo dogmatico.

Votum meum. Deleantur in schemate omnes textus qui fidelibus occasionem praebebunt opinandi Concilium Vaticanum II, in modernismum incidisse; et quos acatholici, subridentes, conspicient ut irenismi et opportunismi, nimis serotina, et, insuper, frustanea, tentamina; iam enim, ut omnibus notum est, libertatem illam religiosam quam illi, longo abhinc tempore, proclamaverant et cuius declarationem a nobis exspectabant, iam, pro plurimis eorum, includere etiam libertatem atheismi, quam suppono quod in votis huius Synodi Vaticanae non erit.

Ecclesia enim libertatem unicae verae religionis proclamavit semper. Tolerantiam falsarum religionum saepe. Libertatem autem harum falsarum reli-

gionum, aut atheismi, numquam: ius vero ad talem libertatem, nequaquam.

Patres ergo cum simus non alicuius coetus humani, sed Concilii Generalis Sanctae Matris Ecclesiae, quae est columna et firmamentum veritatis, veritatem prae omnibus teneamus et absque commixtione, et absque apparentia erroris ipsam proclamemus. Quae, quamplurimis hominibus, non placebit? « An quaero hominibus placere? ». « Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem ».

90

Exc.mus P. D. IOANNES POHLSCHNEIDER

Episcopus Aquisgranensis

Nomine episcoporum respective Patrum conciliarium Germaniae, Austriae, Helvetiae, Scandinaviae et nonnullarum aliarum nationum, qui in schedula adiuncta inveniuntur, enixe rogo, ut in schemate declarationis *de libertate religiosa* fiat sequens emendatio:

Pag. 12, n. 7, linn. 35 ss. scribatur: « ... Potestas civilis iura parentum violat, si liberi ad frequentandas scholas cogantur, quae genitorum persuasioni religiosae non correspondeant, vel si quin etiam unica imponatur educationis ratio, ex qua omnis formatio religiosa excludatur ». *Ratio est*: Potestas civilis potest, sicut v. g. in nonnullis regionibus Germaniae usus est, scholas sic dictas « communes » (« Gemeinschaftsschulen » vel « Simultanschulen ») condere, in quibus liberi diversae fidei simul educantur et tantum instructio religiosa diversa habetur. Periculum est, ne adversarii educationis catholicae verbis schematis (« ex qua omnis formatio religiosa excludatur ») utantur ad construendum argumentum contra scholam catholicam stricte dictam.

91

Exc.mus P. D. ERNESTUS PRIMEAU

Episcopus Manchesteriensis

Loquor de scopo schematis de eiusque methodo. De his rebus potest dari, et datur, disputatio legitima. Omnibus tamen perpensis, nobis placet structura schematis, prout stat.

Per se et speculative loquendo, melius utique esset, si schema exponeret totam theologiam catholicam de libertate, et quidem modo theologico. Debet igitur incipere cum doctrina revelata, et posthac complere hanc doctrinam ex ratione humana. Eiusmodi expositionis quattuor essent capita, hoc fere modo disposita: primo, exponatur quid sit libertas christiana seu filiorum Dei, quomodo sit participatio quaedam in libertate ipsius Spiritus Sancti, a quo in historia salutis filii Dei « aguntur » (cf. *Rom.* 8, 14) ad Patrem per Filium Incarnatum; secundo, exponatur quid sit libertas Ecclesiae, quomodo participatio quaedam sit in libertate ipsius Christi, cui omnis potestas in caelo

et in terra data est (cf. *Mt.* 28, 18); tertio, exponatur quomodo actus fidei sit liber, ut intelligatur, quanti momenti libertas hominis a Deo aestimetur; quarto tandem, exponatur quid sit libertas communis religiosa, sensu suo hodierno, secundum quem est ius in dignitate nativa hominis fundatum, et ratione humana comprobatum.

Fulciri potest haec methodus procedendi pluribus argumentis. Hodie enim desideratur in Ecclesia eiusmodi theologia completa de libertate. Eam autem exponendo, Concilium Oecumenicum loqueretur modo sibi proprio, cum ad fontes revelationis praecipue appellaret. Suntque alia argumenta, quae pondere suo non carent. Contra vero sunt argumenta pro praesenti structura schematis.

Primo haec declaratio explicite dirigitur ad mundum universum, sive christianum sive non-christianum, sive religiosum sive atheum. Inepte igitur initium sumeret e veritatibus, quae nonnisi revelatione christiana innotescunt, et nonnisi fide christiana possunt accipi. Secundo, problema, quod in mundo universo maxime animos movet, est problema de libertate religiosa, in quantum est ius humanum et civile. Homines per orbem, et praecipue periti in re, fere hoc unum scire volunt, quid nimirum sentiat Ecclesia de hac libertate personae humanae. Scire scilicet volunt, utrum Ecclesia adhuc in saeculo decimo nono vivat, problemata ideologica revolvens, quae iam fere obsoleta sint, an potius ad mundum huius nostri temporis attendat, in quo in discrimen vocantur ipsa dignitas humana eiusque libertas debita. Addendum est, quod intra ipsam Ecclesiam controversia quaedam de libertate religiosa iam dudum viguit quasi abscondita, quae in lucem proferatur oportuit, et ab hac Sacra Synodo solvatur.

Tertio, et veritas et prudentia simul suadent, in praesentibus circumstantiis historicis, ut fiat clara distinctio inter libertatem illam religiosam, quae est in societate humana ius personae, et libertatem aliam christianam, qua intra ipsam Ecclesiam filii Dei donantur. Ut bene scimus nos omnes, quaestio de libertate in Ecclesia hodie agitatur valde. Et quidem agitanda est haec quaestio, animo serio atque pacifico. Nullatenus est supprimenda. Eius suppressio esset valde periculosa. Estque etiam impossibilis, praesertim apud iuvenes. Attamen haec quaestio de libertate in Ecclesia est omnino specialis, difficilis, haud parum complicata. Suis porro principiis regitur christianis et catholicis. Nequaquam est confundenda cum alia quaestione prorsus diversa, quae est de libertate religiosa in societate civili, quaeque regitur principiis rationis naturalis. Si confunderentur hae duae quaestiones diversae, damnosa confusio oriretur apud fideles, praesertim apud incultos. Necesse ergo omnino est, ut haec Sacra Synodus ne minimam quidem ansam praebeat eiusmodi confusioni. Consilium igitur prudentiae est, ut in hac nostra declaratione non agatur latius de libertate christiana sensu theologico et simul de libertate religiosa sensu iuridico.

Videant igitur theologi, ut integram theologiam de libertate christiana elaborent, eiusque exactam relationem cum libertate religiosa ostendant. Vi-

deant quoque pastores Ecclesiae, ut fideles rite intelligant libertatem illam evangelicam, quae ibi invenitur, ubi Spiritus Sanctus est. At vero sufficiat huic Sacrae Synodo, ut hac sua declaratione de libertate religiosa homines ubique terrarum certiores faciat, Ecclesiam Christi esse propugnatorem libertatis humanae.

Concludo. Vix dubium est, quin promulgatio huius nostrae declarationis creaturus sit difficultates pastorales haud parvas in variis mundi regionibus. Quapropter in hac aula audivimus multos Patres loquentes de eorum anxietatibus pastoralibus. Sed omnino recolenda est distinctio inter anxietates pastorales et dubia doctrinalia. Alia enim est quaestio, utrum schema certo declaret veritatem catholicam. Alia vero est quaestio, utrum schema forsan excitet difficultates practicas. In mente tenendum est dictum celeberrimum Ioannis card. Newman, scil. quod mille difficultates non creant ne unum quidem dubium ("a thousand difficulties do not make a single doubt"). Pertinet ad nos Patres, in hoc Concilio adunatos, ut veritatem de libertate religiosa, in hoc schemate contentam, mundo proclamemus sine timore. Etiam ad nos Patres pertinebit, in nostras dioeceses reversos, ut munus nostrum pastorale exerceamus animo forti et tranquillo, certando nempe cum nostris problematibus practicis. Unum tamen nobis non licet, nempe, ut in hoc Concilio propter anxietates pastorales recusemus accipere ipsam veritatem de libertate religiosa, quam schema nostrum egregie declarat.

92

Rev.mus P. D. IOANNES PROU

Abbas praeses generalis Congr. gallicae O.S.B.

Schema nobis propositum saepe saepius agnoscit exercitium libertatis religiosae « intra debitos fines » contineri debere, quin tamen eos limites sufficienter definiat vel delineet eosque sub uno principio reducat, ne in illo quidem paragrapho 4 ubi de his limitibus « ex professo » tractare censetur.

Hoc unicum principium revera existit et id invenimus expressum in documentis non paucis magisterii ecclesiastici: *Bonum* videlicet *commune*. Sola etenim huius « boni communis » notio plene apta est quae religiosae libertatis limites taxative determinet.

Schema nobis proponit libertatis religiosae exercitium sub aspectu iuris. Ius vero, ab auctoritate conditum, est factum sociale quod unquam recte intelligi potest nisi in sua relatione cum duobus aliis vitae socialis elementis, nempe bonum commune et membra societatis.

In unaquaque ex illis societatibus quae homini necessaria sunt ut finem suum consequatur, Ecclesia scilicet, societas civilis et familia, tria distinguenda sunt, nempe: bonum commune - membra huius societatis - auctoritas.

Bonum commune finis est totius activitatis socialis ut sic. Declarare autem vel statuere quae sint huius boni communis elementa constitutiva non est

hominis sed ipsius Dei, cuius est ea constituere, qua auctor naturae humanae et eius vocationis supernaturalis.

Humanarum personarum, utpote *societatis membrorum,* est bonum commune ad effectum perducere. Munus suum praestant, libere agendo, secundum suam naturam, per seipsas vel mediantibus consociationibus ab eis libere conditis. Et ita persona humana quodammodo auctor est boni communis, id scil. promovendo, non tamen constituendo.

Ad auctoritatem tandem pertinet ius proprium condendi, i. e. efficaces normas iuridicas stabiliendi, quibus liberae actiones personarum ad bonum commune promovendum pacifice et organice conspirent.

Totalitas autem vitae in societate sub triplici aspectu consideranda est, nempe: *Ordo finis,* quae connotat omnes valores a Deo statutas et bonum commune integrantes; *ordo executionis,* seu causae efficientis, in qua praeeminet persona humana libero arbitrio et responsabilitate praedita; denique pacifica compositio libertatum in ordine ad bonum commune, quod est *ordo iuridicus.*

Et ita duae relationes ad essentiam iuridicae ordinationis pertinent, una scil. ad bonum commune, altera vero ad personas.

Attamen duplex ista relatio ordinationis iuridicae constitutiva, ad unam tantum reduci potest: fundamentalis videlicet relatio iuridicae ordinationis ad bonum commune.

Animadvertendum est, venerabiles Patres, et haec notatio maximi momenti est, bonum commune humanum contradistinguendum non esse, in ethica sociali, a bono personali, cum sit eiusdem naturae. Bonum commune humanum est bonum pluralitatis personarum libertate praeditarum; et ita bonum commune non est aliud quam singulorum ac universorum perfectio personalis in quantum sunt ad invicem in mutua relatione. Et sic libertas, germana humanae personae perfectio, adnumeratur inter valores essentiales auctoritate divina insertos in bono communi, utpote quod sit finis iuridicae organizationis.

Et ita, quanto magis publica potestas vero bono communi inservire intendit eo magis liberos et personales conatus fovet (elle favorise les libres initiatives personnelles) eosque in forma iuris civilis reducit.

Sed notandum est quod, cum bonum commune sit finis iuridicae ordinationis, universi valores boni communis ab ea assumendi sunt, et non unus tantum, cum aliorum detrimento. Omnes enim Boni communis valores ita connectuntur quemadmodum in substantiali unitate hominis omnes perfectiones ad invicem ordinantur.

Ergo personalis libertas, ut valor fundamentalis ad bonum commune assequendum, in normis iuridicis recepta et approbata, intrinsece et essentialiter limitatur ab aliis boni communis valoribus quales stabiliti sunt a Deo socialem naturam hominis creante vel ipsam ad ordinem supernaturalem elevante.

His positis, in religiosis rebus, ius civile ad libertatem limitatur ab omni-

bus ceteris valoribus boni communis saltem in iure naturali contentis, qualiter illud Ecclesiae magisterium auctoritative declarat fideliterque custodit et tradit.

Concludo. Schema debet explicite declarare quamvis ordinationem iuridicam libertatis in re religiosa non habere fundamentum nisi in bono communi, iuris civilis origine et fine. Quod bonum commune definiri potest ad mentem doctrinae catholicae ut bonum pluralitatis personarum quas Deus creavit ad imaginem suam quibusque praecepit ut eum serviant tam in ordine naturali quam in ordine supernaturali. Doctrina sic fundata in genuina notione « personalistica » boni communis [1] propriam Ecclesiae positionem circa libertatem in re religiosa perfecte delineat et eam secludit a totalitarismo tam atheistico quam confessionali necnon et liberalismo. Ea denique positio minime contradicit existentiae illius Status qui veram religionem profiteatur et foveat, dum e contra repellit falsam doctrinam separationis (non dico distinctionis) Ecclesiae et Status civilis.

93

Exc.mus P. D. ANTONIUS SAMORÉ
Archiepiscopus tit. Ternobenus

Valde congruum videtur declarationem *de libertate religiosa* proponendam esse a Concilio Vaticano II, praesertim in hisce diebus quando per fere totum orbem terrarum datur pluralitas religionum, et quando conceptus evolutus dignitatis personae humanae videtur includere immunitatem a coercitione civili quoad rem religiosam. Attamen, in textu huius declarationis maxima cura adhibenda est ne aliquid irrepat quod doctrinae catholicae non est plene conforme, praesertim quoad indifferentismum religiosum. Proinde, hae suggestiones offeruntur:

1. In pag. 6, lin. 3, dicatur « cuiusvis potestatis civilis » loco « cuiusvis potestatis humanae », quia de potestate civili sola in schemate tractatur. « Potestas humana » posset includere potestatem Ecclesiae. Sed Ecclesia possidet potestatem coercitivam quoad suos subiectos, e. g., infligendo censuras apostatis a fide (can. 2314).

2. Videtur esse confusio inter libertatem physicam (*Potestatem* aliquid faciendi vel volendi) et libertatem moralem (*Ius* aliquid faciendi vel volendi). Sic in pag. 16, linn. 5 ss. transitus fit a libertate physica eliciendi actum fidei ad libertatem moralem talem actum eliciendi. (Quae libertas non datur, quia Christus dixit: « Qui vero non crediderit, condemnabitur »).

3. Difficile est intelligere quomodo possit dici in schemate quod po-

[1] « Le bien commun, en vue duquel le pouvoir civil est établi, culmine dans la vie autonome des personnes » (Pie XII, 6 déc. 1957) (original français).

testas civilis non debet sese immiscere in rebus religiosis (pag. 9, lin. 3), et quod « status non est auctoritas competens quae possit iudicia ferre de veritate vel falsitate in re religiosa » (pag. 49, lin. 3). Contra quam opinionem citari possunt verba S. P. Leonis XIII, declarantia civitates habere obligationem agnoscendi et colendi veram religionem, i. e., catholicam (*Fontes,* pag. 237). Praeterea, ex doctrina et praxi Ecclesiae scimus Christum Dominum Ecclesiae catholicae dedisse ius exclusivum impedimenta matrimonialia statuendi pro omnibus baptizatis (can. 1038), sicque limitasse auctoritatem potestatis civilis, in quantum respicit ad legem naturalem. Nunc autem si Christus hanc limitationem potestatibus civilibus imposuit, gubernia civilia (scil., homines possidentes auctoritatem civilem) possunt hanc limitationem agnoscere. Hoc vero non possunt nisi possint agnoscere Ecclesiam catholicam esse veram Ecclesiam Christi Domini.

4. In n. 10 (pag. 14-15) innuitur quod Christus nunquam adhibuit coercitionem ad discipulos alliciendos. Sed revera, ipse minatus est aeternam damnationem illis qui suum evangelium non crediderint (*Mc.* 16, 16). Item, asseruit Christus quod paenae infligendae illis qui suos discipulos non receperint futurae essent maiores quam Sodomae inflictae (*Lc.* 10-12).

94

Exc.mus P. D. ANTONIUS SANTIN

Archiepiscopus-episcopus Tergestinus et Justinopolitanus

Attente legi schema declarationis *de libertate religiosa,* quod secretaria generalis Concilii nobis ad domicilium transmiserat iunio mense mox elapso. Variis in partibus apparet emendatum. Sequentia tamen videntur adhuc observanda.

1. Vere magni momenti est comma ultimum numeri secundi. Velim itaque videre melius evoluta tria puncta, quae ibi continentur: *a*) quivis homo tenetur veram quaerere religionem animo recto, humili, constanti, *b*) item tenetur inventam amplecti, *c*) veram esse religionem catholicam affirmetur.

2. Primum comma numeri quinti dicit aequalitatem iuridicam civium non esse violandam ob causas e religione manantes. Assertio haec, sic absoluta, videtur omittenda vel saltem limitanda, quando occurrunt speciales circumstantiae e bono communi provenientes. Quod proponi potest more concordatus, sicut in Italia, ubi sacerdotibus apostatis non licet in scholis publicis docere. Sunt et tribunalia, quae agnoverunt tali modo non laedi aequalitatem civium, quam rei publicae constitutio reddit securam.

3. Est thesis, quae explanari et compleri debet. Agitur de doctrina, quae statuit communitates religiosas non esse impediendas, quominus fidem suam ore vel scriptis promoveant, ita tamen, ut ordo publicus nullatenus turbetur. « Abstinendum est ob omni actionis genere, quod coercitionem vel suasio-

nem inhonestam aut minus rectam sapere videatur, praesertim quando de rudioribus vel de egenis agitur ». Quid vero magistri et professores in scholis publicis, vel paedagogi in collegiis et orphanotrophiis, a publica auctoritate dependentibus, hic in Italia, possuntne hi inter alumnos suos proselytismum agere i. e. doctrinas suae religionis pervulgare, et quidem sine coactione (nimirum) et sine pravis suasionibus? Et si quis eos talia agentes vellet cohibere, e. g. directio Instituti, auctoritas religiosa, violaretne ius eorum? Estne ius parentum inane? Abusus esset iuvenilis aetatis et inexperientiae ad labefactandam eorum fidem. Patet textum propositum in hac re deficere.

4. Considerandum tandem, quomodo res de facto procedant. Centenae sectae novae ingrediuntur urbes et parochias. Ipsae protestantium communitates, iam historice consistentes, ea re commoventur, aliquot eorum pastoribus id mihi fatentibus. Populus haud parum perturbatur videns, quomodo novi in dies exsurgant magistri, novas disseminantes doctrinas et fidem patrum eradicare nitentes. Declaratio libertatis respiciat etiam talem praeacerbam rerum condicionem. Absit, ut coram fidelibus compareamus, quasi indifferentes essemus in tanta religionum varietate.

95

Exc.mus P. D. VILLELMUS SCHOEMAKER
Episcopus Purwokertensis

Auditis in Concilii aula, argumentationibus animatis « pro et contra » schema declarationis, nobis videtur quod *nondum* adest inter Patres « opinio satis communis » de sensu et extensione libertatis personae humanae tam individualis quam communitaria « in re religiosa ».

Quamquam certe fere omnes conveniunt in hoc, quod reiteratio historiae « Inquisitionis Hispaniae vel Romanae » non est suadendum, necnon quod laudes in favore figurae Torquemada non plus audiantur, semper autem adhuc exstant qui quodam spiritu zelotypiae animati, volunt eradicare *ante messem,* omnem errorem intellectualem vel malum-morale, sicut zizania inter triticum.

Etiam ideae qui invocant indirecte theoriam « duorum gladium », unum spirituale *ab* Ecclesia utendum, alium temporale-civile *pro* Ecclesia utendum a Principe christiano, adhuc audiuntur, sicuti mundum adhuc in circumstantiis mediaevalibus convertiret.

Spiritus et habitus zelotypiae « ad maiorem Dei gloriam », tamen reiicitur ab ipso Domino; dicente: « Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum. *Sinite utraque crescere* usque ad messem ». Quae parabola evangelica (*Mt.* 13, 24) iam constituit vera declaratio immunitatis a coactione physica vel morali, a quacumque instantia, ecclesiastica vel civili.

Ex altera parte, ipse textus schematis, mihi non adeo placere valet, quia mihi nimis naturalistica, humanistica apparet, qui « ad captandam benevolentiam mundi non-christiani » argumenta probet ex « iure naturali sumpta »

ideo apparata sicuti « distinctio » inter natura et gratia esset « divisio ». Magis mihi placeret si argumentatio sumeretur ex argumentatione S. Pauli ad *Rom.* 2, 12: « Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege et peribunt et quicumque in lege peccaverunt, per legem iudicabuntur...

Cum enim gentes quae legem non habent, naturaliter quae legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationum accusantium aut etiam defendentium, in die cum iudicabit Deus occulta hominum, secundum evangelium meum, per Iesum Christum ».

Ideo quamquam historia et oeconomia salutis, in Christo Iesu, est factum historicum in et pro toto genere humano, Ecclesia sibi convictum habet, quod quamquam regula moralitatis et veritatis sit in Evangelium Christi et mundus iudicabitur ab ipso secundum evangelium istud, ii qui non crediderunt quia erant sine praedicante (*Rom.* 10, 3. 13 - quomodo audient, sine praedicante?) ipsi sibi lex existunt, et a Deo iudicabuntur secundum suam conscientiam liberam et rectam quamquam in re erroneam.

Et quod non sit potestas humana, qui propter rationes quascumque, iniuste coactionem physicam vel moralem hac in re exercere potest.

Propter has et alias rationes proponere volo, ut saltem quid substantiale a Concilio in re libertatis civicae in re religiosa, dicatur, ut sequitur:

Propositio: circa declarationem de iure personae et communitatum ad libertatem civicam in re religiosa.

1. *A Moderatoribus instituatur « Suffragatio provisoria »* cum quaestionibus:

a) an placet Patribus, quod Synodus evulgat « Simplex declaratio » de iure personae et communitatum ad libertatem civicam in re religiosa?

b) an placet Patribus schema actualis, tamquam proponitur, quamquam cum certis modificationibus?

c) si placet maioritati « simplex declaratio », petuntur suggestiones circa quod continere deberet.

2. *Propositio mea propria*:

a) Quia concedimus factum, cum noto theologo libertatis Rev. p. John Courtney Murray, S.I., quod proprie dictam scientiam theologice elaboratam « de libertate religiosa » in Ecclesia *nondum* habetur, melius mihi videtur quod in schemate aut declaratione non nimis tempestive rationes proponuntur, quae minus probatae existunt.

b) Quia « conscientia communis catholica » in hodierno tempore satis evoluta est, quin abstinere cupiat a « coactione physica-morali » in re religiosa ab auctoritate ecclesiastica vel civili; et « conscientia communis mundialis » hac in re certe expectat enuntiatio publica et officialis a parte Ecclesiae, postquam et « Nationes Unitae » et « Consilium Mundialis Ecclesiarum Protestantium » enuntiationem officialem hac in re iam publicaverunt.

c) Mihi videtur cum exc. D. J. Rupp a Monaco: nobis sufficere « simplex declaratio » principii et principaliorum consequentiarum in vita publica civili de notione « Iuris personae et communitatum ad *libertatem civicam* in re religiosa »; in textu declarationis abstineatur ab argumentatione; in textu, post declarationem introductivam de missione Salvatoris unicae et de obligatione evangelica Ecclesiae Christi, ponatur quod ipsa Mater Ecclesia catholica, deplorans abusus qui a diversis partibus in cursu historiae humanae hac in re factae sunt, solemniter declarat seipsam et omnes homines obligari sentire ad « libertatem civilem in re religiosa ».

Exemplum exarationis habetur tum in declarationis formulam de « Nationibus Unitis » et de "World Council of Churches" (Geneve/Delhi) 1948-1961. Sed cum innovatione textus, secundum sensum evangelicam catholicam.

Conclusio: Textus schematis actualis *minus placet; placet tamen* suffragatio provisoria; *placet tamen* textus novus declaratoria.

96

EXC.MUS P. D. PAULUS LEO SEITZ
Episcopus Kontumensis

Remarques préliminaires. La grande difficulté initiale consiste en la nécessité de se placer dans une double perspective:

1. L'Eglise reconnaît la liberté religieuse des hommes; elle ne saurait donc exercer aucune pression (par elle-même ou par l'Etat) pour s'imposer, elle ne saurait se livrer à aucune manœuvre pour dénigrer ceux qui ne pensent pas comme elle — tout en se sachant gardienne de la Vérité, d'une Vérité qu'elle a le devoir de faire connaître (d'où sa Mission), mais Vérité qui s'impose par elle-même (d'où les méthodes à employer) et ne réclamant pas l'appui du bras séculier (d'où les moyens à éviter).

2. L'Eglise demande la liberté pour elle-même comme pour tout homme, en se situant dans la condition commune; bien qu'elle se sache société privilégiée car réunie et vivifiée par Dieu, elle ne réclame pas plus de privilèges pour elle que le Fils de Dieu partageant la condition humaine sur terre.

Les hommes sont ainsi faits qu'ils ont beaucoup de peine à se conduire de façon *juste* selon une double perspective; on a tendance, notamment, à ne pas reconnaître aux autres ce que l'on réclame pour soi — et dans le cas de l'Eglise en se justifiant du principe que le privilège de l'Eglise doit être reconnu; ou bien, à l'inverse, le respect de la liberté d'autrui inhibant tout zèle apostolique sous prétexte de laisser chacun dans sa bonne foi. Ce sont si peu des cas imaginaires que les uns et les autres s'inquiètent des conséquences d'une Déclaration allant dans tel ou tel sens, tellement il est difficile d'embrasser tout à la fois, de réaliser l'économie de l'Incarnation, de peser le mystère de l'homme.

Il se trouve également que le contexte social d'un chacun conditionne plus ou moins son jugement en la matière. A ce niveau le double point de vue se présente ainsi: dans les pays où l'Eglise est majoritaire, qu'elle reconnaisse aux autres ce qu'elle demande pour elle là où elle est minoritaire; pour s'élever ici contre des mesures d'exception qui la briment elle doit renoncer là à des privilèges qui ne sont pas nécessaires. Pour juger sainement il faut que chacun dépasse sa condition propre, son point de vue particulier, pour penser Eglise au niveau supérieur de l'économie divine.

Les Animadversiones opposées à la Déclaration (pages 35-37 du schema) révèlent précisément: une pensée limitée à une situation de « totalitarisme » chrétien, une conception de la Vérité qui aurait besoin du bras séculier pour s'imposer, et donc la crainte que tout s'écroule si l'on renonce à la contrainte.

N.B.: il serait bon que l'étude de la Déclaration n'ignore pas le projet de convention sur la liberté religieuse de l'O.N.U. (janvier 1965).

Animadversiones. La Déclaration est bonne, elle s'impose; on ne peut en discuter que des formulations — même sur ce terrain, les remarques qui suivent doivent être prises comme des questions posées, non comme des demandes de modification.

1. Ce texte, comme l'ensemble du schema, suppose: 1) un consensus, défini quelque part, sur la nature de l'homme, autrement dit une anthropologie chrétienne de base. On devrait trouver celle-ci au schema *de Ecclesia in mundo huius temporis*, encore déficient en la matière; 2) un homme dont la conscience est éveillée et doté de jugement, ce à quoi l'exercice de sa liberté est lié. En fait combien d'hommes de notre planète ont-ils atteint ce niveau? Certes il s'agit d'une déclaration de *principe,* mais il faut s'attendre à d'immenses difficultés d'application; ce qui pourra même détourner les esprits du bien de la déclaration, minimiser la valeur du principe.

« vetera et nova » (ligne 13) est habile; les principes sont des vetera remis à jour, mais la conduite à venir semble bien tout à fait nova.

N. 2, p. 6, lignes 7-8. Intra debitos limites: c'est le point le plus délicat; il est difficile de les définir, mais peut-être faudrait-il signaler dès ici que *le principe est absolu et que les limitations ne peuvent être que transitoires, contingentes.*

Les lignes 16-28 découlent de la notion de l'être-créé de l'homme, qu'il faudrait bien que le Concile précisât quelque part.

Lig. 27, de unica Christi Ecclesia: la répétition du mot « unica », dans ce contexte et en tenant compte des destinataires de la Déclaration, ne risque-t-elle pas de faire croire qu'on revient ici, pour soi, à son profit, à un certain totalitarisme exclusif. Pour éviter cette impression le texte ne gagnerait-il pas à ce qu'on y ajoute: ... *Eglise qui admet cependant le pluralisme en son sein* (cultures, rites, expressions...)?

De toute façon il faudrait que cette notion, si « libérante », de *pluralisme,* appliquée à l'Eglise en ce sens, trouve sa place dans le texte de la Déclaration, car le Monde l'attend et la Mission en a besoin. On y exprimerait notamment

que ce pluralisme dans l'Eglise, pour atteindre à une union fondée sur des libertés convergentes, est, plus que la meilleure opposition, la réponse providentielle aux totalitarismes du monde (« monde » en tant que faisant opposition au Royaume).

N. 3. On pouvait se demander s'il fallait commencer par la raison humaine ou par la révélation divine. En fin de compte la disposition adoptée favorise un développement et une progression satisfaisants.

P. 7, lig. 7, quadam irradiatione: du moment qu'on se réfère ici explicitement à Dieu (et en citant la *Somme th.*), dont la sagesse et l'amour gouvernent le monde (ce qui, soit dit entre parenthèses, ne peut être tiré de la « raison »), ce ne serait pas anticiper davantage sur la seconde partie que de *parler d'imago plutôt que d'une « certaine irradiatio »*; l'expression serait à la fois plus traditionnelle et plus intelligible.

Lig. 12, mediante conscientia: cette médiation de la conscience est un des nerfs de la Déclaration — et il aurait été difficile qu'il en fût autrement — mais elle ne peut manquer d'être aussi occasion de difficulté (voire de drames) dans la pratique. En fait, actuellement, cette conscience est-elle éveillée en la moitié seulement des hommes de la terre?

Lignes 21-24, inquirenda, adhaerendum: certes, mais, du fait même de la médiation de la conscience, la Vérité ne sera jamais atteinte en elle-même, mais seulement partiellement, selon des points de vue (auxquels les lignes suivantes font allusion), points de vue qui devraient converger. Peut-être faudrait-il *souligner cette relativité* (dans la perspective délibérément « ex ratione » de ce chapitre) ainsi que le danger d'imposer son point de vue, de le croire exclusif, de ne pas le prendre pour *un* point de vue, danger aussi d'aliénation et de conditionnement par les moyens pris pour diffuser le point de vue — toute forme de totalitarisme est liée à un manque du sens de la relativité (et du sens de l'humour aussi) et de largeur d'esprit.

P. 8, ligne 3, ulla vi: ne pourrait-on préciser: y compris la pression diffuse de l'information, publicité, propagande... et même une certaine façon d'enseigner les sciences?

Lig. 5, vel a coetibus socialibus: y compris le pouvoir ecclésiastique — cas, non impensable, où l'Eglise (majoritaire ou puissante de quelques façons) ferait pression sur les consciences pour empêcher (directement ou indirectement) toute autre forme religieuse que la sienne.

Lig. 14, idée capitale, base de la justification de la Déclaration.

Lig. 22, communicet: on pourrait ajouter: *extériorité et dimension sociale qui découlent de la nature même de l'acte cultuel.*

P. 9, lig. 3, immisceat: cette formulation (juste) passera difficilement, notamment chez ceux pour qui cette ingérence serait favorable, sous couvert du principe de la « seule religion vraie » (que l'Etat « doit » donc reconnaître), et qui s'élèveront contre le régime de séparation, croyant qu'on le propose comme un idéal (eux-mêmes situant mal comment le Royaume est déjà de ce monde); peut-être la formulation serait-elle à nuancer.

N. 5. P. 11, lignes 16-20, il est question de l'Etat qui privilégie une communauté religieuse dans certaines circonstances. Voilà qui calmera les objecteurs ci-dessus évoqués, mais qui semble contredire tout à fait la non-ingérence du n. 3; ce qui gêne quelque peu l'analyse critique du schema. *La specialis agnitio semble contraire au principe que l'Etat, comme administration politique, n'a rien à voir dans les questions religieuses*; admettre de privilégier une communauté religieuse (en tant que de telle religion) c'est aller au devant d'abus intolérables, étant donné que le « specialis » sous-entend qu'il y a donc d'autres hommes que ceux de cette communauté privilégiée (ce qui se trouve en fait, même là où une forme religieuse est très prépondérante); que vont devenir ces minorités dans ces circonstances, défavorisée du simple fait de leur non-appartenance à la religion privilégiée? Certes — et c'est heureux — le texte ne précise pas « dans le cas de l'Etat chrétien », mais le sort commun de « moins privilégiés » (= brimés) n'est pas plus juste pour autant.

Il est dit de plus — allusion probable aux non-privilégiés — qu'on doit garantir à tous le droit à la liberté « in re religiosa » (lig. 19); serait-ce qu'on ne le leur garantirait pas in re non religiosa, et en raison de leur religion qui ne serait pas celle du pouvoir? Mis à part le cas de malhonnêteté dans l'usage de notre texte, on ne fera jamais assez attention à l'interprétation qu'on pourrait lui donner et aux conséquences qu'il entraînerait.

On pourrait se demander si, au contraire, il n'est pas de la compétence de l'Etat, dans le cas de religion dominante (majoritaire, reconnue comme celle de l'ensemble des citoyens, religion des hommes au pouvoir, etc. ...), de favoriser les minoritaires par une specialis agnitio, les protégeant de l'intolérance des hommes de la religion dominante.

Par ailleurs ce serait peut-être justement ici le lieu de distinguer des religions qui, par leur nature même, sont de caractère plus ou moins national, des religions universelles. Le shintoïsme est une religion japonaise, l'hindouisme indienne; l'islam, lui, n'est pas limité par des frontières géographiques d'ordre national, mais il est rigoureusement lié au pouvoir, il est aussi politique que rituel, un peu comme le Yahwisme ancien (équivalence entre adopter la foi monothéiste yahwiste et s'assimiler a l'entité politico-sociale juive). Dans les Eglises chrétiennes mêmes on observe ce phénomène: originairement les schismes avaient un caractère d'ordre national: anglicanisme, luthéranisme allemand, calvinisme français. Les Eglises orthodoxes présentent une forme intermédiaire qui relève d'un pluralisme fédéraliste dont les dénominations particulières portent la marque d'une entité sociale (copte, syrienne, ...). Seule l'Eglise catholique (qui ne devrait jamais s'appeler « romaine » et ne pas donner l'occasion de l'appeler ainsi), par sa nature même, non seulement n'est liée à aucune entité d'ordre ethnique ou politique, mais exige, par sa catholicité même, de réaliser et manifester une communion universelle au-dessus de toutes les limitations humaines, de tous les

particularismes, avec seulement un pluralisme d'expression portant la marque des cultures, mais pluralisme dynamique visant à les faire converger et communier en ce qu'elles ont de plus profond. Il est donc correct de parler d'Etat musulman, shintoïsme, voire luthérien; mais il y a incompatibilité dans les termes d'« Etat catholique » (l'Etat étant limitation et définition par rapport à d'autres). La specialis agnitio (à condition de la nuancer correctement), peut se concevoir dans le cas de religions nationales, non dans le cas de religions universelles. L'universalisme de l'Eglise ne peut souffrir cette limitation que cause un privilège localisé (le paradoxe n'est qu'apparent).

Le bouddhisme — bien qu'à proprement parler il ne soit pas une « religion » — perd de son universalisme dans la mesure où il est reconnu et privilégié comme « religion d'Etat » dans telle ou telle nation d'Asie, reconnaissance précisément liée à une poussée de nationalisme.

N. 6. P. 11, lignes 27-28, secundum proprias leges sese regant: cela est à nuancer — certes la nuance est implicitement contenue dans le « intra debitos limites » posé en tête, mais il serait peut-être bon d'ajouter ici: *dans la mesure où ces lois ne s'opposent pas à l'ordre public.*

Il y a une difficulté de plus: dans le cas où ces « proprias leges » sont par nature d'ordre politico-religieux. Un exemple le fera comprendre: telle ethnie (par exemple minoritaire au sein d'une nation plus vaste) suit une forme religieuse totalisante qui régit tout le comportement sur les plans, non distingués, du familial et du social, de l'éthique et de la technique, du privé et du politique, impliquant la confusion en un même personnage du pouvoir politique et de l'autorité religieuse, avec un système coutumier exclusif de toute autre législation, et limitation de cet ensemble au cadre de l'ethnie, pour laquelle seule il est valable. *Laisser de telles communautés se régir secundum proprias leges c'est favoriser leur particularisme exclusif, empêcher l'intégration politico-sociale de ces collectivités,* et par là *leur interdire toute évolution* (sans parler de l'immoralité de bien leurs coutumes). Or cet ensemble est tellement « totalisant » qu'il doit être pris en bloc ou rejeté en bloc.

Il ne s'agit pas que le schema donne une solution à toutes les situations délicates de ce genre, mais il faudrait qu'il n'empêche pas de trouver de solution en justifiant un état de choses qu'on ne peut ni canoniser ni violenter. Le texte de la Déclaration doit seulement prévoir tous les cas d'application possibles, pour le bien de l'homme à venir.

P. 12, lignes 4-13, cet alinea est de la première importance pour ses conséquences relatives à l'activité missionnaire de l'Eglise. Les communautés religieuses ont le droit de se propager, astreintes aux mêmes devoirs que les communautés politiques, respectant la liberté de l'homme en s'interdisant toute coercitio ainsi que la suasio inhonesta (laquelle pourrait utilement être rajoutée au n. 2, p. 6, lig. 2). C'est bon, c'est à dire; encore faut-il que l'Eglise donne l'exemple en cette matière. On pourrait *peut-être manifester par une note l'interférence* avec le décret de activitate missionali Ecclesiae

(n. 13, p. 13, lignes 5-8) ainsi qu'avec la constitution de Ecclesia in mundo huius temporis (n. 87, p. 71, lignes 9-12).

N. 7. Pag. 12, lig. 28, sub moderatione parentum: les notes finales du schema (p. 39) nous avertissent que cette grave question ne relevant pas directement de la Déclaration elle n'était pas traitée ici. On se consolerait si elle l'était ailleurs; or le schema de Ecclesia in mundo l'envisage (n. 61, p. 48, lignes 13-18) mais passe à côté du point délicat, supposant (un peu comme notre présente Déclaration semble le faire) des parents sinon chrétiens, du moins consciencieux, et capables. Mais il faut considérer la situation — trop réelle — de ces parents qui, dans un sens ou dans l'autre, violentent la conscience de leurs enfants (v. g. parents païens obligeant leurs enfants à suivre la tradition qui empêche, par ce qu'elle a de dégradant, toute évolution, toute émergence). Il est bien certain que dans ce cas on ne saurait réclamer pleine liberté pour les parents; encore faudrait-il que la Déclaration ne l'exclue pas.

N. 9. Pag. 14, lig. 8, custodivit et tradidit: les termes sont choisis et prudents; malgré tout on pourrait nous reprocher (à assez juste titre) d'avoir un peu trop facilement bonne conscience en la matière.

N. 10. Pag. 14, lignes 37-39, quand on traduit semeia par miracula on passe de la symbolique prophétique du *signe* à l'interprétation magique du *miracle*. Jésus n'a pas fait de « miracles » pour que les hommes croient, mais il a fait des signes (manifestant notamment que l'homme croyait, des signes pour manifester une réalité spirituelle) qu'il nous laissait la liberté et la responsabilité d'interpréter (non sans nous mettre sur la voie) — d'ailleurs les lignes 3 et 4 de la page suivante corrigent (contredisent) la maladresse d'expression de la ligne 39.

P. 15, lig. 26, plutôt que le simple renvoi (cf. *Act.* 4, 13-20) il conviendrait de citer explicitement ces mots qu'on s'attendait à trouver dans la déclaration; on pourrait dire: *audentes coram populo « sine timore verbum Dei loqui » et principibus respondere: « non possumus »*.

N. 11. P. 16, lignes 10-15, actus fidei liber est... Pater traxerit: ces paroles, excellentes, sont peut-être l'occasion de souligner davantage encore la liberté dans la foi, et du côté de l'homme qui donne son assentiment, et d'abord du côté de Dieu dont la Grâce est gratuite et qui illumine qui Il veut. La liberté de l'acte de foi (comme réponse de l'homme) est fondée sur la liberté de Dieu (foi comme proposition) et par là sur le bilatéralisme de l'Alliance nouvelle de Personne élevante à personne-image consentante.

N. 12. P. 17, lig. 19, non minus quam ceteri homines: ou peut-être plus justement: *non plus minusve...* (rappel du régime *commun*).

N. 13. P. 18, lignes 25-31, cela est consonant avec ce qui vient d'être signalé ci-dessus au sujet de la nature de l'acte de foi.

Ce numéro pourrait montrer explicitement qu'en enseignant cette ligne de conduite apostolique il se trouve dans la ligne des principes exprimés

plus haut au n. 6 (p. 12, lignes 4-13), ce qui aurait l'avantage de souligner l'unité interne de la Déclaration et l'articulation de ses deux parties.

N. 14. P. 19, lignes 18-19, in praesentibus...: *ne semble pas utile*; affaiblirait plutôt la valeur absolue et universelle du principe de la liberté, toujours menacée et toujours à défendre.

Lig. 21, unum fieri... diversae culturae: peut-être pourrait-on en profiter pour dire ici que le pluralisme évite le totalitarisme, que l'unité dans la diversité est à l'opposé de l'uniformisation, que l'Eglise en son sein reconnaît cette diversité et que tout cela doit découler du *respect* de la grandeur de l'homme et de la profondeur de son mystère.

P. 19, lign. 38, subiectionem reiiciant: on pourrait préciser: par *refus de la condition* de l'homme — tout le principe de la limitation de la liberté résidant justement dans la nature de l'homme en son être-créé, comme transcendant conditionné.

Une dernière remarque: peut-être aurait-il fallu qu'en quelque endroit de cette Déclaration *on définit le sujet de cette liberté,* ne serait-ce que pour guider interprétation et application, prévoyant notamment la gamme des infantes, pueri, stupidi, rudiores... dont la conscience reste à éveiller et à l'égard de qui il faut bien, en attendant, savoir quelle conduite tenir.

97

EXC.MUS P. D. ERNESTUS SENNA DE OLIVEIRA
Archiepiscopus-episcopus Conimbricensis

Praesertim quoad nn. 1 et 2.

A) *Quoad libertatem in genere.* Certo certius dignitas humana postulat ut homo in agendo proprio suo consilio et libertate utatur, dummodo tamen nihil agat quod proximo suo detrimentum afferat vel sit contra ius naturae et in genere contra bonum commune et contra moralitatem — privatam vel publicam — et etiam contra legem positivam quae *vera* lex sit aut contra regulas quibus talis lex positiva « adiectivetur », si latine ita dicere fas est.

Si quis contra talia egisset non libertate (a dignitate humana postulata) uteretur sed *abuteretur.*

In tali casu necessariae essent interventiones efficaces legitimae et competentis auctoritatis (sine qua nulla societas subsistere posset) sive patrumfamiliae in societate domestica, sive auctoritatis propriae in societatibus a iure positivo rite constitutis sive praesertim auctoritatis publicae in Statu et in Ecclesia.

Secus totaliter impossibile foret vita communis in qualibet societate sive ordinis naturalis sive ordinis supernaturalis.

B) *Quoad libertatem religiosam in specie.* Indubium est quod inde ab initio Ecclesia semper docuit quae, modo quidem synthetico, S. Augustinus in

Epist. ad Valentinianum ad haec pauca verba reduxit: « Ad fidem quidem nullus est coagendus invitus ».

Sed omnes societates et omnes communitates religiosae suas leges proprias, immo leges poenales, necessario habere debent.

A fortiori eas habere debet Ecclesia catholica quae, a Christo constituta, ab ipso Deo per revelationem doctrinam propriam accepit cum potestate eam docendi, leges ferendi et gubernandi.

Si quis ergo (qui libere in tales societates vel communitates religiosas et a fortiori in Ecclesiam catholicam omnino libere ingressus est et physice et psychologice liber manet ut ab ea exeat) libertate sua non bene utitur sed misere abutitur, v. g. credendo quod Ecclesia damnat vel legitimas ipsius leges aut regulas violando vel a suo imperio per inobedientiam sese eripit, evidens est quod Ecclesia, per suas idoneas et competentes auctoritates tale membrum suum punire et in quibusdam casibus etiam a suo sinu expellere potest, praesertim si, post paternam monitionem, in errore vel in inobedientia sua pertinaciter manet. Ipse Deus qui Ecclesiam condidit, inde ab initio hominem dono altissimo libertatis praebuit. Si tali dono bene uteretur magnum praemium obtineret. Cum tamen misere tali altissimo dono quod est libertas, abusus est, gravissimis poenis punitus fuit.

Certum est quod quae supra memorantur plus minusve in quibusdam numeris praesentis schematis v. g. in n. 4 linn. 15-36 pag. 9 et linn. 1-10 pag. 10 innuuntur. Sed, mea humili sententia, haec omnia clare et sine ambiguitate, etsi synthetice, expresso modo dici debent, inde ab initio schematis, praesertim in nn. 1 et 2, ubi agitur de declaratione ut omnibus, quasi cum luce meridiana principia haec fundamentalia pateant, quae principia, si omittantur vel modo obscuro tantum innuantur magnae confusiones et graves consequentiae orirentur tum pro societatibus in genere tum pro communitatibus religiosis tum praesertim pro Ecclesia catholica.

Aliae observationes forsitan facere deberem sed iam a pluribus Patribus in plenam lucem positae sunt et ideo ratione brevitatis omitto.

98

Rev.mus P. D. AUGUSTINUS SÉPINSKI

Minister generalis O.F.M.

Plurima in hoc schemate mihi valde placent. Nihilominus, uti iacet, schema nondum videtur omnibus numeris absolutum aut aptum quod Patrum unanime suffragium obtineat.

Animadversio particularis. De titulo: praeferrem titulum principalem esse « De iure personae et communitatum ad libertatem in re religiosa », secundarium autem, i. e. subtitulum esse « De libertate religiosa ». *Ratio*: locutio « De libertate religiosa » ambigua est ideoque interpretationes falsas pati potest.

Animadversio generalis. Animadversioni particulari liceat animadversionem generalem addere. In aula Patres valde et acriter in contrarias partes abierunt et abeunt. Maximi tamen est momenti omnes in unanimem vel saltem maxime concordem sensum convenire. Quod ut eveniat, censeo:

1. Ut schema ad 5 aut 10 *principia* generalia vel generalissima revocetur, quibus omnes Patres subscribere possint. Haec principia ita enuntiari debent, ut in omnibus valeant nationibus, sive ubi catholici plures sunt sive ubi pauciores sunt.

2. Ipsa autem principiorum in actum deductio singulis Conferentiis episcoporum pro suo territorio relinquatur, approbante quidem S. Sede.

Ratio: 1) Ita haud difficile perveniretur ad unanimitatem. 2) Schema, uti iacet, si in actum deduceretur, pluribus difficultatibus obnoxium esset: aliis nationibus nimia diceret, in aliis vero nationibus adhuc complendum esset.

99

EXC.MUS P. D. IESUS SERRANO PASTOR
Episcopus tit. Hypselitanus, vic. ap. Dariensis

Cum facta sit necessaria declaratio quaedam circa libertatem religiosam, tenorem huius quam prae manibus habemus, admitti censeo non posse, ex omni sua parte, quia fini pastorali satis non congruit. Etenim, periculum gignit ne, et errantes firmentur in errore; et Ecclesiae catholicae inimici, qui perpetuo existent, arma nova desumant contra illius veritatem; et nutantes in fide vel vacillantes in vocatione sua christiana in faciliora declinent, derelicta inquisitione circa veritatem; et catholici non pauci in anxietates et dubia quamplurima ducantur; et auctoritas tandem Ecclesiae nostrae, tandem, nimium infirmetur.

Re quidem vera: 1. insistitur tantum, in textu declarationis, in necessaria absentia coercitionis ut unusquisque, pro dignitate suae personae, conscientiam propriam sequatur in eis quae ad religionem spectant, ut errantibus nullus fere relinquatur locus recogitandi circa verum et falsum, unde in errore suo quasi sine remedio persistent: quod quidem officio nostro pastorali non convenit.

2. Totus mundus, ut nobis fatetur, magna exspectatione hanc declarationem ambit: quod admittendum sine dubio est. Verum propter quid et in quem finem? Qui foris sunt, extra nostram catholicam Ecclesiam, volunt, atque exspectant, ab omnibus et in omnibus pares agnosci cum catholicis, non igitur solum quoad intima uniuscuiusque conscientiae, sed quoad omnia et singula quae diversas religiones respiciunt. Hanc vero omnimodam paritatem declarare absonum est sicuti absonum est edicere veritatem esse variam seu multiplicem circa idem. Volunt praeterea Ecclesiam catholicam in Concilio adunatam praeteritam rationem agendi, circa haec, retractare, unde illam mundo hodierno praesentare valebunt errori et mutationi obnoxiam.

Ergo, quia dubitandum iure est, eos qui de gremio nostro non sunt favore nostrum esse acceptaturos omnes affirmationes declarationis, prout exstant, logice concluditur timor ne declaratio, qualis nunc habetur, causam novam praebeat insurgendi contra veritatem religionis catholicae, quam nos pastores defendere tenemur.

3. Qui veritatem adhuc inquirunt, vel circa illam, iam semel possessam, dubia experiuntur, ex declaratione hac in grave discrimen constituuntur praedicta dubia solvendi non in partem obiective veram, sed in eam quae suaviora et indulgentiora praecontinet, cum intelligere quasi necessario debeant totum in hac re conscientiae debere committi, cuius rectitudo facillime a quocumque illusorie fingi potest.

4. De facto, ex quo in Concilio coeptum est de libertate religiosa loqui, ad mentem huius declarationis, quae non multum distat a praecedenti, catholici non pauci, sacerdotibus et religiosis minime exceptis, firmitatem suam pristinam graviter commotam persenserunt. Vel etiam, existimaverunt bellum quasi instauratum contra eos ab ipsis a quibus didicerunt privilegia inhaerentia, ex rei natura, veritati, quam unice possideri ab eis hactenus crediderunt.

5. Quidquid explicetur et expresse seu implicite asseratur, fideles et extranei mutationem in doctrina admittent. Vident etenim, usque ad hos nostros dies, in iuribus concordatis, ut nobis in hac aula recordatum fuit, aliud valde diversum ab Ecclesia doctum fuisse, quod et a civilibus auctoritatibus nationum catholicarum, ut conditione sine qua non, exigebatur. Merito proinde sibi quaerent et fideles et civiles potestates harum nationum: Ubinam veritas, ubinam error? In Pio v. g. Papa XII, Pontifice huius temporis praedicta concordata statuente, an in Concilio?

6. Si solemne principium morale est, « quod vetat ne quis in re religiosa cogatur ad agendum contra suam conscientiam », pag. 7, n. 3, linn. 31-33, nonne contra intimam suam persuasionem agere potest auctoritas civilis quaedam, in statuenda civium aequalitate iuridica, nulla habita ratione motivorum religiosorum, ut intendit declaratio haec, pag. 10, n. 5, linn. 20-21, si praedicta auctoritas perspectum habet, uti perspectum potest habere ex hactenus traditionali doctrina Ecclesiae, iura solum relativa, etsi naturalia, quale est ius errantium, cedere debere iuri absoluto, quale est ius possidentium veritatem, quando inter se collidant? Poterit tunc coactio inferri auctoritatibus istis? Si affirmative, quo tandem iure, si tenor huius declarationis servetur?

7 et ultimo. Dicit declaratio auctoritatem civilem *ad res huius saeculi sese debere restringi* (pag. 8 postremis lineis atque primis pag. 9). Hoc, si stricte interpretetur locum facilem dare potest obiectioni contra Concilium a parte civilis auctoritatis. Concilium, dicet, natura sua, est quid sacrum, quod, proinde, ab auctoritate civili, qua tali, alienum est: componat illud — Concilium, nempe — negotia sua; illa vero, i. e. civilis auctoritas, attendet bono communi civium, pro conscientia quidem sua, quam declaratio iure dicit liberam debere esse a quacumque coactione.

100

EXC.MUS P. D. AEMILIUS TAGLE COVARRUBIAS
Archiepiscopus-episcopus Vallis Paradisi

Como un triste signo de los tiempos un enorme confusionismo nos invade.

Cada día brotan nuevas opiniones y actitudes contrarias al más elemental « sensus Ecclesiae », y, lo más grave es que ellas pretenden ser eco de la voz de Dios.

Se ha desencadenado un subjetivismo de una peligrosidad extrema.

Estamos escuchando, cada semana, la voz no sólo preocupada sino angustiada del Santo Padre.

El liberalismo caduco y condenado toma nuevas formas tanto más atractivas cuanto más encubiertas.

Se exagera en tal forma la dignidad humana que llega a ensombrecerse la realidad de Dios.

En el afán de seguir su propia conciencia, cada uno se fabrica su propio magisterio y se enfrenta a la autoridad.

Todo esto entorpece la labor del Concilio y nos crea el deber imperioso de proyectar muy vigorosamente la verdad.

Urge con apremio reafirmar los valores definitivos y eternos, el orden objetivo establecido por Dios, al cual lo personal y subjetivo debe ceder paso e integrarse.

El reconocimiento de los pretendidos derechos de la conciencia erronea significa dar al subjetivismo la aceptación oficial.

Y, entonces, el mal se hace irremediable.

Se le entregan justamente las armas que necesita para triunfar.

Se quebranta el ordenamiento natural y queda abierta la puerta a todas las desviaciones.

Este es, desgraciadamente, el camino por el que nos conduce el presente esquema.

Hay un orden objetivo establecido por Dios. Claramente lo ha señalado el Papa Juan XXIII: « *Pacem in terris,* quam homines universi cupidissime quovis tempore appetiverunt, condi confirmarique non posse constat, nisi ordine, quem Deus constituit, sancte servato ». (1) « Ordo autem, ... siquidem in veritate idem nititur, secundum iustitiae praecepta ad effectum perducendus est, mutuo amore animari praeficique poscit, postremo, libertate integra, ad aequabilitatem cotidie humaniorem est componendus ». (37)

Ese orden objetivo tiene a Dios como su centro: « At huius generis ordo — cuius principia cum ad omnes attinent, tum absoluta atque immutabilia sunt — a Deo vero, et eo quidem personali atque humanam naturam transcendente, initium omnino repetit ». (38)

El hombre debe acercarse a Dios por el conocimiento de la verdad y la práctica del bien.

Y no sólo el hombre individualmente sino la sociedad entera. Sólo así se puede alcanzar el Bien Común.

La plena dignidad del hombre no está en la potencia a ser libre sino en su recto ejercicio hacia la verdad y el bien.

Mediante su conciencia debe adherir a la verdad en forma libre, en un acto interior exento de toda coacción externa.

La Iglesia siempre ha proclamado la libertad del acto de fé.

Jamás ha obligado el infiel a abrazarla. Otra cosa es la apostasía, en que la Iglesia tiene el derecho de sancionar al culpable.

Pero el hombre tiene el deber moral de abrazar la fé verdadera.

La verdad tiene pleno derecho a su difusión, y, no hay poder humano que pueda impedirlo.

Desde sus albores y por siempre, la Iglesia lo proclama: « Es necesario obedecer a Dios ante que a los hombres » (*Act.* 5, 29). He aquí la auténtica libertad religiosa.

El derecho a profesar la verdadera fé, intimado por la recta conciencia, es proclamado por el Papa Juan XXIII.

Recta conciencia que no se refiere al derecho de profesar una norma falsa tenida como verdadera, sino de aquella religión como lo dice el texto, señalado por Lactancio y León XIII, que es la verdadera. « Recta conscientia ea quae repraesentat obiectum sicut in se est, atque aeterna Dei ratione confirmatur, quae est summa regula omnium humanarum actionum » (LIGORIUS, Lib. I, 3).

Pero, una gran muchedumbre de hombres no posee la verdad y estiman, en su conciencia subjetiva, como verdadero lo que es falso.

El error es carencia de realidad objetiva. No ofrece, por eso, base para ningún derecho (ius). Es absurdo y contradictorio, por tanto, otorgarle reconocimiento jurídico. « Lo que no corresponde a la verdad y a la norma moral, no tiene objetivamente derecho alguno, ni a la existencia, ni a la propagación ni a la acción » (PIO XII).

No es oportunismo de la Iglesia el proclamar su derecho a la libertad allí donde es minoría y negarlo a otras religiones donde Ella es mayoritaria.

El criterio y el principio permanece siempre el mismo: Sólo la religión verdadera tiene derechos y por eso goza de autentica libertad religiosa. Al error sólo se le tolera.

Tildar de oportunista esta actitud lógica y coherente es falso y revela una superficialidad en la comprensión del problema.

No pueden concederse derechos que pertenecen, de orden objetivo de los valores, a una acción que viola ese orden.

El hombre que profesa de buena fé el error puede seguir privadamente el dictamen de su conciencia, en tanto no perjudique a los derechos de Dios y la verdad, y a los intereses del Bien Común.

En el conflicto entre lo objetivo y lo subjetivo, entre lo verdadero y lo supuesto, prevalece el derecho de la verdad y realidad objetiva.

No puede establecerse como fundamento de derecho la dignidad de la persona humana, pues, al caer en error desdice de esa dignidad.

Ese fundamento es Dios. « Deus enim, cum sit veritas omnium prima, summumque bonum, tum vero fons est prealtus, unde vitam vere haurire hominum coniunctio potest, quae nimirum recte constituta sit et frugifera, ad hominumque dignitatem apta ». (38)

Los hombres no están menos sujetos a Dios unidos en sociedad que individualmente.

Existe un concepto cristiano del Estado: debe reconocer a Dios. « La justicia y la razón prohiben, por tanto, el ateismo de Estado o lo que equivaldría al ateismo, el indiferentismo del Estado en materia religiosa y la igualdad jurídica indiscriminada de todas las religiones » (LEO XIII, *A.S.S.*, 20, 1887).

Estos principios deben mantenerse incólumes como el ideal y no ser distorsionados con actitudes acomodaticias.

La Iglesia sabe que existen situaciones concretas que determinan una aplicación en diverso grado, en la medida de las posibilidades reales, de esos mismos principios.

En la situación de hipótesis en que asume una actitud de tolerancia.

Hay países de mayoría católica, como muchos de America Latina, donde los derechos de la verdadera religión están establecidos jurídicamente en la Constitución y las leyes.

Reconocer derechos al error significarà crear, en ellos, inmensos problemas, más aún, poner nuevos obstaculos al avance del Reino de Dios.

Esta situación se ha alcanzado gracias al vigor del cristianismo que logró tal legislación.

Desaparecerá el día que esa mayoría católica no subsista.

Pero sería absurdo e incomprensible que la Iglesia, depositaria de la verdad, destruyera con una declaración conciliar lo que es fruto del cristianismo vivido por los pueblos.

Claramente lo ha señalado S. E. Mons. Colombo: « Para una persona que ha estado en posesión de la verdad es un mal perderla, como tambien para una comunidad que viva en posesión pacifica, serena y consciente de la verdad, el que desaparezca esta situación ».

En los países donde la verdadera fé no inspira las instituciones y la vida civil, no se puede pretender que se actue conforme a los principios cristianos.

La Iglesia afirma, allí, sus derechos y tolera la situación.

El afirmar los derechos de la verdadera religión en la vida cívica no significa que la Iglesia pone su confianza en los medios terrenos.

Comprende bien su misión e intensifica su labor de evangelización y de ser fermento.

Pero ambas cosas de ningún modo se excluyen. Al contrario, necesariamente se complementan.

La vida moral del ciudadano necesita el apoyo de la ley y una autentica acción evangelizadora, lleva a construir un orden cristiano en la vida social.

El Concilio debe proclamar la genuina y auténtica libertad religiosa, es decir la de la verdadera Iglesia de Cristo.

Sólo Ella recibió el mandato de enseñar a todos los pueblos de la tierra y predicar a toda creatura.

Es contradictorio que la verdadera Iglesia, Maestra y Custodia de la verdad, en declaración conciliar, establezca la libertad para las religiones falsas.

Va contra el derecho natural, contra su constante magisterio, vale decir contra sí misma.

1. *El cap. I,* por las razones expuestas, non placet. Debería agregarse en la línea 7 de la pág. 5: « ad *veram* religionem... » y redactarse en relación con esto todo el capítulo (pags. 5 y 6).

2. *Cap. II,* p. 8, lin. 38 y p. 9, lin. 1-3: contradice el claro Magisterio al sostener: « Potestas igitur civilis limites suos excedere dicenda est, si in ea, quae ipsam ordinationem hominis ad Deum respiciunt, sese immisceat ». No se excede al promover una ordenación que conduzca a Dios.

N. 5 (*Cura libertatis religiosae*) p. 10-11. Mientras la Iglesia intensifica su labor misionera, resulta absurdo el que proclame el apoyo del Estado a las religiones falsas si son mayoritarias.

N. 6 (*Libertas communitatum religiosarum*). Adolece y a fortiori de los mismos reparos que se hacen a las personas.

El derecho a la difusión del error está en contradicción con las prohibiciones canónicas vigentes (c. 13).

N. 7. (*Libertas religiosa familiae*). Cae en el indiferentismo, y prescinde del abundante y clarísimo magisterio que la Iglesia tiene al respecto.

3. *Cap. III, Doctrina libertatis religiosae sub luce revelationis,* n. 9 y 10. Se citan textos hermosos del Evangelio pero que no vienen al caso y por eso nada prueban.

Si es cierto que el Señor no violenta las conciencias para abrazar la verdadera fé, es cierto tambien que moralmente obliga.

Ahí están sus severas palabras: « Qui vero non crediderit, condemnabitur » (*Mt.* 12, 16); « Qui non est mecum, contra me est » (*Mt.* 12, 30); « Si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus et publicanus » (*Mt.* 18). En ningún caso se puede declarar que Cristo proclamó la libertad para seguir el error.

4. *Cap. III* (*Libertas Ecclesiae*) n. 12; (*Munus Ecclesiae*) n. 13. Establece claramente la doctrina. Pero la *conclusión* non placet. N. 14: No puede sacrificarse la verdad para querer alcanzar « pacificae relationes et concordia in genere humano ».

La misiòn de la Iglesia no es esa, sino entregar a Cristo, que sabemos es signo de contradicción.

Y tampoco se alcanza la paz sacrificando la verdad. No se necesita la tutela jurìdica del error, basta la tolerancia. No se trata de forzar al que está en el error, pero tampoco de tranquilizarlo y alentarlo.

La justicia y la caridad piden que se le inquiete para conducirlo a la Verdad.

101

EXC.MUS P. D. ANGELUS TEMIÑO SAIZ

Episcopus Auriensis

Hoc postremum schema superat praecedentia, ut putamus, maxime eo quod saepe affirmet appetitiones libertatis esse moderandas ut sint « veritati et iustitiae conformes », aut « intra debitos limites ».

Dolendum tamen est in hoc postremo etiam multa contineri, quae sensum horum verborum ita coarctant vel minuunt, ut ius singulare Dei circa veram religionem non amplius consistat. En aliqua:

I. In hac declaratione, prout iacet, continetur, plus minusve explicita haec assertio: in publica societate, etiam catholica, civili omnes religiones habent eadem iura et sunt eiusdem existimationis dignae, ita ut vera religio, qua talis, neque in populo catholico, specialem considerationem publicam non mereatur (cf. nn. 2, 3, 5, 6, 14).

Censemus huiusmodi doctrinam plene adversari constanti Magisterio Romanorum Pontificum inde a Gregorio XVI, qui ad Sacras Litteras ad doctrinam Patrum et ad dependentiam hominis individui et societatis a Deo provocantes, docent alias religiones in catholica societate eadem iura ac catholica Ecclesia non possidere. En aliqua testimonia: « Etenim probe nostis, venerabiles Fratres, hoc tempore non paucos reperiri, qui civili consortio impium absurdumque naturalismi, uti vocant, principium applicantes audent docere, optimam societatis publicae rationem, civilemque progressum omnino requirere, ut humana societas constituatur et gubernetur, nullo habito ad religionem respectu, ac si ea non existeret, vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine » (PIUS IX, *Quanta Cura, A.S.S.*, 3 [1867], pp. 160-176). Pariter Leo XIII, « Revera si divini cultus varia genera eodem iure esse quo veram religionem. Ecclesia iudicat non licere, non ideo tamen eos damnat rerum publicarum moderatores qui magna alicuius aut adipiscendi boni, aut prohibendi causa mali, moribus atque usu patienter ferunt, ut ea habeant singula in civitate locum » (*Immortale Dei, A.S.S.* [1885], pp. 161-180).

In alia Enc. idem Pontifex dicit: « Eadem libertas si consideretur in civitatibus, hoc sane vult, nihil esse quod ullum Deo cultum civitas adhibeat aut adhiberi publice velit: nullum anteferri alteri, sed aequo iure omnes

haberi oportere, nec habita ratione populi, si populus catholicum profiteatur nomen » (*Libertas praestantissimum, A.S.S.* [1887], pp. 593-613).

Pius etiam XI, loquens de laicismo Status scribit: « Christi enim omnes gentes imperii negari coeptum; negatum, quod ex ipso iure Christi exsistit, ius Ecclesiae docendi humanum genus, ferendi leges, regendi populos, ad aeternam utique beatitudinem perducendos. Tum vero paulatim Christi religio aequari cum falsis in eodem genere, prorsus indecori, poni » (*Quas primas, A.A.S.,* 1925, pag. 595 ss.

Sed etiam attendendum ad rationes quibus suas declarationes fundant, nempe provocant ad doctrinam Sacrarum Litterarum, Ecclesiae Sanctorum Patrum et ad argumentum desumptum de dependentia individuorum et societatum civilium a Deo, quibus satis patefaciunt suam mentem tradendi doctrinam perennem, independentem ab adiunctis historicis.

En aliqua testimonia:

Pius IX in *Quanta cura* scribit: « Atque contra Sacrarum Litterarum, Ecclesiae, sanctorum Patrum doctrinam asserere non dubitant, optimam esse conditionem societatis, in qua Imperio non agnoscitur officium coercendi sancitis poenis violatores catholicae religionis, nisi quantum pax publica postulet » (*A.S.S.,* 3 [1867], pp. 160-176).

Et Leo XIII dicit: « Quamobrem Deum civilis societas, quia societas est, parentem et auctorem suum agnoscat necesse est, atque eius potestatem dominatumque vereatur et colat. Vetat igitur iustitia, vetat ratio atheam esse, vel, quod in atheismum recideret, erga varias, ut loquuntur, religiones pari modo affectam civitatem, eadem singulis iura promiscue largiri » (*Libertas praestantissimum* :*A.S.S.* [1887], pp. 593-613).

Haec si considerentur, merito cogitare licet posse ad has instructiones applicari quod in const. *de Ecclesia* Concilium Vaticanum II recentissime approbavit. Dicit enim, sub n. 25: « Ita nempe ut Magisterium eius (Romani Pontificis) reverenter agnoscatur et sententiis ab eo prolatis sincere adhaereatur, iuxta mentem et voluntatem manifestatam ipsius, quae se prodit praecipue sive ex indole documentorum, sive ex frequenti propositione eiusdem doctrinae, sive ex dicendi ratione ». Omnes istae conditiones adimpletae videntur.

II. Schema contendit fundare aequalitatem iurium omnium religionum in dignitate personae humanae, omni ratione posthabita religiosae veritatis et divinae revelationis et mandati (cf. nn. 1, 2, 3, 8. Et Relatio pars altera I, 8; II; III, 2, 7, 8; IV, 2, 6).

Hoc fundamentum, putamus, nec satis firmum nec genuinum credendum esse. Dignitas humana exigit ut persona signis existimationis honoretur, et ne cogatur invita ad credendum, aut ne impediatur in personali professione religiosa. Sed non potest fundare ius aequale iuri supremo Dei in ordine ad externam propagationem religionis. Iam vero hoc evenit si idem ius et eadem consideratio conceditur Deo revelanti religionem et cuilibet somniatori. Praeterea, qui veram religionem sequuntur, praeter ius innixum in

dignitate humana, habent ius innixum in veritate religiosa, et ius custodiendi sibi et suis bonum supremum animae. Quae quidem iura sunt superioris naturae. Uno verbo: Dignitas humana exigit ut bene tractetur homo, dum bona intentione videtur se gerere, sed nullum ius proprie dictum ei tribuit ut alios in suum errorem religiosum inducat, et Deo revelanti aequiparetur. Alii tamen ius habent verum se et suos custodiendi ab errore, et Dei honorem servandi.

III. In schemate videtur Christus et quislibet falsator religiosus aequari in publica existimatione, etiam in catholica societate (cf. nn. 3, 5 et 6).

Haec paritas repugnat intimo sensui bonorum fidelium; adversatur rectae rationi, ut superius vidimus; contradicit modo agendi Dei in Vetere Testamento, et Christi eloquiis opponitur.

In V. T. Deus premebat etiam gravibus minis populum suum ut veram fidem retineret et liberum se custodiret a contagio aliarum religionum. Quamvis methodum illam ad mores illius temporis accommodatam imitari non liceat, utique vero essentialem ordinationem.

Christus provocabat ad clara signa suae missionis, quae nullus alius faciet. Etiam insignivit notis externis suam Ecclesiam, ut omnibus innotescere posset, sicut solemniter edocuit Conc. Vat. I (Sess. III, cap. 3 et 4; can. 3 et 4). Proinde non tantum in ordine obiectivo, sed etiam in cognoscitivo, iniuste et illogice Christus et sua religio cum aliis fundatoribus et religionibus aequiparatur. Praesentatio Ecclesiae tot tantisque signis coram mundo et hominibus ab ipso Deo facta innuere videtur voluntatem divinam publicae et singularis agnitionis in societate.

IV. Etiam docetur in schemate potestatem civilem hodiernam ad res tantum temporales esse vertendam, et ad iura aequalia omnium subditorum circa res religiosas efficaciter custodienda (cf. nn. 3, 4, 5 et 6).

Tamen hoc valde alienum dicendum est a mente omnium RR. PP. et speciatim Ioannis XXIII in Enc. *Pacem in terris,* in qua docetur quod potestates civiles debent bonum commune ita curare ut « non modo aeternae saluti hominum non officiatur, sed eidem etiam serviatur ». Et merito quidem. Omnis potestas, etiam civilis, a Deo est, ut docet Christus et apostolus (*Io.* 19, 11; *Rom.* 13, 1-5). Deus potestatem aliquorum hominum supra alios tantum concedit « in bonum », ut docet apostolus (*Rom.* 13, 4). Iam vero nullum verum bonum homini est, nisi ad aeternam salutem sit ordinatum. Et nulla interest de modo quo exerceatur potestas, cuius determinatio ad homines utique spectat.

V. In declaratione, uti videtur, agitur de aliquo iure humano, in perpetuum agnoscendo, ad cuius cognitionem tandem hodierna die perventum est. Hoc ius praescindit a iure singulari Dei in homines circa res religiosas et iura tantum humana considerantur. Hoc ius limitatur ex exigentia conservandi ordinis publici.

Sed valde mirum est quod in re religiosa, in qua speciatim considerantur

obligationes singulares hominis erga Deum, voluntas Dei clare manifestata de sua religione nihil inspiciatur, et voluntas hominis, qui debet se subdere, tantum consideretur. Ad hoc addendum quod nullum ius, nisi in iure divino fundatum, neque ulla ordinatio iuridica fieri potest, quae in iure divino non innitatur.

Limitatio autem, quae fieret libertatis ex ordine publico petita, damnaret modum agendi ipsius Christi et apostolorum, qui Evangelium praedicarunt accusati de pervertendo ordine publico. Si tale ius existeret, saltem Christus cognosceret.

VI. Censemus appetitiones modernas libertatis religiosae si convenienter moderentur, posse componi cum doctrina traditionali Ecclesiae et deberi. Sed non licet hanc ignorare vel in praeposterum sensum violenter trahere.

En aliquod specimen:

A) Est agnoscendum verum ius obiectivum profitendi sive privatim sive publice religionem, quam quis veriorem putaverit, dummodo haec contineat elementa essentialia religionis naturalis.

Nam quilibet habet ius et officium sequendi legem naturalem, dum habet ignorantiam legis positivae. Religio autem naturalis non est nisi pars legis naturalis. Idem dici debet de omni religione, quae naturalem non obscuratam, contineat.

Putamus sic esse interpretandum Ioannem XXIII in loco notissimo, *Pacem in terris,* ubi de iure naturali omnium hominum agitur. Forte etiam hoc adumbratum reperitur aliquatenus in Pio XI in Enc. *Mit brennender Sorge,* nam in hoc documento damnantur omnes persecutiones religiosae a Hitlerismo patratae, ut oppositae iuri naturali.

Audemus opinari S. Paulum in Epistola ad Romanos (1, 18-21 et 2, 12-15) fundamentum praebere huic assertioni. Nam affirmat legem naturalem pro gentibus esse legem divinam a Deo scriptam in cordibus (*Rom.* 2, 12-15). Religio naturalis vero, quae quasdam veritates fundamentales retinet, pars legis naturalis dicenda esse videtur (*Rom.* 1, 18-21). Religiones autem positivae, quae doctrinas essentiales naturalis conservant, si sincero animo servantur, iura et officia legis naturalis possidere videntur.

B) Hoc ius est limitatum et cedit potiori iuri religionis revelatae verae, cum de publica diffusione agitur.

Pariter ac lex naturalis cessat in sua obligatorietate et iure statim ac est cognita positiva divina, non tantum pro individuis cognoscentibus, sed etiam pro societate, in illis quae ad ipsam pertinent. Hoc exigitur ex reverentia debita Deo revelanti iam cognito, cui est subiiciendum.

C) Proinde catholicismus in populis catholicis habet ius superius respectu aliarum religionum, in voluntate divina fundatum, quod Status agnoscere et tueri debet, prout et in quantum ab Ecclesia exigatur. Haec doctrina traditionalis in Ecclesia, etiam hodie retinenda videtur.

Sic ergo aliquatenus oppositae opiniones componuntur: 1) Omnes reli-

giones (naturalem retinentes), habent verum ius obiectivum circa professionem publicam et propagationem. 2) Hoc tamen ius inferius est iuri catholicismi, cui in catholico populo, ex divina voluntate cedere debet. Primam propositionem magis explicite docuit Ioannes XXIII, quin secundam negaret, immo eam innuit. Priores Pontifices, e contra, secundam prae primis tradiderunt, sed non negarunt primam. Apud omnes vero, non debent eadem iura agnosci catholicae et aliis religionibus.

D) His non obstantibus, ut bonum superius vel magis universale obtineatur, potest Ecclesia huius iuris renuntiationem plus minusve generalem facere, quod singulis in casibus pro opportunitate Hierarchia cum R. Pontifice iudicare debet. Concilium autem ab his iudicandis abstinere debet.

Inde censemus schema, vel reficiendum, vel profunde emendandum. Aliquas emendationes proponimus in sequentibus:

N. 1, pag. 5, linn. 1-8 dicit: « Dignitas humanae... spectant ». Dicatur: « Deus, qui vult omnes homines salvos fieri, statuit tamen ut libere salutem consequantur. Debent enim voluntati divinae personali determinatione se subiicere. Libertas religiosa in dies magis magisque vivide desideratur. Ad has animorum etc. ». *Ratio*: Religio principium habet a Deo, non ab homine.

N. 2, pag. 5, lin. 17 dicit: « in ipsa dignitate personae humanae, qualis ». Dicatur: « in humana natura a Deo condita, qualis ». *Ratio*: ut in praecedenti. Character divinus religionis debet in schemate clarius innotescere.

N. 2, pag. 6, linn. 1-15 dicit: « ... a coercitione hominum... proprio ». Dicatur: « ... ab iniusta coercitione in religionis exercitio » (ceteris omissis). *Ratio*: postea suo loco declarabitur intra quos limites libertas religiosa exerceri debeat. Nunc ab initio satis sit principium generale libertatis statuere. Loco « intra debitos limites », melius videtur « iniusta » dicere.

N. 3, pag. 8, lin. 27 ad pag. 9, lin. 13 dicit « Praeterea... conscientiam ». Dicatur: « Actus religiosi, quibus homines Deo devinciuntur, sive privatim sive publice, natura sua ordinem temporalem et terrestrem transcendunt. Proinde, non spectat ad potestates civiles eos moderare, cum a Deo sit instituta societas religiosa, Ecclesia, ad ordinandam vitam religiosam. Tamen ratione boni communis, cuius pars minime spernenda constituitur utilitate spirituali communi subditorum, potestas civilis potest et debet eam custodire sub ductu Ecclesiae, publicam moralitatem protegendo et societatem ab erroribus perniciosis liberando. Maxima tamen servanda est reverentia personae humanae, quando limitanda sit sua libertas ». *Ratio*: textus reemendatus continet doctrinam novam, minime probatam, et oppositam declarationibus Romanorum Pontificum. Quae adducuntur sub nota 7 minime videntur rem evincere. Romani Pontifices clare contrarium docuerunt. Quae dicuntur de actibus internis moderandis rem non tangunt. De hoc nullus dubitat. Oportet, iura orta ex veritate religiosa et reverentiam homini debitam, apte componere, ut contenditur in novo textu, qui proponitur.

N. 4, pag. 9, linn. 33-35 dicit « quas necessitates... requirit ». Dicatur: « quas *exigentiae boni communis* postulant. *Cura boni communis* requi-

rit... ». *Ratio*: iuxta doctrinam Ecclesiae, confirmatam a Ioanne XXIII in Enc. *Pacem in terris,* exigentiae boni communis, in qua includitur utilitas spiritualis, recte limites imponunt libertati. E contra, ordo publicus non semper. Ob solas rationes ordinis publici custodiendi non licet auctoritati civili impedire praedicationem religionis, quae divina ostenditur. Nec Christus nec apostoli hanc potestatem agnoverunt. Inde hic titulus non est semper sufficiens. Nec Concilium debet in suo documento ut undequaque validum admittere, ne modus agendi ipsius Christi et Apostolorum videatur damnari.

N. 5, pag. 10, linn. 1-2 dicit « atque efficacem aequalium iurium tutelam pro omnibus civibus ». Dicatur: « atque efficacem et legitimam iurium tutelam pro omnibus civibus, qui, " *ad rectam conscientiae suae normam* ", *religionem aliquam profitentur* ». *Ratio*: ipsa verba ab Enc. *Pacem in terris* debent sumi. Non omnes religiones habent eadem iura, ut constanter docent Pontifices. Non est idem ius verae et falsae religionis. Neque cultus idolatricus contra religionem naturalem debet protegi ubique. Debet attendi etiam ad coniunctionem religionis cum vita societatis, ut postea agnoscitur (cf. n. 5, pag. 11, linn. 13-20).

N. 5, pag. 10, lin. 21 dicit « propter rationes religiosas ». Dicatur: « propter *solas* rationes religiosas, nisi agatur de muneribus vel officiis, quae singularem professionem religiosam postulent ». *Ratio*: cogita de magistro scholarum puerorum catholicorum.

N. 5, pag. 11, linn. 14-15 dicit « quominus, attentis populorum circumstantiis historicis, uni... ». Dicatur: « quominus ius singulare verae religionis agnoscatur in populo catholico, et ad circumstantias historicas populorum attendatur, et inde uni etc. ». *Ratio*: non licet spernere doctrinam traditionalem Ecclesiae de singulari iure verae religionis. Ius in veritate fundatur. Non licet ob rationes oecumenicas veritatem tacere. Documentum conciliare non potest esse purus iuridismus humanus, sed doctrina evangelica.

N. 6, pag. 12, linn. 4-23 dicit: « Communitatis... constituere ». Dicatur: « Communitates religiosae ius etiam habent ne impediantur in sua fide proprios asseclas firmare oretenus et per scripta ipsis destinata, et alios etiam docere, dummodo indifferentismus vitetur in populo et periculum perversionis puerorum et rudium arceatur. De convenientia maioris vel minoris libertatis in populo catholico ad supremam hierarchiam Ecclesiae pertinet iudicare, et etiam normas statuere pro singulis casibus per conventiones cum populis, quibus spectet ». *Ratio*: haec est doctrina Romanorum Pontificum usque ad Pium XII, posterioribus non obsistentibus. Doctrina textus est novissima et ad indifferentismum ansam praebet.

Nn. 9 et 10, pag. 13 usque ad 15. Omittantur; ad quaestionem enim illustrandam non conferunt. Si Sacra Scriptura inspicitur, libertas interna certe omnino clare in ea edocetur. Libertas vero externa religiosa seu ius quamlibet religionem profitendi et propagandi forte ignoratur. Facilius ad sensum contrarium eloquia sacra trahi possunt. Si modus agendi in V. T.

ad conservandam puritatem fidei ex parte Dei cum suo populo et praedicatio prophetarum exigunt populo Dei maximum zelum et custodiam, ut religio pura conservetur. Eloquia Christi et apostolorum fidem christianam, ut ad salutem necessariam exigunt, aliis religionibus positivis exclusis et damnatis. Religio tamen naturalis, ut talis, a Paulo videtur admitti.

N. 12, pag. 17, linn. 18-24 dicit « Praeterea... agnoscenda ». Dicatur: « Praeterea, christifideles et ceteri homines iure civili gaudent, ne impediantur religionem profitendi in vita sua " ad rectam conscientiae suae normam " moralique ordine, communique omnium utilitate servatis ». *Ratio*: sic Ioannes XXIII in Enc. *Pacem in terris*. Non est concedenda plena aequalitas iuris omnibus religionibus.

N. 14, pag. 19, linn. 3-6 dicit « libertatem autem... agnosci ». Omittantur omnia. *Ratio*: non debent laudabiliter a Concilio commemorari Constitutiones nationales et instrumenta internationalia quae Deum ignorant, dum de religione loquuntur, et indifferentismi vitio videntur imbuta.

Si supremis lineamentis rem omnem exprimerem, sic, salva reverentia, dicerem: schema, mea humili opinione, redolet iuridismo positivo humano, in quo est maxima sollicitudo pro vindicandis suppositis iuribus hominum, quaedam autem oblivio iurium Dei in re religiosa. Seu est confectum ad mentem et placitum hominum hodiernorum, non vero ad mentem Evangelii et Dei permanentem.

Documentum vero conciliare debet exprimere voluntatem Dei in negotio adeo supernaturali, quod est ius religionis a Deo revelatae pro hominibus omnium temporum.

Schema sic emendatum, ut supra explicuimus, putamus posse probari. Melius autem foret hoc profundius reficere in aliis principiis innixum.

102

EXC.MUS P. D. THOMAS IOSEPH TOOLEN

Archiepiscopus-episcopus Mobiliensis-Birminghamiensis

Schema in genere placet. Placet in specie eius doctrina de norma iuridica, secundum quam potestati publicae quandoque licet impedire actus publicos, qui titulo colorato religionis ponuntur. Haec norma invenitur in conceptu legali ordinis publici.

Sunt utique qui velint dicere, quod exercitium libertatis religiosae licite possit impediri simpliciter iuxta exigentias boni communis. Quod tamen non potest admitti. Ratio invenitur in conceptu boni communis, quem elaboraverunt recentiores Pontifices, Pius Pp. XII et Ioannes Pp. XXIII. Iuxta eorum doctrinam, bonum commune non est quid abstractum, de quo sermo fieri posset quasi a priori. E contra, bonum commune concrete intelligitur, respiciendo ad ipsum hominem concretum, cuius bonum in societate agitur. Iamvero prima veritas de homine haec est, quam docuit Ioannes XXIII,

nempe « omnem hominem personae induere proprietatem, hoc est, naturam esse, intelligentia et voluntatis libertate praeditam; atque adeo, ipsum per se iura et officia habere, a sua ipsius natura directo et una simul profluentia » (*Pacem in terris*: *A.A.S.*, 55, 1953, p. 259). Ex hac veritate de homine de eiusque iuribus atque officiis sequitur conceptus boni communis, qui in evoluta Ecclesiae doctrina cernitur. Bonum commune, cum sit bonum personae, maxime in eo consistit, quod in societate iura personae agnoscuntur, coluntur, defenduntur, provehuntur; pariterque in eo consistit, quod persona humana possit suis officiis fungi absque impedimento (cf. *ibid.*, pp. 273-274). Ex hoc autem conceptu boni communis, noviter expolito, sequitur conclusio quoad officia potestatis publicae. Docet enim Pius XII: « Inviolabilia iura tueri, hominum propria, atque curare, ut facilius quisque suis muneribus defungatur, hoc cuiusvis publicae potestatis officium est praecipuum » (*loc. cit.*).

Intuitu huius doctrinae, exigentiae boni communis non possunt invocari tamquam ratio, quae iustificaret limitationem libertatis religiosae in societate. Etenim ius ad libertatem religiosam est ius humanum, quod debet agnosci tamquam primum inter iura hominis civilia. Ergo ipsum bonum commune, quod consistit in hominis iuribus servatis, omnino exigit, ut cives possint ius suum ad libertatem religiosam exercere absque impedimento. Exercitium igitur huius iuris civilis non potest impediri a statu, invocatis exigentiis boni communis.

Idem argumentum potest alio modo poni, ex parte nimirum potestatis publicae. Etenim potestati publicae incumbit officium tuendi et promovendi liberum exercitium iurium civilium, quorum primum est ius ad libertatem in re religiosa. Ergo potestas publica non potest invocare officium suum erga bonum commune, ut rationem reddat interventionis coercitivae contra liberum exercitium iuris ad huiusmodi libertatem. Esset aperta contradictio.

Sapienter igitur progreditur schema, dato progressu in doctrina catholica, ad distinctionem traditionalem inter bonum commune et ordinem publicum. Est utique distinctio inadaequata. Ordo enim publicus est elementum fundamentale boni communis, propterea quod ea tria bona comprehendit, quae sunt absolute necessaria ad ipsum esse societatis, in quantum societas debet esse ordo quidam humanus atque civilis, ordo nempe iustus, moralis, tranquillus. Si enim iura aliorum impune violantur, societas cessat esse ordo iustitiae. Si contra normas communes moralitatis publicae impune peccatur, societas cessat esse ordo moralis. Si impune rumpitur pax publica, societas cessat esse ordo civilis, cum civilitas cedat violentiae.

Ergo in his tribus casibus potestas publica licite potest, et pro officio suo debet, coercitive intervenire. Agitur enim quaestio de crimine seu delicto civili, quod supprimi debet, ne exinde tota communitas detrimentum capiat. Neque in casu potest civis ius suum invocare ad immunitatem a coercitione in re religiosa. Nemo enim immunis a coercitione censeri debet, cum crimen patrat publicum.

Ergo schema profert doctrinam certam atque solidam, cum exigentiam

triplicem ordinis publici statuit tamquam normam iuridicam coercitivae interventionis status quantum ad exercitium iuris ad libertatem in re religiosa.

Denique notandum est, quod in schemate agitur quaestio unica, specialis, angusta. Non enim agitur quaestio generalis de interventione statali in vita sociali. Neque ullo modo insinuatur, quod totum officium status consistit in tutela ordinis publici, sensu explicato. Multo minus negatur, quod status plura officia habet erga bene esse societatis, et morale et materiale. Agitur enim unica quaestio de iure isto civili, quod est ius ad libertatem in re religiosa. Et unice quaeritur norma iuridica, quae licitam reddit interventionem coercitivam status respectu exercitii huius iuris civilis. Evidenter severior atque strictior debet esse haec norma, quam normae istae, quae interventionem status regunt in aliis ordinibus vitae socialis. Ordo enim iurium civilium est ordo superior, magis immunis a potestate coercitiva status.

103

Exc.mus P. D. ROBERTUS TRACY

Episcopus Rubribaculensis

Incipit bene schema declarando ius ad libertatem religiosam revera fundatum esse in ista dignitate personae humanae, itemque homines nostri temporis de hac re magis in dies conscios fieri, re omnino consentanea cum veritate et iustitia.

Deus dedit libertatem homini cum iure se dirigendi conscientia sua. Quapropter nulla auctoritas humana iuste eum privare potest hoc bono a Creatore collato neque sine iniuria potest eum cogere ad agendum contra conscientiam.

Iura conscientiae, inter quae habetur ius cultus divini sive privati sive publici, quae competunt singulis hominibus, eisdem competunt in coetibus seu corporibus moralibus coadunatis quia naturaliter sociales sunt et religio natura sua est socialis.

Potestates civiles, quia existunt ut protegant et colant iura humana, obligationem habent agnoscendi iura civium in rebus religiosis eosdemque plene protegendi in exercitio religionis.

Attamen potestates civiles non debent iudicare de veritate doctrinae religiosae nec propter talia iudicia unam communitatem alteri praeponere vel posthabere. Auctoritas civilis limitatur ad ea quae huius mundi sunt. Ius divini cultus est ius civile simulque religiosum; cultus ipsa et doctrinae quarum est manifestatio externa sunt totaliter in ordine religioso. Transcendunt hunc mundum et amplectuntur officia hominis ad Deum.

Limites libertatis religiosae in vita sociali hominum bene definiuntur in schemate.

Legimus in textu (n. 6, linn. 21-25) « Libertas religiosa, quae singulis personis competit, etiam communitatibus agnoscenda est ».

Cum his dictis consentio. Attamen rationes adductae non mihi videntur idoneae. Legimus: « Hae namque a sociali natura tum hominis tum ipsius religionis requiruntur ».

Revera natura socialis hominis et religionis requirit cultum in communitate; non requirit plures communitates. Christus Dominus fundavit unam communitatem, seu unum ovile, pro omnibus hominibus. Minime reiecisset aliquid requisitum a sociali natura tum hominis tum ipsius religionis.

Itaque propono: substituatur in textu loco citato verbum « manant » vel verba « originem habent » in loco verbi « requiruntur ».

Schema ita emendatum sartam tectam custodit doctrinam catholicam et plenam iustitiam reddit fratribus separatis.

104

Exc.mus P. D. IOSEPH VAIRO
Episcopus Gravinensis et Montis Pelusii

Declarationis *de libertate religiosa* opportunitas satis constat, cum ex una parte hoc hominum ius procaciter violatum videmus apud non paucas gentes; ex altera vero pleraeque publicae Civitatum Constitutiones ac professio universalis iurium humanorum ab unitarum nationum coetu generali rata habita libertatem religiosam inter fundamentalia hominum iura recensuerunt.

Ecclesiae silentium de hac re excusari non posset, cum iam et Ecclesiae filii et ceteri homines quid ipsa sentiat expectant.

Sed quaestio prius solvenda haec mihi videtur: quaenam sit hac in re competentia Magisterii Ecclesiae.

1. Ecclesiae Magisterio sine dubio competit declarare suam nativam libertatem. Ecclesia enim divina est institutione constituta ut societas originaria et in suo ordine suprema, cuius libertas innititur divino mandato a Christo Domino ei commisso docendi, regendi et sanctificandi membra populi Dei. Quare conscientiam, quam Ecclesia de se habere debet, ad conscientiam Christi referri necesse est. Ecclesia igitur suum divinum mandatum exsequens in variis diversorum temporum ac locorum adiunctis, testimonium semper perhibet veritati sive persecutionem patiens, sive libere docens, sive civiles institutiones spiritu christiano imbuens; numquam tamen conscientiae sui divini iuris ac officii renuntiare potest.

2. Ecclesiae Magisterio competit de libertate religiosa authentice interpretari ius naturae sub aspectu legis moralis naturalis. Nam ipsa legis moralis naturalis observatio, in actuali providentis Dei oeconomia, ad viam concrete refertur, qua homo ad finem ultimum supernaturalem assequendum tendit; in qua via Magistra et Custos hominum est sola Christi Ecclesia.

Ecclesiae Magisterium pluries hoc ius est authentice interpretatum. Ita Summus Pontifex Ioannes XXIII in Litt. Enc. *Pacem in terris*: « In hominis

iuribus hoc quoque numerandum est, ut et Deum ad rectam conscientiae suae normam venerari possit et religionem privatim publice profiteri ». Leo XIII in Litt. Enc. *Libertas praestantissimum,* exclusa falsa sententia, qua conscientiae libertas ita accipiatur ut suo cuique arbitratu aeque liceat Deum colere non colere, haec sapienter dicit: « Sed potest etiam in hanc sententiam accipi, ut homini *ex conscientia officii* Dei voluntatem sequi et iussa facere, nulla re impediente, in civitate liceat. Haec quidem vera, haec digna filiis Dei libertas... ».

3. Ecclesiae Magisterio competit postulare ut in iuridico civitatum ordine ab auctoritate civili conficiendo ratio habeatur tum iuris supernaturalis ipsius Ecclesiae tum iuris naturalis personae humanae. Competit etiam Ecclesiae Magisterio iudicare utrum necne civilis agnitio, concreta determinatio ac iuridica tuitio libertatis religiosae, postulatis utriusque iuris, supernaturalis Ecclesiae et naturalis personae humanae, concrete satisfecerint.

Cum vero humana libertas deficere possit et quandoque de facto deficiat, agnitio et tuitio libertatis religiosae in ordine civitatis iuridico necessario secumfert civilem permissionem erroris et peccati, si forte in exercitio huius civilis iuris occurrant.

Tres igitur in declaratione distinguendi sunt prospectus (italice prospettive), quamvis inter se ordinem dicant: ius supernaturale libertatis Ecclesiae; ius libertatis religiosae hominis sub aspectu legis moralis naturalis; agnitio, concreta determinatio ac tuitio libertatis religiosae in ordine iuridico civili.

Ecclesia de libertate religiosa merito declarat ius suum supernaturale et ius naturale personae humanae sub aspectu legis moralis naturalis. Circa vero civilem agnitionem et iuridicam tuitionem libertatis religiosae ab auctoritatibus civilibus nationalibus et internationalibus ad actum deducendas vel deductas Ecclesia sua postulata exhibet vel suum iudicium profert.

Tandem ut concrete loquamur quaerimus utrum Ecclesiae Magisterium possit suam facere et ut suam exhibere professionem libertatis religiosae ab unitarum nationum Coetu generali ratam habitam.

Ecclesiae Magisterium per se non potest suam facere nec ut suam exhibere hanc professionem, quae libertatem religiosam respicit tantum sub aspectu iuridico civili. Potest tamen hanc professionem iudicare, attentis praesertim historicis conditionibus consortionis humanae nostri temporis, ut formam agnitionis civilis ac iuridicae tuitionis libertatis religiosae vere aptam et postulatis tum iuris supernaturalis Ecclesiae, tum iuris naturalis personae humanae practice satisfacientem.

In hac professione illustranda, tamen, sunt expungenda falsa praesupposita ex Liberalismo orta, quae multas civiles constitutiones informant.

En falsa praesupposita. *1 praesuppositum*: Libertas consideratur ut valor absolutus.

Libertas vero non est valor absolutus sibimetipsa finis et norma; sed est essentialis condicio, ut homo veritatem et bonum adipiscatur, et suipsius

perfectionem consequatur. Hic finis est obiectiva mensura et intrinseca norma libertatis.

2 praesuppositum: Fundamentum libertatis religiosae reponitur in iuribus conscientiae etiam errantis, quae absoluta praesumuntur.

Sed libertas religiosa non potest fundari in occulto dictamine conscientiae forte falso quamvis subiective obliganti. Naturale fundamentum libertatis religiosae quaerendum potius est in praeeminenti interioritate adhaesionis religiosae, cuius externa et socialis manifestatio sincera sit oportet. Haec autem interior adhaesio subtrahitur a qualibet humana auctoritate (cf. *S. Th.*, I-II, q. 91, art. 4, c).

3 praesuppositum: Incompetentia Status de re religiosa censetur omnimoda et radicalis.

Sed haec incompetentia est relativa: in hoc sita est quod Status nullum iubere potest actum religiosum. Non sequitur vero Statum esse incapacem percipiendi ac recognoscendi foecunditatem socialem verae religionis, attento bono societatis communi. Quod bonum commune, societatis civilis finis et activitatis politicae norma, ad integrum hominem attinet, hoc est ad eius tam corporis quam animi necessitates (cf. *Pacem in terris,* II) et est non statice sed dynamice considerandum.

4 praesuppositum: Libertas putatur non posse intellegi sine aequalitate.

Sed omnibus coetibus religiosis aequa libertas in ordine civitatis iuridico est agnoscenda, attento bono communi, quin tamen necessario aequalitas iuridica adstruatur.

Conclusio. Schema iuxta modum placet. Textus iterum emendatus est longe melior quam textus praecedentes; sed adhuc perficiendus est.

Varii prospectus (prospettive) iuris libertatis religiosae clarius distinguendi sunt. Quaedam praeiudicatae opiniones, quae hic illuc in textu emergunt, quaeque iura absoluta conscientiae etiam errantis et radicalem incompetentiam Status de re religiosa respiciunt emendandae sunt.

In definiendo obiecto iuris naturalis libertatis religiosae sub aspectu legis moralis resumantur locutiones Ioannis XXIII et Leonis XIII. « In re religiosa homo immunis esse debet a qualibet coercitione ut et Deum ad rectam conscientiae suae normam venerari possit et religionem privatim publice ex conscientia officii profiteri ».

105

Rev.mus P. D. MAURUS VERZICH

Abbas Praeses Congregationis Slavae S. Adalberti O.S.B.

Maior *concisio* desideratur, evitando repetitiones inutiles, quae potius sensum et sequelam logicam propositionum obmutilant.

In specie. Pag. 8, « Nostris autem diebus... ». Totum hoc incisum non est aliud nisi repetitio pleonastica et inutilis principii immediate antea decla-

rati. Omnino autem superflua videtur particula « insuper », quae natura sua quoddam *novi* ad ideam praecedentem adiuncti exprimit.

« ... intra videlicet debitos limites ». *a*) Superflua haec mentio, nam numerus specialis n. 4) de hoc habetur.

b) « videlicet »; melius eius loco « autem » vel « vero ».

Pag. 8, lin. 19: « ut homo internos religionis actus socialiter seu actibus externis manifestet » (omittantur verba « quibus in societate cum aliis communicet »).

Lin. 28: loco « ex animi sententia »: « ex conscientiae dictamine ».

Pag. 9, linn. 9-13: totum hoc incisum supprimendum est, utpote *nihil* novi afferens.

106

Exc.mus P. D. PETRUS VEUILLOT

Archiepiscopus tit. Constantiensis in Thracia, coad. c.i.s. Parisiensis

Schema in genere placet. Et melius videtur, omnibus perpensis, praesentem schematis ordinem conservare quam illum denuo modificare. Sed, ad textum perficiendum has animadversiones proponimus.

Ad n. 1. Pag. 5, lin. 2: Rerum status hodiernus rationem habere debet non tantum de altiore conscientia dignitatis humanae, quam habent homines, sed etiam de defectu, in dies crescente, reverentiae erga dignitatem illam, tam in vita sociali quam in vita nationali (totalitarisme, moyens de pression, etc. ...).

Insuper, paucis verbis clarius dicendum esset in quo consistat dignitas humanae personae.

Pag. 5, linn. 8-15: Firmius clariusque in hoc prooemio nuntiandum est Ecclesiam hac de re loqui nomine fidei suae et veritatis religiosae quam profitetur. Vox « simulque » (lin. 11) tollenda est, quia iuxtapositionem tantum connotat argumentationum, cum e contra inducenda esset perfecta schematis unitas in dualitate argumentationum, ex ratione scil. et ex revelatione.

Ad n. 2. In hac declaratione contineri debent ea omnia quae essentialiter argumentum constituunt, ea scil. quae ex fide et non solum ex ratione deducuntur. Suam doctrinam profiteri debet Ecclesia, quin satis habeat quoddam suffragium afferre ad declarationem internationalem circa iura hominis.

Reverentia ipsa erga veritatem exigit quod libertas non violetur, tam in ordine rationis quam in ordine fidei:

a) Ex una parte, ad ordinem naturalem quod spectat, homo, cum sit ratione et voluntate praeditus, obligatione morali tenetur quaerendi veritatem in omnibus. Atqui in re religiosa, haec quaestio veritatis et adhaesio ei quod veritas iudicatur, nequit fieri nisi cum libertate.

Proinde, ad hanc declarationem melius conscribendam, incipi debet a

tertia paragrapho (pag. 6, linn. 16-18), quae modo assertivo scribatur, ut supra dictum est; deinde cum duabus prioribus paragraphis prosequi, quae ex hoc principio consequentias deducunt.

b) Ex altera parte, ad ordinem revelationis quod spectat, Christus, qui est veritas ipsa, vi nuntium salutis imponere renuit, eiusque mors, qua Redemptionem nostram effecit, clarissime manifestat quantum coluit libertatem istorum hominum qui veritatem revelatam respuerunt. Ecclesia autem non aliter se gerit in diffundenda veritate, cuius depositum accepit.

Quapropter Ecclesia profitetur liberos esse sinendos homines, etiamsi agnoscat suum esse officium illis veritatem revelatam nuntiare.

Pag. 6, linn. 5-7: Pressius declarandus sensus vocis « conscientia », et tollenda ambiguitas lugenda subiectivismi (cf. relationem exc.mi D. De Smedt, pag. 4, lin. 13: « Vitam suam ordinare secundum suas personales persuasiones »; cf. etiam textum reemendatum, n. 3, pag. 7, linn. 19-21).

Pag. 6, lin. 4: « Et ita quidem ut in re religiosa ». Si affirmatio quae immediate praecedit non rem religiosam respicit, recipi nequit cum sit generalior; si eam respicit, haec propositio « Et ita... » infelix est ac tollenda.

Pag. 6, lin. 7: « Intra debitos limites »: sententia quam maxime insufficiens. Hic ergo resumendae sunt assertiones clariores quae in n. 4, *b*), inveniuntur.

Ad n. 3. Pag. 7, linn. 31-33: Sollemne hoc principium in disceptationem venire debet, cum modo nimis generali sit enuntiatum. Nam, nomine conscientiae religiosae, culpae morales, publicae et graves (quae usque ad occisiones progrediebantur) commissae sunt. Impossibile ergo est tale principium asserere, nisi breviter et summatim dicas limites morales et iuridicos, de quibus sermo erit in n. 4.

Pag. 8, linn. 12-22: Haec brevis analysis indolis religionis maximi momenti est. In ea enim sistit argumentum specificum, quod obrui nequit, pro libertate in re religiosa; cum argumenta ex humana conscientia desumpta, pro quovis libertatis genere valeant. Optandum ergo est ut haec analysis anteponatur affirmationi huiusmodi libertatis religiosae (v. g., pag. 7, post lin. 7).

Pag. 9, linn. 1-3: Impossibile est dicere quod potestas civilis limites suos excedit « si in ea, quae ipsam ordinationem hominis ad Deum respiciunt, sese immisceat ». Opponitur enim affirmationi quae anteponitur, iuxta quam terrestris et temporalis ordo, qui potestati civili competit, inservire debet fini ultimo hominis, i. e. ipsi ordinationi hominis ad Deum.

Dicendum ergo est quod, instaurando illum ordinem terrestrem et temporalem qui personis permittat finem ultimum attingere iuxta proprias earum persuasiones, potestas civilis rationem habere debet libertatis personarum in re religiosa.

Ad n. 5. Pag. 10, linn. 14-16: Textus Ioannis XXIII et Pauli VI, ad quos remittitur in nota 9, incitant ad scribendum modo minus abrupto ipsum schematis textum. Aut simul dicendum est, cum illis Pontificibus, de « iuri-

bus et officiis », de « iuribus ac muneribus » hominis in societate viventis; aut potius admittenda sententia magis exacta: « inviolabilia hominis iura tueri ac promovere ad praecipuum potestatis civilis officium essentialiter pertinet ».

Pag. 11, linn. 7-12: loco « ad vitam religiosam fovendam », dicatur: « ad *sanam* vitam religiosam fovendam »; historia enim ostendit quamlibet vitae religiosae formam moralitati publicae non favere.

Insuper, in altero sententiae membro (« eo magis ipsa fruetur bonis... ») vitari deberet ut in mentem induceretur quod ex religiosa fidelitate civium ipso facto consequeretur temporalis prosperitas! Ad tollendam aequivocationem, pressius scribendum esset, v. g.: « bonis iustitiae ac pacis, quae, etc. ... ».

Ad n. 8. Pag. 13, lin. 6: loco « Ast », dicatur « Immo », ut melius ostendatur continuitas et perscrutatio sententiarum. Insuper pressius dicendum quomodo revelatio christiana plenam dignitatem personae humanae manifestam fecerit, et quodnam sit fundamentum christianum huius dignitatis, necnon libertatis quam expostulat.

Ad n. 9. a) Dolendum est quod numerus ille et qui sequuntur careant distinctione clara inter libertatem civilem ac iuridicam in re religiosa, et libertatem spiritualem ac moralem actus religiosi quo Verbo Dei adhaeremus. Simul distinguendi essent hi duo ordines et ostendendum quare posterior, ordo scil. proprie religiosus, requirit usum prioris, qui est iuridicus.

Deficientibus his praeviis distinctionibus, usus vocis « libertas » secundum sensus tantopere dissimiles aliquam ambiguitatem, quae ubique maneat, efficit, et iustas facit censuras graves contra hoc schema enuntiatas.

b) Praeterea impossibile videtur ut doctrinam libertatis religiosae *sub luce revelationis* aggrediaris, quin affirmes, ipso Revelationis iure, ius primordiale et sacrum quod habet Deus honorari et coli ipsis verae religionis actibus, et consequenter obligationem qua tenetur homo inquirendi veram religionem eamque profitendi cum auxiliis quae accipit a Deo.

Positis his principiis, facilius fit ostendere cur et quomodo inceptum Dei et responsum hominum consentanea sunt propriis exigentiis libertatis in re religiosa.

Pag. 14, linn. 12-17: Defectus et violationes erga reverentiam libertati religiosae debitam in Ecclesia, per historiae decursum, non tantum personarum fuerunt, sed etiam institutionum quae, suo tempore, ab Ecclesia probatae erant.

Ad n. 10. Hic numerus non plane ad schematis obiectum respondere videtur: non enim quaeritur quomodo se gesserint Christus et Apostoli; sed in primis ostendendum est quantopere praecipua salutis nostrae mysteria — nempe Incarnatio Christi, eiusque mors ac resurrectio — actus fuerint amoris liberi Dei, qui requirunt ut homo libere ei respondeat. In quo sensu religio christiana, modo contrario ab aliis religionibus, religio libertatis dici potest. Itaque fidelitas erga Christi doctrinam et exempla plane requirit ut

christiani, etiam in praedicanda fide, libertatem omnium hominum reverenter observent utque possint et ipsi religionis suae iussa obsequi, vera libertate civili gaudentes.

Nonnisi postquam positae fuissent illae primordiales affirmationes, afferenda essent, forma breviore, exempla modi quo se gesserint Christus et Apostoli, ut dicitur in hoc num. 10.

Ad n. 11. Ob ea quae modo dicta sunt, huius numeri substantia de libertate actus fidei aptiorem locum obtineret in nn. 9 et 10, cum agitur de libertate christiana proprie dicta (et non de qualibet libertate religiosa in genere).

Nam vocationis christianae vera notio ad omnia argumenta pro libertate hominis in re religiosa, argumenta specifice christiana addit, tam ex oeconomia salutis per Crucem effectae desumpta, quam ex natura actus fidei per quem ingressum habemus in hanc oeconomiam salutis.

Pag. 16, lin. 17: loco « indoli fidei repugnat ut... » melius dicatur: « Indoli ergo fidei plenissime consonat ut, in re religiosa, quodvis genus coercitionis ex parte hominum absolute excludatur ».

Ad nn. 12 et 13. Hi duo numeri immediate post n. 10 aptissimum locum haberent: descripto enim modo quo se gesserunt Christus et Apostoli, schema naturaliter devenit ad modum quo se gerere debeat Ecclesia: ad eius scil. officia et iura.

Immo potius esset exigentias libertatis Ecclesiae seu iura (n. 13) ostendere ut consequentiam missionis, quam Ecclesia a Christo accepit, et munerum seu officiorum tam pastorum quam fidelium (n. 14). Quod modo inverso ordo rerum exhibeatur, optandum videtur.

Pag. 18, linn. 19-31: Haec affirmatio sacri officii Evangelium annuntiandi nimis multum iuxtaponitur prioribus affirmationibus schematis circa libertatem religiosam.

Ratione habita superiorum animadversionum, facile esset denuo dicere quod sana reverentia erga veritatem religiosam annuntiandam, requirit ab apostolis christianis ut suorum fratrum libertatem et ipsi observent. Et melius: quicumque Christum annuntiat nequit eum annuntiare aliter ac Christus, qui est ipsa veritas, semetipsum revelavit: in potentia Verbi, in reverentia erga libertatem aliorum, in acceptatione mortis, quae fuit supremum Christi testimonium erga Veritatem.

Ad n. 14. Haec conclusio modo breviori scribi posset, inserendo in corpore schematis aliquas considerationes particulares circa persecutiones religiosas (pag. 19, linn. 6-12) vel modos quibus laesa est libertas humana hodie (pag. 19, linn. 31-36). Sufficeret quod in fine Concilium christianos hominesque bonae voluntatis provocaret ut melius inservirent libertati religiosae in mundo huius temporis.

107

EXC.MUS P. D. HENRICUS VION
Episcopus Pictaviensis

Le texte offert à la discussion des Pères conciliaires lors de la quatrième session du Concile semble substituer le terme de « proposition » du message chrétien à celui d'« imposition ». N'est-il pas à craindre que ne soit ainsi tamisée l'« obligation religieuse » dans les commentaires qui seront infailliblement élaborés après la promulgation du document?

C'est qu'en effet, si l'on se borne à considérer le message chrétien comme une « proposition », chacun demeure libre — psychologiquement et moralement — d'accepter ou de refuser la foi. On ne saurait être obligé (ob-ligatur, lié en vue d'une fin, ici la fin dernière, le salut) si le message salutaire n'est que « proposé ». Si par contre, c'est l'idée d'« imposition » qui se trouve nettement affirmée, on reste psychologiquement libre d'accepter ou de refuser, mais on ne l'est plus « moralement ». On est obligé. La Parole du Christ est formelle: « Qui crediderit salvabitur, qui non crediderit condemnabitur ». On comprend que celui qui accueille la « proposition » divine soit sauvé, mais celui qui, n'étant pas « obligé », la refuse, comment serait-il damné?

Sans doute, le schéma veut-il, et on le comprend, sauvegarder la liberté de la « personne humaine ». Il est incontestable qu'à son égard, ni l'homme ni Dieu, ne doivent user de contrainte violente. Mais il aurait fallu distinguer entre la « liberté psychologique » absolument inviolable et la « liberté morale », susceptible, elle, de se voir limitée par l'obligation. Limitation qui, loin de porter ombrage à la dignité de la « personne humaine », ne peut au contraire que la rehausser en maintenant la volonté dans son ordination au vrai bien à la fin dernière, la vision et l'amour béatifique de Dieu. En bref, on est et on doit demeurer psychologiquement libre, mais la liberté ne saurait exclure l'obligation morale.

Si l'obligation constituait une atteinte à la liberté, c'est-à-dire si la liberté psychologique, inviolable, exigeait de n'être aucunement restreinte par l'obligation morale ou, en d'autres termes, si la liberté morale s'étendait aussi loin que la liberté psychologique, il faudrait, en bonne logique, dénier à toute autorité le droit de poser des préceptes. L'autorité civile n'aurait plus le droit de commander, l'autorité des parents le droit de formuler des ordres, l'Eglise ne pourrait pas plus que Dieu établir des commandements. On voit où peut conduire le principe que le message salutaire ne peut être imposé, mais seulement proposé, sous prétexte que son imposition, créant l'obligation, violenterait la dignité de la personne humaine.

Il ne serait plus alors question d'obéissance, ni de désobéissance. Rien n'étant et ne pouvant être imposé, la « personne humaine », déliée de toute obligation, pourrait agir selon son bon plaisir. *Plus de péché.* La restriction

du « bien commun » que le pouvoir civil maintient contre les prétentions d'une liberté effrénée ne saurait être invoquée elle-même, puisqu'elle entraînerait une obligation et, par conséquent, une limite à la liberté.

On voit donc quels dangers naîtraient d'une déclaration conciliaire qui, pour sauvegarder la liberté, s'abstiendrait d'évoquer l'obligation, en se bornant à « proposer », sans vouloir l'« imposer », le message du salut.

Je sais bien que l'on croit échapper à ces conséquences en faisant appel à l'« amour » qui doit inspirer l'adhésion libre de la volonté à la proposition divine. Mais le problème n'est que transposé. Ou bien cet amour est obligatoire, ou bien il ne l'est pas. S'il ne l'est pas (n'obligeant pas) il peut être, sans péché, refusé. S'il l'est, comme on doit l'admettre, alors ne parlons plus de simple « proposition », mais maintenons l'« imposition »: « Tu aimeras le Seigneur ton Dieu... ».

Il n'en reste pas moins vrai que la liberté psychologique ne pourra être lésée, qu'on ne pourra la contraindre par violence, qu'on ne force donc pas une personne à « faire un acte de foi ». Mais il restera que par-dessus le débat sur les conditions d'application de fait de la liberté religieuse, l'obligation de droit sera sauvegardée. La foi, acte d'intelligence élicitée sous « l'imperium » libre de la volonté (puisque motivée par une évidence extrinsèque: témoignage divin) demeurera psychologiquement libre, mais moralement obligatoire. Alors, on pourra continuer de tenir l'avertissement du Christ: « Qui crediderit salvabitur, qui non crediderit condemnabitur ».

Il faudra sans doute définir et résoudre les problèmes d'ordre subjectif: cas de l'ignorant, cas de la conscience erronée... etc. Mais qui ne voit que dans chaque cas, on devra encore faire intervenir l'idée d'*obligation — celle de suivre sa conscience* —. Il conviendrait peut-être de noter qu'on n'y manque pas, lorsqu'il est question de la conscience erronée. Mais de quel droit, si l'on a plus ou moins évacué l'idée d'obligation, en « proposant » sans « imposer » quand il s'agit de la conscience morale?

En conclusion, il me semble que sous peine de fournir des armes à l'indifférentisme, le texte conciliaire doit affirmer plus explicitement l'idée d'*obligation morale* incombant à l'homme du fait de la Révélation. Si Dieu parle, il veut être écouté. Dans ce but, il est nécessaire aussi de distinguer de façon bien précise « liberté psychologique » et « liberté morale ».

108

EXC.MUS P. D. ANTONIUS GREGORIUS VUCCINI

Archiepiscopus tit. Aprensis

Testes sumus quod in hac aula ab initio disceptationis quaestio de libertate religiosa sub multiplici aspectu scrutata fuit, dum in re, agitur de aspectu iuridico tantum, seu sociali, sicut tam in schemate quam in nota huic annexa passim clare fuit declaratum. In nota annexa dicitur quod « initium

sumit schema quod hodie libertas religiosa intellegitur conceptus technicus iuridicus; secundum hunc conceptum regulantur relationes cives inter et potestates publicas necnon inter ipsos cives ». Opportunum mihi videtur in hac materia memoriam facere declarationis quae assensum obtinuit Consilii executivi Commissionis Ecclesiarum pro negotiis internationalibus apud Genève secundum quam « normam libertatis religiosae oportet esse internationalem. Igitur omnis conatus adhibendus est ut Constitutiones nationales et leges consentaneae sint normae internationali» . Relate ad schema nostrum, supradictum Concilium votum emisit dicendo: « Nous exprimons l'espoir de le voir adopté et promulgué sans affaiblissement de son contenu et sans interprétation restrictive ».

His dictis videtur quod rationem e dignitate humanae personae sumptam non expedit proponere ut iuridicam proximum fundamentum iuris ad libertatem religiosam, quae ut iam dictum fuit tantum sub aspectu iuridico considerata fuit ab auctoribus declarationis.

Comperitur enim hodie quod ad vindicandum ius ad libertatem, non excepta libertate religiosa, generatim homines repetunt magis aequalitatem existentem inter omnes homines quam dignitatem humanae personae. Revera, etsi diversimode concipitur dignitas personae humanae, attamen omnes conveniunt declarando existere strictam et veram aequalitatem inter homines cuiuscumque stirpis et conditionis socialis.

Insuper declaratio conciliaris, sicut dicitur in relatione nobis tradita, « non ad solos christianos dirigitur. In declaratione tantopere a mundo expectata praestat expositionem incipere argumentis quae etiam a non credentibus intellegi possunt ».

Hoc autem his verbis declaratur in litteris encyclicis *Pacem in terris* ubi dicitur « omnes homines (tales quales) esse naturae dignitate aequales ».

Certum est ius fundamentum habere in aequalitate quae intercedit inter duo subiecta seu personas. Unde ius connotat immediate et formaliter relationem intersubiectivam, relationem scil. quae intercedit inter personam et personam, sicut dicitur in nota huic schemati adnexa. Sed hodie fere ab omnibus admittitur huiusmodi iuris natura fundamentum habere in aequalitate quae intercedit inter personas, scil. inter subiectum activum et subiectum passivum. Iuri quidem subiecti activi respondet officium subiecti passivi.

Patet ex dictis quod unusquisque ius habet ad inquirenda necnon exercenda, salvis iuribus ordinis publici, ea omnia quae pertinent ad propriam vitam religiosam, alii vero homines atque potestates publicae officium habent vereri huiusmodi ius, vi aequalitatis qua regulantur hodie relationes inter cives et etiam inter cives et potestates publicas, vi cuius, nemo censetur arbiter et dominus alterius conscientiae. Nam hodie multi censent actum religiosum esse vere dialogum creaturam inter et Creatorem, seu, ut dicunt, religionem esse negotium personale, cum actus fidei sit in se liber et voluntarius, scil. formaliter personalis. Hoc autem moderate insinuatur a Domino

in his verbis: « Tu autem cum oraveris intra in cubiculum tuum et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito ».

Mihi videtur aspectum negativum nimis apparere in declaratione conciliari et hoc ad detrimentum aspectus positivi iuris ad libertatem religiosam. Nam relationes sociales regulantur elementis magis positivis quam negativis, cum iustitia sit aliquid positivum, secundum illud « unicuique suum ».

Breviter: fundamentum ontologicum et remotum iuris ad libertatem religiosam est dignitas personae humanae, fundamentum autem iuridicum et proximum est aequalitas quae intercedit inter omnes homines. Vi huius duplicis fundamenti scil. dignitatis personae humanae et aequalitatis inter omnes homines unusquisque ius habet ad inquirenda et exercenda quae pertinent ad religionem propriam, alii vero homines vel coetus hominum officium habent vereri huiusmodi ius simulque debent se abstinere ab omni vi et coercitione in damnum libertatis religiosae alterius.

Unde, ad dissipandam omnem confusionem, propono ut in numero prooemiali declaretur aspectus sub quo consideratur in declaratione conciliari ius ad libertatem religiosam. Tandem quaeritur qua ratione in declaratione adhibentur argumenta e ratione et revelatione sumpta. Nam ad rem non pertinent, insuper ab omnibus non acceptantur. Haec argumenta valent tantum apud christianos. Melius est ea collocare separatim in parte speciali, quia oportet condere ius ad libertatem religiosam, pro christianis, super fundamentum christianum. Nam hoc dignum et iustum est.

Secretariatus pro unitate christianorum officium erat conficere declarationem accommodatam dialogo oecumenico, scil. universali. Oportebat igitur considerare ius ad libertatem religiosam sub aspectu internationali, scil. sociali seu technico iuridico, seclusis considerationibus philosophicis et theologicis.

Unde quaeri potest utrum declaratio conciliaris sit actus magisterii ecclesiastici, cum in casu non agitur de actu doctrinali vel disciplinari.

[*Subscripserunt etiam*] Caietanus Pollio, arch. Hydruntinus; C. de Provenchères, arch. Aquensis in Gallia; B. Printesis, arch. Atheniensis; I. Ziadé, arch. Berytensis Maronitarum.

* * *

Liceat mihi aliqua delineare de fundamento iuris ad libertatem in re religiosa. In schemate de quo disputatur hodie in n. 1 dicitur: « Dignitatis humanae personae homines hac aetate magis in dies conscii fiunt. Postulat haec dignitas » etc. In n. 2 declaratur « ius ad libertatem religiosam esse revera fundatum in ipsa dignitate personae humanae ». Item in diversis locis schematis dicitur fundamentum libertatis religiosae esse dignitatem personae humanae. Certum est dignitatem personae humanae esse fundamentum ontologicum iuris ad libertatem religiosam.

Sed mihi videtur quod hoc non consonat cum ratione sub qua consideratum fuit ius ad libertatem religiosam ab auctoribus schematis. Nam ipsi

confiteantur in nota schemati adnexa quod animo proponebant considerare ius ad libertatem religiosam sub aspectu iuridico et non theologico.

In parte annexa, in nota 2, pag. 42 et 43 ubi de methodo huius schematis, dicitur quod « initium sumit schema quod hodie libertas religiosa intellegitur conceptus technicus iuridicus, secundum hunc conceptum igitur regulantur relationes cives inter et potestates publicas necnon inter ipsos cives. Quaestio igitur de libertate religiosa cum ad ordinem civilem pertineat distinguenda est ab aliis quaestionibus quae sunt ordinis theologici ».

In n. 2 schematis pag. 6, lin. 9 dicitur: « Insuper declarat (haec Sancta Synodus) huiusmodi ius (ad libertatem religiosam) in iuridica societatis ordinatione ita agnoscendum esse, ut ius civile evadat... ».

Atqui, fundamentum iuris ad libertatem de re religiosa sicuti habetur in schemate, scil. dignitas personae humanae, sicut interpretatum fuit ab auctoribus schematis, i. e. sub aspectu iuridico, diversimode sumitur ab hominibus hodiernae aetatis. Nam quidam rectam rationem habent de dignitate personae humanae, alii vero falsam, alii tandem saltem incompletam.

Insuper homines hodiernae aetatis magis in dies aequalitatis inter omnes homines conscii fiunt ad vindicandum omne ius ad qualemcumque libertatem. In hoc igitur conveniunt omnes tam christiani tam non christiani tam atheismo laborantes; quod inter omnes homines viget vera aequalitas. Insuper certum est quod omne ius supponit quamdam aequalitatem inter duo subiecta.

Re vera, in supradicta nota pag. 49 n. 5 ad calcem, dicitur: « Subiectum iuris sunt tantum personae physicae vel morales. Ideoque ius connotat immediate et formaliter relationem intersubiectivam, relationem scil. quae intercedit inter personam et personam ».

Sed, videtur huiusmodi ius fundamentum habere in aequalitate personarum, seu subiecti activi et subiecti passivi. Ex hoc patet quod aequalitas personarum est fundamentum proximum simulque iuridicum iuris ad libertatem de re religiosa. Si igitur haec Sacrosancta Synodus intendit dialogum instituere cum mundo hodierno in genere tractando de iure ad libertatem religiosam sub aspectu iuridico opportunum mihi videtur, omissis rationibus sumptis ab ontologia et revelatione agnoscere ut fundamentum proximum, in ordine iuridico, iuris ad libertatem religiosam aequalitatem personarum quam fere omnes homines et populi hodiernae aetatis admittunt et quam insuper vindicant ad obtinendam libertatem in ordine civili.

Mihi videtur schema sicuti habet laborare quadam aequivocatione. Nam postquam declaratum fuerit thema de iure ad libertatem religiosam in hac nostra declaratione tantum sub aspectu iuridico considerari, postea adhibentur argumenta sumpta ex ordine ontologico et revelato. Sed, ut iam dictum est, nos intendimus in nostra declaratione, quae non est tractatus completus de libertate religiosa, attingere homines et populos huius temporis qui ut fundamentum iuris ad omnem libertatem humanam admittunt aequalitatem personarum.

Certe dignitas humanae personae est fundamentum remotum iuris ad li-

bertatem religiosam, sed dignitas haec pertinet ad ordinem naturae. Nos autem consideramus libertatem religiosam in ordine civili, seu relationum inter personas humanas seu in ordine iuridico et technico, sicut habetur in nota schemati annexa.

Tandem quaeritur utrum declaratio de libertate religiosa constituit actum conciliarem scil. magisterii ecclesiastici. A. v. quaeritur utrum declaratio de libertate religiosa sicuti consideratur in schemate scil. sub aspectu tantum iuridico pertinet ad magisterium. Nam, actus magisterii et a fortiori Concilii oecumenici sunt considerandi sub aspectu religioso et quidem Revelationis. Si igitur quaestio de libertate religiosa consideratur sub aspectu tantum iuridico, hoc non pertinet ad Concilium, sed ad coetum extraconciliarem. Propter supradictas rationes confiteor schema de libertate religiosa, salva reverentia spem meam non plene satisfacere.

109

Exc.mus P. D. MATTHIAS WEHR
Episcopus Trevirensis

N. 3 (7, 12): « Semper » deleatur. *Ratio*: Designatio temporis in casu inutilis est.

N. 3 (7, 24): Post « personali » inserantur verba haec ex linn. 31-33 translata: « Absolutum ergo est principium morale, quod vetat, ne quis in re religiosa cogatur ad agendum contra suam conscientiam ». *Ratio*: 1) Nexus sententiarum ita clarior fit. 2) Loco verbo « Solemne » ponatur « Absolutum », in textu emendato iam adhibitum, quia « Solemne » adiectivum minus aptum videtur.

N. 3 (8, 2): Loco « Personalis et civilis » ponatur: « individualis et socialis ». *Ratio*: clarioris intelligentiae causa.

N. 3 (9, 2-3): Loco verborum « in ea... sese immisceat » scribatur: « ea quae ipsam ordinationem hominis ad Deum respiciunt, ullo modo impediat ». *Ratio*: iuxta verba et litteras textus impressi etiam actus, qui ex coniunctione amicali inter Ecclesiam et potestatem civilem — in rebus publicis quibus non est separatio utriusque — procedunt, speciem immixtionis habere possunt.

N. 4 (10, 8): Post « nisi » addatur: « ex unanimi consensu generis humani ». *Ratio*: cavendum est, ne perturbatio ordinis publici aut laesio morum honestatis vel iurium ad libitum affirmetur.

N. 9 (13, 33): Ante « servi » addatur: « sicut ». *Ratio*: Filii Dei servitio quidem divino addicti manent (cf. Canon Missae; *Gal.* 4, 7 huic non obstat, quia negatur servitus legis Iudaicae). Attamen in vita sua se exhibere debent non quasi meri servi essent sed revera filii; quod in textu clare exprimatur.

N. 9 (14, 7-8): « Quae omnia... tradidit » deleantur. *Ratio*: de doctrina

Ecclesiae linn. 15-17 satisfaciunt. Facta quaedam eis quae linn. 7-8 dicuntur, contradicunt (cf. linn. 14-15). Distinctio inter actus Ecclesiae et actus membrorum hic minus apta videtur.

N. 9 (14, 8-12): Temporis grammatici mutatione facta scribatur: « Ecclesia fideles ad maiorem in dies libertatem spiritus instituebat et in iis genuinum oboedientiae sensum excolebat. Potestatum saecularium oppressioni saepe resistebat suique ministerii sacri libertatem propugnabat ». *Ratio*: conatus iterati et saepe imperfecti exprimantur, ne ansa opprobrii vanae gloriae detur.

N. 9 (14, 22): Deleatur « in civitate ». *Ratio*: 1) Verba ista superflua videntur. 2) Latinitatis et claritatis causa vitetur, quominus verbum « in » cum constructione ablativa nimis saepe adhibeatur.

N. 14 (20, 13): Loco « Pater omnium » dicatur: « Pater noster ». *Ratio*: Deum Patrem omnium hominum nominare alienum est a traditione Ecclesiae. « Pater omnium » invenitur *Eph.* 4, 6; sed secundum contextum est Pater omnium nostrum, i. e. christianorum; cf. Gottlob Schrenk in Th W NT 5, 1014. Graeci, Philo, Josephus, Stoici aliique Deum patrem omnium hominum nominant; cf. Walter Bauer, Wörterbuch z. NT col. 1157; Gottfried Quell, Th W NT 5, 951-959. Sacra scriptura V.T. Deum non dicit patrem omnium hominum; cf. Bauer, ibid.; Quell, ibid. 964-974. In libris NT Deus Pater omnium hominum non exhibetur, sed Pater Iesu Christi (passim), fidelium (= p. noster, vester, passim), luminum (*Iac.* 1, 17), spiritum (*Hebr.* 12, 9); Iudaei gloriantur patrem habere Deum (*Io.* 8, 41) secundum usum VT (cf. Bauer, ibid. 983-1016). De *Mt.* 5, 43-45 cf. Schrenk 990 sq. « Die europäische Aufklärung hat als modernisierte stoische Interpretation die allgemeine Vaterschaft über alle Menschen in die Bergrede hineingelesen. Das Wort Vater gehört denen, welche die Botschaft " euer Vater " von Jesus annehmen. Das gilt auch da, wo der Ausgang von der menschliche Analogie der Vatererfahrung genommen wird (*Mt.* 7, 9-11; *Lk.* 11, 11-13...). Auch wenn Umrahmungen einen weiteren Kreis setzen (*Lk.* 6, 27; *Mt.* 23, 1) bekommen die Zuhörer die *Vaterwahrheit nicht als allgemeine Weltwahrheit* zu hören, sondern in der neuen sinngebenden Wertung, die das Jüngersein einschließt (*Lk.* 6, 35 f; *Mt.* 23, 8 f) ».

[*Adhaeserunt etiam*] B. Stein, aux. Trevirensis; C. Schmidt, aux. Trevisensis.

110

Rev.mus P. D. ATHANASIUS WELYKYJ

Superior generalis-proto archimandrita Ordinis Basiliani S. Iosaphat

Observationes generales. Disceptationi Patrum iterum submissum est schema reemendatum declarationis *de libertate religiosa*; proximis autem hebdomadis habebitur suffragatio finalis schematis emendati « de habitudine Ecclesiae ad religiones non-christianas ». Schemata, in genere, placent; immo,

a Patribus iam amplissime probantur. Neminem tamen latent perplexitates, difficultates et dubia, quae difficillima haec schemata concomitantur. Immo, testes sumus et etiam auctores harum perplexitatum. Ut possimus tandem aliquando pervenire ad quamdam unanimitatem, quae in his materiis omnino necessaria est, omnia media sunt consideranda nihilque omittendum quod huic unanimitati prodesse valeret. Mea humili sententia, multum huic concordiae mentium conferre posset iusta prospectiva et connexio harum declarationum cum doctrina clara et probata de Ecclesia eiusque missione in mundo. Proinde: *a*) ad facilius tollendas quasdam perplexitates et dubia, tum intra tum extra hanc aulam de ambobus schematibus notatas, et proinde *b*) ad maiorem unanimitatem Patrum in suffragandis schematibus, pro posse, obtinendam et securiorem applicationem procurandam: liceat mihi vestrae sapientiae et considerationi sequentem, potius formalem, attamen utilem, ut puto, submittere propositionem:

1) Textu intacto, etsi in quibusdam emendando et forsan breviato, manente, *unica* fiat declaratio ex his duobus schematibus, invicem connexis, nempe: « De libertate religiosa et habitudine Ecclesiae ad religiones nonchristianas »;

2) ut clarius pateat character proprius et ecclesialis harum declarationum sequens addatur eisdem nota: « Declaratio *pastoralis* »;

3) Ut strictior obtineatur nexus etiam internus declarationum cum doctrina constitutionis *de Ecclesia* et cum decreto *de Oecumenismo,* praemittatur sic unitae declarationi pastorali brevissima *introductio.*

Rationes: Ad 1: fiat *unica* declaratio, nam:

a) agitur de quaestionibus intime connexis, quae sese ad invicem collustrant, explicant, iustificant, et proinde non sunt seiungendae, sed simul praesententur attentioni etiam fidelium, ad evitandas inutiles perplexitates et minus rectam interpretationem;

b) revera agitur de principiis ex una, et de applicatione horum principiorum ex altera parte; utiliter proinde iuxtaponi debent in unico documento et cum maiore fructu;

c) hoc modo vitari possunt documenta Concilii quae quasi in aëre volant, et tamen de rebus similibus agunt, et maior obtineri interna connexio; revera unica declaratio est omnino sufficiens, et in aliis documentis nostri Concilii res etiam disparatiores in unum iunguntur.

Ad 2: proponatur declaratio *pastoralis,* nam:

a) Ecclesia fundamentalem doctrinam non mutat suam, sed eam apte temporibus nostris applicat methodo pastorali, ut convenit huic Concilio, cui nota pastoralis propria est;

b) hac nota melius exprimitur character intimus schematum, eorum tenor, forma et modus proponendi et loquendi, qui proprius est potius Pastoribus, quam doctoribus et philosophis vel etiam hominibus politicis docte disserentibus; ut Pastores mentem potius Ecclesiae clare et breviter de his

materiis exponamus ad usum populorum, quam ut eam probemus argumentis, ne fiat nostrum documentum potius probatio quam declaratio; in prolixitate enim argumentorum semper quaedam imperfecta manebunt, quia loquacitas periculosa est in his materiis;

c) hac nota pastorali apposita et palam professa efficacius, forsan, tolleretur fundamentum quarundam obiectionum, suspicionum, criminationum de indole « politica » vel « opportunistica » horum documentorum, de qua indole plurima dicta sunt et dicuntur in orbe terrarum; et tamen, revera, documenta haec ex sollicitudine pastorali Ecclesiae proveniunt;

d) talis additio non obstat documento conciliari; immo, in propositis est, ut edatur tota constitutio pastoralis, nempe « De Ecclesia in mundo huius temporis »; potiores tamen si non eaedem rationes militant pro nostris declarationibus.

Ad 3: declaratio sit *bene introducta,* nam

a) omnino necessarium est, ut expresse indicetur nexus intimus, qui intercedit inter has declarationes et constitutionem *de Ecclesia,* praesertim quae dicta sunt in cap. I: « De Ecclesiae mysterio », et cap. II « de populo Dei », praesertim nn. 14-17; religiositas enim quam profitetur Ecclesia catholica est essentialiter ecclesialis in eaque fundatur conceptio catholica libertatis religiosae eiusque habitudo ad religiones non-christianas; in consilio Aeterni Patris, quo genus humanum salvare statuit, in voluntate salvifica, exemplo et actione Salvatoris, in motione Sancti Spiritus, immo in ipsa missione et actione historica Ecclesiae invenitur ultima causa et fundamentum libertatis religiosae et habitudinis ad alias religiones, quam profitetur et nunc iterum declarat nostrum Concilium; et haec nonnisi in luce totius doctrinae de Ecclesia recte explicari et exerceri possunt; alioquin verendum est ne nostra declaratio haereat in mere humanis et philosophicis; vel etiam politicis;

b) talis intima connexio, saltem quoad secundam declarationem, nempe « de habitudine Ecclesiae ad religiones non-christianas », nobis in hac aula et palam a relatore schematis adpromissa est, et nisi ponatur in introductione, inefficax manebit; similem connexionem etiam pro praesenti declaratione peto.

Patres venerabiles, ne dicatis me rem novam vel nimis implicatam proponere, vel talem quae possit laborem nostrum impedire; est res omnino simplex, sed tamen, ut puto, necessaria vel saltem valde utilis. Nihil omnino mutatur, et tamen rem totam iuvat. Vestro proinde suffragio, si opus sit, respectivae Commissioni iniungatis, ut vobis, pro approbatione finali, praesentet unam, et quidem unitam, apte introductam « Declarationem pastoralem de libertate religiosa et habitudine Ecclesiae ad religiones non-christianas ».

Quaedam minutiora ad ipsum textum et quoddam tentamen introductionis, secretario generali scriptis tradam:

Ad introducendam declarationem pastoralem et unicam « de libertate religiosa et habitudine Ecclesiae ad religiones non-christianas », liceat mihi,

ad modum cuiusdam tentaminis, sequentem proponere *introductionem*: « Ecclesia Christi, in Synodo Oecumenica Vaticana Secunda adunata, postquam de suae naturae mysterio doctrinam exposuit suamque fidem et missionem professa est et omnibus hominibus considerandam proposuit, mentem suam de libertate hominis cuiuscumque in re religiosa ac habitudinem suam ad religiones non-christianas clarius declarare intendit, ad timores et suspiciones omnes profligandas et animos omnium hominum pacificandos. Fide enim et doctrina, quam tenet, quam profitetur, quam vivit, quam docet proposita in constitutione dogmatica *de Ecclesia,* ac habitudine ad alias communitates christianas in decreto *de Oecumenismo* exposita, singulis et omnibus in universum, credentibus et non-credentibus, communitatibus religiosis et societatibus civilibus nunc sequentia declarat ». Sequitur textus I declarationis de libertate religiosa; II declarationis de habitudine Ecclesiae...

Observationes particulares. Observationibus generalibus sequentes observationes particulares adiungo:

Pag. 5, post lin. 8: adiungantur sequentia: « ... spectant, qua homo cogitationes, actiones et relationes suas ad Deum creatorem, ad seipsum aliosque homines nec non ad plenitudinem omnium rerum visibilium et invisibilium ordinat et coordinat ». *Ratio*: ut detur saltem quaedam notio religionis.

Pag. 7, lin. 18: compleatur sic: « Ideo homo officium a Deo et ius in societate quoque habet... ». *Ratio*: officium hoc a Deo creatore fundamentaliter est impositum; ius vero exercetur in societate, versus quam de vero iure agi potest.

Pag. 8, lin. 38: Clarificetur usus termini « potestas *civilis* » et « potestas *publica* », nam schema adhibet has dictiones promiscue, dum textus praecedens (emendatus) adhibebat fere semper « potestas publica » (cf. pag. 9, lin. 10; pag. 10, linn. 15. 16. 22 etc.). *Ratio*: ne confusio fiat; melius adhibeatur dictio « potestas civilis », nam « potestas publica » est etiam potestas ecclesiastica.

Pag. 9, lin. 33: Reinducendus est aliquomodo conceptus « boni communis », quia ipsa notio et ratio « ordinis publici » non est sufficiens in omnibus casibus; « ordo publicus » potest instaurari etiam iniustus, bono communi nocivus, vel aequalitati iurium omnium civium iniuriosus (dictaturae, ordo publicus praepotentia cuiusdam factionis institutus, vel falsis et praeiudiciosis philosophiis innixus etc. cf. status, qui in regimine marxistico seu communistico sunt; suum ordinem publicum habent et eum defendunt, et philosophice iustificant, et sibi dissentientes violenter opprimunt, prohibendo vel praecipiendo).

Pag. 10, lin. 33: Addantur haec vel similia: « ... religioso. Immo, religione deleta vel profligata ex consortio humano, dignitas personae humanae omnino corrumpitur et pessumdatur, neque aliae hominis libertates ulterius sustineri possunt. Crimine proinde contra humanitatem notantur, qui religionem delendam docent, eam cohibendam contendunt vel re ipsa verbo et opere in animis singulorum vel in societate civili destruunt ». *Ratio*: sunt

hodie factiones, potestates et philosophiae, quae voluntatem Dei irrident et parvipendunt immo negligunt, ius naturae non agnoscunt (ratione materialismi dialectici), et tamen adhuc sensibiles sunt si de inhumanitate accusantur; periculo proscriptionis a toto genere humano permoti, forsan in quibusdam remittere possint a suis propositis exitialibus; haec additio forsan est necessaria, quia tota argumentatio huius primae partis fundatur in dignitate personae humanae, et proinde crimen hoc contra hanc dignitatem hic expresse enuntiandum est.

Pag. 13, lin. 1: Ante n. 8, vel in ipso initio huius numeri vel in ipso hoc numero aliquid addendum esset de religionibus revelatis et non revelatis, nempe de praestantia revelationis in re religiosa. Hoc modo melius introduceretur doctrina christiana de libertate religiosa.

Pag. 13, linn. 37 s. Delendus est hic textus usque ad lin. 6 pag. 14. *Ratio*: est extra suum locum, et quasi quaedam interpolatio, et nihil fere probat. Forsan hic textus non est aptus ad probandam rem de qua agitur in schemate, sed aliquid aliud.

Pag. 14, linn. 7-23: Textus hic transferri deberet ad pag. 16, et ponendus ante lineam primam, ante verba: « Ecclesia igitur ». *Ratio*: ratio agendi Ecclesiae anteponitur modo agendi Christi et apostolorum, quod anachronismum sapit. Si attendatur ad hanc rem, ordo hic novus textus melior videbitur cuicumque. Sufficit si fiat simplex et attenta lectio.

Pag. 14, lin. 37 - pag. 15, lin. 11: scil. a verbo « Miraculis... usque... exstinguit (*Mt.* 12, 20) ». Textus hic melius et utilius deleatur. *Ratio*: vix quidquam prodest, et iudicium exprimit de mysterio miraculorum Christi, quod vix sustineri potest. De intentionibus Divini Salvatoris in patrandis miraculis melius religiose sileatur. Omisso hoc textu, cetera item bene componuntur, et nullum fit damnum schemati.

Pag. 16, ante lin. 1: Anteponatur textus ex pag. 14 (linn. 7-23) ob rationes ibi adductas.

Pag.17, lin. 31 - pag. 18, lin. 31: Hic textus omittendus videtur. *Ratio*: rumpit modum generalem expositionis in schemate adhibitum; nihil novi dat, et iam in constitutione *de Ecclesia* plus quam satis officia filiorum Ecclesiae et aptius expressa sunt. Ne proinde fiant inutiles repetitiones. Hoc modo textus declarationis deveniet expeditior et efficacior. Et hortationes optimae habentur in parte ultima (Conclusiones), ubi aptior pro his ponendis videtur locus.

111

EXC.MUS P. D. IOANNES WHEALON

Episcopus tit. Andrapenus, aux. Clevelandensis

1. Mihi videtur melius esse eliminare par. 8 et 9 et 10 totaliter. Haud possibile est probare, theologice, hanc doctrinam de Sacra Scriptura vel de traditione praeterita Ecclesiae. In hac quaestione Ecclesia nunc profert de thesauro suo nova et non vetera.

2. Affirmatio contra statum indifferentem vel saecularem in re religiosa desideratur. Oportet omnem statum benevolem esse in genere erga religionem.

3. In pag. 5, n. 2, lin. 19, dicatur: « Huiusmodi autem libertas communiter recipitur uti in eo consistens, quod homines in re religiosa debent... » etc. Hoc ad sensum clarificandum atque ad evitandam definitionem negativam.

4. In n. 5, pag. 11, lin. 19 dicatur: « ... iura ad libertatem in re religiosa et ad libertatem in processibus iuridicalibus agnoscantur et observentur ». *Ratio*: in aliquibus statibus, praesertim Mohammedanis, religio officialis et lex civilis ita coniunguntur ut civis qui religioni officiali non adhaeret discriminationem legalem patiatur.

5. In n. 14, pag. 19, lin. 14, vox « facta» male sonat praesertim in translatione. Fortasse « hanc vero deplorandam discriminationem » melius sonat.

6. In n. 14, pag. 20, linn. 6-7, dicatur: « ut homines formare satagant, qui genuinae libertatis amatores sint ut plene humani ac vere religiosi esse possint et propterea legitimae auctoritati obedientes... ». *Ratio*: quaedam hierarchia exsistit libertatem inter et obedientiam, secundum quam libertas altioris ordinis est. Bonum est notare hanc relationem considerari ab Ecclesia, cuius duces non cogitat plus de obedientia quam de libertate.

112

Exc.mus P. D. CAROLUS WOJTYLA
Archiepiscopus Cracoviensis

Schema declarationis *de libertate religiosa* placet in suo textu praesenti magis quam in praecedenti; multae enim in eo expressiones inopportunae feliciter correctae sunt vel evanuerunt. *Sub aspectu doctrinali* tamen quaedam sunt animadvertenda, quae ad claritatem documenti alicuius videntur esse momenti.

1. Agitur *primo de limitibus libertatis religiosae determinandis.* Etsi in pag. 9 lin. 15 ss. innuitur, quod *principium legis moralis observandae* est prima norma moderans usus eiusdem libertatis in societate humana, hoc tamen principium non invocatur ab initio et non pervadit totum textum. Deficit praesertim in ipsa « declaratione » pag. 5 et 6, immo limites usus libertatis religiosae determinantur « secundum normas iuridicas, quas necessitates ordinis publici postulant » (pag. 9, linn. 32 ss.), ergo secundum legem positivam tantum. *Ius tamen ad libertatem religiosam tamquam naturale et divinum non recipit limites, nisi ex parte legis moralis, quae etiam naturalis et divina est.* Lex humana positiva in tantum potest limites istas imponere in quantum ipsa vim legis moralis naturalis et divinae in se habet.

Proinde *propono,* ut in textu declarationis, pag. 6 lin. 7, in fine, ubi legitur « ... ut in re religiosa neque aliquis cogatur ad agendum contra suam

conscientiam, neque impediatur, quominus iuxta suam conscientiam privatim et publice agat intra debitos limites » loco verborum « intra debitos limites » ponatur: « nisi tamen actus ex alio capite iam a lege morali vel imperati vel prohibiti sint » (exemplum actus imperati — restitutio obligatoria; exemplum actus prohibiti — occisio innocentium ad finem religiosum vel prostitutio sub specie actionis religiosae). In tali casu abusus libertatis religiosae potest esse tantum actus moraliter malus i. e. contra legem moralem. Praesertim autem iste abusus libertatis religiosae pluribus in locis schematis aequivocationibus obnoxius est.

2. Proponendo hanc mutationem textus per invocationem principii legis moralis observandae, proponere auderem ulterius, ut ipse conceptus libertatis religiosae in documento conciliari *praesentaretur substantialiter tamquam doctrina revelata, quae sanae rationi omnino consonat, ab ipsa tamen non distinguitur,* prout in textu videmus. Concilii enim est docere veritatem divinam non tantum humanam. Si veritas haec rationi humanae etiam apparet, sicut in contemporaneo statu quaestionis de libertate religiosa videmus, tanto melius. Mundus tamen doctrinam Ecclesiae i. e. doctrinam revelatam de hac re expectat, non tantum repetitionem eorum, quorum ipse capax est, prout bene scimus. Et hoc etiam propter dialogum cum illis, qui de eadem re i. e. de libertate religiosa sub luce rationis tantum quaedam statuunt, magni videtur esse momenti.

De cetero doctrina, quam in textu sub titulo II Doctrina de libertate religiosa ex ratione desumpta et III Doctrina libertatis religiosae sub luce Revelationis, *eadem est doctrina Ecclesiae* — sub titulo III modo magis scripturistico, sub titulo autem II modo magis speculativo praesentata. Melius ergo videtur in titulis istis rationem et Revelationem non tam distinguere, hoc enim methodo scholastica nimis imbuitur. Verum tamen est in Revelatione vera et profunda inveniri doctrina libertatis religiosae, cuius de cetero homines eo magis conscii fiunt, quo magis personae humanae dignitatem agnoscunt. Melius forsitan esset, ut titulus II sonaret sic « Doctrina de libertate religiosa ex dignitate personae humanae desumpta », quam postea doctrinam ex fontibus S. Scripturae illuminaremus. Proponerem etiam — in eadem linea — ut pag. 1 linn. 8-14 textus sic immutetur: « Quapropter Ecclesia, de concredito sibi thesauro doctrinae divinitus revelatae nova simul et vetera proferens, discernere intendit, quantum hac religiosae libertatis postulatio veritati iustitiaeque conformis sit ».

Mutationibus talibus indoles documenti mutabitur in hoc sensu, quod Concilium doctrinam proferetur revelatam *de re morali et quidem fundamentali, qualis est libertas religiosa,* utendo ad hunc finem argumentis etiam ex ratione desumptis, cum obiectum talia omnino admittit.

113

EXC.MUS P. D. ALOISIUS YAÑEZ RUIZ TAGLE
Episcopus S. Mariae Angelorum

Multi Patres textum schematis propugnant, alii autem tenorem eiusdem radicaliter mutare conantur. Mihi videtur his temporibus maxime validum esse evangelicum effatum: « Caritas Christi urget nos ». Et catholici, et protestantes et orthodoxi, fratres sumus in Christo; omnes autem homines in hoc mundo fratres sumus in Deo.

Inter multa argumenta quae hac in aula ad libertatem religiosam fulciendam allata sunt, illud maximum ac dignissimum extollere vellem ex caritate nempe christiana desumptum. Ecclesia catholica, etsi indirecto saepe modo, semper religiosam libertatem propugnavit cum in sua doctrina teneat etiam illos qui aliam ac catholicam fidem profitentur, dum divina mandata fideliter adimpleant tandem salvos fieri.

Virtus caritatis ergo et modus agendi quem Ecclesia vertentibus saeculis constanter monstravit, suadent ut praesens schema approbetur. Oporteret tamen accuratius determinare quidnam aliqua dicta significare vellent quia ansam dare possent ad interpretationes quae mentem Sanctae Synodi certe transcendunt. Hae quae sequuntur propono:

1. Tamquam fundamentum libertatis religiosae non est accipienda dignitas personae sed ipsa libertas humana. Ex eo quod homo liber est, libertate religiosa gaudere tenetur. Ex eo quod homo liber est, personalitate propria gaudet et dignitate.

2. Velim ut vox « conscientia » magis determinatam significationem habeat quia modo quo hoc in schemate adhibetur diversas significationes excipere potest. Satis notum est vocem « conscientia » concordem definitionem minime sortiri tam in campo theologico quam in illo philosophico vel psychologico.

3. Etiam relate ad functiones conscientiae in processu cognoscitivo opportunum videretur locutiones magis perspicuas adhibere, quia ut in schemate apparet, ponderosam nimiam partem sustinere videtur, tam in erronea quam ut vera considerata.

114

CONFERENTIA EPISCOPORUM REGIONIS APULAE

1. *Modus generalis.* Schema, quod suffragandum proponitur, etsi sub aliquibus aspectibus melior sit textu praecedenti, videtur tamen nimis diffusum in expositione, quod minus convenit *declarationi,* quae clara, absque ulla possibilitate confusionis vel aequivocationis, et brevis esse debet. Modus ergo est: *a*) auferatur integer n. 1, transferendo ea, quae pag. 4, linn. 9-19,

habentur, ad n. 3; *b*) contrahatur n. 2; *c*) contrahatur tota declaratio ita ut in ea enuntientur principia certa, sive theologica sive iuridica, quamvis ambiguitatem vitando, neque nimis ad particularia descendatur.

2. Pag. 7, n. 4, linn. 24-25. Verba « vel invenisse iudicaverint. Quae omnia valent maxime de veritatibus in re religiosa etc. », cum aequivocationi sese praestent, auferantur.

In genere, fundamenta libertatis religiosae maiore perspicuitate sunt indicanda.

3. Pag. 9, n. 5; pag. 10, n. 6; pag. 11, n. 7; pag. 12, nn. 8-9. In limitibus (vel amplitudine) libertatis religiosae indicandis non tantum ratio habenda est ordinis publici, sed totius boni communis in suis historicis *contentis* (contenuti).

4. Pagg. 15, 16, 17, n. 13. Clare in tuto ponantur auctoritas dogmatica Ecclesiae et eius ius poenale. Aliis verbis clare affirmetur non haberi libertatem religiosam intra Ecclesiam.

115

CONFERENTIA EPISCOPORUM ZAMBIAE

I. *In genere*. Schema in genere placet. Res adeo difficilis caute expressa esse videtur, ita ut abusui ansa non praebeatur. Doctrina in schemate exposita correspondet iis quae in constitutione *de Ecclesia,* capp. II et IV, necnon in schemate XIII, et alibi expressa sunt. Schema etiam respondet exspectationi hominum modernorum, quibus Ecclesia — nisi staret principiis hic expositis — maximas praeberet difficultates. Schema — sicut et alia schemata commemorata — principia educationis christianae ponit, quibus maturitas et sinceritas nostrorum fidelium evocatur, quod Ecclesiae novam vim dabit et fidem non-christianorum excitabit. Ideo schema approbandum esse censemus, additis aliquibus emendationibus. Magni momenti esse putamus exhortationem finalem qua efferuntur et oboedientia erga legitimam auctoritatem et genuinus amor libertatis.

II. *In specie. Art. 4,* pag. 9, lin. 25: loco « humanitatem » dicatur « humanam dignitatem ».

Pag. 10, lin. 13: in fine addatur: « Praesumptio enim stat pro libertate ».

Art. 6, pag. 12, linn. 15 s.: loco « quod communitates religiosae... » melius dicatur: « quod communitates religiosae libere possint contribuere modo sibi proprio ad ordinandam societatem ac ad vivificandam totam activitatem humanam ».

Art. 8, pag. 13, lin. 11: loco « actus fidei » melius dicatur: « conversionis ad fidem christianam ».

Art. 9, pag. 14, linn. 7-8: omittatur effatum difficultatibus historicis

obnoxium: « Quae omnia Ecclesia decursu temporum sedulo custodivit et tradidit ». Incipiatur incisum illud: « Ideo Ecclesia fideles... ».

Art. 11, pag. 16, linn. 5 s.: Ista provocatio ad libertatem actus fidei ut argumentum pro libertate religiosa demonstranda certis difficultatibus obnoxia est: in quaestione « de libertate actus fidei » agitur de actu in abstracto, et quidem sub respectu gnoseologico-theologico. Oppositum est alicui cognitioni quae ex evidentia interna procedit et ideo ratione obiecti « necessaria » est. Non agitur de actu concreto psychologico. In nostra quaestione de libertate religiosa vero agitur de ordine *concreto psychologico.* Confunduntur ergo in argumentatione diversae rationes libertatis.

Linn. 10 s.: Sequens correctio textus suggeritur: « ... Etenim *ipsa conversio ad fidem tunc coram Deo valet, si est actus personalis, liber, totalis sui ipsius in Deum sese revelantem deditio.* Quamvis homo, a Christo Salvatore redemptus et in adoptionem filiorum per Iesum Christum vocatus (*Eph.* 1, 5), Deo sese revelanti adhaerere non possit, nisi Pater traxerit eum (*Io.* 6, 44) *tamen* rationabile liberumque *praestare debet* fidei obsequium.

[*Subscripserunt*] Adam Kozlowiecki, arch. Lusakaensis; Guido del Mestri, arch. tit. Tuscamiensis; Franciscus Mazzieri, ep. Ndolaensis; Timotheus O'Shea, ep. Livingstonensis; Firminus Courtemanche, ep. Fort Jameson; Adolphus Fürstenberg, ep. Abercornensis; Renatus Pailloux, ep. Fort Rosebery; Iacobus Corboy, ep. Monzeensis; Clemens Chabukasansha, ep. Kasamaensis; Nicolaus Agnozzi, ep. tit. Cibiraensis; Rupertus Hillerich, praef. ap. Solweziensis.

116

CONFERENTIA EPISCOPORUM INDONESIAE

Schema in genere placet. Valde optandum est, textum hunc quoad substantiam a Concilio acceptum et proclamatum iri.

Animadversiones nostrae tangunt unum quid generale et quaedam magis particularia.

Animadversio generalis. Schema laborat quadam inaequalitate quoad naturam et ambitum libertatis. Introducitur (n. 1, pag. 1, linn. 1-5) cum argumento libertatis conscientiae et etiam totus huic argumento innititur. Applicatio autem fit ad libertatem in re religiosa. Non patet, quomodo libertas ita coarctari possit. Pro omnibus, credentibus et non credentibus, valent eadem principia et iidem limites (n. 4). A multis optatur et exspectatur, quod Concilium magis explicite libertatem conscientiae pro omnibus hominibus, credentibus et non credentibus, doceat.

Addi potest quod nunc vox « religio » in variis regionibus non tam clare ab omnibus ad fidem in Deum personalem restringitur. Etiam multi humanistae, qui non explicite credunt in Deum personalem, tamen aliquem religiosum sensum profitentur.

Animadversiones magis particulares. 1. N. 1, pag. 5, lin. 9. Quid hic significat vox « Ecclesia »? Potius dicatur « Concilium ».

2. N. 2, pag. 6. Consentimus cum em.mo D. card. Alfrink, quod libertas nimis negative definitur. Proponimus et nos inserere lin. 19 (post: « emancipatum »): « Libertas enim religiosa fundamentum habet in facultate hominis, libere eligendi valores vere humanos, quibus dignitas humana perficitur. Quapropter libertas religiosa non implicat... » etc. lin. 20.

3. N. 3, pag. 7, linn. 18-30. Haec alinea melius componatur. Verba « humano modo » lin. 21 et « insuper, cum homo sit natura sua socialis » non hoc modo distinguere oportet. Natura enim socialis maxime pertinet ad modum humanum. Loco « magisterium » melius dicatur « instructionem », quia vox « magisterium » nimis sonat magisterium Ecclesiae, quod hic non directe intenditur.

4. N. 3, pag. 8, lin. 2, loco « exigitur » dicatur « apparet ». Agitur enim de aliqua veritate, quae nunc clarius quam ante apparet et non tantum de exigentia practica.

5. N. 3, pag. 8, lin. 14. Non est verum, exercitium religionis primario consistere in actibus internis. Omittantur ergo verba « internis prorsus ».

6. N. 3, pag. 8, lin. 20. Loco « manifestet » (non: manifestat) potius dicatur: exprimat vel exerceat. In tota hac alinea distinctio inter actus internos et externos modo nimis scholari exprimitur.

7. N. 5, pag. 11, linn. 13-17. Verba de speciali agnitione unius communitatis religiosae in iuridica civitatis ordinatione contradicunt iis, quae dicuntur n. 3, pag. 8, lin. 38 - pag. 9, linn. 1-3. Periculum huius alineae apparet ex eo, quod ista verba valent etiam pro aliis religionibus, christianis vel non christianis. Ceterum non videmus, quomodo haec specialis agnitio existere possit sine ulla discriminatione minoritatum. Rogamus ergo enixe, ut ista infelix insertio tollatur. Si autem hoc impossibile videtur, in alia forma, prout proponitur ab em.mo card. Alfrink, redigatur, nempe in forma hypothetica (si specialis agnitio adest, ... ita tamen ut ius aliorum *plene* agnoscatur).

8. N. 6, pag. 11, lin. 38. Prius communitates et tunc auctoritates nominare oportet, nempe: « cum communitatibus religiosis earumque auctoritatibus ».

9. N. 6, pag. 12, linn. 2-3. Verba « necnon in bonis... » non sunt eiusdem valoris ac antecedentia. Melius omittantur.

10. N. 6, pag. 12, linn. 12-23. Iura derivata et secundaria non ita absolute exprimi debent ac ius primarium ipsum libertatis.

11. N. 7, pag. 12, linn. 30-35. Etiam iura derivata parentum minus absolute formulentur.

12. N. 8, pag. 13, linn. 3 ss. Distinctio inter fundamentum proximum (in dignitate personae) et radices (fundamentum remotum??) in divina revelatione male sonat. Textus prior praeferendus videtur.

13. Nn. 9-10. Non sine ratione in Concilio difficultates ortae sunt circa argumenta ex Sacra Scriptura. Rogamus ergo, ut haec argumentatio subiiciatur iudicio aliquorum peritorum in hac materia exegetica.

14. N. 9, pag. 14, linn. 7-12. In omni sinceritate et veritate haec verba melius omittantur. Estne verum, Ecclesiam haec omnia semper plene et pure custodivisse et tradidisse?

15. N. 11, pag. 16, lin. 15 post verbulum « et » novum subiectum inseratur, nempe « homo ». Secus Pater esset subiectum huius assertionis!

16. N. 14, pag. 19, linn. 32-33. Prout nunc stat, est inintelligibile. Dici potest e. g.: premantur et *impediantur* ne proprio.

CONGREGATIO GENERALIS CXXXIV

23 septembris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CXXXIV

23 septembris 1965

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Congregationem generalem 134 moderatur em.mus ac rev.mus D. card. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis; et in hac congregatione prosequetur disceptatio circa principia generalia *de Ecclesia in mundo huius temporis.*

Communico vobis, Patres, exitum postremae suffragationis heri factae. Sed, antea, velitis corrigere exitum alius suffragationis. Ob aliquem errorem in transcriptione dicta sunt vota *non placet* quae reapse non exstabant, et est suffragatio super nn. 14 et 16 capitis IV schematis *de divina revelatione.* Exitus verus, exactus, hic est:

Praesentes votantes	2.233
Dixerunt *placet*	2.183
placet iuxta modum	47
Suffragia nulla sunt	3

Ut videtis, numeri qui pronuntiati sunt heri sunt exacti, sed tamen ego dixi, ob aliquem errorem machinae: « *non placet*: 7 ». Reapse, si 7 adderentur, haberetur numerus maior quam numerus votantium. Iam ergo error est emendatus.

En exitum suffragationis ultimae:

Praesentes votantes	2.132
Dixerunt *placet*	1.915
non placet	1
placet iuxta modum	212
Suffragia nulla sunt	4

Ergo, ut audistis, Patres, omnia capita huius schematis approbata sunt a congregatione generali; ergo textus habendus est approbatus.

Attamen, iuxta sive *Ordinem Concilii* sive praxim quam hucusque secuti sumus, modi examinabuntur a commissione doctrinali et novus

textus, quem speramus fore perpolitum, praesentabitur iterum huic congregationi generali ad habendam suffragationem finalem: suffragatio modorum et suffragatio totius textus. Rogamus commissionem doctrinalem ut quam citius hunc laborem perficiat.

Hodie — uti heri praenuntiavi — incipiet suffragatio schematis *de apostolatu laicorum*. Hic textus, Patres venerabiles, distributus est mense iulio praeterito, ergo practice plus quam ante duos menses. Omne tempus fuit studendi, omne tempus fuit modos praeparandi, nam dictum fuit in mea epistola, de hoc schemate faciendam esse suffragationem et nullam amplius discussionem. Quapropter tempus fuit, et abundans, unde procedemus ad suffragationem faciendam prouti statutum est.

Ad distribuendos modos — ad dandos modos —, potest aliquot tempus suppeditari: si hodie non dantur, dabuntur crastina vel post duos dies. Haec patientia semper adhibita fuit. Attamen suffragatio fiet iuxta quod praescriptum est.

Lego nunc nomina eorum qui verbum facere petierunt circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis.* Sunt em.mi ac rev.mi DD. cardd. Laureanus Rugambwa, ep. Bukobaënsis (Bukoba) in Tanzania; Laurentius Shehan, arch. Baltimorensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; exc.mi ac rev.mi DD. Antonius de Castro Mayer, ep. Camposinus (Campos) in Brasilia; Mauritius Baudoux, arch. S. Bonifacii in Canada; Casimirus Morcillo, arch. Matritensis in Hispania; Simon Lourdusamy, arch. coad. Bangalorensis in India; Alexander Renard, ep. Versaliensis in Gallia; Vladimirus Malanczuk, ep. tit. Epiphaniae in Syria; Eduardus Mason, ep. vic. ap. de « El Obeid » in Sudan; Boleslaus Kominek, arch. Vratislaviensis (Breslavia) in Polonia; Ignatius Ziadé, arch. Berytensis Maronitarum in Libano; Carolus Wojtyla, arch. Cracoviensis in Polonia; Athanasius Welykyj, sup. gen. Ordinis Basiliani S. Iosaphat; Sanctus Quadri, ep. aux. Pineroliensis (Pinerolo) in Italia.

Moderator: Antequam procedamus ad primam suffragationem super schema decreti *de apostolatu laicorum,* velit exc.mus D. Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis, relator, legere declarationem in ordine ad praeparandas suffragationes de eodem schemate.

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS HENGSBACH
Episcopus Essendiensis

Relator

(*Schema de apostolatu laicorum*)

DECLARATIO IN ORDINE AD PRAEPARANDAS SUFFRAGATIONES *

Venerabiles Patres,

Antequam ad suffragationes de schemate nostro accedamus, pauca quaedam verba praemittere liceat nomine Commissionis, quae schema praeparavit, pluries modificavit, post discussionem in Aula in tertia Concilii periodo ita emendavit, ut formam hodiernam obtineret. De singulis fusius sermo est in relatione textui apposita. Ideo breves adnotationes sufficient.

Via, uti scitis, longa, difficilis et contorta erat. Difficultates quidem aliquae remanent; iis non obstantibus speramus vos substantialem eius enuntiationem approbaturos esse. Non necessarium videtur iterum de momento huius schematis fusius loqui, quod partem aliquam Constitutionis Dogmaticae « Lumen Gentium », quae de laicis agit, in ordine practico compleat. Melius in hac ultima forma textum adaptavimus eis, quae in hac Constitutione Dogmatica de laicis eorumque in Ecclesia missione participanda dicta sunt. Sicut textum semper textui Constitutionis « Lumen Gentium » accommodavimus, ita etiam schematis « De Ecclesia in mundo huius temporis » ratio habita est. Ita unitas in illis documentis Concilii servatur, quae de laicis in Ecclesia praecipue tractant.

Textum invenietis in multis reformatum secundum vota Patrum. Mutationes respiciunt *id quod continetur* in textu, et *modum ea dicendi.*

I. *Ad contentum.*

In capite I « *De vocatione laicorum* ad apostolatum » fundamentum theologicum huius apostolatus amplius delineatur; additur insuper, ut multi Patres desideraverunt, numerus novus « de spiritualitate laicorum in ordine ad apostolatum ».

* Huiusmodi declaratio typis impressa Patribus distributa est in congregatione generali 134, die 23 septembris 1965.

Caput II nunc iam *de finibus apostolatus* agit, de quibus in anteriore textu capite tertio sermo erat. Ita ordo logicus totius schematis magis perspicuus est; similiter in hoc capite ipse conceptus apostolatus clarius exponitur.

Caput III, *quod de variis apostolatus campis agit,* in multis reformatum, novum numerum « De iuvenibus » continet.

In capite IV *de variis apostolatus modis,* votis complurium Patrum obsecundantes, fusius agimus de apostolatu singulorum. Ita impressio vitatur, quasi schema unice respiceret apostolatum associatum.

Post caput V, quod *de ordine et cooperatione in apostolatu laicorum* agit, novum ...[1], uti multi postulaverunt, caput praeparatum est « de formatione ad apostolatum ».

II. *Ad modum dicendi.*

Eo quod permultae suggestiones Patrum in textum emendatum assumptae sunt, textus nunc iterum longior evasit. Correctus est ille a nonnullis Patribus deploratus tonus nimis schematicus, non sufficienter excitans. Totus tenor magis dynamicus est. Revisa compositione in singulis et eliminatis repetitionibus, unitas et concinnitas textus adaucta est ...[2]

Si textus emendatus cum textu priore comparatur, in sat multis *novus apparet.* Si accuratius legitis, facile videtis, innovationes semper fundari in vetere textu. Haec fundamenta a maiore parte Patrum approbata sunt. Si novi accentus in aliquibus ponuntur, v. g. quoad fundamenta theologica, quoad spiritualitatem, quoad unitatem et distinctionem finium, quoad formationem, quoad evitandam impressionem toni nimis paternalistici, haec omnia secundum vota Patrum facta sunt, attentis etiam animadversionibus laicorum qui nobiscum laboraverunt vel quos consuluimus.

Restat ut *gratias* agamus omnibus Patribus, qui multiplici suo consilio ad textum emendandum contulerunt. Imperfectionibus quae in eo adhuc certe inveniuntur, occurrent *modi* vestri ad singulas partes — de hoc persuasus sum —. Uti videre potestis, ipsae *suffragationes* ita ordinatae sunt, ut relate ad omnia puncta maioris momenti vel etiam magis controversa distincta vestra approbatio expetatur. Ita Commissioni nostrae praestabuntur orientationes illae, quas secuta definitivum denique textum apparare poterit. Speramus benevolum vestrum iudicium nobis permissurum esse, ut hoc opus quam primum ad felicem, a tot hominibus in Ecclesia exspectatum exitum, adducere possimus. Ita vires Commissionis liberae evadent ad cooperandum in perfectione illius schematis,

quod laicorum non minus interest quam hoc, quia arcte cum eo coniungitur, « De Ecclesia scilicet in mundo huius temporis ».

In oratione: [1] caput, nempe VI. [2] Addere liceat, venerabiles Patres, citationes omnes ex Sacra Scriptura iterum revisum iri parvo coetu exegetarum.

Moderator: Gratiis permultis debite actis tum exc.mo relatori tum omnibus membris commissionis, rogo exc.mum D. secretarium generalem enunciare I suffragationem.

SCHEMA DECRETI
DE APOSTOLATU LAICORUM *

Textus prior | *Textus emendatus*

PROOEMIUM

Textus prior

Sacrosanctum Concilium Vaticanum II, cum praecipuum sibi finem proposuerit altiorem omnium membrorum Ecclesiae vitam spiritualem et intensiorem actuositatem apostolicam assequendam, postquam egit de laicis in Constitutione « de Ecclesia », hic iterum animum convertit ad eosdem christifideles laicos ut speciali modo in mentem revocetur dignitas et necessitas apostolicae operositatis eorum, principia enuntientur directionesque pastorales

Textus emendatus

1. ACTUOSITATEM APOSTOLICAM *populi Dei* impensiorem *reddere volens,*[1] Sacrosancta Synodus *sollicite se* vertit ad christifideles laicos, *quorum partes in missione Ecclesiae proprias et omnino necessarias iam alio in loco commemoravit* (A).[2] *Apostolatus enim laicorum, ex ipsa eorum christiana vocatione oriundus, numquam potest in Ecclesia deficere* (B). *Quam spontanea fuerit huiusmodi actuositas in primordiis Ecclesiae, quamque frugifera,*

---

* *In initio fasciculi legitur*:

Ss.mus Dominus Noster Paulus Pp. VI, in audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut hoc schema, de quo in Concilio Oecumenico Vaticano Secundo deliberabitur, ad eiusdem Concilii Patres transmitteretur.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXVIII mensis Maii, anno MCMLXV.

HAMLETUS IOANNES Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

Verba, initio singulorum numerorum litteris inclinatis inter uncos [ ] posita, in redactione definitiva tollentur.

Textus prior

dentur ad efficacius huius apostolatus exercitium.

Licet nulla aetate defuerit in Ecclesia apostolatus laicorum, cum ad ipsam naturam Ecclesiae pertineat, nostra tamen haec tempora omnino latiorem expostulant. Progressus enim scientificus et technicus, hominum in dies augescens numerus, peramplum rerum profanarum dominium, faciliora subsidia communicationis ac multiplices relationes inter homines, non solum in immensum dilatarunt campum apostolatus laicorum, verum etiam problemata nova excitarunt quae eorum sollicitam curam exspectant. Hic apostolatus suapte natura necessarius, hodiernis in adiunctis urgentior adhuc efficitur, non solum ob insufficientem numerum cleri, sed praesertim ob alienationem quarundam provinciarum vitae humanae ab omni ordine religioso vel ethico. Huius necessitatis signum simul et felix responsum est evidens illa operatio Spiritus Sancti, ubique hodie generosos laicos in servitium Christi et Ecclesiae suscitantis.

Textus emendatus

ipsae Sacrae Litterae luculenter demonstrant (cf. *Act.* 4, 31; 11, 19-21; 18, 26; *Rom.* 16, 1-16; *Phil.* 4, 3).

Nostra autem tempora *non minorem exigunt zelum laicorum, immo, condiciones hodiernae omnino impensiorem et latiorem poscunt actuositatem apostolicam eorum.* Augescens enim in dies numerus hominum, *scientiarum atque technicarum artium* progressus, *arctiores* inter homines *necessitudines,* non solum in immensum dilatarunt apostolatus laicorum *spatia magna ex parte iis tantum aperta,* verum etiam nova suscitarunt problemata quae *ipsorum sollertem* curam *studiumque expostulant* (C). *Eo* urgentior *huiusmodi* apostolatus *redditur quatenus autonomia multarum* provinciarum vitae humanae *plurimum, uti par est, succrevit* (D), *quandoque vero secumferens quandam abscessionem* ab ordine ethico et religioso *cum gravi discrimine vitae christianae. Insuper multis in regionibus, in quibus sacerdotes admodum rari sunt vel, ut quandoque accidit, debita ministerii libertate privantur, sine laicorum opera Ecclesia vix posset praesens et actuosa esse* (E).

Huius *multiplicis urgentisque* necessitatis signum simul et felix responsum est evidens operatio Spiritus Sancti laicos hodie *magis magisque propriae « responsabilitatis » conscios* (F) *reddentis eosque* ad servitium Christi et Ecclesiae ubique incitantis.[3]

Hoc in decreto Concilium apostolatus laicorum naturam, indolem et varietatem illustrare intendit, necnon principia *fundamentalia* enunti*are* directionesque pastorales *tradere* ad eiusdem efficacius exercitium; *quae omnia tamquam normae habeantur in recognoscendo iure canonico quod ad laicorum apostolatum attinet* * (G).

* Haec verba sunt summula numeri 15 textus prioris: (*Associationes fidelium in iure condito et condendo*). Quoad associationes de quibus agit Codex Iuris Canonici in canonibus 700-725, etsi non omnes immediate finem habent apostolicum, curent Ordinarii et respective moderatores ut spiritum vere apostolicum in earum membris excitent et forment. Curent etiam ut huiusmodi associationes sint adiutorio sibi invicem atque variis apostolatus inceptis. [8]

Sodales autem apostolatui individuali et, pro viribus, etiam consociato exercendo libenter se devoveant.

Insuper Sacrosancta Synodus mandat ut Commissio ad Codicem Iuris Canonici recognoscendum ea, quae de consociativis apostolatus laicorum formis in hoc Decreto dicuntur, in ius condendum recipiat, et ea, quae de associationibus fidelium in iure iam statuuntur, apostolatus Ecclesiae hodiernis necessitatibus accommodet.

NOTAE

Ad n. 1. (Prooemium)

[1] Cf. IOANNES XXIII, Const. Apost. *Humanae Salutis,* 25 dec. 1961: *A.A.S.,* 54 (1962), p. 6.

[2] Cf. Const. dogm. *De Ecclesia,* cap. IV, nn. 33 ss.: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 39 ss.

[3] Cf. PIUS XII, *All. ad Cardinales,* 18 febr. 1946: *A.A.S.,* 38 (1946), pp. 101-103; IDEM, *Sermo ad Iuvenes Operarios Catholicos,* 25 aug. 157: *A.A.S.,* 49 (1957), p. 843.

RELATIO GENERALIS [9]

PRAENOTAMINA

Iam ante tertiam Periodum Concilii, quattuor Conferentiae Episcoporum et decem Patres, optata sua per litteras ad Commissionem miserant.

Perdurante autem disceptatione schematis mense octobri anni 1964 in Aula Conciliari, centum quadraginta quatuor Patres vel locuti sunt, vel in scriptis animadversiones vel propositiones exhibuerunt, ex quibus nomine Conferentiarum Episcoporum octo.

Ergo omnes simul, centum quinquaginta octo Patres vota protulerunt.

Schema, post discussionem introductoriam, acceptatum est a Patribus ut basis disceptationis. In ipsis autem animadversionibus, sive oralibus sive scriptis, votum absolute negativum nullus Pater dedit.

Imprimis ergo omnes emendationes, minores quoque, a Secretaria Commissionis in unum volumen collectae sunt, quorum exemplar omnes Commissionis Sodales, Periti, et etiam Auditores et Auditrices laici receperunt.

[9] Deinde quinque Subcommissiones, ex Sodalibus, Peritis et Auditoribus compositae, mensibus octobri et novembri omnes animadversiones diligenter perpenderunt solutionisque propositiones, allegatis rationibus perfecerunt.

Tandem per plures conventus a mense octobri 1964 ad mensem aprilis 1965, ipsa Commissio Plenaria « De apostolatu laicorum » easdem examini subiecit. Fructus horum conventuum est textus emendatus, prout hic exstat.

Quoad animadversiones a Patribus propositas Commissio haec notanda censet:

I. *Iudicium generale*

1. *Placuit in genere* schema multis Patribus (inter quos 6 qui nomine Conferentiarum Episcoporum locuti sunt). Sunt inter eos cardinales E/3366, 3324, 3322, 3277, 3325, 3309, 3373; insuper E/3281, 3283, 3300, 3301, 3306, 3307, 3335, 3371, 3342, 3414, 3419, 3446, 3313, 3523.

2. Aliqui Patres E/3323, 3314 dicunt sibi *placere schema iuxta modum*; vel « plus minusve » E/3341.

3. Immo aliquibus *valde placet,* inter quos 3 cardinales E/2689,
[10] 3282, 3337; insuper E/3302, 3304, 3340, 3368, 3377, 3378, 3392, 3434, 3464, 3516, 3303.

4. *Elementa* quae tamquam laude digna censentur sunt: doctrina E/3426, 3434; libertas laicorum proposita 2689, 3322; servata competentia Hierarchiae 3373; universalitas vocationis enucleata 3419, 3368; libertas servata regionum 3313, 3322; pariter libertas Episcoporum 3322; ratio habita animationis ordinis temporalis 2689, 3280; actionis caritativae 2689, 3307, 3426; temperantia et harmonia efferuntur a 3433, 2689, 3434; brevitas 3432, 3303, 3307.

5. Quidam Patres *iudicium potius comparativum* ferunt, dicentes schema esseelioratum relate ad priorem redactionem E/3280, 3303; quorum quibusdam placet abbreviatio E/3303, 3419, alii deplorant contractionem, ut E/3334, 3423.

6. *Radicalem recognitionem* 6 Patres postulant: E/3276, 3284, 3326, 3336, 3350, 3523. Circa modum tamen recognoscendi non conveniunt, sed in duas oppositas abeunt sententias.

II. *De doctrina*

1. Aliqui cum doctrina *contenti* sunt (cf. I, 3 et E/3426); aliquis E/3326 e contra putat sufficere quod in Constitutione dogmatica De

Ecclesia cap. IV exponitur. Maior tamen pars desiderat *ampliorem expositionem*. [10]

2. Supplenda est doctrina *assumendo elementa ex Constitutione dogmatica De Ecclesia* E/3304, 3305, 3307, 3309, 3313, 3336, 3337, 3341, 3403, 3435, 3519, 3583.

Ideo Commissio addit numerum novum 3: De apostolatus laicorum fundamentis.

3. Inter ea quae ratione doctrinae *clarius exponenda* sunt, recensentur dicta de conceptu et natura apostolatus E/3325, 3327, 3339, 3340, 3368, necnon de distinctis eius speciebus E/3283, 3419, 3328, 3416, pariter de relatione ad Hierarchiae apostolatum E/3315.

Ideo Commissio in numeris 2 et 5 distinctius res describit.

4. Pariter *amplior tractatio fundamentorum apostolatus* desideratur a E/3279, 3304, 3308, 3339, 3281, 3301, 3311, 3313, 3323, 3334, 4606; inter elementa nominanda recensentur testimonium Spiritus Sancti E/3515, charismata E/3516, sacerdotium universale E/3338; ratio habeatur fontium biblicorum E/3302 et patristicae E/3342, necnon elementi anthropologici E/3281.

His desideriis satisfit numero novo 3: De apostolatu laicorum fundamentis.

5. Aliqui E/3305, 3310, 3366, 3454 desiderant ut in clariore luce ponatur *ratio propria apostolatus laicorum*.

Hac in re caute procedendum erat, ratione habita eorum quae continentur in Constitutione dogmatica De Ecclesia. Propria ratio nunc [11] clarius apparere videtur; non tamen erat restringenda ad animationem ordinis temporalis christianam, nec ad apostolatum qui mandato Hierarchiae exercetur.

6. Aliqui desideraverunt ut magis appareat *unitas apostolatus* E/3278, eiusque interna *connexio* E/3342.

Textus in hoc sensu perfectus est, praesertim in nn. 2, 3, 5, 23.

7. In specie aliqui Patres petierunt ut ratio maior habeatur cultus divini E/3278, ut clarius fiat in quo consistat animatio ordinis temporalis E/3334, unus Pater E/3282 optat ut magis evolvatur ratio « mandati ».

Textus redactus est in hoc sensu; de ultima optione cf. n. 24.

III. *De supplendis vel omittendis*

1. Pauci Patres tantum, inter quos E/3276, 3326, desiderant ulteriorem *abbreviationem* schematis; maior pars additamenta postulat.

[11] 2. Praeter ea quae iam in antecedente Parte II dicta sunt de augenda doctrina, praesertim desideratur *amplior tractatio spiritualitatis,* quae laicorum apostolatui respondet. Ita E/3276, 3280, 3281, 3300, 3304, 3307, 3372, 3392, 3394, 3403, 3522.

Commissio statuit addendum esse proprium numerum 4: De spiritualitate laicorum in ordine ad apostolatum.

3. Pariter desideratur *additio* capitis *de formatione ad apostolatum* E/3278, 3279, 3230, 3307, 3326, 3337, 3366, 3372, 3428, 3453, 3577, 4606.

Commissio addit proprium caput VI: De formatione ad apostolatum.

4. *Speciales additiones* desiderantur hae:

a) *de dialogo* in apostolatu: E/3282, 3302, 3311, 3415;

b) *de missionario apostolatu*: E/3299, 3329, 3335, 3336; de spiritu missionario totius Ecclesiae E/3378;

c) *de dimensione historica*: E/3325;

d) *de problematibus apostolatus moderni*: E/3325;

e) *de participatione laicorum in regimine*: E/3327, 3341, 3393, praesertim in paroecia, in administratione: E/3317;

f) *de iure perficiendo laicorum*: E/3313;

g) *de relaxationis apostolatu*: E/3334;

h) *de Institutis Saecularibus*: E/3334, 3512, 3518, 3519;

i) *de charactere communitario* apostolatus: E/3304, 3378;

j) *de apostolatu iuvenum*: E/3303, 3304, 3307, 3366, quibus contradicit 3378;

k) *de opinione publica formanda*: E/3281, 3341;

[12] l) *de praeparatione sacerdotis* ad iuvandos laicos in apostolatu: E/3188, 3308;

m) *de libertate conscientiae agnoscenda*: E/3464.

Pluribus ex his desideriis novus textus satisfacit. Mensuram ei positam excedere videbantur c) et d); quaestio e) caute insinuatur in capite V; h) non pertinet ad nostrum schema.

5. Duo Patres postulant *commemorationem B. M. V.* in schemate: E/3302, 3335.

Cui respondet n. 4: De spiritualitate laicorum in ordine ad apostolatum.

6. Duo Patres E/3305, 3512 postulant ut magis ratio habeatur condicionis *Ecclesiarum Orientalium.*

IV. *De aliquibus accentibus commutandis* [12]

1. Aliqui Patres desiderant ut illi *accentus* qui in schemate ponuntur, *fortius* elaborentur et proponantur: ita E/3310, 3371, 3433, qui deplorant aliquam ambiguitatem quae coniungitur cum « via media » schematis. In specie desideratur *elatio libertatis laicorum*: E/3323, 3434, 3304, 3300, observantia principii subsidiaritatis E/3323, 3583. Aliquibus in locis schema adhuc defectu *clericalismi* laborat E/3317, 3394, 3336, 3313, 3324, 3512; vel saltem periculum talis clericalismi existeret E/3327; postulatur *melius aequilibrium* inter auctoritatem Hierarchiae et libertatem laicorum E/3309; etiam reprobando explicite neoclericalismum E/3305. In oppositione aliqui Patres E/3277, 3284, 3351, 3582 desiderant maiorem *accentuationem auctoritatis Hierarchiae*; explicitam damnationem laicismi postulat E/3301. Contra haec alii E/3403, 3434 observant schema hac in re sequi *iustum aequilibrium*.

2. *Quod formas apostolatus attinet,* quidam Patres E/3312, 3523 insistunt magis in animatione christiana ordinis temporalis, alii in evangelizatione ambitus socialis E/3283, in aspectu communitario apostolatus E/3282, 3304; E/3279 provocat ad mysterium Incarnationis magis respiciendum. Sed monetur etiam in hoc accentu pericula adesse. Timent insuper aliqui Patres E/3317, 3337, ne nimium tribuatur apostolatui organizato, praesertim Actioni Catholicae E/3276, 3336, 3373, desiderant aequilibrium melius inter organizatam et « personalem formam » E/3338. Pluribus tamen accentus positi placent, ut 3303; immo 3417 magis efferri vult organizationes.

3. Quidam desiderant ut magis ratio habeatur *cooperationis oecumenicae*: E/3305; immo cum non credentibus E/3310; alii magis volunt ut insistatur *in aspectu internationali* E/3279, 3398; E/3281 ut praeter caritatem urgeatur magis iustitia.

4. In campis assignandis aliqui desiderant ut magis respiciatur apostolatus inter operarios E/3283, 3459.

Plurimis his desideriis ratio habita est in textu emendato; singula apparent in Relationibus de singulis numeris. [13]

V. *De ordine et stylo*

1. *De ordine* plures Patres *difficultates movent,* novumque, sed diversum, postulant ordinem. Ratio habita est huic difficultati motae ab E/3276, 3278, 3283, 3417, 3326, 3583 per additionem novi capitis de formatione, aliquorum numerorum qui nexum magis illustrant

[13] et per commutationem aliquorum numerorum. Ita etiam character nimis « musivus » minuitur, quem deplorat E/3284.

Aliquibus tamen Patribus *ordo placuerat,* E/3284 et 2689, praesertim ex rationibus practici finis schematis, non timendas esse aliquas repetitiones E/3426.

2. Aliqui desideraverunt ut *tonus* sit *minus iuridicus* E/3276, *minus exhortativus* 3336; alii (E/3278, 3279, 3307, 3313) desiderant *maiorem dynamismum in modo loquendi*; dignum alicui Magnae Chartae apostolatus laicorum E/3417; pariter obicitur tonus adhuc *nimis paternalisticus* E/3278.

3. Plures postulant *revisionem locorum ex S. Scriptura, latinitatis* necnon *elegantiae styli* E/3583, 3584, ut totum *una manu scribatur* E/3373.

4. E/3523 petit ut etiam *Prooemium* et *Exhortatio finalis numeris signentur.*

His desideriis, pro posse, satisfacere conata est Commissio in nova forma emendata textus.

RELATIO DE SINGULIS NUMERIS

Ad num. 1

(A) Commissio satisfacere intendit desideriis plurium Patrum (E/3278, 3307, 3309, 3314, 3326, 3337, 3394, 3435), qui explicite petierant ut logica connexio cum Constitutione dogmatica De Ecclesia clare appareat.

(B) Sic clarius exprimitur nexus inter vitam christianam et apostolatum, ut E/3335 voluit.

(C) E/3325 petiit ut de apostolatu laicorum mentio fiat sub aspectu historico. Quatenus brevitas Prooemii ferebat his verbis respondetur huic desiderio.

(D) E/3312 et 3280 postulabant ut modo magis positivo exprimatur autonomia quae in multis provinciis vitae humanae succrevit, non sine
[14] abscessione ab ordine ethico et religioso. Commissio annuit huic petitioni.

(E) Ratio illa quae in priori textu afferebatur, de necessitate apostolatus laicorum ob insufficientem numerum cleri, utpote pro pluribus Patribus (E/3204, 3279, 3369, 3402) nimis negativa et extrinseca, modo magis positivo exprimitur.

(F) Commissio putavit accipiendam esse propositionem E/3312 et 3280, quae vult ut inter motiva quae hodie apostolatum urgentiorem

efficiunt, ratio haberetur de nova conscientia quam laici de propria in Ecclesia responsabilitate adepti sunt.

(G) Commissio aestimavit verba de recognitione Codicis Iuris Canonici totum Decretum « De apostolatu laicorum » respicere, et ideo modo valde compendiato, ibi in fine Prooemii posuit ea quae in numero olim 15 dicebantur.

Textus prior

I. De laicorum vocatione apostolica

1. [*De participatione laicorum in missione Ecclesiae*]. Ecclesiae missio est opus Christi in terris continuare usque ad finem saeculorum, Deum glorificando, animas salvando, instaurando omnia in Christo.

Quam missionem ipsa adimplet, diversis quidem modis, per omnia sua membra.

Corpus enim Mysticum non sinit ullum membrum esse mere passivum; vocatio christiana natura sua vocatio quoque est ad apostolatum.

« Apostolatus », qui nomen trahit a munere docendi, regendi et sanctificandi Apostolis concredito eorumque successoribus, omnem etiam Corporis Mystici actuositatem designat, qua Evangelium Christi annuntiatur et vita hominum Eius Spiritu imbuitur. Quo sensu omnia membra Ecclesiae apostolatum exercere debent; est enim innata necessitas vitae christianae et obligatio quae oritur ex praecepto caritatis.

Textus emendatus

Cap. I. De vocatione laicorum ad apostolatum (A)

2. [*De participatione laicorum in missione Ecclesiae*] (A). *Ad hoc unum nata est Ecclesia ut regnum Christi ubique terrarum dilatando, omnes homines salutaris redemptionis participes efficiat,*[1] *et per eos mundus universus re vera ad Christum ordinetur. Omnis navitas Corporis Mystici hunc in finem directa apostolatus dicitur* quem Ecclesia per omnia sua membra, *variis* quidem modis, *exercet. Sicut in viventis corporis compage, nullum membrum mere passive sese gerere debet, sed simul cum vita corporis eiusdem operositatem quoque participet oportet,* sic in corpore Christi, *quod est Ecclesia, « totum corpus secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit »* (*Eph.* 4, 16). *Quinimmo tanta est in hoc corpore connexio et membrorum compactio* (cf. *Eph.* 4, 16), *ut membrum, quod ad augmentum corporis secundum suam mensuram non operatur, nec Ecclesiae nec sibi ipsi prodesse dicendum sit.*

Est in Ecclesia diversitas ministerii, sed unitas missionis. Apostolis eorumque successoribus *a Christo collatum est* munus *in ipsius nomine et potestate* docendi, regendi et sanctificandi. *At laici, muneris sacerdotalis, prophetici et regalis Christi participes effecti, suas partes in missione totius populi Dei explent in Ecclesia et in mundo* (B).[2] *Apostolatum*

Textus prior

Hoc ius et officium ad apostolatum oritur ex ipsa christifidelium cum Christo capite unione in charactere sacramentali Baptismatis et Confirmationis fundata et SS. Eucharistia nutrita. Membra enim Eius participant, variis quidem modis et mensuris, Eius Regale Sacerdotium et divinam missionem.

Hic apostolatus laicorum tantum se extendit, etiam ad res temporales, quantum ipsa missio Ecclesiae, iis solum muneribus exceptis quae potestatem ordinis vel iurisdictionis exigunt.

Textus emendatus

reapse exercent sua operositate sive ad evangelizationem et sanctificationem hominum sive ad rerum temporalium ordinem spiritu evangelico perfundendum et perficiendum, ita ut operositas in hoc ordine testimonium Christi manifeste perhibeat et ad salutem hominum inserviat. Cum vero laicorum statui hoc sit proprium ut in medio mundi negotiorumque saecularium vitam agant, a Deo vocantur, ut spiritu christiano ferventes, fermenti instar apostolatum suum in mundo exerceant (C).

3. (num. novus) [*De apostolatus laicorum fundamentis*] (A). Laici christifideles ius et officium ad apostolatum obtinent ex ipsa sua cum Christo Capite unione. Per Baptismum enim corpori Christi mystico inserti, per Confirmationem virtute Spiritus Sancti roborati, ad apostolatum ab ipso Domino deputantur. In regale sacerdotium et gentem sanctam (cf. *1 Pt.* 2, 4-10) consecrantur ut non tantum per omnia opera spirituales offerant hostias, sed et ubique terrarum Christo testimonium perhibeant. Sacramentis autem, praesertim SS. Eucharistiae, communicatur et alitur illa caritas quae veluti anima est totius apostolatus.[3]

Apostolatus in fide, spe et caritate radicatur quas Spiritus Sanctus in cordibus omnium Ecclesiae membrorum diffundit (B). Caritas autem omnes christifideles ad gloriam Dei et bonum hominum quaerendum impellit. Gloria Dei per adventum regni eius in terris exoritur; bonum vero hominum supremum est vita aeterna, his in terris inchoata, quae in hoc consistit ut cognoscant solum Deum vivum et quem misit Iesum Christum (cf. *Io.* 17, 3). Quod bonum ut apostolatu diffunderemus, Christus per mandatum Deum et proximum perfecte diligendi nobis iniunxit. Omnibus igitur christianis onus praeclarum imponitur adlaborandi ut divinum salutis propositum ad universos homines et quoquo terrarum perveniat.

Ad hunc apostolatum exercendum Spiritus Sanctus qui populi Dei sanctificationem per ministerium et sacramenta operatur, quandoque etiam fidelibus peculiaria tribuit dona (cf. *1 Cor.* 12, 7), ea « dividens singulis prout vult » (*1 Cor.* 12, 11), ut sint et ipsi « dispensatores multiformis gratiae Dei » (*1 Pt.* 4, 10), in aedificationem totius corporis in caritate (cf. *Eph.* 4, 16). Ex horum charismatum, etiam simpliciorum,

acceptione, pro unoquoque credentium ius et officium oritur eadem in [16] bonum hominum et aedificationem Ecclesiae exercendi in Ecclesia et in mundo, in libertate Spiritus Sancti, qui « ubi vult spirat » (*Io.* 3, 8), at simul in communione cum fratribus in Christo, maxime cum pastoribus suis, quorum est de eorum germana natura et ordinato exercitio iudicium ferre, modo tamen Spiritum ne extinguant sed omnia probent et quod bonum est teneant (cf. *1 Thess.* 5, 12. 19. 21) (C).[4]

4. (num. novus) [*De spiritualitate laicorum in ordine ad apostolatum*] (A). Cum totius apostolatus Ecclesiae fons et origo Christus sit, efficacitas apostolatus laicorum prorsus pendet ex ipsorum cum Christo [17] vitali unione, dicente Domino: « Manete in me et ego in vobis. Qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere » (*Io.* 15, 4-5) (B). Haec vita intima unionis cum Christo alitur subsidiis spiritualibus, omnibus quidem fidelibus communibus, praesertim actuosa participatione Sacrae Liturgiae (C),[5] sed ita a laicis adhibendis ut hi, dum ipsa mundi officia in ordinariis vitae condicionibus rite adimplent, unionem cum Christo a vita activa non separent, sed potius suum opus in hac unione exerceant. Hac via laici alacri et laeto animo in sanctitate progrediantur oportet, necessarias difficultates in prudentia et fortitudine superare satagentes, ut vita sua ad Dei gloriam et ad regni eius proventum ordinetur.[6] Nihil in vita eorum, sive sint curae familiares sive negotia saecularia, extraneum debet esse a spirituali vitae ratione iuxta illud Apostoli: « Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum » (*Col.* 3, 17) (D).

Talis autem vita continuum exercitium virtutum theologalium exposcit. Lumine fidei et mediatione verbi Dei solum potest aliquis semper et ubique dignoscere Deum in quo « vivimus et movemur et sumus » (*Act.* 17, 28), in omni eventu quaerere eius voluntatem, Christum intueri in omnibus hominibus, sive propinqui sint sive extranei, de vera significatione et pretio rerum temporalium in seipsis et in ordine ad finem hominis recta iudicia facere (E).

Qui hanc habent fidem, in spe revelationis filiorum Dei vivunt quae est etiam « expectatio creaturae », « quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei » (*Rom.* 8, 19. 21). In peregrinatione huius vitae, cum Christo in Deo absconditi et a servitute divitiarum liberi, dum ad illa bona quae in aeternum manent intendunt, generoso animo totos se dedicant ad regnum Dei dilatandum et ad ordinem rerum temporalium spiritu christiano informandum et perficiendum. Inter adversa huius vitae in spe fortitudinem inveniunt exi-

[17] stimantes quod « non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis » (*Rom.* 8, 18).

Caritate Dei impulsi, ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei, bonum operantur (cf. *Gal.* 6, 10), deponentes « omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes et invidias et omnes detractiones » (*1 Pt.* 2, 1) et sic ad Christum homines trahentes. Haec caritas Dei quae « diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis » (*Rom.* 5, 5), reddit laicos capaces spiritum Beatitudinum reapse exprimendi in vita sua. Iesum pauperem secuti, bonorum temporalium nec inopia deiiciuntur nec copia inflantur; Christum humilem imitati, non efficiuntur inanis gloriae cupidi (cf. *Gal.* 5, 26), sed placere Deo magis quam hominibus student, semper parati propter Christum omnia relinquere (cf. *Lc.* 14, 26); amicitiam humanam et
[18] christianam inter se colentes, mutuum adiutorium in caritate fraterna praebent in vita tam temporali quam spirituali (F).

Haec laicorum spiritualis vitae ratio ex propriis uniuscuiusque condicionibus vitae notam peculiarem desumere debet, nempe ex eorum vita coniugali et familiari, « professionali » et sociali. Ne desinant ergo qualitates et dotes his condicionibus congruentes sibi collatas assidue excolere, propriisque uti donis a Spiritu Sancto acceptis. Magni quoque faciant illas virtutes quae maxime sociales sunt, scilicet probitatem, spiritum iustitiae, sinceritatem, humanitatem, animi fortitudinem, « professionalem » peritiam, sensum familiarem et civicum, sine quibus nec vera vita christiana consistere potest.

Huiusmodi vitae spiritualis et apostolicae perfectum exemplar colant Beatissimam Virginem Mariam, Reginam Apostolorum, quae, dum in terris vitam ageret omnino communem, familiari cura et laboribus plenam, intime semper cum Filio suo coniungebatur, voluntatem eius semper faciens sicut « ancilla Domini » (*Lc.* 1, 38), verba eius « conservabat... conferens in corde suo » (*Lc.* 2, 19) et Christum ad omnes adducebat; nunc autem in caelum assumpta « materna sua caritate de fratribus Filii sui adhuc peregrinantibus necnon in periculis et angustiis versantibus curat, donec ad felicem patriam perducantur ».[7] Hanc devotissime colant omnes suamque vitam atque apostolatum eius maternae curae commendent (G).

NOTAE

Cap. I - *De vocatione laicorum ad apostolatum*

Ad n. 2.

[1] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Rerum Ecclesiae*: *A.A.S.*, 18 (1926), p. 65.

[2] Cf. Const. dogm. *De Ecclesia,* cap. IV, n. 31: *A.A.S.*, 57 (1965), p. 37.

Ad n. 3. [18]

[3] Cf. Const. dogm. *De Ecclesia,* cap. IV, n. 33: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 39; cf. etiam n. 10, *ibid.,* p. 14.

[4] Cf. *Ibid.,* n. 12: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 16.

Ad n. 4.

[5] Cf. Const. *De Sacra Liturgia,* cap. I, n. 11: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 102-103.

[6] Cf. Const. dogm. *De Ecclesia,* cap. IV, n. 32: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 38; cf. etiam cap. V, nn. 40-41: *ibid.,* pp. 45-47.

[7] Cf. *Ibid.,* cap. VIII, n. 62: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 63.

RELATIO DE SINGULIS NUMERIS [19]

Ad titulum capitis

(A) Accipiendo rationes ab E/3284 propositas, Commissio mutavit titulum: « De laicorum vocatione apostolica » in melius, nempe: « De vocatione laicorum ad apostolatum ».

Ad num. 2

(A) Cum plures Patres (E/3278, 3281, 3301, 3308, 3311, 3323, 3338, 3342, 3394, 2777, 3519) quaesierint ut abundantius de fundamento doctrinali apostolatus laicorum ageretur, Commissio decrevit numerum ampliandum esse (addito etiam numero speciali, 3° nempe, De apostolatus laicorum fundamentis).

(B) E/3278, 3317, 3342 petebant ut dicatur laicos participare de munere sacerdotali, prophetico et regali Christi. Commissio libenter annuit huic desiderio.

(C) Ut melius respondeatur desideriis aliorum Patrum (E/3280, 3308, 3313, 3314, 3312, 3315, 3327, 3337, 3343, 3402, 3516), hic elaboratur notio apostolatus laicorum: apprime enucleata missione Ecclesiae, explanatur quomodo hanc missionem, mediantibus omnibus membris suis, Ecclesia exerceat.

N. 2 textus prioris: De apostolatu ab omnibus et singulis exercendo, tranfertur in caput IV, cum novo titulo: De momento et multiplicitate apostolatus singulorum.

N. 3 autem textus prioris: De formatione apostolica, secundum desideria plurium Patrum, uti suo loco exponentur, integrum novum caput constituit in fine totius tractationis.

Ad num. 3

(A) Agitur hic iuxta desiderium plurium Patrum (E/3278, 3281, 3301, 3308, 3311, 3323, 3342, 3338, 3394, 3519, 2777) de aposto-

[19] latus laicorum fundamentis. Aliqui Patres (E/3279, 3312, 3313, 3339, 3371) insuper petierunt ut rationes intrinsecae tangerentur, quae apostolatum laicorum fundant hodieque urgentiorem reddunt, cum rationes extrinsecae contingentes et minoris momenti sint. Commissio ergo expresse recolit motiva intrinseca. Non tamen accipiendam esse iudicavit propositionem E/3374 de recolendis « vestigiis Summorum Pontificum » hac in re.

(B) Prout E/3478 et 3520 desideraverunt quaedam innuuntur de caritate tamquam radice apostolatus.

[20] (C) Uberiore sermone, iuxta plurium Patrum placita (E/3323, 3327, 3394) agitur de Spiritu Sancto, qui per ministerium, sacramenta, infusionem gratiae, distributionem donorum et charismatum ad apostolatum urget.

Ad num. 4

(A) Plures Patres (E/3276, 3279, 3280, 3281, 3306, 3307, 3334, 2689, 3522, 3830, 4606) desideraverunt ut profundius et latius de spiritualitate laicorum in ordine ad apostolatum ageretur, et quidem ut huiusmodi spiritualitas intime cum iis quae in Constitutione dogmatica De Ecclesia dicta inveniuntur, coniungeretur (E/3276, 3304, 3306, 3315). Ad hoc obtinendum Commissioni visum est novum integrum numerum de spiritualitate apparandum esse, iis omnibus prae oculis attente habitis quae a Patribus edicta fuerant, non tamen ad minutiora particularia descendendum.

(B) E/3335 dicit bene in lucem poni debere monitum Domini. Commissio ita redegit textum.

(C) E/3453, 3281, 3342 extollunt momentum actuosae participationis Sacrae Liturgiae. Quod etiam placuit Commissioni.

(D) E/3304, 3306, 3310, 3334 insistunt clarius affirmandum esse ipsam familiae, sive professionis, sive vitae socialis spiritualitatem non debere esse extraneam ab eorum vita. Quod nunc dicitur in textu.

(E) E/3230 monet vitam spiritualem laicorum exercitium fidei, spei et caritatis esse debere. Commissio censuit hoc dicendum esse in textu.

(F) E/3428 commemorat christianos vivere debere animatos spiritu servitii. Quod etiam acceptatur a Commissione.

(G) Prout petitum est ab E/3335 recolitur speciali modo etiam praecellens exemplar vitae spiritualis, Beatissima Virgo Maria, Regina apostolorum.

Textus prior

III. De finibus assequendis

9. [*Apostolatus obiecta et distinctio*]. Cum pressius obiecta apostolatus laicorum considerantur, distingui possunt quae ad finem evangelizationis hominumque sanctificationem immediate pertinent ab iis quae ad finem animationis christiane ordinis rerum temporalium immediate attinent; idem autem laicus, qui est simul fidelis et civis, in utroque ordine una conscientia christiana continuo duci debet.

Clariori luce ita ponuntur non solum diversorum apostolatus inceptorum species, sed etiam munera, propriae agendi rationes immo et differentes habitudines ad societatem sive ecclesiasticam sive civilem.

10. [*De hominum conversione et progressu ad Deum*]. « Caritas Christi urget nos » (*2 Cor.* 5, 14) ut omnibus hominibus imprimis bonum fidei gratiaeque donum provideatur, iuxta illud Christi: « Quaerite ergo primum regnum Dei et iustitiam eius » (*Mt.* 6, 33).

Apostolatui autem Ecclesiae, quo suam primariam explevit et explet missionem verbum Dei nuntiandi hominesque sanctificandi, numquam defuit sollicita et efficax collaboratio laicorum, qui, modo proprio agentes et in suo statu manentes, filiali animo cum sacra Hierarchia coniuncti, « Dei adiutores » (*1 Cor.* 3, 9) in salute hominum procuranda re vera facti sunt.

Nostris quidem temporibus laici Ecclesiam multimode adiuvant, ut ipsa vita sua actioneque supernaturali quamplures etiam qui longe sunt attingat; immo laici, sua experientia et studio auxilium praebent Ecclesiae ut in hodiernis sat perplexis vitae humanae condicionibus suam missionem efficacius explere valeat.

Textus emendatus [2

Cap. II. De finibus assequendis (A)

5. [*Introductio*] (A). *Opus redemptionis Christi, dum homines salvandos potissimum spectat, totius quoque ordinis temporalis instaurationem complectitur. Unde Ecclesiae missio non solum est nuntium Christi et gratiam eius hominibus afferre, sed et spiritu evangelico rerum temporalium ordinem perfundere et perficere* (B). *Laici ergo christifideles, hanc Ecclesiae missionem exsequentes, apostolatum suum exercent tam in mundo quam in Ecclesia, tam in ordine temporali quam in ordine spirituali.* Idem *enim* laicus, qui est simul fidelis et civis, in utroque ordine una conscientia christiana continenter duci debet (C).

6. [*De apostolatu ad homines evangelizandos et sanctificandos*] (A). *Missio Ecclesiae ante omnia salutem hominum spectat, fide in Christum et gratia eius consequendam. Apostolatus ergo Ecclesiae, omniumque membrorum eius, imprimis dirigitur ad nuntium Christi verbis et factis mundo patefaciendum, gratiamque eius communicandam. Hoc principaliter fit per ministerium verbi et sacramentorum, speciali modo clero commissum, in quo et laici habent suas magni momenti partes adimplendas, ut sint « cooperatores veritatis »* (*3 Io.* 8). *Hoc potissimum in ordine, apostolatus laicorum et ministerium pastorale mutuo se complent* (B).

Innumerae patent laicis occasiones ad apostolatum evangelizationis et sanctificationis exercendum. Ipsum testimonium vitae christianae et opera bona spiritu supernaturali exercita, vim habent attrahendi homines ad fidem et ad Deum; dicit enim Dominus: « Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant

Textus prior

Hanc maiorem possibilitatem apostolatum religiosum, spiritualem, exercendi laici attente perpendant; sollicite ac generose Summorum Pontificum et Episcoporum votis respondeant; coram Deo et ipsi de Ecclesiae missione rationes reddituros se esse numquam obliviscantur.

Curent vero in apostolatu pro animarum salute ac profectu exercendo, ut ex plenitudine vitae interioris loquantur, sensu Ecclesiae moveantur, humilitate et caritate animos alliciant atque ab omni humano dominatu alienos sese praebeant, iuxta illud Christi: « Non veni ministrari, sed ministrare » (*Mt.* 20, 28).

11. [*De ordine temporali christiane instaurando*]. Cum Deus omnipotens universum mundum disposuerit ad gloriam suam in plenitudine Christi Filii sui consummandam, meminerint christifideles se vocatos quoque esse ad universum temporalem ordinem in Christo perficiendum, secundum illud Apostoli « Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei » (*1 Cor.* 3, 23).

Quapropter apostolatus fidelium etiam ipsum rerum temporalium ordinem attingit, pervadit atque informat, ita quidem ut, integer manens in sua natura, lege morali, quam caritas perficiat, exstruatur et ad Deum, per Christum, ordinetur.

Urget ergo ut laici, praeter sua officia et munera quibus funguntur, operam etiam con-

Textus emendatus

opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in caelis est » (*Mt.* 5, 16).

Apostolatus tamen huiusmodi non in solo vitae testimonio consistit; verus apostolatus quaerit occasiones Christum verbis annuntiandi sive non credentibus ad eos adducendos ad fidem, sive fidelibus ad eos instruendos, confirmandos et ad fervidiorem vitam excitandos; « *caritas enim Christi urget nos* » (*2 Cor.* 5, 14), *et in corde omnium debent resonare illa verba Apostoli:* « *Vae enim mihi est, si non evangelizavero* » (*1 Cor.* 9, 16) (C).[1]

Cum autem hac nostra aetate gravissimi grassentur errores qui religionem, ordinem moralem et ipsam societatem humanam funditus evertere nituntur, Patres Concilii vehementer hortantur laicos, quotquot ingenii dotibus et doctrina eminent, ut secundum mentem Ecclesiae, suas diligentius expleant partes in principiis christianis enucleandis, defendendis et rite applicandis ad problemata huius aetatis.

7. [*De ordine rerum temporalium christiane instaurando*] (A). *Hoc est consilium Dei circa mundum, ut homines concordi animo ordinem rerum temporalium restaurent iugiterque perficiant.*

Omnia quae efficiunt ordinem temporalem, videlicet bona vitae, familiae, ingenii cultus, res oeconomicae, artes et « *professiones* », *communitatis politicae instituta, relationes internationales et alia huiusmodi eorumque evolutio et progressus* (B), *non solum subsidia sunt ad finem ultimum hominis, sed proprium habent* « *valorem* », *a Deo eis insitum, sive in seipsis considerata, sive uti partes universi ordinis temporalis:* « *viditque Deus cuncta quae fecerat et erant valde bona* » (*Gen.* 1, 31). *Haec eorum naturalis bonitas specialem quan-*

Textus prior

ferant ad exsequendum consilium Dei tam naturalia quam supernaturalia in se complectens, ita ut ordinem temporalem restaurent ac perficiant eumque spiritu christiano imbuant.

Hodiernae aetatis proprium est ut homo, doctrinarum et artium ingenti progressu in temporalibus ditatus, necnon maiori bonorum copia, aptior in dies evadat ad suam circa mundum vocationem implendam. Altera tamen ex parte, his ipsis particularibus bonis seductus, haud parum periclitatur ne, universalis et integrae suae naturae sensum amittens, servus operum quae ipse confecit magis inveniatur, quam regali illa filiorum Dei libertate erga res creatas excellens, ad quam mirabiliter conditus est et mirabilius reformatus (cf. Missale Romanum ad Offertorium).

Ad christianam ordinis temporalis instaurationem exiguntur proinde veritas revelationis, ut securius et clarius valores humani percipiantur eorumque connexio cum supernaturali ordine, atque gratia Dei, ut diu homo possit perseverare in integro ordine perficiendo.

Christianae ordinis temporalis instaurationi ac perfectioni totius Ecclesiae est operam dare. Laici vero in temporali ordine, quem actio hierarchica qua talis directe non attingit, ad Christi gloriam instaurando peculiares partes habent; et ideo responsabilitate propria agant oportet.

Formae et methodus actuositatis commendentur quae leges proprias diversorum ambituum ordinis temporalis integras servent, quaeque melius variis in decursu historiae, condicionibus populorum, communitatum, institutionum, coetuum aptentur et quibus universalia vitae christianae principia, rerum natura atque concretis temporum et locorum adiunctis

Textus emendatus

dam dignitatem accipit ex eorum relatione cum persona humana in cuius servitium sunt creata. Tandem placuit Deo omnia, tam naturalia quam supernaturalia, in Christo Iesu in unum colligere « ut sit in omnibus ipse primatum tenens » (*Col.* 1, 18) (C). *Haec tamen destinatio non modo non privat ordinem temporalem sua autonomia, suis propriis finibus, legibus, subsidiis, momento pro hominum bono, sed potius eum perficit in sua vi et praestantia propria simulque adaequat integrae vocationi hominis super terram.*

Decursu historiae, rerum temporalium usus gravibus foedatus est vitiis, quia homines, originali labe affecti, in perplures saepe lapsi sunt errores circa verum Deum, naturam hominis, et principia legis moralis: unde mores et institutiones humanae corruptae, et ipsa persona humana non raro conculcata. Nostris quoque diebus, non pauci, disciplinarum naturalium et technicarum artium progressibus plus aequo fidentes, in rerum temporalium veluti idololatriam declinant, potius earum servi effecti quam domini (D).

Totius Ecclesiae est *ad hoc* operam *navare ut homines capaces reddantur universum ordinem rerum temporalium recte instituendi et ad Deum per Christum ordinandi; ad Pastores spectat principia circa finem creationis et usum mundi clare enuntiare, ordinem rerum temporalium in Christo instaurandi viam indicare, auxiliaque spiritualia ad hoc necessaria praestare.*

Laicos autem oportet ordinis temporalis instaurationem tamquam proprium munus assumere et in eo, lumine Evangelii ac mente Ecclesiae ductos et caritate christiana actos, directe et modo definito agere; qua cives cum civibus, specifica peritia et propria « responsabilitate »

Textus prior

spectatis, efficacius applicari possunt.

Opera temporalia exercentes, secundum leges ipsis inditas et ad fines eorum proprios consequendos, lumine fidei et virtute vitae supernaturalis ducantur, memores se ita non solum suae sanctificationi consulere, sed etiam activitates efficaciores reddere ad finem suum assequendum.

Amor christianus et efficacitas apostolatus postulant ut colantur etiam qualitates humanae quae a natura requiruntur, et a non credentibus maximi habentur, ut sunt probitas, sinceritas, fortitudo, prudentia, humanitas, rerum peritia ac sensus civicus, sine quibus nec vita christiana, nec efficax testimonium caritatis consistere potest.

12. [*De actione caritativa erga proximum*]. Ab actione apostolica quae immediate in praedicationem Evangelii salutemque animarum intendit et illa quae ordinis temporalis in Christo instaurationem prosequitur, distingui possunt, propter suam peculiaritatem, opera misericordiae et caritatis erga homines in quacumque necessitate versantes, illo spiritu adimplenda qui verbis Christi exprimitur: « quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis » (*Mt.* 25, 40).

Haec enim opera amorem erga Deum et hominem clarius manifestant, evangelici apostolatus propositum fovent, fidei semitam expediunt, miro modo amicitiae necessitudines et societatem vitae promovent, instaurationem christianam ordinis rerum temporalium fovent ac complent; quae opera Ecclesia, iuxta exemplum et mandatum Domini, semper munus proprium reputavit.

Textus emendatus

cooperari; ubique et in omnibus iustitiam regni Dei quaerere. Ita instaurandus est ordo temporalis ut, propriis eiusdem legibus integre servatis, ulterioribus vitae christianae principiis conformis reddatur, variisque locorum, temporum et populorum condicionibus aptatus. Inter opera huiusmodi apostolatus eminet actio socialis christianorum, quam hodie ad totam provinciam temporalem, praesertim ad ingenii cultum, extendere cupimus (E).[2]

8. [*De actione caritativa tamquam sigillo apostolatus christiani*]. *Dum omne exercitium apostolatus a caritate originem et vim ducere debet, aliqua opera natura sua apta sunt ut convertantur in ipsius caritatis vividam expressionem; quae Christus Dominus suae messianicae missionis signa esse voluit* (cf. *Mt.* 11, 4-5). *De his specialem facimus mentionem, non quia sunt diversum quiddam a praedictis duabus speciebus apostolatus, sed quia utrique singulare Christi sigillum adiiciunt* (A).

Maximum mandatum in lege est diligere Deum ex toto corde et proximum suum sicut seipsum (cf. *Mt.* 22, 37-40). *Hoc vero mandatum caritatis proximi Christus proprium fecit novoque significatu ditavit, dum seipsum idem ac fratres tamquam obiectum caritatis esse voluit, dicens: « quandiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis »* (*Mt.* 25, 40). *Ipse enim, assumendo naturam humanam, totum genus humanum supernaturali quadam « solidarietate » in familiam sibi colligavit, et*

Textus prior

Ut opera caritatis germanam vim apostolicam accipiant, laici dignitatem personae, libertatem conscientiae, imaginem Dei et Christum in proximo praesentem verbis ac factis agnoscant; liberaliter semper agant, ne opera quibus adiuvant quasi adminicula dominandi appa-

Textus emendatus

ut signum suorum discipulorum constituit caritatem his verbis: « In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem » (*Io.* 13, 35) (B).

At Sancta Ecclesia, sicut in suis primordiis Cenae Eucharisticae iungens « agapen » totam se caritatis vinculo circa Christum unitam manifestabat, sic omni tempore hoc dilectionis signo dignoscitur, et caritatis opera ut suum officium et ius, quod abalienari nequit, vindicat. Quapropter misericordia erga egenos et infirmos atque sic dicta opera caritativa et mutui auxilii ad sublevandas omnimodas necessitates humanas praecipuo in honore habentur ab Ecclesia (C).[3]

Quae actiones et opera praesenti tempore, communicationis instrumentis expeditioribus factis, distantia inter homines quodammodo evicta et mundi universi incolis quasi unius familiae membris redditis, multo urgentiora et universaliora facta sunt. Actio caritativa hodie omnes omnino homines et universas necessitates complecti potest et debet. Ubicumque versantur qui cibo potuque, vestitu, domo, medicinis, opere, instructione, facultatibus ad vitam vere humanam ducendam necessariis carent, aerumnis vel infirma valetudine cruciantur, exilium vel carcerem patiuntur, ibi eos christiana caritas debet quaerere et invenire, impensa cura solari et praestitis auxiliis sublevare. Quare obligatio praeprimis imponitur singulis hominibus et populis in rebus prosperis constitutis (D).[4]

Ut huiusmodi caritatis exercitium omni exceptione maius sit et ut tale appareat (E), *omnino necesse est ut: in proximo consideretur* imago Dei *ad quam creatus est,* et Christus *Dominus cui re vera offertur quidquid indigenti donatur;* libertas et dignitas personae

Textus prior

reant; quidquid iustitiae est, urgeant, indesinenter integritatem eiusdem promoventes; ubicumque fieri potest homines adiuvent, ita ut hi paulatim condiciones suas meliores reddere valeant; omnes homines amplectantur, cum ad omnes misericordia Christi se extendat magisque in dies orbis incolae reapse membra fiunt unius familiae.

Proinde laici magni quoque faciant ea opera caritativa, quibus efficax auxilium hominibus in necessitate constitutis praestetur; item actus et incepta quae dicuntur assistentiae socialis pro viribus foveant atque evangelico afflatu perfundere satagant.

Textus emendatus

auxilium accipientis maxima humanitate respiciatur; puritas intentionis non maculetur ullo propriae utilitatis quaestu vel dominandi *studio* (F); [5] *exigentiis iustitiae praeprimis satisfiat, ne tamquam caritatis dona offerantur quae iustitiae titulo iam debentur; causae malorum, non solum effectus, tollantur; ita ordinetur auxilium ut accipientes paulatim a « dependentia » externa liberentur sibique sufficientes evadant.*

Laici *ergo* magni faciant *et pro viribus adiuvent* opera carita*tis et incepta « assistentiae socialis »* (G), *sive privata sive publica, etiam internationalia,* quibus efficax auxilium *singulis* hominibus *et populis* in necessitate versantibus *fertur, cooperantes in hoc cum omnibus bonae voluntatis hominibus.*[6]

NOTAE

Cap. II - *De finibus assequendis*

Ad n. 6.

[1] Cf. Pius XI, Litt. Encycl. *Ubi arcano,* 23 dec. 1922: *A.A.S.,* 14 (1922), p. 695; Pius XII, Litt. Encycl. *Summi Pontificatus,* 20 oct. 1939: *A.A.S.,* 31 (1939), pp. 442-443.

Ad n. 7.

[2] Cf. Leo XIII, Litt. Encycl. *Rerum Novarum*: *A.S.S.,* 23 (1890-91), p. 647; Pius XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo Anno*: *AA.S.,* 23 (1931), p. 190; Pius XII, *Nuntius Radiophonicus,* 1 iunii 1941: *A.A.S.,* 33 (1941), p. 207.

Ad n. 8.

[3] Cf. Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 402.

[4] Cf. *Ibid.,* pp. 440-441.

[5] Cf. *Ibid.,* pp. 442-443.

[6] Cf. Pius XII, *Alloc. ad « Pax Romana M.I.I.C. »,* 25 apr. 1957: *A.A.S.,* 49 (1957), pp. 298-299; et praesertim Ioannes XXIII, *Ad Conventum Consilii "Food and Agriculture Organisation"* (F.A.O.), 10 nov. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), pp. 856, 866.

RELATIO DE SINGULIS NUMERIS [27]

Ad titulum

(A) E/3326 petiit ut de ambitibus seu campis apostolatus simul tractaretur cum finibus assequendis. Commissioni hoc opportunum non videbatur; omnibus tamen mature perpensis duo capita invertit. Caput II ergo nunc agit « De finibus assequendis », dum in capite III tractatur « De campis apostolatus ».

Plures Patres E/3516, 3536, 3583, 3589 et alii, petierunt ut magis praecisa, clara et completa detur descriptio de finibus assequendis. Quod Commissio libenter acceptavit.

Cum caput hoc sit velut cardo totius schematis, vel sicut aliqui Patres E/3314, 3325, 3400, 3402 aestimant, velut pars principalis schematis, et quia res non satis clare exponuntur, petunt « integrum caput recognoscendum ac iterum redigendum ». Commissio voluit redactionem omnino novam parare, quae non solum supradictis exigentiis responderet, sed etiam clarius demonstraret quod inter fines apostolatus laicorum datur tantummodo *bipartitio* et non tripartitio: actio caritativa enim est velut sigillum cuiuslibet speciei apostolatus.

E/3343 vellet addere alium numerum, qui plus minusve hoc dicat: « De cooperatione in Ecclesiam condendo territoriis missionum ». Quod tamen non videbatur opportunum, quia non pertinet ad tractationem generalem; ceteroquin de his rebus (etiam de cooperatione laicorum) agitur in schemate « De activitate missionali Ecclesiae ».

Ad num. 5

(A) Redactio quae nimis scholastica videbatur, substituitur cum redactione magis pastorali, quae ab opere redemptionis Christi transit ad missionem Ecclesiae et inde ad apostolatum laicorum. Ita satisfieri putamus petitioni E/3516, 3582, et praesertim 3536, qui priorem formulationem duorum finium improbavit.

Commissio non recepit animadversionem E/3454 quae innuit apostolatum laicorum « in re religiosa nihil aliud esse nisi collaboratio vel continuatio apostolatus specifice hierarchici »; potest enim esse laicorum proprius apostolatus etiam in hoc fine assequendo. Redactio numeri nunc clarius apparet, quibus etiam satisfit animadversionibus ab E/3436 propositis.

(B) E/3536 nollet verba « sanctificationem » et « ad finem », quia sunt aequivoca. Commissio in nova redactione ea vitavit.

[27] E/3312 petit ut loco « quae ad finem animationis christianae ordinis
[28] rerum temporalium immediate attinent », dicatur « quae finem ordinis temporalis instaurandi et in Christo restaurandi immediate attinent ». Commissio loquitur nunc de « ordinis temporalis instauratione » et de « spiritu evangelico rerum temporalium ordinem perfundere et perficere ».

(C) E/3536 proponit quod verbum « civis », quatenus verbum quod indicat membrum populi in sensu politico, vitetur, et dicatur « homo » simpliciter. Commissio hanc emendationem non acceptavit, quia hic agitur proprie de homine quatenus pertinet ad familiam, ad professionem, ad civitatem, ad vitam socialem in mundo.

Eidem Patri (E/3536) non placent verba « societatem sive ecclesiasticam sive civilem » et proponit « societatem sive humanam sive divinam ». Commissio putavit melius esse illa verba omittere. Ita satisfit etiam obiectioni E/3582.

E/3583 petit ut introducantur distinctiones inter apostolatum laicorum sensu lato et sensu stricto; directum et indirectum. Commissio reputavit illas distinctiones esse valde disputatas et non eodem sensu ab omnibus accipi, et ideo eas vitare voluit. Sed ideae, quae his distinctionibus indicantur, substantialiter, concrete et clare exponuntur.

Ad num. 6

(A) Ut aliqua uniformitas habeatur in titulis numerorum huius capitis, Commissio mutavit hunc titulum: « De apostolatu ad homines evangelizandos et sanctificandos ». Insuper, sicut aliqui Patres E/3283, 3326, 3378 petierunt hic numerus ex novo redactus est, ut pars laicorum in apostolatu ad homines evangelizandos et sanctificandos magis extollatur.

(B) E/3311 insistit quod apostolatus Hierarchiae et laicorum sunt complementariae. Commissio ita redegit textum, et sic etiam satisfit observationibus E/3280, 3317, 3478.

(C) E/3310, 3368, 3379 volunt ut dicatur aliquid de apostolatu verbi in hoc numero; E/3329 insuper petit ut apostolatus verbi laicorum extendatur etiam ad non christianos. Commissio libenter acceptavit has animadversiones.

Ad num. 7

(A) E/3282, 3312, 3340, 3391, 3432, 3429, 3437, 3454 et alii petierunt ut hic numerus funditus et ex novo redigatur. Cui desiderio Commissio his satisfecit.

(B) Quia aliquis (E/3582) petiit ut dicatur quid concrete comprehen-

dit ordo temporalis, enumerantur « bona vitae, familiae, ingenii cultus, res oeconomicae, artes et " professiones ", communitatis politicae instituta, relationes internationales et alia huiusmodi eorumque evolutio et progressus ». Commissio tamen vitavit verba « consecrati mundi », quatenus aequivoca in seipsis et non eodem sensu ab omnibus accepta. [28]

Idem Pater (E/3582) advertit quod sermo erat de « christifidelibus » et de « laicis ». In nova redactione dicitur semper tantum « laici ». [29]

(C) E/3583 proponit declarationem circa fundamentum vocationis laicorum quoad mundum. Commissio putat hoc sufficienter indicari nunc verbis: « Tandem placuit Deo omnia, tam naturalia quam supernaturalia, in Christo Iesu in unum colligere " ut sit in omnibus ipse primatum tenens " ».

(D) E/3391 et E/3537 proponunt ut deleantur omnia quae eschatologiam sapiunt vel ut voluntatem Ecclesiae civitatem terrenam dominandi intelligi possunt. Quod in nova redactione factum est.

(E) E/3589 deplorat omissionem apostolatus laicalis in re sociali. Actio socialis, quae maiorem amplitudinem sumit quando « socializatio » crescit, potest et debet expresse inseri in campo apostolatus laicorum. Ita etiam aliquomodo E/3396. Commissio libenter acceptavit animadversionem, et, eodem sensu, nunc dicitur: « Inter opera huiusmodi apostolatus eminet actio socialis christianorum, quam hodie ad totam provinciam temporalem, praesertim ad ingenii cultum, extendere cupimus ». Commissio tamen non censuit numerum specialem hac de re redigere debere, uti E/3432 petiit.

Ad num. 8

(A) Hic sicut iam in titulo additur « tamquam sigillo apostolatus christiani », ut significetur bipartitio finium assequendorum: actio caritativa enim est velut sigillum utriusque speciei apostolatus. Commissio propter hanc rationem non accepit observationem E/3305.

(B) E/3340 petit ut expositio sit magis biblica. Commissio libenter annuit huic desiderio.

(C) Idem E/3340 vellet ut momentum actionis caritativae illustretur exemplis primordiis christianorum. Cui annuit Commissio.

(D) E/3312 optat ut commendetur actio caritativa pro nationibus sic dictis evolvendis. Quod hic innuitur, et in fine numeri clarius explicatur.

(E) E/3582 dicit actionem caritativam, ut vim apostolicam accipiat, debere « ad regnum Dei promovendum ordinari ». Commissio putavit istam superadditam ordinationem non esse urgendam: actio caritativa ex seipsa habet valorem apostolicum, non solum ut instrumentum vel occasio evangelizationis.

(F) E/3588 auferenda putat verba « ne opera quibus adiuvant quasi adminicula dominandi appareant », quia male sonant. Putat tamen ideam alio modo exprimendam esse. Quod factum est in nova redactione: « puritas intentionis non maculetur ullo propriae utilitatis quaestu vel dominandi studio ».

(G) E/3340 petiit ut incepta « assistentiae socialis » etiam commendentur. Quod ita factum est a Commissione.

Textus prior

II. DE COMMUNITATIBUS ET VITAE AMBITIBUS

4. [*De campis apostolatus*]. Inter adiuncta concreta, in quibus laicorum apostolatus exercetur, quasdam convenit considerare communitates vel ambitus vitae, quae campi apostolatus haberi possunt eiusque modos definire valent.

6. [*De Ecclesiae communitatibus*]. Per apostolatum laicorum paroecia vere se manifestat ut communitatem fidei, spei et caritatis. Laici se alant vita liturgica in paroecia eamque actuose participent; sollicite partes agant etiam in operibus apostolicis.

Tum in paroeciis tum in dioecesibus, laici operentur intime cum suis pastoribus coniuncti, et mundi gaudia et inquietudinem suasque quaestiones et problemata communitati Ecclesiae afferant. Adlaborent viribus unitis ut paroecia spiritu missionali informetur, et, obsequentes Episcopo, cuius est totius dioeceseos, quae est Ecclesia localis, apostolatum moderari, iuxta illud S. Ignatii Antiocheni, « nihil sine episcopo » agant.

Textus emendatus

Cap. III. DE VARIIS APOSTOLATUS CAMPIS (A)

9. [*Introductio*]. *Laici christifideles suum exercent multiplicem apostolatum tam in Ecclesia quam in mundo. In utroque hoc ordine varii patent* campi *apostolicae actuositatis, quorum principaliores hic commemorare volumus; hi sunt: communitates Ecclesiae, familia, iuventus, ordines socialis, nationalis et internationalis* (A).

10. [*De communitatibus Ecclesiae*] (A). *Utpote participes muneris Christi sacerdotis, prophetae et regis, laici suas partes activas habent in Ecclesiae vita et actione. Intra communitates Ecclesiae eorum actio tam necessaria est ut sine ea ipse hierarchicus apostolatus plenum suum effectum assequi plerumque nequeat. Verae enim apostolicae mentis laici, ad modum illorum virorum et mulierum qui Paulum in Evangelio adiuvabant* (cf. *Act.* 18, 18. 26; *Rom.* 16, 3), *supplent quod suis fratribus deest, et reficiunt spiritum tam pastorum quam reliqui populi fidelis* (cf. *1 Cor.* 16, 17-18). *Ipsi enim* actuosa participat*ione* vita*e* liturgica*e suae communitatis nutriti,* sollicite partes ag*u*nt in *eiusdem* operibus apostolicis; *homines longe fortasse a pastoribus versantes, ad eosdem adducunt; in verbo Dei tradendo*

Textus prior

Quoniam autem laici ob rationes vitae professionalis nequeunt apostolatum intra fines unius paroeciae plene exercere, necessarie requiruntur relationes interparoeciales ut respondeant necessitatibus pastoralibus hodiernarum urbium et regionum ruralium.

Tum laici tum clerus vocationem suam his temporibus adimpleant oculos et corda ad totum populum Dei in toto orbe terrarum dispersum convertentes. Itaque omnes, quantum possunt, etiam ultra fines paroeciae vel dioeceseos vel nationis, de necessitatibus universalis Ecclesiae usque mundi curam habeant. Faveant laici inceptis quae unitati generis humani in iustitia et caritate conducunt, et quae ad unionem christianorum, omniumque in Deum credentium necnon omnium hominum bonae voluntatis conferunt.

[Cf. p. 35].

5. [*In familia*]. Societas familiaris apostolica actio, quae ab exordio Ecclesiae initium sumit, peculiare hodie momentum obtinet cum familiae christianae, inter difficultates nostrae

Textus emendatus

(B), *praesertim catechetica institutione, impense cooperantur; oblata sua peritia curam animarum et etiam administrationem bonorum Ecclesiae efficaciorem reddunt* (C).

Paroecia exemplum fundamentale apostolatus « communitarii » praebet, omnes quotquot ibi invenit diversitates humanas in unum congregans et Ecclesiae universalitati inserens [1] (D). *Assuescant laici intime cum pastoribus suis uniti in paroecia operari;* [2] *problemata propria et mundi quaestionesque hominum salutem spectantes, collatis consiliis examinanda et solvenda, ad communitatem Ecclesiae afferre; omnique incepto apostolico et missionario suae familiae ecclesiasticae adiutricem operam pro viribus navare* (E).

Colant iugiter sensum dioecesis, cuius paroecia velut cellula est, prompti semper, ad invitationem pastoris sui, suas quoque vires inceptis dioecesanis adicere. Immo, ut respondeant necessitatibus urbium et regionum ruralium,[3] *suam cooperationem non intra fines paroeciae vel dioecesis circumscriptam retineant, sed ad campos interparoecialem, interdioecesanum, nationalem vel internationalem extendere satagant, eo vel magis quia crebrescens in dies migratio populorum, mutuae necessitudinum augmentatio et communicationum facilitas, iam non sinunt ullam partem societatis in se clausam manere. Ita de necessitatibus populi Dei in toto orbe terrarum dispersi solliciti sint. Imprimis sua reddant opera missionaria, auxilia materialia vel etiam personalia praestando* (F).

11. [*De familia*]. *Cum Conditor omnium constituerit coniugale consortium exordium et fundamentum societatis humanae, idque gratia sua reddiderit « sacramentum magnum ... in*

Textus prior

aetatis, tota vita sua Evangelio cohaerentes ac matrimonii Novae Legis excellentiam ostendentes, maximi momenti testimonium coram mundo Christo afferunt. Re vera Regni Christi propagatio postulat ut ipsae familiae non solum apostolicae actionis Ecclesiae bona recipiant, sed etiam, ratione sua propria, eiusdem apostolatus adiutrices et redemptionis instrumenta fiant.

Vi ipsius Matrimonii sacramenti uterque coniux munus et officium habet ut quoad alterum gratiae sit cooperator, necnon caritatis Christi et Ecclesiae testis; et parentes officium habent christiane educandi filios, eos adiuvandi in vocatione Dei circa ipsos dignoscenda ac genere vitae libere eligendo, et in eis spiritum apostolatus fovendi.

Peculiari modo apta est societas coniugalis et familiaris ad quaedam apostolica exercenda opera e quorum genere sunt, ut imprimis sponsos ad matrimonium praeparent, coniugibus et

Textus emendatus

Christo et in Ecclesia » (*Eph.* 5, 32), *apostolatus coniugum et familiarum singulare habet momentum tam pro Ecclesia quam pro societate civili.*

Coniuges christiani sibi invicem, filiis suis ceterisque familiaribus, gratiae cooperatores sunt et fidei testes. Filiis suis ipsi sunt primi fidei praecones et educatores, verbo et exemplo (A) *eos ad vitam christianam et apostolicam formantes;* in *eorum* vocatione *seligenda prudenter eos adiuvantes et vocationem sacram, in eis forte detectam, omni cura foventes.*

Coniugum semper officium fuit, hodie vero maxima apostolatus eorum pars est: indissolubilitatem et sanctitatem vinculi matrimonialis vita sua manifestare et probare; ius et officium prolem christiane educandi, genitoribus et tutoribus inditum, strenue affirmare (B), *dignitatem et legitimam autonomiam familiae defendere. Cooperentur igitur ipsi ceterique christifideles ut in legislatione reipublicae haec iura sarta serventur; in moderanda societate ratio habeatur necessitatum familiarum quod ad habitationem, condicionem laborum, securitatem socialem et tributa pertinet; in migrationibus ordinandis convictus domesticus omnino in tuto ponatur.*[4]

Familia ipsa, utpote vitalis et fundamentalis cellula societatis, suam divinitus acceptam missionem adimplebit si: per mutuam pietatem membrorum et communem orationem, tamquam sanctuarium et extensio Ecclesiae exsistat; cultu religioso publico et cultu humano societatem aedificet in utroque ordine; caritate sua et hospitalitate suam beneficam vim quoquoversus diffundat (D). *Inter varia* opera apostol*atus* familiaris, *sequentia enumerare licet: infantes derelictos in filios adoptare, advenas benigne excipere, scholis moderandis adiu-*

Textus prior

familiis in angustiis moralibus vel materialibus versantibus, vel iis qui familia eiusque bonis carent, auxilium ferant.

Ad sustentationem spiritualem ac materialem, ad defensionem quoque iurium familiae, et ad auxilium in ipsa activitate apostolica mutuo praestandum, opportunum esse potest ut familiae in quosdam coetus congregentur.

Textus emendatus

tricem operam navare, adolescentes consilio et opibus adiuvare, sponsos ad matrimonium praeparare, coniuges et familias in *discrimine* materiali vel morali versante*s sustentare, senibus non solum necessaria providere, sed progressus etiam oeconomici aequos fructus procurare* (E).

In regionibus in quibus prima Evangelii sparguntur semina, vel Ecclesia in suis primordiis exsistit, vel in aliquo gravi discrimine versatur, familiae christianae, tota vita sua Evangelio cohaerentes ac matrimonii christiani exemplum praebentes, pretiosissimum Christi testimonium mundo perhibent (F).[5]

Ut fines sui apostolatus facilius attingere valeant (G), opportunum *est* ut familiae in *aliquos* coetus congregentur.[6]

12. (num. novus) [*De iuvenibus*] (A).[7] Iuvenes insolitam omnino et maximi momenti vim exercent in hodierna societate. Eorum vitae adiuncta, habitus mentis necnon ipsae necessitudines cum propria familia sunt admodum mutata. Saepe ad novam condicionem socialem et oeconomicam nimis celeriter transeunt parum praeparati ad onera inde consequentia digne suscipienda, dum eorum momentum in societate et in republica continenter crescit.

Hoc eorum adauctum in societate pondus consimilem ab eis exigit actuositatem apostolicam, sed et ipsa eorum naturalis indoles ad eamdem eos disponit. Maturescente conscientia propriae personalitatis, ardore vitae atque profluente navitate impulsi, propriam « responsabilitatem » assumunt (B), vitamque socialem et « culturalem » transformare cupiunt: qui zelus si spiritu Christi imbuitur, uberrimos exinde fructus sperari licet. Ipsi debent fieri primi et immediati apostoli iuvenum, apostolatum inter seipsos per seipsos exercentes, ratione habita « ambitus » socialis ubi vivunt.[8]

Ne tamen iuvenes in exercitio apostolatus a senioribus segregatos et quasi derelictos se sentiant, curent adulti cum eis amicale colloquium instituere quod permittat utrique parti, aetatis distantia superata mutuo sese cognoscere atque divitias cuique proprias invicem communicare (C). Exemplo primum et, data occasione, prudenti consilio validoque auxilio adulti iuventutem ad apostolatum stimulent.

Textus prior

7. [*In proprio ambitu*]. Attamen laicorum missio ad omnes alios ambitus vitae extenditur in quibus divina Providentia eos collocavit. In locum laicorum, qui in his ambitibus proprium apostolatum exercent, nullus alius substitui potest.

Apostolatus similis erga similem, eodem tempore, homines ad Evangelium et ad veram vitam civilem perducit, et laici vitae testimonium per verbi testimonium complent quod Christi testes sunt.

Missionis suae apostolicae in his diversis ambitibus conscii, laici curam habeant homines et res aspicere, iudicare et agere lumine fidei. Laici spirituale fermentum sunt eorum inter quos vivunt prout per sua facta et dicta amorem divini Salvatoris demonstrant (cf. *1 Petr.* 3, 15) et in civitate hominum iustitiam et caritatem exercent. Investigationem quoque scientificam ipsorum ambituum promoventes, studeant quomodo caritatem erga personas praebeant, immo etiam structuras sociales secundum Evangelii doctrinam transforment.

Textus emendatus

13. [*De ambitu sociali*] (A). *Apostolatus iste, scilicet studium spiritu christiano informandi mentem et mores, leges et instituta communitatis in qua aliquis vivit, adeo laicorum proprium munus onusque est ut ab aliis haud unquam debite expleri valeat. Hoc in campo laici possunt* apostolatum similis erga similem *perfecte exercere. Ibi* vitae testimonium per verbi testimonium complent.[9] *Ibi in campo vel laboris, vel " professionis ", vel studii, vel incolatus, vel otii, vel consortionis fratribus adiuvandis aptiores exsistunt* (B).

Hanc Ecclesiae missionem in mundo laici adimplent ante omnia illa cohaerentia vitae cum fide qua lux mundi efficiuntur, et probitate sua in quovis negotio, quae omnes ad amorem veri et boni, et tandem ad Christum et Ecclesiam allicit; caritate fraterna qua participes facti condicionum vitae, laborum et dolorum fratrum, omnium corda sensim sine sensu ad gratiae salutaris operationem disponunt; plena illa conscientia suae partis in aedificanda societate, qua navitatem suam domesticam, socialem, « professionalem » ita christiana magnanimitate adimplere satagunt, ut ipsorum modus agendi paulatim penetret « ambitum » vitae et laboris (C).

Apostolatus hic omnes amplecti debet quotquot ibi inveniuntur, sive domestici fidei sint sive non, neque ullum excludere bonum spirituale vel temporale quod eis faciendi copia est. Sed verus zelus apostolicus hac actione sola non contentus, propitias quaerit occasiones etiam verbis Christum suis proximis annuntiandi. Multi enim homines nonnisi per vicinos laicos possunt Evangelium audire et Christum agnoscere (D).

14. [*De ambitu nationali et internatio-*

Textus prior

8. [*In coetibus omnibus patentibus*]. Christianorum est promovere quaecumque sunt vera, quaecumque iusta, quaecumque sancta (cf. *Phil.* 4, 9). Dum igitur in ambitu vel laboris, vel professionis, vel studii, vel incolatus, vel otii, coetus omnibus patentes participant, sese strenuos sollicitosque inter socios ostendentes, laici studeant vita sua et operositate commendare fidem quam profitentur.

Unde valde optandum est ut fideles laici se consocient ad hunc apostolatum in huiusmodi coetibus et ambitibus exercendum ut mutua formatione et consilio fruantur.

(ex n. olim 6). Qui in alienis nationibus laborant vel eis auxilium praestant, memorent relationes mutuas inter homines verum commercium fraternum debere esse in quo dat

Textus emendatus

nali] (A). *Immensus patet apostolatus campus in ordine nationali et internationali, ubi laici potissimum sunt sapientiae christianae administri. In pietate erga nationem et in fideli impletione officiorum civilium catholici cum omnibus bonae voluntatis civibus coniuncti sint. Obligatos se sentiant ad verum bonum commune promovendum, et sic pondus suae opinionis valere faciant ut potestas civilis iuste exerceatur ac leges praeceptis moralibus utilitatique communi respondeant* (B). *Catholici rerum publicarum periti et, ut par est, in fide et doctrina christiana firmati, ne recusent societatis negotia publica gerere, cum per ea digne gesta non solum bono communi consulere sed et Evangelio viam sternere possint.*

Studeant catholici cooperari cum omnibus bonae voluntatis hominibus ad promovenda quaecumque sunt vera, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia (cf. *Phil.* 4, 8). *Colloquium habeant cum eis, prudentia et humanitate eos praevenientes, investigationemque instituant circa instituta socialia et publica secundum Evangelii principia perficienda* (C).

Inter signa nostri temporis speciali notatu dignus est crebrescens ille et ineluctabilis sensus « solidarietatis » omnium populorum: quem sollicite promovere et in sincerum et verum fraternitatis affectum convertere apostolatus laicorum munus est. Insuper laici conscii esse debent novi campi internationalis et quaestionum ac solutionum sive doctrinalium sive practicarum quae in illo oriuntur, praesertim quoad gentes ad progressum nitentes (D).[10]

Meminerint omnes, qui in alienis nationibus laborant vel eis auxilium praestant, relationes inter populos verum commercium fraternum esse debere, in quo utraque pars dat

Textus prior	*Textus emendatus*
unusquisque et simul accipit.	simul et accipit. *Qui vero operum internationalium causa vel negotii vel otii, iter faciunt, recordentur se esse ubique nuntios itinerantes Christi, et ut tales in veritate sese gerant.*

NOTAE

Cap. III - *De variis apostolatus campis*

Ad n. 10.

[1] Cf. Pius X, Litt. Apost. *Creationis duarum novarum paroeciarum,* 1 iun. 1905: *A.S.S.,* 38 (1905), pp. 65-67; Pius XII, *Alloc. ad fideles Paroeciae S. Saba,* 11 ian. 1953: *Discorsi e Radiomessaggi di S. S. Pio XII,* 14 (1951-1953), pp. 449-454; Ioannes XXIII, *Alloc. Clero et christifidelibus e dioecesi suburbicaria Albanensi, ad Arcem Gandulfi habita,* 26 aug. 1962: *A.A.S.,* 54 (1962), pp. 656-660.

[2] Cf. Leo XIII, *Alloc.,* 28 ian. 1894: *Acta* 14 (1894), pp. 424-25.

[3] Cf. Pius XII, *Alloc. ad Parochos,* etc., 6 febr. 1951: *Discorsi e Radiomessaggi di S. S. Pio XII,* 12 (1950-1951), pp. 437-443; 8 mart. 1952: *ibid.,* 14 (1952-1953), pp. 5-10; 27 mart. 1953: *ibid.,* 15 (1953-1954), pp. 27-35; 28 febr. 1954: *ibid.,* pp. 585-90

Ad n. 11.

[4] Pius XI, Litt. Encycl. *Casti Connubii*: *A.A.S.,* 22 (1930), p. 554; Pius XII, *Nuntius Radiophonicus,* 1 iun. 1941: *A.A.S.,* 33 (1941), p. 203; Idem, *Delegatis ad Conventum Unionis Internationalis sodalitatum ad iura familiae tuenda,* 20 sept. 1949: *A.A.S.,* 41 (1949), p. 552; Idem, *Ad patresfamilias e Gallia Romam peregrinantes,* 18 sept. 1951: *A.A.S.,* 43 (1951), p. 731; Idem, *Nuntius Radiophonicus in Natali Domini 1952*: *A.A.S.,* 45 (1953), p. 41; Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), pp. 429, 439.

[5] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Evangelii Praecones,* 2 iun. 1951: *A.A.S.,* 43 (1951), p. 514.

[6] Cf. Pius XII, *Delegatis ad Conventum Unionis Internationalis sodalitatum ad iura familiae tuenda,* 20 sept. 1949: *A.A.S.,* 41 (1949), p. 552.

Ad n. 12.

[7] Cf. Pius X, *Alloc.,* 25 sept. 1904: *A.S.S.,* 37 (1904-1905), pp. 296-300.

[8] Cf. Pius XII, *Ad Conventum J.O.C. Montréal,* 24 maii 1947: *A.A.S.,* 39 (1947), p. 257; *Nuntius Radiophonicus ad J.O.C. Bruxelles,* 3 sept. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), pp. 640-641.

Ad n. 13.

[9] Cf. Pius XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo Anno,* 15 maii 1931: *A.A.S.,* 23 (1931), pp. 225-226.

Ad n. 14.

[10] Cf. Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), pp. 448-450.

RELATIO DE SINGULIS NUMERIS [37]

Ad titulum

(A) Titulus capitis ita mutatus est, ut melius respondeat argumento, prout nunc, iuxta desideria Patrum, tractatur. Plures Patres (E/3280, 3281, 3282, 3283, 3288, 3310, 3390, 3478, 3583) laudaverunt caput, praesertim quoad ambitum socialem, quidam tamen maiorem explanationem desiderant.

Ad num. 9

(A) E/3582 et E/3583 desiderant ut de duobus aliis campis etiam tractetur, scilicet de missionibus et de instrumentis communicationis socialis. Commissioni tamen videtur tractare debere tantum de quibusdam campis principalibus, concrete quidem et non speculative. Ceteroquin de illis campis habentur schemata propria.

Ad num. 10

(A) E/3284 vellet ut in numeris distinctis tractetur de paroecia et de dioecesi. Commissioni hoc opportunum non videbatur.

(B) E/3432 dicit laicos, dum in opere catechetica laborant, de missione prophetica Christi participare. Quod quidem alio in loco exponitur.

(C) Prout E/3300, 3312, 3327, 3377 optaverunt, omisimus illud S. Ignatii « nihil sine episcopo ».

(D) E/3314, 3378, 3390, 3392 postulaverunt ut aspectus communitarius apostolatus in hoc campo exprimatur. Huic desiderio annuit Commissio.

(E) Multi Patres, e. g. E/3277, 3329, 3335 desiderant ut laici viribus unitis paroeciam vere missionariam reddant. Textus ita redactus est.

(F) Ita satisfit animadversioni E/3329, quae haec petivit.

Ad num. 11

(A) E/3281 notat familias christianas in ambitum magis influere per id quod sunt, quam per id quod faciunt. Propterea additur « exemplo ».

(B) E/3188 et E/3389 proponunt ut procreatio et educatio christiana tamquam primum et principale munus apostolatus familiae christianae considerentur. Commissio censet satisfecisse in textu emendato huic observationi.

(C) Aliqui Patres (E/3312, 3327, 3336) reprobant defectum realismi

[37] schematis in re familiari, quia unice sensum supernaturalem extollere videbatur. Addita sunt ergo quaedam considerationes complementariae.

[38] (D) Iisdem Patribus (E/3312, 3327, 3336) visum est de educatione non solum christiana, sed etiam humana agendum esse. Commissio annuit huic suggestioni.

(E) E/3478 et E/3588 aliquas additiones petunt. Commissio tamen aliter emendavit textum.

(F) Commissio hic addenda esse iudicavit verba ex schemate anno 1962 typis impresso.

(G) E/3478 petit ut loco « ad defensionem quoque iurium familiae », dicatur « ad vitam familiae promovendam ». Commissio positive, sed modo magis generali emendavit textum.

Ad num. 12

(A) Nonnulli Patres (e. g. E/3303, 3304, 3307, 3366) petierunt ut de iuvenibus expresse tractet schema, uno tantummodo dissentiente (E/3378). E/3366 insuper petiit ut in praeparatione iuvenum ad apostolatum magis insistatur; E/3307 vero dixit futurum iam praesentem esse in iuvenibus et in illis quasi in microcosmo signa temporum perspici posse. Commissio censuit his votis satisfacere in hoc numero, non tamen ad particularia descendit textus.

(B) E/3366 etiam postulat ut iuvenibus responsabilitas propria adaperiatur. Commissio recepit hanc observationem.

(C) E/3303 petiit ut colloquium seu dialogus inter generationes, seniores nempe inter et iuvenes institueretur. Commissio etiam huic suggestioni annuit.

Ad num. 13

(A) In hoc numero, inter alia, respondetur Patribus (E/3371 et 3390), qui distinctionem petierunt inter ambitum vitae et ambitum socialem.

(B) Problemata exsurgentia in campo laboris inter graviora numeranda sunt, uti proposuerunt E/3434 et E/3459. De campo otii, relaxationis (turismi et sport) duo Patres (E/3334 et E/3396) locuti sunt. Hac de re amplior sermo fit in schemate « De Ecclesia in mundo huius temporis ».

(C) E/3304 et E/3307 postulaverunt ut aspectus communitarius apostolatus et conscientiae unitas in variis activitatibus urgeretur. Commissio ita redegit textum; et sic videtur responderi Patribus (E/3280,

3282, 3390) qui putant vitam intimam societatis longe maioris efficaciae esse quam structurae civiles.

(D) Desideriis E/3388 respondens, Commissio resumit textum ex schemate anno 1963 typis impresso.

Ad num. 14

(A) Quidam Patres petierunt ut de ambitu nationali (E/3334, 3478, 3520) et de campo internationali (E/3478, 3520) aliqua dicantur. Commissio his optatis obsecundans, numerum aliqualiter novum redegit.

(B) E/3281 et E/3341 postulaverunt ut aliquid dicatur de opinione publica ad cooperationem praeparandam. Commissio recepit suggestionem.

(C) E/3395, 3304, 3428, 3583 vellent ut schema explicite loquatur de dialogo; E/3395 insuper ut investigationes instituantur circa structuras sociales. Quibus annuens, Commissio ita redegit textum.

(D) E/3398 optat ut schema aliqua dicat de necessitate associationum in campo internationali. Huic desiderio Commissio satisfacere intendit hic, necnon in nn. 19, 21.

Textus prior

IV. De formis associativis

2. [*De apostolatu ab omnibus et singulis exercendo*]. Omnium et singulorum laicorum cuiusvis aetatis, sexus et condicionis, honor est et officium ut cum Christo adlaborent sua quisque mensura et modo ad salutem omnium hominum; quae cooperatio eo fructuosior erit quo intimior eorum unio cum Christo et promptius responsum gratiae Spiritus Sancti.

Imprimis spiritus apostolicus manifestatur, et etiam alitur, oratione, praesertim participatione Sacrae Liturgiae, pro Ecclesiae aedificatione ac mundi salute et humili tolerantia laborum aerumnarumque vitae, necnon morti-

Textus emendatus

Cap. IV. De variis apostolatus modis (A)

15. (num. novus) [*Introductio*]. Laici suam actionem apostolicam exercere possunt vel ut singuli, vel in variis communitatibus aut associationibus coadunati.

16. [*De momento et multiplicitate apostolatus singulorum*] (A). *Apostolatus a singulis peragendus, ex fonte vitae vere christianae abundanter profluens* (cf. *Io.* 4, 14), *primordium est et condicio omnis apostolatus laicorum, etiam consociati, nec quidquam pro eo substitui potest.*

Ad huiusmodi apostolatum, semper et ubique proficuum, sed in quibusdam adiunctis unice aptum et possibilem, omnes laici, cuiusvis condicionis, *vocantur eoque obligantur, etsi deest eis occasio vel aptitudo in associationibus cooperandi.*

Textus prior

ficationibus quibus christifideles sese Christo patienti conformantes pro fratribus satisfaciunt et intercedunt.

Sed spiritus apostolicus, totam activitatem humanam pervadens, elucescere etiam debet coram hominibus testimonio vitae omnino sibi cohaerentis in fide, spe et caritate, probitate morali in omnibus negotiis et pauperum sollicitudine, quod est signum, etiam nostris temporibus accommodatissimum, Christum in fidelibus suis viventem manifestans.

Ex hac praesentia et apostolica operositate laici creare possunt et debent in variis societatis campis condiciones quae vitam vere humanam et christianam possibilem et facilem reddant.

Verus denique zelus apostolicus, hac actione sola non contentus, opportunas quaerit occasiones etiam verbis Christum annuntiandi; eo magis quia multi homines longe a Christo et Ecclesia versantes, non possunt nisi per vicinos laicos Evangelium audire et Christum agnoscere. Laicorum etiam est enucleare et diffundere doctrinam Ecclesiae, scientia et experientia propria oblatis.

Uno verbo, apostolatus laicorum ad essentiam pertinet testimonii Ecclesiae.

Textus emendatus

Multae sunt apostolatus formae, quibus laici Ecclesiam aedificant atque mundum sanctificant et in Christo animant.

Peculiaris forma individualis apostolatus laicorum (B) *et* signum nostris quoque temporibus accommodatissimum, Christum in fidelibus suis viventem manifestans, *est* testimonium *totius* vitae « *laicalis* » *e* fide, spe et caritate *emanantis*. Apostolatu verbi *autem, in quibusdam adiunctis omnino necessario,* Christum annuntiant (C), *eiusdem* doctrinam *profitentur,* diffundunt, enucleant *ac defendunt secundum suam quisque condicionem et peritiam* (D).

Cooperantes insuper, utpote cives huius mundi, in his quae ad ordinem temporalem aedificandum et gerendum pertinent, oportet ut laici in vita familiari, « professionali » et sociali rationes agendi altiores in lumine fidei quaerant aliisque, occasione data, patefaciant, conscii se sic Creatoris et Redemptoris cooperatores fieri, laudemque ei praestare.

Denique laici suam vitam caritate vivificent, et pro facultate operibus exprimant.

Meminerint omnes (E), oratione *et cultu publico, paenitentia et laborum aerumnarumque vitae libera acceptatione* (F), *qua Christo patienti conformes efficiuntur* (cf. *2 Cor.* 4, 10; *Col.* 1, 24) *se omnes homines attingere et ad totius mundi salutem conferre posse.*

17. (num. novus) [*De apostolatu singulorum in aliquibus adiunctis*]. Magna necessitate hic apostolatus singulorum urget in illis regionibus, in quibus grassante persecutione graviter impeditur libertas Ecclesiae (A). In his difficillimis adiunctis laici vicem, pro facultate, sacerdotum supplentes, ipsam suam vitam in discrimen ponentes, eos qui circa ipsos sunt christianam docent doctrinam, ad vitam religiosam ac mentem catholicam instituunt, ad sacramenta frequenter suscipienda pietatemque praesertim eucharisticam colendam inducunt.[1] Sacrosancti Concilii Patres, dum ex imo corde gratias agunt Deo, qui, nostris etiam

temporibus, heroicae fortitudinis laicos in medio persecutionum suscitare non desinit, eos paterno affectu ac grato animo complectuntur et ad ulteriores labores animant.

Apostolatus singulorum specialem habet campum in regionibus ubi catholici sunt pauci et dispersi. Ibi laici, qui solummodo ut singuli apostolatum exercent, sive ob causas supra dictas, sive ob rationes speciales etiam ex propria navitate « professionali » exortas, opportune tamen ad colloquium conveniunt in minoribus coetibus sine ulla strictiore institutionis vel organizationis forma. Hoc modo, per amicitiam et communicationem experientiae, sese mutuo spiritualiter adiuvantes, aptiores fiunt ad periculum vitae et actionis nimis segregatae vitandum atque ad fructus uberiores apostolatus ferendos.

Textus prior

13. [*De momento formae associativae*]. Singulorum apostolatus, semper quidem frugifer, et quibusdam in adiunctis unice aptus, saepe tamen plenam suam efficaciam non consequitur nisi christifideles in unum conspirent et in coetus se congregent.

Consociatio enim prae se fert signum unitatis Ecclesiae,

Textus emendatus

18. [*De momento formae associativae*]. *Etsi christifideles ut singuli ad apostolatum exercendum in variis suae vitae condicionibus vocati sunt, non est tamen obliviscendum hominem natura sua socialem esse et Deo placuisse credentes in Christum in populum Dei* (cf. *1 Petr.* 2, 5-10) *et in unum corpus coadunare* (cf. *1 Cor.* 12, 12) (A). *Apostolatus consociatus ergo christifidelium exigentiae tam humanae quam christianae apprime respondet simulque* signum prae se fert *communionis et* unitatis Ecclesiae *in Christo qui dixit: « Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum »* (*Mt.* 18, 20).

Quapropter christifideles apostolatum suum exerceant, in unum conspirantes.[2] *Sint apostoli tam in suis communitatibus familiaribus, quam in paroeciis et dioecesibus, quae ipsae exprimunt indolem « communitariam » apostolatus, atque in liberis coetibus in quos se congregare statuerint.*

Apostolatus consociatus magni momenti est etiam eo quod sive in communitatibus Ecclesiae, sive in vitae « ambitibus » apostolatus saepe postulat ut actione communi impleatur (B). *Instituta enim pro actionibus apostolatus com-*

Textus prior

sua membra sustinet et ad apostolatum format, eorumque activitatem apostolicam recte disponit et moderatur, ut multo uberiores exinde sperari liceat fructus quam si singuli seiunctim agant.

In praesentibus vero adiunctis, pernecesse est ut in omni ambitu activitatis laicorum consociata et organizata forma apostolatus roboretur, etenim arcta virium unio sola valet ad omnes apostolatus hodierni fines plene assequendos eiusque bona valide defendenda.

14. [*De multiplicitate formarum apostolatus consociati*]. Magna invenitur varietas in apostolatus consociati formas: aliae fines evangelizationis et sanctificationis modo particulari sibi proponunt, velut alicuius doctrinae spiritualis incrementum, catechistarum formationem, infidelium conversionem, cultus liturgici profectum, opera christianae educationis, hisque similia; aliae fines animationis christianae ordinis rerum temporalium persequuntur; aliae item speciali modo ad opera misericordiae et caritatis exercenda pertinent; aliae, demum, finem generalem apostolicum ipsius Ecclesiae sibi proponunt.

Universale munus autem missionis Ecclesiae, spectato simul progressu structurarum et impellenti cursu societatis hodiernae, requirit

Textus emendatus

munibus erecta sua membra *fulciunt* et ad apostolatum form*an*t, eorumque operam apostolicam recte dispon*un*t et modera*n*tur, ut multo uberiores exinde sperari liceat fructus quam si singuli seiunctim agant.

In praesentibus vero adiunctis, pernecesse est, ut in « *ambitu* » *navitatis* laicorum consociata et organizata forma apostolatus roboretur; etenim arcta virium *coniunctio* sola valet et ad omnes apostolatus hodierni fines plene assequendos et eius bona valide defendenda.[3] *Qua in re peculiari modo interest ut apostolatus etiam mentes communes et sociales condiciones eorum, ad quos convertitur, attingat; secus « pressioni » sive opinionis publicae sive institutionum saepe impares erunt* (C).

19. [*De multiplicitate formarum apostolatus consociati*]. Magna invenitur varietas in apostolatus *consociationibus;*[4] aliae finem generalem apostolicum Ecclesiae sibi proponunt (A); aliae modo particulari fines evangelizationis et sanctificationis; aliae fines animationis christianae ordinis temporalis persequuntur; aliae speciali modo *per* opera misericordiae et caritatis *testimonium Christi praebent.*

Inter has consociationes illae imprimis considerandae sunt quae intimiorem unitatem inter vitam practicam membrorum et eorum fidem fovent atque extollunt (B). *Consociationes non sunt sibi ipsis finis, sed missioni Ecclesiae circa mundum adimplendae inservire debent* (C); *earum vis apostolica e conformitate cum finibus Ecclesiae pendet atque e singulorum membrorum testimonio christiano et spiritu evangelico* (D).

Universale munus autem missionis Ecclesiae, spectato simul progressu *institutorum* et impellente cursu societatis hodiernae, requirit

Textus prior

ut incepta apostolatus catholici magis magisque perficiant formas associatas in campo internationali.

Salva debita cum auctoritatibus ecclesiasticis relatione, libertas laicorum in associationibus organizandis et praesertim in adhaesione eis danda, agnoscatur. Vitanda tamen est virium dispersio, quae fit praesertim promovendo sine ratione sufficienti associationes novas et opera, vel retinendo ultra vitam utilem associationes sive methodos olim idoneas.

Non videtur tamen semper opportunum formas quae in alia natione instituuntur, ad alias sine discrimine transferre.

16. [*De Actione Catholica*]. Abhinc non pauca decennia, pluribus in nationibus, laici, magis in dies apostolatui sese devoventes, variis formis actionum et consociationum sese congregarunt, quae, arctiorem cum Hierarchia coniunctionem servantes, fines immediate et proprie apostolicos persecutae sunt.

Inter has vel etiam similes antiquiores institutiones, eae praesertim commemorandae sunt quae, etsi diversam rationem operandi sequebantur, uberrimos tamen fructus Regno Christi attulerunt, quaeque a Summis Pontificibus et a multis Episcopis merito commendatae atque promotae, ab eis nomen Actionis Catholicae acceperunt, harum notarum concursu et cumulata acceptione constituuntur:

Textus emendatus

ut incepta apostolatus catholici magis magisque perficiant formas consociatas in campo internationali. *Organizationes Internationales Catholicae finem suum melius consequentur, si coetus qui in illis coadunantur eorumque membra intimius eisdem uniuntur* (E).

Debita cum auctoritat*e* ecclesiastic*a* relatione *servata,*[5] *ius est* laic*is* consociationes *condere*[6] *et* moderari *conditisque nomen dare* (F). Vitanda tamen est virium dispersio, *quae tunc est si* promoven*tur* sine sufficienti ratione nova*e* consociationes et opera, vel *si* retinen*tur* ultra vitam utilem associationes sive method*i* *obsoletae; nec* semper opportunum erit formas, quae in alia natione instituuntur, ad alias sine discrimine transferre (G).[7]

20. [*De Actione Catholica*] (A). Abhinc non pauca decennia, pluribus in nationibus, laici magis in dies apostolatui sese devoventes, *in* vari*as* form*as* actionum et consociationum sese congregarunt, quae, arctiorem cum Hierarchia servantes coniunctionem, fines proprie apostolicos persecutae sunt *et persequuntur*. Inter has vel etiam similes antiquiores institutiones, eae praesertim commemorandae sunt quae, etsi diversa*s* ratione*s* operandi sequebantur, uberrimos tamen fructus regno Christi attulerunt, quaeque a Summis Pontificibus et a multis Episcopis merito commendatae atque promotae, ab eis nomen Actionis Catholicae acceperunt, *et saepissime ut cooperatio laicorum in apostolatu hierarchico describebantur* (B).[8]

Hae apostolatus formae sive nomen Actionis Catholicae habeant sive aliud (C), *quae nostris temporibus pretiosum apostolatum exercent, sequentium* notarum concursu et cumulata acceptione constituuntur:

Textus prior

a) Finis immediatus huiusmodi organizationum generalis finis apostolicus ipsius Ecclesiae est, scilicet quod ad homines evangelizandos et sanctificandos attinet eorumque conscientias rite efformandas ita ut varios ambitus vitae spiritu Evangelii imbuere valeant;

b) Laici, cooperantes iuxta modum proprium cum Hierarchia, suam experientiam afferunt et responsabilitatem assumunt in eorum organizationum moderamine, in condicionibus perpendendis, in quibus actio pastoralis Ecclesiae exercenda sit, atque in elaboranda et exsequenda ratione rerum agendarum;

c) Laici agunt uniti ad instar organici corporis, ita ut aptius Ecclesiae communitas significetur et efficacior evadat apostolatus;

d) Laici, sive sponte sese offerentes, sive vocati ad actionem et directam cooperationem cum apostolatu hierarchico, agunt sub superiore moderamine ipsius Hierarchiae.

Hierarchia potest hanc cooperationem etiam per explicitum mandatum sancire.

Organizationes in quibus hae notae simul sumptae iudicio Hierarchiae re vera inveniuntur, sive nomen Actionis Catholicae habeant, sive aliud, secundum locorum ac populorum necessitates, varias structuras assumere possunt.

17. [*Associationes ab omnibus aestimentur*]. Omnes associationes apostolatus recte aestimandae sunt; eae vero quas Hierarchia,

Textus emendatus

a) Finis immediatus huiusmodi organizationum finis apostolicus Ecclesiae est, scilicet *in ordine* ad homines evangelizandos et sanctificandos eorumque conscientia*m christiane* efformanda*m* ita ut *varias communitates* varios*que* « ambitus » spiritu Evangelii imbuere valeant (D);

b) Laici, cooperantes iuxta modum proprium cum Hierarchia, suam experientiam afferunt et « responsabilitatem » assumunt in *iis* organization*ibus* modera*ndis,* in condicionibus perpendendis, in quibus actio pastoralis Ecclesiae exercenda sit, atque in elaboranda et exsequenda ratione rerum agendarum;

c) Laici agunt uniti ad instar organici corporis, ita ut aptius Ecclesiae communitas significetur et efficacior evadat apostolatus;

d) Laici, sive sponte sese offerentes, sive *invitati* ad actionem et directam cooperationem cum apostolatu hierarchico, agunt sub superiore moderamine ipsius Hierarchiae, *quae* potest hanc cooperationem etiam per explicitum mandatum sancire (E).

Organizationes in quibus hae notae simul sumptae iudicio Hierarchiae *reperiuntur, etsi ob* locorum ac populorum *exigentias,* varias formas *et nomina* assum*unt, re vera Actio Catholica censendae sunt* (F).[9]

Sacrosanctum Concilium has institutiones, quae necessitatibus apostolatus Ecclesiae, apud multas gentes, certo respondent, enixe commendat, sacerdotes et laicos qui in ipsis adlaborant invitat, ut notas supra commemoratas magis magisque ad effectum adducant, et cum omnibus aliis apostolatus formis semper fraterne in Ecclesia cooperentur (G).

21. [*De consociationibus aestimandis*]. Omnes consociationes apostolatus recte aestimandae sunt; eae vero quas Hierarchia, secun-

Textus prior

secundum temporum necnon et locorum necessitates, laudaverit vel commendaverit vel ut urgentiores in dioecesi aut paroecia instituendas decreverit, a sacerdotibus, religiosis et a laicis plurimi faciendae atque secundum modum uniuscuiusque promovendae sunt.

(ex n. olim 19)

Speciali honore et commendatione in Ecclesia digni sunt laici, sive caelibes sive matrimonio iuncti, qui perpetuo aut ad tempus in servitium institutionum et operum eius seipsos, sua peritia professionali, exhibent. Eidem magni gaudii est quod in dies numerus laicorum augetur, qui proprium ministerium praebent associationibus et operibus apostolatus, sive intra fines suae nationis sive in ambitu internationali sive praesertim in catholicis communitatibus missionum.

Pastores Ecclesiae hos laicos grato et paterno animo recipiant, curent ne eorum condicio iuridica indefinita relinquatur neve ipsi careant necessaria institutione, spirituali solamine et incitamento atque subsidiis ad honestam sui et familiae sustentationem, iuxta postulata iustitiae, aequitatis et caritatis.

Textus emendatus

dum temporum necnon locorum necessitates laudaverit vel commendaverit vel ut urgentiores instituendas decreverit (A), a sacerdotibus, religiosis et a laicis plurimi faciendae atque secundum modum uniuscuiusque promovendae sunt. *Inter illas vero hodie praesertim recensendi sunt consociationes vel coetus internationales catholicorum* (B).

22. [*De laicis qui speciali titulo servitio Ecclesiae addicuntur*] (A). Speciali honore et commendatione in Ecclesia digni sunt laici, sive caelibes sive matrimonio iuncti, qui perpetuo aut ad tempus servitio institutionum *earumque* operum seipsos, sua peritia « professionali », *devovent.* Eidem magni gaudii est quod in dies numerus laicorum augetur, qui proprium ministerium praebent associationibus et operibus apostolatus, sive intra fines suae nationis sive in *campo* internationali sive praesertim in catholicis communitatibus missionum *et ecclesiarum novellarum.*

Pastores Ecclesiae hos laicos *libenter* et grato animo recipiant, curent *ut* eorum condicio *exigentiis* iustitiae (B), aequitatis et caritatis *quam maxime satisfaciant, praesertim* quoad honestam *eorum* sustentationem familiarumque, *ipsique* necessaria institutione, spirituali solamine et incitamento *gaudeant.*

NOTAE

Cap. IV - *De variis apostolatus modis*

Ad n. 17.

[1] Cf. Pius XII, *Alloc. ad I Conventum ex Omnibus Gentibus Laicorum Apostolatui provehendo,* 15 oct. 1951: *A.A.S.,* 43 (1951), p. 788.

Ad n. 18.

[2] Cf. Pius XII, *Alloc. ad I Conventum ex Omnibus Gentibus Laicorum Apostolatui provehendo,* 15 oct. 1951: *A.A.S.,* 43 (1951), pp. 787-788.

[46] [3] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Le pèlerinage de Lourdes,* 2 iul. 1957: *A.A.S.,* 49 (1957), p. 615.

Ad n. 19.

[4] Cf. PIUS XII, *Alloc. ad Consilium Foederationis internationalis virorum catholicorum,* 8 dec. 1956: *A.A.S.,* 49 (1957), pp. 26-27.

[5] Cf. infra cap. V, n. 22.

[6] Cf. Decretum S. C. Concilii *Corrienten.,* 13 nov. 1920: *A.A.S.,* 13 (1921), p. 139.

[7] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Princeps Pastorum,* 10 dec. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), p. 856.

Ad n. 20.

[8] Cf. PIUS XI, Epist. *Quae nobis,* ad Card. Bertram, 13 nov. 1928: *A.A.S.,* 20 (1928), p. 385. Cf. etiam PIUS XII, *Alloc. ad A. C. Italicam,* 4 sept. 1940: *A.A.S.,* 32 (1940), p. 362.

[9] In aliquibus regionibus « Actio Catholica » modo *unitario* in quattuor partibus (viri, mulieres, iuventus masculina, iuventus feminina) organizatur; in aliis nationibus habetur Actio Catholica *generalis,* in variis communitatibus Ecclesiae secundum aetatem et sexum distincta, et *specializata* iuxta diversos sive vitae sive operum campos. Item in aliis nationibus Actio Catholica *foederativa* instauratur, in qua singulae associationes, sua nomina propria servantes, ita congregantur, ut ipsa foederatio nomen Actionis Catholicae accipiat. Denique in multis nationibus *nomen* Actionis Catholicae non invenitur; immo in aliquibus nequidem placet; tamen habentur associationes in quibus quattuor notae inveniuntur, et aliquando institutionibus antiquioribus vel novis erectis « mandatum » quoque a Hierarchia locali datur. In his nationibus potius nomen « Apostolatus laicorum » adhibetur. Insuper in ambitu internationali etiam magis vocabulum « Apostolatus laicorum » viget, quia in organizationibus internationalibus catholicis, praeter associationes Actionis Catholicae, vel una cum illis, multae aliae coniunguntur.

[47] RELATIO DE SINGULIS NUMERIS

Ad titulum

(A) Nonnulli Patres (E/3303, 3317, 3336, 3337, 3339) dixerunt nimis extolli in hoc capite formae organizatae, et quidem formae liberae, ita ut viderentur despici vis et momentum apostolatus personalis vel forma communitaria essentialis structurae Ecclesiae (paroecia, dioecesis, Ecclesia universalis). Omnibus mature perpensis, Commissio novum textum redegit, acceptando propositiones quasdam horum Patrum, necnon assumendo aliqua ex numero olim 2. Hac de causa etiam titulus capitis mutatus est: loco « De formis associativis », legitur nunc « De variis apostolatus modis ». Commissio insuper aestimavit n. olim 15, de recognitione Codicis Iuris Canonici iam in fine Prooemii reassumi debere.

Ad num. 16 [47]

(A) Multi Patres (E/3303, 3317, 3336, 3337, 3339, 3583) petierunt ut momentum apostolatus individualis magis extollatur. Commissio his satisfacere intendit.

(B) Desideriis eorundem Patrum (E/3303, 3317, 3336, 3337, 3339) respondens, Commissio aliquas formas concretas apostolatus individualis enumerat, ut non tantum theoretica locutio fiat. Hoc modo etiam satisfit duobus Patribus (E/3310 et E/3392), qui institerunt in momento vitae ordinariae in quantum est locus testimonii.

(C) E/3378 petiit ut dicatur primum officium apostolatus esse annuntiationem Evangelii.

(D) E/3366 desiderat ut melius definiatur pars illa quae propria est laicorum in ministerio evangelizationis.

(E) E/3343, 3327, 3351, 3459 dicunt apostolatum exerceri etiam oratione et poenitentia. E contra E/3280, 3314, 3325, 3378 non considerant orationem, poenitentiam, etc. tamquam apostolatum. Cum res sit controversa, Commissio noluit quaestionem dirimere, sed, postquam egit de tribus modis apostolatus individualis (evangelizationis, animationis et actionis caritativae) commemorat orationem et poenitentiam tamquam media quibus « laici omnes homines attingere et ad totius mundi salutem conferre » possunt.

(F) Loco « humili tolerantia » dicitur nunc « libera acceptatione », rationibus E/3367 satisfaciens.

Ad num. 17 [48]

(A) Secundum desideria duorum Patrum (E/3336 et E/3339) agitur de condicionibus in quibus apostolatus individualis fere unice aptus apparet. Sic insistitur etiam iuxta E/3425 ut catholici ita formentur ut, structuris deficientibus, fermentum semper sint et maneant.

Ad num. 18

(A) Plures Patres petierunt ut momentum formae associativae non probaretur tantum ex ratione efficacitatis, sed ex natura hominis (E/3282, 3402) et ex intrinseca natura Ecclesiae (E/3282, 3284, 3304, 3342, 3394, 3478, 3520, 3526). Commissio retinuit has animadversiones, et rationes profundiores ex natura hominis et Ecclesiae, necnon ex voluntate Christi, afferuntur.

(B) E/3280 vult ut de christianizatione ambitus aliqua dicantur. De hac re tantum brevis mentio fit, quia iam actum est in capite III, n. 13.

[48] (C) E/3284 dixit associationes necessarias esse ad mentes communes attingendas et ad defensionem contra malum. Textus ita emendatus est.

Ad num. 19

(A) E/3284 dixit schema non ausum esse hic mentionem apertam facere de Actione Catholica sic dicta specializata. Respondetur: hic numerus non vult omnia describere, sed solummodo formas generaliores notare. Ceteroquin Actio Catholica specializata continetur in illis associationibus, quae « finem generalem apostolicum Ecclesiae sibi proponunt ».

(B) E/3325 et E/3433 desiderant criterium aliquod ut ordo inter formas apostolatus melius intelligatur. Proponitur ergo hoc criterium; et ita respondetur etiam desideriis E/3588.

(C) E/3478 et E/3520 postulant, nomine plurium, ut notetur: « associationes sibi non sint proprius finis ». Commissio ita emendavit textum.

(D) Ad vitandum periculum « professionalismi » in apostolatu, E/3307 insistit in valore testimonii evangelici membrorum singulorum associationis. Commissio ita respondet etiam desiderio E/3425 quoad testimonium collectivum associationis.

(E) Commissio magis explicite de hac re loquitur, iuxta desiderata E/3398.

(F) E/3339, 3400, 3402, 3522 desiderant ut melius affirmetur libertas laicorum in associationibus condendis et ordinandis. Textus hoc in sensu emendatus est. E contra E/4606 petit maiorem dependentiam a Hierarchia, et E/3433 postulat ut auctoritas episcoporum circa iudicium ferendum de aliqua actione apostolica melius sublineatur. Quod
[49] tamen iam continetur in textu, insuper in hoc capite n. 21 et in capite V, n. 24 explicite exponitur.

(G) E/3429 insistit non esse opportunum formas apostolatus sine discrimine transferre ab aliqua natione ad aliam, et requirit in hac re iudicium ordinarii loci; similiter loquitur E/3588. Quod iam affirmatur in textu.

Ad num. 20

(A) Patres in Aula diversimode de hoc numero locuti sunt, et saepe responsum iam sibi ipsis dederunt.

E/3317 et E/3829 volunt ut integrus numerus supprimatur, quia satis de Actione Catholica, in re si non quoad nomen, dicuntur, quando

agitur de missione canonica. E contra E/3279, 3397, 3424, 3426, 3427, 3429, 3828 admirationem exprimunt de timiditate schematis circa Actionem Catholicam. [49]

Secundum E/3276 et E/3829 schema peccatum favoritismi commisit. E contra E/3340 et E/3341 dicunt bene et in aequilibrio positam esse doctrinam.

E/3324 et E/3518 dolent de ambiguitate vocabuli « Actionis Catholicae » quod deberet sumi sensu generico, ut periculum de falsa notione catholicitatis et etiam periculum monopolismi vitetur. Alii Patres e contra (E/3279, 3301, 3322, 3341, 3325, 3366, 3371, 3397, 3399, 3420, 3424, 3426, 3427, 3429, 3446, 3793) sensum specificum vocabuli sustinuerunt explicite vel aequivalenter.

E/3300 optat ut exprimatur Actionem Catholicam esse tantum unam e variis formis. E/3402 timet ne « apostolatus laicorum » limitative applicetur apostolatui mandato, et restringatur ad Actionem Catholicam: esset confusio inter genus et speciem. Secundum E/3400 vel agitur de classificatione associationum ratione finium, tunc non esset nominanda Actio Catholica, vel fit classificatio nominalis, tunc etiam aliae formae citari deberent. Re vera non agitur de classificatione (quando hoc aliquomodo fit in n. 19, non nominatur Actio Catholica), sed de formis apostolatus, et Actio Catholica certe est aliqua forma specialis, quae comprehendit plures associationes de quibus non fit mentio in schemate. Actio Catholica praesentatur tamquam una inter diversas formas ad idem genus apostolatus laicorum pertinens.

Propter omnes has rationes tantum pauca verba mutata sunt in numero. Verum est schema viam mediam selegisse (E/3424), sed haec via est unica possibilis: ex una parte enim Concilium agere debet de hac forma apostolatus, de qua tanta, saepe et sollemniter, dicta sunt, ex altera parte obiective verum est hanc formam nec ubique nec eodem modo existere.

(B) Aliqui Patres petierunt ut praecisius vel clarius schema loquatur de Actione Catholica. E/3301 desiderat verba Summorum Pontificum Pii XI et XII in memoriam vocare; E/3322 et E/3424 petunt definitionem ad mentem Summorum Pontificum; E/3325, 3340, 3366 dixerunt textum essentialia continere. Commissio tamen satisfacere intendit desideriis supra expressis, et citat Summos Pontifices modo historico. [50]

(C) Schema libertatem nominis in tuto ponit et iudicium hac de re episcopis relinquit, ut respondetur optatis E/3373.

(D) E/3367 vellet ut dicatur: « Finis immediatus huiusmodi organizationum est finem generalem apostolicum ipsius Ecclesiae *pro posse*

[50] *adiuvare* ». Commissioni tamen videbatur non esse limitandum finem, quia hoc iam alibi fit.

Secundum E/3371 et E/3446 notio perfecta Actionis Catholicae adhuc non potest dari, sed via debet aperta manere. Proponunt ergo mutationes de notis Actionis Catholicae. Commissio censuit textum non mutare; si non est perfectus, tamen satis clare indicat puncta essentialia communia associationum Actionis Catholicae. Commissio voluit tantum duas mutationes facere: omisit vocabulum « ipsius », quia secundum E/3324 expressio ambiguitatem inducit; addidit insuper verba « ita ut varias communitates variosque ambitus ... », quod petitum est ab E/3478 et E/3520, nomine plurium, ne consociationes uti « Actio Catholica generalis » excludi videantur.

(E) E/3420 petit ius episcoporum sanciendi explicite per mandatum ordinationem apostolatus; E/3375 autem petit ut addantur verba « sub eius (Hierarchiae) approbatione ». Quae tamen iam dicuntur in textu.

E/3583 postulat ut addatur: « explicito vel implicito mandato Hierarchiae ». Commissio non iudicavit recipiendam esse hanc additionem.

(F) E/3420 insuper postulat ut ius episcoporum eligendi talem vel talem formam, et ius titulum specificum concedendi associationibus agnoscantur. Quod quidem fit iam in textu et etiam in aliis locis. E/3397 et E/3828 postulant ut ius et munus episcopis agnoscantur instituendi associationes quae essent aliqua foederatio, ita ut Actio Catholica locum suum inveniat, quin adsit amplius periculum favoritismi. Re vera de hac re, nempe de consiliis ad coordinandas institutiones apostolatus sermo est in capite V, n. 26.

(G) E/3340, 3427, 3429 petunt ut Concilium utilitatem, efficacitatem et necessitatem Actionis Catholicae commendet. Textus emendatus satisfactionem dat his propositionibus.

Ad num. 21

(A) E/3400 et E/3402 desiderant ut supprimantur verba « in dioecesi vel paroecia », et dicatur: « ... vel commendaverit, vel ut urgentiores instituendas decreverit », quia non paucae habentur vel haberi possunt associationes interdioecesanae vel internationales. Commissio recepit hanc propositionem.

[51] (B) E/3398 postulat ut schema aliqua dicat de necessitate multiplicitatis formarum associationum in campo internationali. Textus additus est in hoc sensu.

Ad num. 22

(A) Commissio aestimavit verba de laicis qui speciali titulo servitio Ecclesiae addicuntur in hoc caput poni debere, quia hoc servitium respicit et apostolatum individualem et apostolatum in associationibus. Non tamen agitur solum de iis, ut E/3299 putat, qui gratis suum servitium praestant. De consulto evitatur terminus ab eodem E/3299 propositum: « laici auxiliares ».

(B) E/3400 et E/3402 putant delenda esse verba « ne eorum condicio iuridica indefinita relinquatur », cum sit omnino definita. Sensus horum verborum in textu emendato clarius patet.

Textus prior

V. De ordine servando

(ex n. olim 20). Ad « unitatem spiritus in vinculo pacis » (*Eph.* 4, 3) promovendam inter multiplices et varias organizationes, ut fines communes maxima efficacia obtineantur ac perniciosae aemulationes vitentur caritasque splendeat fraternitatis, apta exigitur mutua aestimatio earumque coordinatio quoad fines communes, servatis uniuscuiusque organizationis indole et cuique propria ad Hierarchiam ecclesiasticam relatione.

Quod maxime convenit, cum peculiaris actio pastoralis requirit coordinationem et harmoniam apostolicae operositatis cleri, sive saecularis sive regularis, religiosorum omnium et fidelium.

Textus emendatus

Cap. V. De ordine servando

23. [*Introductio*] (A). *Laicorum apostolatus, sive a singulis sive a consociatis christifidelibus exerceatur, recto ordine insertus esse debet in apostolatum totius Ecclesiae; immo coniunctio cum eis, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam suam* (cf. *Act.* 20, 28), *elementum essentiale apostolatus christiani est. Non minus necessaria est cooperatio inter varia apostolatus incepta, pariter ab Hierarchia ordinanda.*

Etenim ad promovendum spiritum unitatis, *ut in toto apostolatu Ecclesiae* splendeat caritas fraternitatis, fines communes obtineantur ac perniciosae aemulationes vitentur, *requiritur omnium formarum apostolatus in Ecclesia* mutua aestimatio et — servat*a* uniuscuiusque propria indole — apta coordinatio.[1]

Quod maxime convenit, cum peculiaris actio *in Ecclesia* requirit harmoniam et *cooperationem* apostolicam cleri saecularis et regularis, *ceterorum* religiosorum et *laicorum.*

2] *Textus prior*

18. [*De relatione ad Hierarchiam*]. Sacrae Hierarchiae est laicorum apostolatum fovere, principia, spiritualia subsidia, et pro rei opportunitate etiam praecepta afferre, atque, ut ordo servetur, invigilare.

Apostolatus laicorum ideo, sive ipsi singuli, sive consociati agunt, quoad Hierarchiam varios relationis modos admittit, ratione obiecti, vel variarum eiusdem apostolatus formarum.

Plurima inveniuntur in Ecclesia incepta apostolica, quae laicorum libere electione con-
3] stituuntur, et eorum prudenti iudicio exercentur. Huiusmodi incepta aliquando Hierarchia laudat et commendat, quia quibusdam in adiunctis missio Ecclesiae per ea melius adimpleri potest. Nullum autem inceptum nomen catholicum sibi vindicet, nisi implicite vel explicite consensus accesserit legitimae auctoritatis ecclesiasticae.

Aliquando ab Hierarchia quaedam laicorum apostolatus formae a iure Ecclesiae recognoscuntur.

Insuper ecclesiastica auctoritas propter necessitates boni communis Ecclesiae, specialem responsabilitatem assumit alicuius incepti apostolici laicorum, sive a singulis sive a coetibus exequendi, quod in finem immediate spiritualem intendit. Ita Hierarchia apostolatum laicorum, iuxta adiuncta diversimode ordinando, suo proprio muneri apostolico arctius coniungit, servata tamen propria natura et distinctione utriusque, neque laicorum ablata necessaria facultate sua sponte agendi. Huiusmodi actus mandatum appellatur.

Denique sacra Hierarchia laicis munia quaedam committere consuevit, quae propius cum officiis Hierarchiae cohaerent, ut in actibus liturgicis, in verbi Dei praedicatione, in cura

Textus emendatus

24. [*De relatione ad Hierarchiam*] (A). Hierarchiae est laicorum apostolatum fovere, principia *et* subsidia spiritualia *dare, eiusdem apostolatus exercitium ad bonum commune Ecclesiae ordinare,* atque, ut ordo servetur, invigilare (B).

Varios *quidem* modos relationum ad Hierarchiam apostolatus laicorum admittit respectu variarum eiusdem apostolatus formarum et obiect*orum.*

Plurima *enim* inveniuntur in Ecclesia incepta apostolica quae laicorum libera electione constituuntur et eorum prudenti iudicio *reguntur.* Huiusmodi incepta in quibusdam adiunctis missio*nem laicorum in Ecclesia* melius implere *possunt, et proinde non raro ab* Hierarchia laudan*tur* vel commendan*tur.*[2] Nullum autem inceptum nomen catholicum sibi vindicet, nisi implicite vel explicite consensus accesserit legitimae auctoritatis ecclesiasticae (C).

Quaedam laicorum apostolatus formae, *variis quidem modis,* ab Hierarchia *explicite* agnoscuntur (D).

Potest insuper ecclesiastica auctoritas propter *exigentias* boni communis Ecclesiae *ex consociationibus et* incepti*s* apostolici*s*, immediate finem spiritualem intend*entibus, aliqua eligere et particulari modo promovere, in quibus* specialem assumit « responsabilitatem ». Ita Hierarchia, apostolatum iuxta adiuncta diversimode ordina*ns, aliquam eius formam* cum suo proprio munere apostolico arctius coniungit, servata tamen utriusque propria natura et distinctione, nec *proinde* laicorum ablata necessaria facultate sua sponte agendi. *Qui* actus *Hierarchiae in variis documentis ecclesiasticis* mandatum appellatur (E).

Denique Hierarchia laicis munia quaedam committit, quae propius cum officiis Hierar-

Textus prior

animarum. Vi huius missionis, quae canonica appellatur, laici ipsius Hierarchiae apostolatum suo modo participant, et, quoad muneris collati exercitium, plene subduntur superioris ecclesiasticae moderationi.

Cum autem agitur de operibus et institutionibus ordinis temporalis, munus est ecclesiasticae Hierarchiae pro catholicis authentice interpretari et enucleare ordinis moralis principia; Ipsi etiam fas est iudicare, omnibus rite perpensis et auxilio adhibito peritorum, de conformitate talium operum et institutionum cum principiis moralibus et decernere de eis quae ad ordinis supernaturalis bona custodienda et promovenda requiruntur.

19. [*Pastores et apostolatus laicorum*]. Meminerint Episcopi, parochi, ceterique sacerdotes utriusque cleri, officium exercendi apostolatum esse proprium omnibus fidelibus sive clericis sive laicis, et in aedificatione Ecclesiae laicos speciales partes habere. Quapropter una cum laicis operandum esse in Ecclesia et pro Ecclesia semper in mente habeant; ideo magnam curam adhibeant laicis in apostolatu militantibus.

Episcopi diligenter seligant sacerdotes apostolatui laicorum iuvando idoneos et apte formatos. Qui vero huic ministerio vacant, vi missionis ab Hierarchia acceptae, hanc repraesentant in sua actione pastorali, aptas laicorum relationes cum ipsa foveant, quam maxime cordi habeant ut fideles sint spiritui et doctrinae Ecclesiae; seipsos in educanda vita spirituali et sensu apostolico christifidelium sibi commissorum impendant; eorum apostolicae operositati sapienti suo consilio adsint atque incepta foveant; una cum laicis ipsis attente inquirant quae sint formae ad efficaciorem reddendam

Textus emendatus

chiae *coniuncta* sunt, ut in *propositione doctrinae christianae,* in *quibusdam* actibus liturgicis, in cura animarum. Vi huius missionis laici quoad muneris exercitium plene subduntur superiori ecclesiasticae moderationi (F).

Quod attinet ad oper*a* et institution*es* ordinis temporalis, munus ecclesiasticae Hierarchiae est authentice interpretari et enucleare ordinis moralis principia *ad ea applicanda;* ipsi etiam fas est iudicare, omnibus rite perpensis et auxilio adhibito peritorum, de conformitate talium operum et institutionum cum principiis moralibus et decernere de eis, quae ad ordinis supernaturalis bona custodienda et promovenda requiruntur (G).

25. [*De auxilio apostolatui laicorum a clero praestando*] (A). *Prae oculis habeant* Episcopi, parochi, ceterique sacerdotes utriusque cleri, *ius* et officium exercendi apostolatum esse *commune* (B) omnibus fidelibus sive clericis sive laicis, et in aedificatione Ecclesiae *etiam* (C) laicos *proprias* partes habere.[3] Quapropter *fraterne* cum laicis oper*entur* in Ecclesia et pro Ecclesia, *specialemque* curam *habeant* laico*rum qui ad opera apostolica incumbunt* (D).[4]

Diligenter seligan*tur* (E) sacerdotes apostolatui laicorum iuvando idone*i* et apte format*i*.[5] Qui vero huic ministerio vacant, vi missionis ab Hierarchia acceptae, hanc repraesentant in sua actione pastorali; *debitas* laicorum relationes cum ipsa foveant, fideles *semper* spiritui et doctrinae Ecclesiae; seipsos in *alenda* vita spirituali et sensu apostolico *consociationum sibi commissarum* impendant; eorum apostolicae operositati sapienti suo consilio adsint atque incepta foveant. *Continuo cum laicis instituto colloquio* (F) attente inquirant quae sint formae ad *magis frugiferam* reddendam

Textus prior

apostolicam actionem; unitatem spiritus in consociationibus et earum cum aliis promoveant.

Religiosi demum, sive fratres sive sorores, operibus apostolatus laicorum libenter se devoveant, et in his munera sacerdotis sustinere, adiuvare, complere studeant.

20. [*De mutua cooperatione*].

Curent Episcopi ut in dioecesibus habeantur consilia quae operam apostolicam Ecclesiae, sive in campo evangelizationis et sanctificationis sive in campo caritativo necnon sociali, adiuvent, cooperantibus convenienter clericis, religiosis et laicis. In his consiliis variae associationes et incepta apostolica convenire inter se et communicare poterint, et, salva uniuscuiusque indole et autonomia, operam suam mutuo coordinare.

Quantum fieri potest, eodem modo instituantur consilia in ambitu paroeciali vel interparoeciali, interdioecesano, necnon nationali vel internationali.

Constituatur insuper apud Sanctam Sedem quidam particularis secretariatus in servitium et impulsum apostolatus laicorum, tamquam centrum, quod aptis instrumentis informationes de variis inceptis apostolicis laicorum suppeditet, investigationibus de hodiernis quaestionibus in his provinciis exsurgentibus studeat et suis consiliis Hierarchiae et laicis in activitatibus apostolicis adsistant. In hoc secretariatu cooperentur clerici, religiosi et laici, viri et mulieres, hac in re versati.

21. [*De cooperatione cum aliis christianis et non-christianis*]. Cum adsit commune patri-

Textus emendatus

apostolicam actionem; spiritum unitatis *intra ipsam* consociation*em* et *eam inter et ceteras* promoveant.

Religiosi demum, sive fratres sive sorores, *secundum spiritum et normas suorum institutorum* (G) operibus laicorum libenter se devoveant, et in his munera sacerdotis sustinere, adiuvare, complere studeant (H).

26. [*De quibusdam instrumentis mutuae cooperationi inservientibus*] (A).

In dioecesibus habeantur consilia quae operam apostolicam Ecclesiae, sive in campo evangelizationis et sanctificationis sive in campo caritativo, sociali *et aliis,* adiuvent, cooperantibus convenienter clericis, religiosis *cum* laicis. *Haec* consili*a poterunt* vari*arum laicorum* consociation*um* et incept*orum mutuae coordinationi inservire,* salva uniuscuiusque indole *propria* et autonomia.[6]

Huiusmodi consilia constituantur, quantum fieri potest, *etiam* in « ambitu » paroeciali vel interparoeciali, interdioecesano, necnon nationali vel internationali.[7]

Constituatur insuper apud Sanctam Sedem quidam *peculiaris* secretariatus in servitium et impulsum apostolatus laicorum, tamquam centrum, quod aptis instrumentis *nuntia* de variis inceptis apostolicis laicorum suppeditet, investigationibus de hodiernis quaestionibus in his provinciis *orientibus* studeat et suis consiliis Hierarchiae et laicis in *operibus* apostolicis adsistat. In hoc secretariatu varii *motus et incepta apostolatus laicorum in universo mundo existentia suas quoque partes habeant,* cooperan*tibus* cleric*is* et religios*is* (B).

27. [*De cooperatione cum aliis christianis et non-christianis*] (A). Commune *veluti* patri-

Textus prior

monium evangelicum vel saltem valorum humanorum et necesse sit hoc protegere et promovere, saepe suadetur vel requiritur ut catholici cooperentur cum aliis, christianis et non-christianis, in vitae quotidianae actionibus et in organizationibus sive nationalibus sive internationalibus. Hac cooperatione dynamica et prudenti testimonium praebent Christo, Salvatori mundi, et unitati familiae humanae.

Textus emendatus

monium evangelicum *communeque inde consequens christiani testimonii officium commendant et saepe exigunt* cooperati*onem* catholi*corum* cum aliis christianis, *a singulis et a communitatibus Ecclesiae exercendam,* sive in actionibus sive in *consociationibus, in campo* nationa*li* vel internationa*li* (B).[8]

Communes « valores humani » similem cooperationem christianorum, apostolicos fines prosequentium, cum eis haud raro postulant, qui nomen christianum non profitentur, sed hos « valores » agnoscunt (C).

Hac cooperatione « dynamica » et prudenti (D), *quae peculiaris momenti in activitatibus temporalibus est, laici* testimonium praebent Christo, Salvatori mundi, et unitati familiae humanae (E).

NOTAE

Cap. V - *De ordine servando*

Ad n. 23.

[1] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Quamvis Nostra,* 30 apr. 1936: *A.A.S.,* 28 (1936), pp. 160-161.

Ad n. 24.

[2] Cf. *S. C. Concilii.* Rescript. circa *Societatem S. Vincentii a Paulo,* 13 nov. 1920: *A.A.S.,* 13 (1921), pp. 137-140.

Ad n. 25.

[3] Cf. PIUS XII, *Ad II Conventum ex Omnibus Gentibus Laicorum Apostolatui provehendo,* 5 oct. 1957: *A.A.S.,* 49 (1957), p. 927.

[4] Cf. Const. dogm. *De Ecclesia,* cap. IV, n. 37: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 42-43.

[5] Cf. PIUS XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 660.

Ad n. 26.

[6] Cf. BENEDICTUS XIV, *De Synodo Dioecesano,* l. III, c. IX, n. VII.

[7] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Quamvis Nostra,* 30 apr. 1936: *A.A.S.,* 28 (1936), pp. 160-161.

[56] *Ad n. 27.*

[8] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), pp. 456-457. Cf. Decretum de Oecumenismo, *Unitatis Redintegratio,* cap. II, n. 12: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 99-100.

[57] RELATIO DE SINGULIS NUMERIS

Ad num. 23

(A) E/3401 desiderat, ut sermo sit magis theologicus, minus iuridicus. Suggestio placet Commissioni, quae ad hunc finem anticipat aliqua verba ex numero olim 20.

Ad num. 24

(A) E/3400 proponit ut ea quae in primo commate dicuntur, restringantur ad instituta ecclesiastica. Commissio non mutavit textum in hoc sensu quia latius patet.

(B) E/3276 et E/3323 desiderant ut ea quae de praeceptis dicuntur, magis rationem libertatis habeant. Textus ita temperatus est.

(C) Ea quae dicuntur de associationibus liberis ita mutantur, ut libertas clarius efferatur, ut E/3323 desideravit, contra E/3305, qui desiderat ut magis restringatur, omittendo verba « implicite vel ... ».

(D) Commissio approbat suggestionem E/3410, ut verba « a iure Ecclesiae » utpote superflua, omittantur; additur tamen, ad instantiam E/3409 « variis quidem modis ».

(E) E/3409 insuper vellet ut comma de « mandato » omittatur, dum E/ 3312 saltem dubitat an retinendum sit. Quod tamen maiori parti Patrum displicet. Res cohaeret insuper cum iis quae in capite IV de Actione Catholica dicuntur.

E/3422 proponit ut saltem nomen « mandati » vitetur cum res sit controversa. Commissio ergo addidit « in variis documentis ecclesiasticis », ne controversias dirimere videatur. Idem Pater (E/3422) adnotat distinctionem inter significationem mandati singulis dati et coetibus dati. Commissio ideo omittendum censuit « sive a singulis sive a coetibus ». Quia, ut eiusdem Patris observationes documentatae ostendunt, etiam Nota de mandato quaedam inconvenientia continebat, Commissio suppressit Notam.

Aliqui Patres E/3282 et E/3305 profundiores rationes theologicas « mandati » et « missionis » desiderant; sed hoc videtur excedere limites huius decreti praevalenter practici, et aggrederetur res controversas, quas dirimere Commissio non intendit.

(F) Secuta observationes E/3422, ne in res inter canonistas contro- [57]
versas ingrediatur, Commissio omisit verba « quae canonica appellatur » et «ipsius Hierarchiae apostolatum suo modo participant». Loco «verbi Dei praedicatione », melius dicitur « in propositione doctrinae Eccle-
siae ». Admittitur correctio a duobus Patribus E/3313 et E/3391 pro- [58]
posita, ut ante « liturgicis » dicatur « quibusdam ». Etiam hic deletur Nota de missione canonica, ex simili ratione ac supra de mandato.

(G) Ut distincta competentia Hierarchiae appareat in ordine religioso et temporali, comma de ordine temporali in fine numeri ponitur.

Ad num. 25

(A) Alicui Patri (E/3418) displicet tonus nimis paternalisticus numeri, praesertim in commate secundo, et proponit textum qui explicite paternalismum condemnat. Elementa « fraternitatis » et « dialogi » in textum introducti, votis E/3279, 3309, 3311, 3337 respondent, qui hanc difficultatem respiciunt. Ampliora tamen dicuntur in aliis textibus Concilii, v. g. Const. Dogm. *De Ecclesia,* cap. IV, et schema *De ministerio et vita presbyterorum.*

(B) E/3367 desiderat substitutionem verbi « proprium ». In textu emendato dicitur ergo « commune ».

(C) Item E/3367 desiderat ut post « Ecclesiae » addatur « etiam ». Consentit Commissio. E/3305 praefert ut dicatur « laicos non esse auxilia pastoribus utenda, sed speciales partes habere ». Sed haec consideratio in schemate reviso sufficienter exprimi videtur.

(D) Loco « militantibus », voto E/3280 respondens, textus nunc dicit « qui ad opera apostolica incumbunt ».

(E) E/3402 animadvertit textum nimis restringere ius associationum earum quae secundum ius canonicum eligere possunt nunc suos cappellanos vel assistentes spirituales. Propterea dicitur « Diligenter seligantur... ». Ita etiam evitatur impressio E/3400, ea quae dicuntur referri posse tantum ad assistentes Actionis Catholicae. Votis utriusque obsecundans Commissio ita textum modificavit ne videatur suggeri hos assistentes proponi etiam ut directores membrorum associationum apostolatus in vita sua spirituali; non tamen agere intendit de formatione sacerdotum, ut desideravit E/3188, de qua re agitur in speciali schemate.

(F) Fiducia in laicis magis positive exprimitur, uti desideraverunt E/3418, 3279, 3300, 3311, 3323, 3337.

(G) Votum E/3277 assumens quoad religiosos, additur « secundum spiritum et normas suorum institutorum ».

(H) Ea quae in textu priore de eis laicis habentur, qui speciali titulo servitio Ecclesiae addicuntur, nunc in capite IV, n. 22 ponuntur.

[58] *Ad num. 26*

(A) Initium numeri modificatum est propter revisionem n. 23, ubi nunc inveniuntur ea verba. Pariter titulus mutatus est, ut congruat argumento numeri.

(B) E/3335 et E/3371 desiderant, ut dicatur: « Secretariatus, indole praecipue pastorali »; simul desiderant ut eius competentia extenda-
[59] tur ad recognoscendas novas organizationes internationales, ut eius compositio, praesertim ex membris a directionibus internationalibus, determinetur. E/3446 vult, ut sit permanens dialogus inter Hierarchiam et laicatum. E/3373 autem insistit, ut membra sint praesertim e laicis eligendi, et minime ad instar alicuius Dicasterii Romani concipiatur. Commissio censuit non nimis ad particularia a Concilio descendi posse; quaedam tamen elementa ex his suggestionibus esse assumenda.

Denique E/3389 vult ut quaedam addantur de recursu laicorum ad opinionem publicam. Commissio tamen putat hoc non pertinere specifice ad apostolatum laicorum.

Ad num. 27

(A) E/3391 et E/3583 suggerunt, ut distincte sermo fiat de cooperatione inter christianos, et christianorum cum non-christianis. Numerus ergo nunc commata distincta continet; res etiam accuratius explicantur. Ceteroquin largior sermo fit in schemate *De Ecclesia in mundo huius temporis.*

(B) E/3281 et E/3461 desiderant ut specialis mentio fiat societatum caritativarum et assistentialium. Cui accentui in capite II, n. 8 provisum est.

(C) E/3282 censet christianos non solum aliquid dare debere nonchristianis, sed posse et debere libenter ab eis accipere. Quod dicitur in textu, modo generaliori.

E/3302 vult, ut explicite etiam de dialogo cum atheisticis sermo fiat. Hoc tamen potius absolvetur in schemate *De Ecclesia in mundo huius temporis.*

(D) E/3375 clausulam proponit: « firmis semper servatis iuribus et officiis catholicae fidei ». Res per se patet, et suo loco etiam expresse exponitur a Concilio.

(E) E/3415 postulat ut specialis numerus addatur de relatione « inter ipsos laicos et illos homines ad quos missi sunt ». Commissio consentit rem in schemate esse magis respiciendam, sed in alio loco (cf. Cap. III, nn. 13 et 14).

Textus prior

n. 3. [*De formatione apostolica*]

Cum vocatio ad apostolatum ad essentiam ipsam pertineat vocationis christianae, omnis educatio christiana includat necesse est formationem quoque ad apostolatum, ita ut unusquisque plene conscius reddatur suae partis in missione Ecclesiae et, caritate Christi compulsus (cf. *2 Cor.* 12, 15), aptus evadat ad suam missionem implendam.

Textus emendatus

Cap. VI. De formatione ad apostolatum (A)

28. [*De necessitate formationis ad apostolatum*] (A). Apostolatus plenam efficaciam attingere potest solummodo multiformi et integra formatione; quam exigunt non solum continuus spiritualis et doctrinalis profectus ipsius laici, sed et varia adiuncta rerum, personarum et officiorum ad quae navitas eius accommodanda est. Haec formatio ad apostolatum iis fundamentis inniti debet quae ab hoc Sacrosancto Concilio in aliis locis asserta et declarata sunt (B).[1] Praeter formationem omnibus christianis communem, ob varietatem personarum et adiunctorum non paucae apostolatus formae specificam quoque et peculiarem formationem requirunt.

29. [*De principiis formationis laicorum ad apostolatum*]. Cum laici suo modo missionem Ecclesiae participent, formatio eorum apostolica ab ipsa indole saeculari, propria et peculiari laicatus, eiusque spirituali vitae ratione notam specialem accipit (A).

Formatio ad apostolatum formationem integram quandam humanam uniuscuiusque ingenio condicionibusque accommodatam supponit. Laicus enim, mundum huius temporis bene cognoscens, membrum propriae suae societatis eiusque ingenii cultui aptatum esse debet (B).

Imprimis autem laicus discat implere Christi et Ecclesiae missionem, ex fide in divino mysterio creationis et redemptionis vivens, motus Spiritu Sancto populum Dei vivificante, qui omnes homines impellit ad Deum Patrem diligendum atque mundum et homines in Ipso. Quae formatio ut fundamentum et condicio

Textus prior

Haec autem formatio, ex variis elementis spiritualibus doctrinalibusque constans, complecti debet etiam cognitionem condicionis cuiusque congruam, scientiarum socialium et artium; quae formatio, in methodis probatis tam traditionalibus quam modernis fundata, non sola instructione recepta, sed praxi quoque apostolatus perficienda est. Peculiari modo haec formatio eo contendat ut idonei fiant ad relationes humanas condendas atque fovendas. Instituendi sunt ut christiane iudicent de adiunctis rerum utque suam actionem apostolicam spiritu evangelico eis adaptent.

Textus emendatus

cuiusvis apostolatus efficacis considerari debet (C).

Praeter formationem spiritualem, institutio doctrinalis, et quidem theologica, ethica-socialis, philosophica, secundum diversitatem aetatis, condicionis et ingenii hisce temporibus, magni momenti est, adiunctis variis attentis. Momentum etiam formationis practicae et technicae minime negligatur.

Ad bonas « relationes humanas » colendas oportet ut exerceantur in arte fraterne cum aliis convivendi, amicum colloquium instituendi, efficaciter cooperandi atque, si casus postulet, alios ducendi vel dirigendi, sed prae omnibus libenter alios audiendi et, ubi id bonum commune exposcat, sequendi iisque oboediendi (D).

Quoniam vero formatio ad apostolatum non potest in sola theoria consistere, gradatim quidem et prudenter, inde ab initio formationis suae, discant omnia sub lumine fidei aspicere, iudicare et agere, per actionem seipsum cum aliis efformare ac perficere, et sic in operosum servitium Ecclesiae ingredi (E).[2] Quae formatio, semper perficienda propter personae humanae crescentem maturitatem et propter evolutionem problematum, altiorem in dies cognitionem et aptatam actionem postulant. In omnibus formationis exigentiis explendis semper unitas et integritas personae humanae prae oculis habenda est ita ut eius harmonia et aequilibrium augeatur et salvetur.

Hoc modo laicus penitus et naviter sese inserit in ipsam « realitatem » ordinis temporalis suamque partem in eius gerendis rebus efficaciter suscipit, simulque tamquam vivum membrum et testis Ecclesiae eamdem in sinum rerum temporalium « praesentem et actuosam » reddit (F).[3]

Textus prior

Formatio apostolica igitur omnibus omnino impertienda est; in ipsa pueritia incipienda, in adulescentia urgenda, et per totam vitam iuxta diversas exigentias novarum responsabilitatum perficienda.

Iis ad quos spectat educatio christiana, ex ipsa natura rerum officium quoque institutionis ad apostolatum incumbit; inter quos praecipuum locum obtinent parentes vel tutores, sacerdotes, catechistae, magistri, et pro suis membris, ipsae associationes. Quae de formatione ad apostolatum in communi indicata sunt, etiam in scholis, collegiis et aliis institutis educationis observanda sunt.

Sacerdotes autem prae oculis habeant in catechesi et ministerio verbi, in moderatione animarum et administratione sacramenti Paenitentiae, necessitatem educationis laicorum ad apostolatum, ii praesertim quibus demandata est cura animarum vel associationum laicorum.

Textus emendatus

30. [*De iis ad quos pertinet alios ad apostolatum formare*]. Formatio ad apostolatum a prima puerorum institutione incipere debet. Peculiari autem modo apostolatu initientur adulescentes et iuvenes atque hoc spiritu imbuantur. Per totam vitam haec formatio perficienda est prout nova suscepta munera requirunt. Patet igitur eos ad quos spectat educatio christiana, officio quoque formationis ad apostolatum devinciri.

Parentum est in familia filios suos ab ipsa pueritia disponere ad agnoscendum amorem Dei erga universos homines; eos gradatim praesertim exemplo doceant sollicitudinem de proximi necessitatibus tam materialibus quam spiritualibus. Tota ergo familia eiusque communis vita quasi tirocinium apostolatus evadat (A).

Pueros educare insuper necesse est, ut fines familiae transcendentes, communitatibus tam ecclesiasticis quam temporalibus animum pandant. In locali communitate paroeciae ita assumantur ut in ea conscientiam acquirant se viva et activa membra esse populi Dei (B). Sacerdotes autem prae oculis habeant sive in catechesi, sive in ministerio verbi, sive in aliis ministeriis pastoralibus formationem laicorum ad apostolatum; eorum enim est laicorum vitam spiritualem integre formare et apostolatum eorum promovere.

Scholarum quoque, collegiorum aliorumque institutionum catholicarum formationi inservientium est in iuvenibus sensum catholicum et actionem apostolicam fovere. Ubi quacumque de causa pueri has scholas non frequentant, parentes et animarum pastores et consociationes apostolicae curent, ut huic carentiae, quantum fieri potest, consulatur. Magistri ergo et educatores doctrina necessaria et arte paedagogica imbuti sint, quibus hanc institutionem

Textus prior

Opus denique educationis potissimum pertinet ad ipsum qui educatur, cuius erit detegere et fovere dotes quas Deus ipsi dedit, propriam christianam personam perficere, ut promptus sit Christo Domino Eiusque Ecclesiae ministrare.

Textus emendatus

efficaciter tradere valeant.

Coetus et consociationes item laicorum sive apostolatum sive alios fines supernaturales intendant, pro fine et modulo suo formationem ad apostolatum sedulo et assidue fovere debent.[4] Ipsae sunt saepe via ordinaria congruentis formationis ad apostolatum. In ipsis enim habetur formatio doctrinalis simul spiritualis et practica. Sodales eorum cum sociis vel amicis in parvis coetibus methodos et fructus suae navitatis apostolicae perpendunt et rationem vitae suae cotidianae cum Evangelio comparant (C).

Huiusmodi formatio ita ordinanda est ut ratio habeatur totius apostolatus laicorum, qui non tantum inter coetus ipsos consociationum, sed in omnibus etiam adiunctis per totam vitam est exercendus, praesertim « professionalem » et socialem. Immo unusquisque ad apostolatum seipsum naviter praeparare debet, quod magis urget in adulta aetate. Progrediente enim aetate melius animus panditur atque ita unusquisque diligentius detegere potest talenta quibus Deus animam suam ditavit illaque charismata efficacius exercere quae ei a Spiritu Sancto in bonum fratrum suorum collata sunt.

31. (num. novus) [*De adaptatione formationis ad varias formas apostolatus*]. Variae formae apostolatus peculiariter congruentem formationem quoque expostulant.

a) Qui apostolatum ad homines evangelizandos et sanctificandos exercere vocantur, specialiter formandi sunt ad colloquium instaurandum cum aliis, etiam non credentibus, ad nuntium Christi directo omnibus manifestandum.[5]

Cum vero hisce nostris temporibus diversi generis materialismus late ubique grassetur qui ipsa principia doctrinae ac vitae christianae ab imis fundamentis evertere conatur, christifideles laici diligentius et altius non solum doctrinam catholicam ediscant, ea praesertim capita quibus efficacius refelli possunt adversae opiniones, sed imprimis effulgens vi-

tae christianae specimen cuilibet materialismo opponere ne desinant, quinimmo, studio, oratione et actione apostolatum ad eos extendere contendant qui quocumque sensu materialismo affecti sunt, ut eosdem Christo lucrifaciant.

b) Quoad instaurationem christianam ordinis rerum temporalium, laici edoceantur de vera significatione et pretio bonorum temporalium ad omnes fines personae humanae quod attinet; exerceantur in recto usu rerum et organizatione institutionum, semper attendentes ad bonum commune iuxta principia doctrinae socialis christianae (A). Sic discant facere iustitiam in libertate, ducti lumine veritatis et caritate animati.[6]

Ut haec actio apte exerceri possit, laici respectu « technico », doctrinali, morali praeparentur. Enitendum quoque est, ut ipsi doctrinam socialem Ecclesiae evulgare ac diffundere valeant, omnibus modis quos recentior induxerit aetas, speciatim instrumentis communicationis socialis.[7]

Huius doctrinae principia eiusque conclusiones ita eis exponantur, ut ipsi laici capaces reddantur ad eadem singulis casibus rite applicanda iustasque solutiones problematum inveniendas.[8]

c) Cum caritatis et misericordiae opera praeclarissimum testimonium christianae vitae offerant, formatio apostolica ad haec exercenda adducere debet, ut discant christifideles a pueritia fratribus compati eisque in indigentia constitutis generoso animo subvenire.[9]

Textus prior

Ad laicos penitius in apostolatu efformandos apta centra habeantur praesertim pro iis qui speciali titulo servitio Ecclesiae addicuntur.

Textus emendatus

32. [*De subsidiis adhibendis*] (A). Laicis apostolatui deditis iam exstant multa subsidia, scilicet sessiones, congressus, recollectiones, frequentes conventus, conferentiae, libri, commentaria ad altiorem cognitionem Sacrae Scripturae et doctrinae catholicae consequendam, ad vitam spiritualem alendam necnon ad mundi condiciones dignoscendas et aptas methodos inveniendas et excolendas.[10]

Quae formationis subsidia rationem habent variarum formarum apostolatus in « ambitibus » ubi exercetur.

In hunc finem etiam erecta sunt centra vel instituta superiora quae optimos fructus iam dederunt.

Sacrosanctum Concilium laetatur de huius generis inceptis iam in quibusdam partibus

Textus prior

EXHORTATIO FINALIS

Sacrosanctum igitur Concilium omnes laicos enixe in Domino obtestatur ut Christo, hac hora instantius vocanti, et Spiritui Sancto magna cum alacritate docibiles se praebeant. Ipse enim Dominus per hanc SS. Synodum eos iterato invitat ut intimius in dies sibi iungantur et quae ipsius sunt, tamquam propria sentientes (cf. *Phil.* 2, 5), in eiusdem salvifica missione consocientur; eosque denuo mittit in omnem civitatem et locum quo ipse venturus est (cf. *Lc.* 10, 1), ut variis formis et modis unius apostolatus Ecclesiae, novis necessitatibus temporum continuo adaptandi, viam ei sternant qui ignem venit mittere in terram et vult ut accendatur (cf. *Lc.* 12, 49).

Textus emendatus

florentibus et exoptat ut aliis etiam in locis ubi necessaria fuerint, promoveantur.

Centra insuper « documentationis » et studiorum in materia anthropologica, psychologica, sociologica, methodologica, quo melius foveantur laicorum ingenii facultates, virorum mulierumque, iuvenum et adultorum, pro omnibus apostolatus campis erigantur.

EXHORTATIO FINALIS (A)

33. Sacrosanctum igitur Concilium omnes laicos enixe in Domino obtestatur ut *voci* Christ*i*, hac hora se instantius *invitanti,* et *impulsui* Spirit*us* Sanct*i* *libenter, generoso animo, prompto corde respondeant* (A). *Speciali modo hanc appellationem ad se directam esse sentiant iuniores, eamque accipiant cum alacritate et magnanimitate* (B). Ipse enim Dominus *omnes laicos* per hanc S. Synodum iterato invitat ut intimius in dies sibi iungantur et quae ipsius sunt, tamquam propria sentientes (cf. *Phil.* 2, 5), in eiusdem salvifica missione consocientur; eosque denuo mittit in omnem civitatem et locum quo ipse venturus est (cf. *Lc.* 10, 1), ut variis formis et modis unius apostolatus Ecclesiae, novis necessitatibus temporum *continenter* aptandi *cooperatores ei se exhibeant, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor eorum non est inanis in Domino* (cf. *1 Cor.* 15, 58) (C).

NOTAE

Cap. VI - *De formatione ad apostolatum*

Ad n. 28.

[1] Cf. Const. dogm. *De Ecclesia,* cc. II, IV, V: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 12-21; 37-43; 44-49; cf. etiam hoc Decretum *De apostolatu laicorum,* c. I, n. 4.

Ad n. 29.

[2] Cf. PIUS XII, *Ad I Conferentiam internationalem « boy-scouts »*, 6 iun. 1952: *A.A.S.*, 44 (1952), pp. 579-580; IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.*, 53 (1961), p. 456. [65]

[3] Cf. Const. dogm. *De Ecclesia,* c. IV, n. 33: *A.A.S.*, 57 (1965), p. 39.

Ad n. 30.

[4] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.*, 53 (1961), p. 455.

Ad n. 31.

[5] Cf. PIUS XII, Epist. Encycl. *Sertum laetitiae,* 1 nov. 1939: *A.A.S.*, 31 (1939), pp. 635-644; cf. IDEM, *Ad « Laureati » Act. Cath. It.,* 24 maii 1953.

[6] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in Terris,* 11 apr. 1963: *A.A.S.*, 55 (1963), p. 297. [66]

[7] Cf. Decretum *De instrumentis communicationis socialis*: *A.A.S.*, 56 (1964), pp. 145-153.

[8] Cf. PIUS XII, *Ad Congressum Universalem Foederationis Mundialis Juventutis Femininae Catholicae,* 18 apr. 1952: *A.A.S.*, 44 (1952), pp. 414-419; cf. IDEM, *Ad Associationem Christianam Operariorum Italiae* (*A.C.L.I.*), 1 maii 1955: *A.A.S.*, 47 (1955), pp. 403-404.

[9] Cf. PIUS XII, *Ad Delegatos Conventus Sodalitatum Caritatis,* 27 apr. 1952: *A.A.S.*, 44 (1952), pp. 470-471.

AAd n. 32.

[10] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.*, 53 (1961), p. 454.

RELATIO DE SINGULIS NUMERIS [67]

Ad titulum

(A) Plures Patres (E/3278, 3307, 3366, 3428) petierunt ut diffusius, explicitius, profundius de formatione laicorum ad apostolatum ageretur. Quidam insuper (E/3278, 3280, 3326, 3372, 3453) expresse voluerunt ut fieret integrum novum caput de hac quaestione et logice in fine totius tractationis de apostolatu laicorum amandaretur. Commissio itaque his desideratis satisfacere cupiens novum hoc caput redegit, iuxta observationes horum Patrum, etiam reassumendo aliqua quae in schemate anno 1962 parato inveniebantur.

Ad num. 28

(A) Plures Patres (E/3301, 3307, 3322, 3326, 3409, 3446) fortiter revocarunt absolutam necessitatem formationis ad apostolatum. Ad hoc provisum fuit in isto numero.

[67] (B) Aliqui Patres (E/3278, 3281, 3302, 3311, 3323, 3338) volunt ut tractatio intimius connectatur sive cum Constitutione dogmatica de Ecclesia, sive cum iis quae spiritualitatem apostolatus laicorum respiciunt. Commissio his desideriis obsecundavit.

Ad num. 29

(A) Uti E/3370 et E/3583 dixerunt, formatio incipi debet ab ipsa indole saeculari propria et peculiari laicatus.

(B) Iidem E/3370 et 3583, necnon 3428 petierunt ut dicatur formationem integram humanam requiri. Commissio annuit his desideriis.

(C) Secundum E/3313, 3453, 4606 formatio spiritualis est fundamentum cuiusvis formationis apostolicae. In qua formatione E/3278, 3282, 3304, 3310, 3323, 3394, 3512 extollunt motum Spiritus Sancti. Commissio ergo ita apparavit textum.

(D) Aliqui Patres petierunt ut laici exerceantur in dialogo (E/3428), in cooperatione amicali cum aliis (E/3230, 3367). Quod etiam acceptatur a Commissione.

(E) Textus emendatus insistit in formatione suiipsius per actionem, uti E/3453 et E/3516 iuste petierunt.

(F) E/3370 dicit laicos per formationem conscios fieri debere suae responsabilitatis in Ecclesiae missione salvifica. Commissio recepit hanc ideam.

[68] *Ad num. 30*

(A) E/3337 et E/3453 petunt ut extollatur munus familiae in tirocinio ad apostolatum. Commissio libenter addit haec verba.

(B) Secundum E/3370 formatio ad apostolatum postulat ut instituatur inter laicos et Hierarchiam contactus directi ad collaborationem efficacem in missione Ecclesiae. Quod ita exprimitur in textu.

(C) E/3370 insuper insistit de necessitate formationis in associationibus, immo in conventiculis, ubi laici legem solidarietatis apprehendunt. Commissio libenter inseruit in textu hanc ideam.

Ad num. 31

(A) E/2689, 3307, 3213, 3432 volunt ut dicatur laicos ediscere debere principia doctrinae socialis. Commissio ergo de hac re explicite sermonem facit.

Ad num. 32

(A) E/3337, 3344, 3414, 3460, 3521, 3525, 3581 optant ut diffusius aliqua dicantur de subsidiis seu instrumentis formationis ad apostolatum. Commissio hoc in numero his desideriis satisfacere intendit.

Ad num. 33 [68]

(A) E/3114 vellet ut ante exhortationem finalem explicite sermo fieret de fraterna habitudine in apostolatu exercenda. Res videtur sufficienter inclusa in iis quae nunc in schemate complentur de spiritualitate et de formatione in ordine ad apostolatum.

(B) E/3302 desiderat ut explicite allocutio fiat ad iuniores. Quod placuit Commissioni, quae haec verba addidit.

(C) E/3377 postulat ut in exhortatione finali addatur motivum praemii. Sed minus convenire videtur cum toto tenore, qui aliis placet.

E/3302 petit ut commemoretur hoc loco Beatissima Virgo, Regina apostolorum. Commissio consentit de idea, tamen alium locum elegit; de Beatissima Virgine Maria explicite sermo fuit in capite I, n. 4 in fine.

KALENDARIUM SUFFRAGATIONUM SCHEMATIS DECRETI « DE APOSTOLATU LAICORUM »

Prooemium et Cap. I de vocatione laicorum ad apostolatum

Suffr. I, n. 1 per *placet* vel *non placet.*
Suffr. II, nn. 2-3 per *placet* vel *non placet.*
Suffr. III, n. 4 per *placet* vel *non placet.*
Suffr. IV, super prooemio et integro capite I per *placet, non placet, placet iuxta modum.*

Cap. II de finibus assequendis

Suffr. V, nn. 5-6 per *placet* vel *non placet.*
Suffr. VI, n. 7 per *placet* vel *non placet.*
Suffr. VII, n. 8 per *placet* vel *non placet.*
Suffr. VIII, super integro capite per *placet, non placet, placet iuxta modum.*

Cap. III de variis apostolatus campis

Suffr. IX, nn. 9-10 per *placet* vel *non placet.*
Suffr. X, nn. 11-12 per *placet* vel *non placet.*
Suffr. XI, nn. 13-14 per *placet* vel *non placet.*
Suffr. XII, super integro capite per *placet, non placet, placet iuxta modum.*

Cap. IV de variis apostolatus modis

Suffr. XIII, nn. 15-17 per *placet* vel *non placet.*
Suffr. XIV, nn. 18-19 per *placet* vel *non placet.*
Suffr. XV, nn. 20-22 per *placet* vel *non placet.*

Suffr. XVI, super integro capite per *placet, non placet, placet iuxta modum.*

Cap. V de ordine servando

Suffr. XVII, nn. 23-25 per *placet* vel *non placet.*

Suffr. XVIII, nn. 26-27 per *placet* vel *non placet.*

Suffr. XIX, super integro capite per *placet, non placet, placet iuxta modum.*

Cap. VI de formatione ad apostolatum

Suffr. XX, nn. 28-30 per *placet* vel *non placet.*

Suffr. XXI, nn. 31-33 per *placet* vel *non placet.*

Suffr. XXII, super integro capite et exhortatione finali per *placet, non placet, placet iuxta modum.*

Secretarius generalis: Antequam legam, communico vobis Patribus hodie distributionem fieri vel iam inceptam esse schematis decreti *de institutione sacerdotali,* quod suffragationi subicietur suo tempore.

Lego igitur primam suffragationem. Videatis textum, pag. 7 *de apostolatu laicorum.* Suffragatio fit super textum emendatum, qui est in latere dextero. Prooemium [*cf. pag. 305-307*]. *Placet*ne vobis, Patres, an *non placet?*

Moderator: Resumitur disceptatio circa constitutionem pastoralem *de Ecclesia in mundo huius temporis,* et velit loqui ...

PATRUM ORATIONES
(*De Ecclesia in mundo huius temporis*)

1

EM.MUS P. D. LAUREANUS CARD. RUGAMBWA
Episcopus Bukobaënsis

Venerabiles Patres,

Schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* omnino placet propter multas rationes et imprimis quia in prooemio clare affirmatur solidarietas Ecclesiae cum tota familia humana in rebus secundis et adversis, in gaudio, in spe, in luctu et angore. Quodsi textus ad credentes maxime dirigitur, nihilominus una eademque caritate quae ex corde Christi profluit omnes homines complectitur eisque omnibus fidem nostram pro-

ponit tamquam victoriam quae vincit mundum. Sic Christus apparet ut spes mundi et Dominus ipsius historiae.

Postea, de signis temporum agens, schema bene dignoscit illa elementa per quae Deus homines fortiter suaviterque ad Se attrahit.

Pars prima, magis theoretica, necessaria est, nobisque placet etiamsi in formam aliquanto meliorem et forsan breviorem redigi certe possit.

Argumenta, quae in *secunda parte* tractantur, vere digna sunt hoc Concilio Oecumenico, neque doctrina prorsus nova est. Sufficit enim in mentem revocare immortales illas encyclicas per quas Summi Pontifices mundo iter ad Deum dilucide ostendunt. Quam attento et quam grato animo homines vocem Papae Ioannis XXIII sanctae memoriae audierunt!

Quoad modum tractandi materiam, desideratur ut v. g. in re sociali et oeconomica vel in pacifica cooperatione inter omnes nationes fovenda clarius et exactius definiantur problemata et remedia quae iam encyclicae *Mater et Magistra* et *Pacem in terris* opportune exposuerunt.

Problemata nostri schematis revera exsistunt, sed aliquando considerantur sub quibusdam aspectibus circumstantiarum procul dubio transitoriarum. Iam enim ultra tempus decolonisationis acceleratus historiae cursus praecipitatur. Cumque fluxus historiae nequeat immobiliter consistere, nos omnes debemus quae retro sunt sicut Paulus obliviscentes ad ea quae sunt priora nosmetipsos extendere ...[1] ut mundum aedificemus qui cras exsurget.

Praeterea, ni fallor, problemata oculis occidentalibus et mente quodammodo cartesiana aliquando examinantur. Non dico hoc male fieri, sed methodum meliorem evadere posse si ad complementum saepius adhibeantur adiumenta psychologiae illorum populorum qui ad contubernium mundi pervenerunt. Specula enim bene coniuncta sibi invicem lucem reverberant et augent.

Propterea *tria puncta* maximi momenti omnino sublineanda sunt:

1. Primo scil. urgentissime inculcanda est solidarietas totius humani generis in omni campo vitae: in sanitate, in re oeconomica, in re culturali, in re sociali, in re morali, in re politica necnon spirituali. Tam Afri quam Asiatici solent dicere: « Inter quattuor maria omnes homines fratres sunt ». Quodsi res ita se habent, homines nolunt id quod eis debetur tamquam eleemosynam recipere sed exspectant iustitiam, aestimationem amoremque veri nominis. Vulnus insanabile eis infertur, si donum contemptim sine debita observantia praebetur.

2. Secundo, quia in iustitia, veritate, libertate et amore ponitur vera pax, adiumenta et subsidia accelerentur, augeantur et modo educativo dentur ita ut regiones quae sunt in processu evolutionis non sint unice

theatrum passivum ...[2], sed ipsi incolae actuose et dynamice proprio labore bene ordinato ad progressum suum omnimodis cooperentur et collaborent.

3. Tertio, maior usque fiat cooperatio internationalis. Proinde ab omnibus hominibus bonae voluntatis promoveantur omnes organisationes quae bono communi totius generis humani operam dant.

Requiritur ergo ut « adiutores » memores sint se esse cooperatores caritatis Dei et ministros Amoris Patris caelestis. Quocirca ipso Dei amore ad agendum moveantur et in agendo dirigantur; ab ipso Deo perseverantiam in vera caritate implorent. Haec enim est unica via qua homines ita adiuvari possunt sicuti Deus vult.

Sub aspectu tandem *genuini oecumenismi* liceat mihi votum proponere ut in hoc schemate locus clarus et amplus tribuatur fratribus nostris qui Christi nomine signantur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (cf. *Phil.* 3, 13). [2] de quo ab aliis tractatur paucorum lucri causa.

2

Em.mus P. D. LAURENTIUS IOSEPH card. SHEHAN
Archiepiscopus Baltimorensis

Venerabiles Patres,

Textus huius constitutionis propositae in genere placet. In multis tamen perfici debet, de quorum duobus pauca verba facere volebam, nempe: 1. de stylo, et 2. de methodo.

Cum autem omnia quae de stylo dici debent iam dicta sunt, ad methodum statim transeo ...[1]

Iuxta ea quae in relatione generali leguntur (pag. 91 ss.), redactores schematis sibi proposuerunt exprimere veritates et facta ordinis naturalis atque veritates et facta ordinis supernaturalis, *infausta tamen separatione reiecta.*

Huiusmodi infausta separatio, mea humili opinione, melius et securius evitaretur si in schemate tractaretur de veritatibus utriusque ordinis modo vere synthetico. Hac enim methodo proprie utuntur, qui veritates, prima facie, inter se discrepantes, ita exprimunt ut clare intelligatur eas potius se invicem complere in aliqua vera unione.

E. g., veritates et facta quae dicuntur esse ordinis naturalis *concipi* possunt ac si essent ordini supernaturali totaliter oppositae. In ordine reali et concreto, autem, minime sic se habent. Illi enim ordines, quam-

quam mente ab invicem *distingui* debent, a parte rei, tamen, se invicem potius complent quia in uno eodemque subiecto actu inveniuntur. Exinde patet cur haec schema, cuius est de ordine reali et concreto agere, hanc methodum, nempe verae synthesis, quasi sibi propriam vindicare debeat.

Illa autem methodus synthetica magis feliciter adhibere potuisset, praesertim in cap. I, II et III.

Materia in his capitibus tractata opportunitatem praebet adumbrandi anthropologiam vere christianam, profectui doctrinae Ecclesiae in his temporibus accommodatam. Veritates enim et facta ordinis naturalis et supernaturalis unum eumdemque respiciunt, nempe hominem in ordine reali et concreto atque in illo inveniunt principium proprium unitatis seu synthesis. Nam homo, in ordine reali et concreto exsistens, sic potest accipi: 1. ut *individuus,* unus et unicus inter alios, a quibus est penitus distinctus; 2. ut *persona* spiritualis: ex una parte, capax realitatis infinitae, ratione intelligentiae et amoris; et, ex alia parte, capax communionis communitatis cum aliis personis ratione eiusdem intelligentiae et amoris; 3. ut *Dei filius* cui Deus Ipse potestatem dedit in communionem communitatis Beatissimae Trinitatis intrare.

Quoniam hi tres ordines, essentialiter inter se diversi, inveniuntur in una individua persona hominis redempti vel redemptionis capacis, in ordine reali et concreto profundam unitatem ipsorum ordinum manifestant et synthesim reddunt possibilem. Hi autem ordines realitatem attingunt in ordine concreto existenti solummodo in unitate penitus compacta. Sic homo fit in humano genere, quia individuus est; in communitate humana, quia persona est, et membrum Ecclesiae cum Christo unitum quia persona redempta est.

Huiusmodi synthesis, qualis superius breviter indicata, fructus esset profectus doctrinae secundum leges immutabiles omnis profectus: continuitatem et progressum; veritates veteres in formis novis, quae signis temporis nostri sunt accommodatae.

Mea humili opinione, synthesis felix et realistica iam non est obtenta e. g. ubi (pag. 5) de influxu Satanae in mundo agitur; ubi (pag. 16) agitur de Deo ab hominibus agnoscendo et de problemate atheismi; ubi (pag. 48) de amore coniugali eiusque habitudine ad institutum matrimonii ...[2]

Denique, Patres venerabiles, liceat mihi pauca verba facere de tali synthesi comprehensiva.

Realistica et valida synthesis in materia huius schematis non est timenda. Potius exspectandus est profectus doctrinae occasione mutationis rerum adiunctarum et novorum problematum surgentium. Synthesis enim toto caelo differt a compromisso. Solutiones iuxta compromis-

sum attinguntur mutuis concessionibus. Synthesis autem solutiones petunt veritates complendo quae actu se invicem compleant. Haec methodus, nempe synthesis, ab initio in hac Sacrosancta Synodo praeeminet in renovatione Ecclesiae in vita, doctrina et institutionibus.

Ecclesia ergo synthesim quaerens, missionem suam fideliter adimplet. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] 1. de stylo: In relatione generali legitur (pag. 90) « Patres " multo numerosiores " exspectare " stylum directum ", simplicem, non nimis ecclesiasticum et ... in quantum fieri potest, omnibus accommodatum ». Tali proposito a parte commissionis praesupposito, nemo negare posse videtur schema in genere et praesertim in primis capitibus adhuc multum deficere quoad stylum. Nam documentis formalibus redolet, principia sua in phrasibus et sententiis non modo prolixis et implicatis exprimens sed etiam tam copiosis ut ideas saepe introducant quae parum vel minime ad res tractandas pertinent. Hoc defectu conceptus regens seu idea vere centralis redditur obscura et difficillima captu. Omnino tunc assentio iis quae optime expresserunt em.mus et venerabilis P. card. Bea et alii Patres qui de dubiis infinitis cavendis quae in futuro exoriantur ex his locis obscuris. Inter mutationes quae mihi necessariae videntur ad stylum perficiendum, maxime opus est schema principia exprimere in sententiis breviter et simpliciter constructis. 2. de methodo. [2] Alias observationes secretariatui submittam.

Moderator: Exc.mus D. secretarius generalis proponit II suffragationem.

Secretarius generalis: Antequam legam, velitis audire, Patres. Iam plus quam hebdomada elapsa est a Concilio inchoato. Hoc tempore plures Patres venerunt, quorum interventio in Concilio ignorabatur. Aliqui novi Patres interea electi sunt vel promoti sunt. Quapropter necessarium est sedes Patrum aliquantisper immutare, quod fiet tamen feria II proxima. Igitur feria II proximae hebdomadae vos, Patres, invenietis regesta in quibus continetur dispositio nova sedium; est modica transpositio aliquando, sed opportunum est, immo necessarium est ut quisque videat suam novam sedem; sed tamen feria II proxima, feria II proxima! Et interea, ii Patres qui se suis locis non vident patientiam habeant!

Et lego textum II suffragationis, pag. 15 [*cf. pag. 313-315, nn. 2-3*]. Patres, *placet*ne vobis an *non placet?*

Secretarius generalis, dum textum legit, sic Patres monet: Rogo eos, qui sunt circa me, ne loquantur alta voce! Nam ego, quamvis sim tranquillus, aliquam molestiam patior in legendo. Ceterum, si loquuntur, non audiunt quae ego lego. Patientiam habete! Prosequor.

3

EXC.MUS P. D. ANTONIUS DE CASTRO MAYER
Episcopus Camposinus

Venerabiles Patres,

1. Schema nobis propositum non sufficienter ostendit intimam connexionem inter atheismum marxistum, prout optime describitur in parte I, cap. I, n. 19, et analysim ordinis oeconomici a Karlo Marx expositam, prout in cap. III, partis II eiusdem schematis, praesertim n. 83, recte reprobatur.

Hodiernis enim temporibus, multi homines, in primis iuvenes, arbitrantur atheismum marxistum seiungendum esse ab eius doctrina oeconomica, ita ut ipsi christiani possint et debeant — ut aiunt — interesse in organizatione productionis collectivae, et in eversione proprietatis privatae, seu dominii bonorum personalis.

Ad tollendam ergo anxietatem plurimorum tam laicorum quam clericorum, schema debet doctrinam Ecclesiae in hac quaestione explicite declarare.

2. Cur etiam, venerabiles Patres, plurimi coaevi nostri, spem suam in materialismo dialectico, i. e. communismo, reponunt, et ab illo exspectant novam melioremque rationem distributionis bonorum?

Huic quaestioni sic enuntiatae, obvium patet responsum, nempe homines iam non credere in efficacitatem libertatis et vim moralis correctionis ad bona temporalia administranda, et ita securius sese committere oeconomicae organizationi, quae ista bona distribueret ad instar, ut putant, machinae optime compositae et ordinatae ...[1]

3. Talis doctrina socialis, communismum videlicet, quemadmodum negat responsabilitatem hominis, ita eum allicit specie efficacitatis in re oeconomica. Ipso facto, persona humana, iam non habetur ut subiectum totius activitatis oeconomicae et socialis, sed ut obiectum tantum technicae organizationis; obiectum utique cui prodest haec organizatio, sed tamen ut obiectum.

4. Patet ergo omnem oeconomiam a materialismo dialectico usurpatam contradicere christianae anthropologiae huius schematis. Quinimmo organizatio marxista civitatis, denegans liberam activitatem humanae personae ad ordinem oeconomicum promovendum ut ius transcendens, ipso facto denegat eidem personae humanae eius indolem spiritualis creaturae, eiusque intimam naturam in qua resplendet imago creatoris.

5. Si ergo socialismum ita componit temporalem civitatem ut cives iam non amplius videant in homine naturam quamdam creatam, quasi necessario ducit eos usque ad doctrinam perfectam ipsius Caroli Marx. Nempe: humanitas seipsam efficit et perficit, namque causa sui est. In oeconomia marxista, homo est obiectum absque determinata natura; Deus mortuus est, et divina perfectio Iustitiae humanitati sese per evolutionem perficienti attribuitur.

Mundi itaque desiderio et exspectationi, quae ad spem terrestrem intendit, utinam Ecclesia offerat, in hoc schemate, spem theologicam, cuius depositum habet, etiam ad corpus sociale perficiendum in iustitia et caritate. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (cf. pars I, cap. II, n. 34, pag. 27, lin. 38).

Animadversiones additae:

Ad prooemium, n. 1, linn. 10-14. Obscura et ambigua sunt quae his lineis dicuntur: 1. Quomodo communis dicitur omnium sors tam in prosperis quam in adversis? Saepe quae quibusdam adversa sunt, de facto aliis quamdam prosperitatem causant. V. g. Dominatio in rempublicam « Cuba » a communistis introducta, quae cubanis infausta omnino fuit et est, nonnullis aliis populis quamdam prosperitatem causavit; 2. Quomodo, sine addito, dicitur gentes diversae religionis commune iter arripere versus finem, nonnisi sub umbris clarescentem? *a*) De se una est via quae ducit ad finem ultimum hominis, scil. vera religio; *b*) pro fidelibus christianis, finis non in umbris cognoscitur, sed firma fide creditur.

Ad n. 2, pag. 5. *a*) deest clara explicatio quid veniat nomine « mundi sub Maligni signo positi »; *b*) certo certius, hic mundus sub maligni signo positus in fine non salvatur per fidem, sed potius a Deo iudicatur et condemnabitur.

Ad n. 4, pag. 7, ad lin. 8 addatur. « Numquam genus humanum tam acute quam hodie sensum libertatis habuit, dum numquam tanta et talis servitus omne genus in mundo viguit, servitus peccati, materialis, politica, etc.

Ad n. 6, pag. 8, linn. 20-21. Hic sermo est sine addito de « beneficiis » industrializationis et urbanizationis. At hodierna « industrializatio » ac « urbanizatio » suntne vera beneficia? Nonne servitus hominis hodierni plurimum consequentia est nimiae « industrializationis » et amplissimae « urbanizationis ».

Ad n. 7. Hic numerus prout iacet sapit evolutionismum.

Ad n. 8. Prout iacet favet menti dialectica marxista imbutae.

Ad cap. I. Meas facio observationes iam a clarissimo Carli, ep. Signino, commissioni praesentatas.

Ad n. 24, pag. 22, linn. 26-27. Verba « Ut omnia haec impleantur, amplae societatis immutationes inducendae sunt ». Vago modo de immutationibus loquuntur. Nonne melius clare proponere principium, societatem, nempe, tantum hominum bono communi inservire cum in principiis legis divinae fundetur?

Ad n. 24, pag. 22, linn. 28-31. Potestne dicere Dei Spiritum evolutionem quam patitur modo societas aliquo sensu causare, sicut textus insinuat?

Ad n. 31, pag. 25. Hoc numero damnatur discriminatio qualiscumque. Possuntne omnes discriminationes sic damnari? Sunt discriminationes quae a lege

pendent naturae, ut distinctio inter hominem et feminam, puerum et senem, et sunt etiam discriminationes sociales quae a Magisterio Ecclesiae approbatae ut videri est in allocutione natalitia Pii XII anni 1944.

Ad cap. II. Ad lin. 39, pag. 22. Auferatur vox « necessario », ne appareat Concilium favere evolutioni marxistarum.

Ad linn. 41-42. Verba « semper novum semperque magis humanum aequilibrium invenire debet » etiam videntur favere opinioni marxistarum, secundum quos, iustitia perfecta nunquam invenitur, sed semper in progressu est ad statum perfectiorem; dum, e contra, tum Leo XIII in Litt. Enc. *Immortale Dei* in quibus describit optimum statum civilis consortii, cum omnes institutiones sociales virtute Evangelii imbuebantur; tum S. Pius X, in Litt. Apost. *Notre charge apostolique,* in quibus affirmat civilizationem christianam (in qua ergo invenitur perfecta illa iustitia quam in mundum Iesus inducit) non esse in nubibus procurandam, sed iam existere iterum iterumque instaurandam et restaurandam.

Ad n. 31, pag. 25, linn. 31 ss. Post verbum « minuendo » *ponatur*: « auferendo »; *post* verbum « disparitates » *ponatur*: « iniustas »; Verba, autem, « discriminationem qualemcumque vero constanter excludendo » *auferantur*. *Ratio*: extant disparitates et discriminationes quae a Dei Providentia in mundo inveniuntur, v. g. quae fundantur in ipsa natura, ut mulier et homo, puer et senex; quae fundantur in historia, in consuetudinibus et etiam in ingenio et fortuna, ut docebat Pius XII in allocutione natalitia 1944, quae approbandae sunt. Imo civitas christiana quamdam hierarchiam socialem postulat ut bonum commune verum exstare possit.

Pag. 26, linn. 6-7. Verba « etiamsi interdum pluribus saeculis opus sit ut ad optatum finem perveniatur » videntur significare nunquam humanas institutiones spiritualibus rebus omnium altissimis aliquando congruisse; at contrarium testatur Leo XIII in Litt. enc. *Immortale Dei,* et etiam in Litt. enc. *Libertas* in quibus loquitur de tempore quo « salutaris Ecclesiae virtus in omnes reipublicae partes nemine repugnante pervaserat (D. 1935) ».

Ad n. 32, pag. 26, lin. 20 et lin. 29. Expressiones « seipsum pro aliis impendendo » et « officio serviendi humanae communitati » videntur ignorare finem proprium hominis, scil. animam, dico, animam salvare, et in primis gloriam Dei proclamare.

Ad n. 34, linn. 33-39. Quae his lineis dicuntur videntur rebellioni favere. Non enim necesse est ut omnes cives partes habeant in republica ordinanda et gubernanda; a. v. Concilium hic videtur affirmare formam regiminis democraticam fere unice conformem bono communi in societate obtinendo. Dum, secundum doctrinam traditionalem Magisterii Ecclesiae, finis societatis potest etiam optime obtineri in aliis regiminis politici formis. Immo corruptiones frequentiores sunt in regimine democratico, corruptiones dico gubernantium in rebus publicis gerendis.

Moderator: Exc.mus D. secretarius generalis velit proponere III suffragationem.

Secretarius generalis: Pag. 16, n. 4 [*cf. pag. 315-316*]. *Placet* an *non placet?*

4

EXC.MUS P. D. MAURITIUS BAUDOUX
Archiepiscopus S. Bonifacii

Venerabiles Fratres,

Schema generaliter valde placet, etsi valor testimonii quod mundo affertur exigat ut maior adhuc quaeratur perfectio in forma praesentationis.

A. *Placet praesertim modus positivus loquendi de mundo et loquendi ad mundum.*

1. In multis partibus schematis apparet voluntas aspiciendi ad mundum cum sano optimismo, voluntas faciendi inventarium bonorum quae in mundo existunt. Si recensentur difficultates et pericula, saepe apparet hoc fieri unice ad provocandam activitatem eorum qui in mundo vivunt et praesertim christianorum. Bona et mala ut incitamentum (« comme un défi ») ad aliquid faciendum praesentantur. Illustratur hic modus dynamicus mundum considerandi quando agitur de evolutione necessaria ordinis socialis ...[1]

2. Item laudandus est modus directus, sincerus et audax quo schema mundum alloquitur. Non minuitur nec adumbratur responsabilitas hominum in quaestionibus gravibus et urgentibus nostrae aetatis, uti sunt, inter alia, vindicatio iurium personae, pax et aequalitas stabiliendae inter homines et inter nationes. Non dedignatur schema officia praecisa christianis indicare. Et propter hoc uberiores fructus producere potest quam quaedam ex aliis schematibus quae continuo de necessitate adaptationis et renovationis loquuntur, sed non satis lucide indicant puncta specifica in quibus renovatio urget nec modum quo concrete efficienda est (v. g. in schemate *de religiosis*).

B. *Quia orientatio schematis generatim positiva et constructiva est, aliqua nobis liceat proponere ut hae qualitates magis sustineantur in decursu totius schematis.*

1. Leves mutationes in formulatione vel ordine idearum fieri possent ne, pessimismo indulgentes, laudatores temporis acti et detractores temporis praesentis iudicemur. Sic secretariatui tradimus indicationes ad aliquos textus ita redigendos ut vera doctrina appareat non primario ut errores condemnans sed ut capax est erroribus et errorum pravis effectibus medicinam salutarem afferre ...[2]

2. Ad *dialogum*[3] cum mundo, necessarium est argumenta adhibere quae intellectui hominis moderni aliquid dicunt nec timendus est usus verborum quae nova sunt quidem sed intelligibilia.

a) Expressiones latinae quae realitates modernas modo nimis artificiali describunt intelligibilitatem textus non adiuvant. Cur reformidare a verbis sicut: valores personae humanae, cultura ...[4], sensus responsabilitatis ...[5], modo communitario ...[6], civilizatio ...[7], turismus ...[8], speculatio ...[9], urbanizatio ...[10], structura ...[11]? *E. g.,*[12] nonne sensum peiorativum implicant verba « ludicra certamina » (pag. 56) ad designandum quod vulgo dicitur « sport »?

b) Non solum verba sed et argumenta et probationes adhibenda sunt quae non « antiquata » sunt, vel valorem et pro praesenti saeculo habent. Omnino cavendum est a pseudo-scientia. Ita, v. g. ubi agitur de immortalitate, mutandum esset argumentum illud de « semine aeternitatis quod supra facultates materiae ... contra mortem insurgit » (pag. 16 ...[13]), quia nimis materialiter sumptum immortalitatem brutorum probaret. De cetero, in numeris *diversis*[14] non omnino superatur stylus apologeticus saeculo elapso habitualis. Nonne melius esset, etiam ex revelatis ...[15], positive demonstrare cur doctrinae quae hominem exaltant quandoque deficiant a Deo et immortalitate agnoscendis ...[16]?

Argumentationes ex Sacra Scriptura exigentiis strictissimis exegesis modernae respondere debent. *V. g.*[17] affirmatio thematis communitarii plenius manifestatur in ipsa *electione Populi,* tam Veteris quam Novi Testamenti, ...[18] ut ampliori elaboratione hic exspectabatur. In optima vitae socialis explanatione generalis referentia ad Scripturas vix sufficere potest.

c) Tandem maiorem adhuc conatum fieri debere aestimamus ne intelligentia textus *difficiliter*[19] evadat ex phrasibus nimis extensis cum accumulatione inversionum et clausularum explicativarum. Sic in n. 61 de sacra matrimonii indole ...[20] affirmatur: « Amore coniugali generoso atque conscio animetur oportet ipsum institutum matrimonii ». Quae propositio cum toto contextu logice convenit et ideam phrasis sequentis bene introducit. Sed tres propositiones complementariae in ipsa phrase introducuntur, una ad qualificandum amorem, et duae ad qualificandum institutum matrimonii. Et consequenter non solum phrasis sed et tota paragraphus intelligibilitate et progressione logica privatur ...[21]

Sic, *in eodem numero,*[22] inversio ordinem logicum destruit. In pag. 66 ...[23], phrasis de spiritu Beatitudinum inutiliter interrumpit progressionem idearum. Et in pag. 33 ...[24], tot ideae in una phrasi accumulantur ut sensus penitus perdatur: in tres saltem propositiones distribui posset. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (pag. 22, n. 25). [2] (nn. 8, 18, 39, 60). Sic in n. 39, faciliter ex mutatione paucorum verborum totus tonus praesentationis in

melius transformari potest. Textus novus ita legi posset: « Christiani *lucide arbitrantur* opera quae homines pepererunt et quae victoriae humani generis merito nuncupantur, *potentiam Dei creantis revelare.* Signum enim sunt magnitudinis divinae et fructus illius ineffabilis consilii Dei, qui voluit hominem ad imaginem suam facere (*Gen.* 1, 26). Eum enim ita constituit ut in creaturis mirabilia Creatoris contemplari possit, sed etiam aptum fecit ut secum quasi socio labore cooperaretur in creaturis perficiendis. Sicut filiorum illustria facta patrem magnificant, sic victoriae hominum Deum glorificant, nedum creaturam rationabilem quasi Creatoris aemulam ponant » (cf. linn. 15, 23).

« Unde apparet christianorum nuntium impellere homines ut conscii fiant officii quo arcte obstringuntur mundum excolendi et bonum sui similium non neglegendi. Evangelium a sollicitudinibus mundi non alienat, sicut aliquando forsitan ex inertia christianorum quidam deducere censerent. Re enim vera ... etc. » (cf. linn. 24-30). « Unum tamen manet omnino necessarium: ut scil. omnes illae navitates secundum mentem Creatoris ordinentur, assumptae et ad perfectionem deductae in Christo; ut, devicta proclivitate hominis ad superbiam et ad inordinatum sui ipsius amorem, cum veraci humani generis bono congruant; ut homini ... etc. » (cf. linn. 31-38). *Rationes*:

1. Sic vitantur expressiones « ut quidam asseveraverunt » (lin. 16) et « ut quidam obiciunt » (lin. 26), quae nimis generales sunt et sine ulla citatione obicientium; nec concordent cum desiderio Concilii abstinendi ab apertis controversiis.

2. In redactione proposita, principia positiva praecedunt observationibus minus favorabilibus, quae tamen non tacentur.

3. In locum magis convenientem transferuntur verba « quod per superbiam... adversatur » (linn. 31-32), quae interruptionem efficiebant in explicatione doctrinae.

Item pag. 9, n. 8, lin. 6: Post verba « saepe inordinate peracta », addantur alia haec verba « immo et ipsa acrior conscientia discrepantiarum in mundo vigentium ». *Ratio*: multae inter homines inaequalitates non novae sunt; olim iam quandoque vigebant. Hodie tamen ob civilizationis progressum et usum frequentem instrumentis communicationis socialis citius et vividius a communitate percipiuntur. Haec autem vivida cognitio simul ac connexae communitariae repercussiones discrepantias facile augent. Accuratior rerum cognitio ut peculiaris causa aequilibrium disrumpens expressis verbis hic notanda est.

In textu pag. 16, n. 18, linn. 38 ss., posset fieri sicut in textu gallice exarato, ubi primum asseritur legitimitas desiderii autonomiae, et deinde recensentur excessus huius desiderii apud plures, dum in textu latino primario cogitatur de erroribus.

In pag. 46, n. 60, linn. 18-31, novus textus proponitur: « Christiani in communione se sentiunt cum omnibus qui in mundo hodierno ideam altiorem tenent de dignitate viri et mulieris necnon et de exigentiis amoris specialis et pleni qui inter sponsos personali dignitate dotatos vigere debet. Et confidenter credunt notionem eximiam matrimonii, quam in Ecclesia receperunt, melius respondere talibus exigentiis quam polygamia vel alia foedera dilectionis imperfecta, quae in quibusdam regionibus adhuc inveniuntur. Pariter confidunt indolem sacram, quam amori nuptiali recognoscunt, aptam esse ut consuetudinem inter virum et mulierem

sublevet supra merum " erotismum " aut proclivitatem ad " hedonismum " et " egoismum ".

Praeterea commotiones et incertitudines non leves quae pro vita familiari inducuntur a necessitudinibus oeconomicis et socialibus, consentaneas existimant aetati nostrae, in qua tot et tanta citius crescunt et mutantur. Cum sollicitudine observant in pluribus orbis partibus praerapidum incrementum demographicum.

Ardua problemata exorta sunt, quae passim angorem et crisim quamdam conscientiarum invexerunt. Sed matrimonialis familiarisque instituti vis et robur ex eo apparent, quod variae et profundae immutationes societatis hodiernae veram eius naturam plurium oculis manifestare potuerunt potius quam illud penitus evertere ». *Rationes*:

1. In tres alineas dividitur expositio ut clarior appareat progressio idearum: primum exponitur *doctrina* Ecclesiae in comparatione cum ideis vigentibus et quidem incipiendo ab aspectibus positivis potius quam ab erroribus; deinde enuntiantur *facta* specialia nostri temporis; et sic pervenitur ad enuntiationem problematum quae ex confrontatione doctrinae et factorum exsurgunt.

2. Visio mundi minus pessimista apparet, etiamsi non taceantur problemata; et doctrina Ecclesiae ostenditur ut fermentum quod in mundo agere valet potius quam condemnatio idearum mundi.

3. Polygamia et alia foedera dilectionis, quadam stabilitate ditata, quae multae societates matrimonia appellant, quamvis careant notis secundum doctrinam catholicam necessariis, magis imperfecta et perfectionanda quam simpliciter damnata notantur. [3] dialogandum. [4] (n. 65 ss.). [5] (pag. 34, n. 42, lin. 12 loco « sponsionis » pag. 65, n. 82, lin. 1). [6] (pag. 32, n. 42, lin. 34). [7] (pag. 52, n. 65, lin. 15). [8] (pag. 56, n. 73, lin. 41; alioquin itinera non unice ad regiones exteras fiunt), productio (pag. 61, n. 76, lin. 3). [9] (pag. 65, n. 82, lin. 30). [10] (pag. 65, n. 83, lin. 33). [11] (loco « compage », pag. 68, n. 86, lin. 1). [12] Et pag. 56, n. 73, lin. 40: [13] n. 17, lin. 12. [14] 17-18. [15] (uti fit sub linn. 19-26). [16] (cf. *Rom.* 1, 18-32; *1 Cor.* 15, 12 ss.). [17] Sic in pag. 28, n. 35, linn. 12-16. [18] ita. [19] difficilior. [20] (pag. 47, lin. 16). [21] (Ideae propositionum subordinatarum alibi enuntiari potuissent, et de facto sunt repetitiones idearum nn. 60 et 63). [22] ibidem, in linn. 26-28. [23] n. 85, linn. 31-32. [24] n. 42, linn. 31-36.

Moderator: Nunc autem exc.mus D. secretarius generalis velit proponere suffragationem IV super schema decreti *De apostolatu laicorum*.

Secretarius generalis: Fit suffragatio super integro cap. I, cuius suffragatio fit per triplicem formulam: *placet, non placet, placet iuxta modum*.

Videatis, Patres! Ex officio mechanographico mihi communicatur quod aliquae schedae signum deferant suffragationis rectum quidem sed valde tenue, quasi sit cum aliqua timiditate factum. Consequitur ut machina quae magnetizat — excusate verbum! — illud signum, suum effectum non sortiatur. Quapropter operationes scrutinii valde prolongantur. Quapropter, Patres venerabiles, velitis signum facere *crassiore*

ratione, ita ut revera machina excitetur et suffragationes recte fiant. Gratias!

Respondeatis igitur: *placet, non placet* an *placet iuxta modum,* uti patet circa integrum cap. I.

5

EXC.MUS P. D. CASIMIRUS MORCILLO GONZÁLEZ
Archiepiscopus Matritensis-Complutensis

Venerabiles Patres,

Iucundius semper est meritum schematum extollere quam diminuere. In hoc casu multa plura laude digna sunt quam quae laudem non merentur. Quia tamen non ut laudemus, sed ut schema perficiamus huc pervenimus, indicare fas sit quaedam quae desunt, quaedam quae non recte, vel non satis, meo iudicio, exarantur et exprimuntur.

Desunt in schemate iudicium et norma super formis vitae humanae quas artes technicae introduxerunt; verbum illuminans viam sic dictae civilizationis seu societatis multitudinum; sententia vivificans ipsas artes technicas et humanum laborem eis inhaerentem; phaenomenon migrationis eiusque consectaria; damnatio aut rectificatio irruptionis sexualitatis hodiernae.

Non satis exarantur nec exponuntur ea quae ad dignitatem matrimonii nec ea praecipue quae ad vitam oeconomico-socialem spectant. Dolendum quod, in hoc ultimo argumento, schema fere exclusive respicit et contemplatur systema capitalisticum in plerisque nationibus nunc praepotenter vigens.

Cum autem de his fusius loquendum erit, mihi agere liceat hodie de quodam concreto puncto non parvi momenti quippe quod ad titulum schematis relationem dicit.

Schema nobis adhibetur ut *constitutio pastoralis,* et in relatione ...[1] additur hanc qualificationem aptiorem visam fuisse commissioni coordinationis in sessione habita die 11 maii. Quod omnino verum non est, nam commissio coordinationis tantum approbavit, et quidem non unanimi ore, titulum propositum a commissione mixta. Opinor tamen illum titulum inadaequatum esse et Patrum considerationi submitto rationes propter quas illum mutari et substitui propono.

1. Vox *constitutio* primum adhibita est in actis Concilii Lateranensis IV ...[2] et indistincte applicatur *in eo*[3] ad documenta quae fidem statuunt et ad ea quae disciplinam ordinant. Eodem modo et pari sensu apparet in subsequentibus Conciliis Lugdunensi I ...[4] et Lugdunensi II ...[5].

In Vaticano I duas constitutiones stricte doctrinales invenimus: constitutionem dogmaticam de Fide catholica et constitutionem ...[6] primam de Ecclesia Christi. In nostro Vaticano II, voce *constitutionis* hucusque tantum insignivimus documenta illa, nempe, de Sacra Liturgia et de Ecclesia, quae altiorem doctrinam revelatam nobis tradunt.

Ex usu ergo Conciliorum praecipue Vaticanorum, videtur vocem illam documentis alius generis reservari oportere; quod, ex alia parte, bene aptaretur technicismo iuridico nostri temporis, qui constitutionem et leges constitutionales appellat eas solum quae principia generalia et fundamentalia Status exprimunt.

2. Si documentum nostrum constitutio dicenda *erit*[7], diversimode loquatur *oportebit.*[8] In constitutione quacumque, sive doctrinali, sive disciplinari, Concilium tenetur ea docere vel statuere quae optimo modo Evangelium hominibus tradant. Sed non ita est in schemate quippe quod saepe de rebus prout stant in mundo hodierno diiudicat et eas approbat aut corrigit.

3. Si constitutio appellari vult, loqui nequit nisi catholicis qui eam accipere ex conscientia *tenentur.*[9] Nihil enim, nec lex, nec decretum, ab auctoritate constituitur pro non subditis, sed pro subditis tantum. Sed schema colloquium esse intendit cum universo mundo ut mundus hodiernus bene norit Ecclesiam Christi, quae, quia non est de mundo sed est in mundo dum peregrinatur a Domino, et quia sine appetitione divitiarum et potentatus vivere conatur, obiectivam, impartialem et salutarem sententiam dare potest mundo.

4. Schema est, complexive sumptum, quaedam species theologiae valorum et realitatum terrestrium; et in hoc laude dignum id invenio etiamsi quemdam inevitabilem phaenomenologismum redoleat. Theologia illa valorum terrestrium, quae utinam in posterum lucidissime exaretur, nunc adhuc elaboratur et exstruitur, multique sunt valores terrestres qui nondum apparuerunt; qui tamen citissime nobis manifestabuntur. Nonne, ergo, melius erit a qualificatione, quae quamdam stabilitatem prae se fert, nos abstinere?

5. Nullum aliud documentum Vaticani II pastorale appellatur, cum Concilium et omnia acta sua pastoralia sint. Non aequum, ergo, esset et constitutionem, quasi summam principiorum, et pastoralem vocare documentum nostrum cuius natura et valor e constitutione *de Ecclesia* maxime oriuntur. Plane, vero, intelligatur quod documentum magnopere pastorale est, sed plane etiam intelligatur quod vocabula *constitutio pastoralis* non possunt iure ac merito definire schema de quo disceptamus.

Quid ergo? Fateor quidem me nullum invenisse terminum qui ad technicismum conciliarem pertineat. Sed schema destinatur ad universos

homines mundi hodierni. Hominibus Ecclesia seipsam exhibet, seipsam ostendit, seipsam praebet, qualiter a suo Conditore et Capite exorta est et vivere pergit ut simul cum hominibus iter faciat ad perfectionem naturalem et elevationem supernaturalem universarum gentium.

Ad hoc praecise schema praeparatur ut omnes homines Ecclesiam cognoscant et cum ea colloqui possint de sua salute et de humanorum problematum iusta solutione.

Ne novum cudam verbum, propono ut documentum — *sicut illud de libertate* [10] — hoc sequenti vel alio simili insigniatur titulo: *Declaratio Ecclesiae ad dialogum instituendum cum mundo huius temporis,* aut *Declaratio Ecclesiae ad mundum hodiernum.* Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] (II, 1). [2] (1215). [3] deest. [4] (1245). [5] (1274). [6] dogmaticam. [7] est. [8] oportet. [9] tenerentur. [10] deest.

Moderator: Exc.mus D. secretarius generalis quintam suffragationem super schema decreti *de apostolatu laicorum* proponit.

Secretarius generalis: Videatis pag. 21 [*cf. pag. 319-320, nn. 5-6*]. *Placet* an *non placet?*

6

Exc.mus P. D. DURAISAMY SIMON LOURDUSAMY
Archiepiscopus tit. Philippensis, coad. c.i.s. Bangalorensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine 62 episcoporum Indiae hic in Concilio adstantium, quorum subsignationes in adnexis habentur et secretariae tradentur.

Textus schematis praesens certe multo melior est quam textus prior, et spem fundatam praebet se approbationem ...[1] Patrum conciliarium post necessarias emendationes accepturum. Omnino necesse est pro mundo huius temporis ut hoc schema felicem exitum habeat. Quod optans, sequentia notanda duco.

I. ...[2] Descriptio conditionis hominis in mundo hodierno, utpote in textu data in parte I, speciatim in expositione introductiva, valet maxime pro incolis terrae collocatis in regionibus quae beneficiis progressus oeconomici et technici iam gaudent et effectibus « socializationis », « industrializationis » et « urbanizationis » nimis afficiuntur. Sed quid, rogo, de maiori parte hominum qui extra illas regiones degunt, speciatim in

Asia, Africa et America Latina? Ingens numerus i. e. maior pars civium his in regionibus degentium ruri vivunt et terram colunt tantum ut operarii quin super agris dominium habeant. Quid de illis ruricolis pauperis et miseris? Quorum conditionem documentum nostrum *nondum* [3] satis prae oculis habere non videtur. Ne obliviscamur nobis hic *in Concilio* [4] interesse de mundo universali, non tantum de quadam parte mundi. Loquens v. g. pro incolis Indiae, hoc possum dicere: legentes nostrum documentum concluderent Ecclesiam de suis conditionibus ...[5] curam ac sollicitudinem sufficientem non habere ...[6]

II. Fundamenta theologica in textu praesenti prolata sunt certe plura ac meliora quam in textu priori; attamen non exprimuntur sat clare, nec praesentantur apte ut doctrina Christi necessitatibus huius temporis vere accommodata ...[7]

1. Imprimis, quoad fundamenta theologica, problema speciale sic oriri videtur. In documento nostro Concilium sermonem dirigit « non tantum ad Ecclesiae filios omnesque Christi nomen invocantes, sed etiam ad universos homines »; si res ita se habet, quod dicitur in documento universis hominibus intelligibile esse debet; ergo argumenta theologica nimis technica evitari oportet. Sed nec iuvat praebere sola argumenta merae philosophiae naturalis; opus enim est ut textus exponat profundam et « convincentem » doctrinam christianam de homine, de vita hominis, de mundo, de opere hominis in mundo et de hominis destinatione ultima in Deo ...[8] Mundus hodiernus, certe patria *nostra,*[9] exspectat de Concilio nostro non aridam philosophiam naturalem, quae forte alibi invenire potest; sed nunc in conditionibus praesentis aetatis celere et profunde mutatis — cum ideae traditionales hominis de vita et societate humana dissolvuntur — homines bene dispositi sed valde confusi desiderant et cupide esuriunt pabulum doctrinae profundae, lucidae et quidem religiosae de homine eiusque fine (sicut cervus desiderat ad fontem aquarum). Data hac exspectatione, documentum de quo nunc est unica et singularis occasio et medium ad emittendum lumen Christi ex Evangelio depromptum in contextu autem hodiernarum necessitatum. Opus est igitur praesentatione doctrinae Christi vere accommodata.

2. Oportet praeterea ut quaedam fundamenta theologica in textu nostro adhuc magis clarescant. V. g.:

a) Significatio hominis eiusque participatio in vita Dei qui est caritas. Deus caritas est, et haec caritas debet in creatione realizari per hominem utpote Deum ac proximum amantem et pro illis sese libere impendentem, quia homo ad imaginem Dei creatus est et vitam Sanctissimae Trinitatis (socialem) participat et ideo ad similitudinem Dei triuni

in hoc mundo se gerere debet in vita sua tum individuali tum sociali. Hac in realizatione vel, ut ita dicam, in hac incarnatione caritatis Deus glorificatur. Haec glorificatio Dei per hominis participationem in vita divina est eiusdem salus et adimpletio consilii divini. E contra, conceptus vocationis hominis utpote in textu expositus non est « adaequus ». E. g. quod praebetur in textu in pag. 33, linn. 31-36, his in verbis: « Ad hoc enim in Christo vocantur, ut mente et corde humano aliisque facultatibus nostris ... purgatis, collustratis ac penitus transfiguratis, simul fruamur ... ipso gaudio Dei »; *hic conceptus non est*[10] completus de vocatione hominis. Homo enim creatus et vocatus est ut participet vitam Dei qui est caritas.

b) Ita etiam positio centralis Christi est aliud fundamentum theologicum quod in textu in meliori luce exponi debet. In Christo enim habet creatio plenitudinem suam. Non possumus scire sat bene et profunde quid sit homo quin videamus Christum qui est primogenitus omnis creaturae: Ipse est perfecta imago Dei invisibilis, ad cuius imaginem nos homines creati sumus et cuius imaginem per Christum perficere debemus. In Christo Deus praesens est inter nos, per suam praesentiam nos invitantem, transformantem et sanctificantem (quod dicitur: gratia). Per Ipsum et cum Ipso et in Ipso homo accipit vitam pleniorem, amans Deum et proximum in hoc mundo et in vita aeterna. In textu ...[11], haec positio Christi centralis non est satis evidens.

Mundo hodierno praesentare et proclamare debemus non tantum Christum Regem dominantem gentium, ut in n. 45, sed etiam Christum amantem, salvantem et servientem gentium, ita ut in Ipso videatur Deus qui caritas est et ut omnibus innotescat quod Christus in mundum venit ut salvaret, non iudicaret, ut ministraret, non ut sibi ministraretur. Si imago et positio centralis Christi sic praesentatur, homines Eum ut imitabilem accipient et Eum sequentur in caritate et in servitio tum erga Deum quam erga proximum — quod est sane finis proximus vitae hominis super terram. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] et adoptionem definitivam. [2] *Stylus scribendi*. In textu adhibitus videtur magis explicativus et descriptivus quam concisus et conclusivus; inde tam voluminosum documentum cum 80 paginis. Forsan talis modus scribendi iustificatur: nam documentum natura sua induit indolem pastoralem, et ergo debet esse descriptivus et explicativus; praeterea, cum in historia Conciliorum Oecumenicorum hic primum tentamen fit ad instituendum dialogum inter Ecclesiam et mundum saecularem, stylus non est, nec potest esse conclusivus et definitivus. Sed, stylo sic iustificato et concesso, non congruet titulus « constitutio », quia connotat expositionem definitivam ac concisam, et quidem magis

doctrinalem, etsi aptus sit ad exprimendum momentum huius schematis. Itaque, in humili meo iudicio, loco tituli « constitutio » adhibendus erit titulus magis consonans cum materia et stylo ut, v. g. « declaratio ». II. [3] deest. [4] deest. [5] et necessitatibus. [6] III. Repetitiones abundant in documento, quarum quasdam scriptis commissas secretariae tradam quin hic in aula legens tempus teram. E. g. 1. in pag. 26, linn. 34-36 sic iacent: « Bene de his rebus sentire non sufficit: necesse est ut omnes una cum omnibus ad opus procedant ». Statim in pag. 27, linn. 2-4 fere eandem ideam exprimunt, sic sonantes: « Sunt etiam qui largas generosasque opiniones profitentur, ita tamen reapse vivunt ac si nullam de necessitatibus societatum curam habeant ». 2. Similiter in pag. 22, linn. 9-11 sic se habent: « Nostra aetate... mutui interventus et " dependentiae " in dies multiplicantur... ». Eadem idea iteratur in eadem pagina in linn. 18-20: « Dum nostris diebus ligamina inter homines strictiora fiunt et paulatim ad universum mundum extenduntur ». Eadem idea iterum repetitur in pag. 27 in linn. 14 ss. « In nostra societate in qua magis ac magis alii ex aliis pendent; omnibus agnoscendum est necessitudines sociales longius latiusque extendi » etc. Si huiusmodi repetitiones eliminantur, textus brevior reddetur, quod valde desideratur. IV. [7] (nn. 20, 35, 36, 45, 46, 47 etc.); ceterum haec fundamenta theologica in textu tanquam « appendices » locum tenent, et ita eorum pondus aliquatenus attenuatur. [8] « lumen afferendo ex Evangelio depromptum » ut textus ipse fert in pag. 2, lin. 7. [9] mea. [10] non est conceptus. [11] (nempe in n. 20 de Christo Homine Perfecto, in n. 36 de Verbo incarnato et coniunctione humana, in n. 45 de universali dominatu Christi, in n. 46 Regnavit a ligno Deus, in n. 47 Alpha et Omega etc.).

[*Subscripserunt etiam*] Angelus Fernandes; L. T. Picachy; J. Rosario; V. Dereere. A. Yeddanappaly; P. Kerketta; L. Tigga; W. Bouter; Alb. D'Souza; D. Arulswamy; I. Mummadi; M. Fernandes; E. Bejamin; Andrew D'Souza; B. D'Souza; P. Tobac; J. Mark Gopu; A. Padigara; E. Pinto; S. Vallopally, ep. Tellicherry; J. Fernandez, ep. Quilon; Th. Fernando, ep. Tulicorin; L. Selvanaden, ep. Salem; R. Sundaram; ep. Tajore; D. Swamidoss, ep. Vellore; Fr. de Piedade Rebello; Maurus, sup. gen.; J. Mendonça, ep. Tiruchirapalli; A. Patroni, ep. Calicut; J. Boerkamp, praef. ep. Kashmir; F. Simons, Indore; L. D'Mello, ep. Ajmer-Jaipur; J. B. Evangelisti, arch. Meerut; O. Sevrin, ep. tit. Mossina; L. G. Perreira; P. Tobar González; H. Westermann, ep. Sambalpur; Th. Agniswami, ep. Kottar; St. Fernando, ep. Shillong; A. De Vito, ep. Lucknow; J. Gopu, coad. Visakhapatnam; Mar Athanasius, ep. Tiruvalla; J. Mudartha, aux. Jhansi; R. D'Mello, ep. Allahabad; A. Wildermuth, ep. Patme; J. Fernandes, arch. Delhi; L. D'Souza, ep. tit. Capocilla; L. Raymond, arch. Nagpur; Januarius, ord. Chanda; A. Beretta, ep. Warangal; M. Arratukulam; A. Galbiati; J. Attipetty, arch. Verapoly; E. D'Souza; G. Alapatt; Alexander, ep. Cochin; F. Muthappa, ep. Coimbatore; J. Leonard, arch. Madhurai; H. Thiandoum; J. Paracattil.

Moderator: Exc.mus D. secretarius generalis sextam suffragationem proponit de schemate apostolatus laicorum.

Secretarius generalis: Pag. 22 [*cf. pag. 320-322, n. 7*]. *Placet*ne an *non placet?*

7

Exc.mus P. D. ALEXANDER CAROLUS RENARD

Episcopus Versaliensis

Fratres carissimi,

Schema pastorali doctrina abundat; prima pars certe Concilio digna videtur; sed altera, necessario propior eventis, minus firma apparet. Cuius inscriptio modestius sic dicatur: « Notae ad aliquas difficultates solvendas ».

1. ...[1] Schema benignius omnia in melius accipit. Quae benignitas licita est, sed necesse est eam amplius doctrina evangelica confirmare, *v. g.*[2] in n. 11, ubi sola auctoritas Veteris Testamenti invocatur. Hoc dicendum est: Iesus resuscitatus Dominus est mundi ...[3], et restituit hominem in statum praestantem: « mirabilius reformasti ». Spes christiana est « in Christo et in Ecclesia », non in homine nec in mundo.

2. ...[4] In schemate optimismus ...[5] nimis humanus apparet ...[6]. Libenter ...[7] « suffundata bona » iteratur: nn. 10, 32, 43, 55, 69, etc. Schema « suffundata bona » magni facere videtur, quasi ea peccato originali vix contaminarentur ...[8]. Christus dixit: « Opera (mundi) mala sunt » ...[9]. Saepe agitur quasi valores humani: dignitas, iustitia, fraternitas, libertas, sponsio, ipsi vertant animas ad Christum.

Metaphysice, in se, id non procul est a vero. Sed in re, valores mutantur animo personae et mentalitate communi. Psychologice, aut aperiunt aut claudunt corda ad fidem. Hanc rem magni momenti schema optime aggreditur ad n. 69: « progressus scientiarum hominem coaevum in tentationem inducere potest, ut ... se sibi sufficere aestimet ... et in agnosticismo quiescat ». Haec prudens adnotatio ad omnia « suffundata bona » pertinet, sed non dicitur. Schema non est satis ad mentem S. Ioannis nec S. Pauli (*1 Cor.*, capp. 1 et 2).

3. Ambiguitas existentialis de bonis humanis patefacienda est (v. g. n. 43, lin. 11); sunt lapides exstantes aut offendicula. Populus Hebraeus optime paratus erat ad Redemptorem recipiendum, lapidem angularem, et tamen illum non recepit. S. Paulus scripsit: « Gentes, quae non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam ...[10], quae ex fide est; Israël vero sectando legem iustitiae, in legem iustitiae non pervenit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi operibus, offenderunt enim in lapidem offensionis » ...[11]! Atqui marxismus et laicismus humanos valores aequitatis, fraternitatis, libertatis multum colunt, sed superbe hominem ab homine solo salvari volunt; ideo isti humanismi animas claudunt ...

Comme l'écrit Péguy: « *Ils ne mouillent pas à la grâce comme les canards ne mouillent pas à l'eau* ».[12]

Humani valores, *etsi* [13] etiam optimi, inimici fidei fieri possunt, quando deficiunt cor metaphysice inquietum et mens humilis: « Deus exaltat humiles ... », « et quaerit adoratores in spiritu et veritate ». Sed, sine humilitate, ubi est adoratio, quae est valor eminens?

4. *Schema non est satis sagax*.[14] Deus naturam non negat, sed natura peccato contaminata est; magnum bonum est miseriae humanae confessio; est « cavum » quod Deus libenter complet. « Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus ».

Schema vias sapientes patefacit per gradus e bonis terrenis ad Regnum Dei; haec est legitima optio, sed sunt aliae viae Evangelii — non rationis — ad elevationem mundi. « Spiritus ubi vult spirat », praesertim in pauperibus spiritu et in mundis corde ...[15]: Christus praeponit omnes valores paupertatis.

5. Ultimum votum facio: apertius dicatur (n. 20, lin. 11) irruptionem Christi ...[16] in mundum vel in personam aliquid novi omnino esse. *Iesus est Deus et homo et Redemptor* [17]: nunquam ex argumento philosophiae neque desiderio mere humano Christus invenitur. Humanismus ipse non est christianus. Oportet igitur revocare animos ad veritatem praesertim eo tempore quo nonnulli, cum benignitate commovente, tam proni sint ad inveniendum nescio quid christiani in omnibus rebus, ut liceat quaerere quid singulare sit in doctrina christiana et num adhuc opus sit evangelizare! S. Paulus fidens fidem dixit: « loquimur ... quod oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascendit » ...[18] Christianismus non est aliquis humanismus superior: est conversio humanismi et hominum non ad ideas et valores, sed ad Christum, Iudaeis scandalum, Graecis stultitiam; Ecclesia homines trahendi ad Illum potestatem habet, caritatis testimonio et singulari doctrina, non « humanae sapientiae verbis » ...[19], sed « stultitia praedicationis » ...[20] « vivus est sermo Dei et efficax » ...[21]

Concludo. « Gloria Dei vivens homo » (n. *41* [22]), sed addendum est, cum Sancto Irenaeo: « Vita autem hominis est visio Dei ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Hoc. [2] deest. [3] qui mortem ac peccatum vicit. [4] Atqui. [5] satis et. [6] idealistice. [7] illud. [8] (hoc vocabulum « originale » nusquam reperitur). [9] (*Io.* 7, 7). [10] iustitiam autem. [11] (*Rom.* 9, 30-32). [12] « Ut anas aqua non madet, nec ista gratia » legimus apud Péguy. [13] deest. [14] deest. [15] ipsorum est regnum Dei. [16] Domini. [17] deest. [18] (*1 Cor.* 2, 9). [19] (*1 Cor.* 2, 13). [20] (1, 21). [21] (*Hebr.* 4, 12). [22] 51.

8

EXC.MUS P. D. EDUARDUS MASON

Episcopus tit. Rusicadensis, vic. ap. de « El Obeid »

De constitutione pastorali [1] de Ecclesia in mundo huius temporis ...[2] meminisse ...[3] iuvat, Patres venerabiles, quod colloquium nostrum in praesenti schemate est ad omnes homines, ideo rogo ne sermo noster longior sit ad praecavendum periculum quod ista constitutio volumen tale evadat ut plurimos homines a legendo terreat, *sicuti iam ab aliis Patribus dictum est.*[4]

Ut minus sapiens dico ...[5] si suggerere audeam ut tota expositio introductiva, quae nunc pag. 6-10 includitur et ad 6 numera longiora protrahitur, quamvis pulchra et clara, ad unum vel duo numera breviora redigatur. Haec breviatio mihi necessaria videtur ne posteri nostri triginta abhinc annos, conditionibus mundi profunde mutatis, fortasse putent nos *vel* [6] simpliciores fuisse vel culpa nervosismi peccasse.

Item circa cap. III, de Navitate humana eiusque significatu, quae dicuntur praesertim nn. 43-47, brevius in unum numerum redigi possunt ne homines mundi huius nimiae theologiae taedio afficiantur, vel putent nos consueto morbo oratoriae triumphalis peccare.

Demum puto quod in hac tractatione necesse sit quod nos *duo* [7] alia semper prae oculis habere debemus:

Primum quod nobis satis erit si *loquamur* [8] ad mundum huius temporis tantum, non vero ad futuras generationes, quae suos proprios pastores habebunt.

Secundum ...[9] quod longum nobis restat iter in hac ultima sessione Concilii percurrendum, aequali praesenti *schemati,*[10] si non maiore utilitate praeditum.

Quamobrem ego rogo ut horae disputationis huic constitutioni donandae prudenter limitentur a necessitate convenientis disceptationis et aliorum schematum praesertim eorum quae quamvis humiliora et trita videantur tamen melius ad renovationem Ecclesiae pertinent. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Constitutio pastoralis. [2] mihi videtur digna nostrae celeris approbationis. [3] tamen. [4] deest. [5] sed parcite mihi, Patres. [6] deest. [7] tria. [8] loquimur. [9] clare dicamus hominibus, et nobis ipsis in mentem revocemus nos iuxta Domini verba debere esse sal terrae et lucem mundi, non quidem ex nostra, sed ex Domini virtute et potestate, quam mundus negligere non potest. Tertium. [10] deest.

Moderator: Loquatur exc.mus D. Boleslaus Kominek. Patres humanissime rogantur ut ad loca sua redire velint.

9

EXC.MUS P. D. BOLESLAUS KOMINEK

Arch. tit. Euchaïtenus, adm. Vratislaviensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine 65 episcoporum Poloniae. Dignum et iustum est Spiritui Sancto et Concilii commissionibus gratias agere maximas pro communi opere, quo efficitur iam diu exspectata constitutio *de Ecclesia in mundo huius temporis.* Propositio nuper redacta perfectae formae proxima esse videtur, cum nempe plurimae Patrum interpositae orationes, tertia celebrante sessione, ibi insertae sunt, sed non omnes.

Nobis Poloniae episcopis, haec constitutio pastoralis apparet tamquam aliquid practicum et pastorale aequivalens illi *Lumen gentium,* fundamentali constitutioni *de Ecclesia,* in qua et aeterna dogmata et alia Ecclesiae credenda nostri temporis signis invocationibusque accommodata explanantur. Illi constitutioni, quae lex credendi appellari potest, sane corresponderet discussurum schema XIII uti lex agendi, quae nobis constituit programma atque modus agendi in mundo hodierno. Absque illo, ut ita dicam, pragmatico tono, sine principiis et viis actionis, Concilium spem numquam compleret, quam in eo mundus christianus ponit, et etiam non christianus, quibuscum Ecclesia nostra in dies extensiorem salutaremque dialogum resumit.

At nobis videtur, praesentem *propositionem,*[1] etiamsi suas bonas partes habet, aliqua notabilia corrigenda necessario exigere. Minores obiectiones movent: Prooemium, Expositio introductiva et Pars prima cum capitibus de persona et hominum communitate, de navitate humana in universo mundo atque de munere Ecclesiae. Claritatis causa, animadversiones de atheismo ponendae essent in prooemio, ubi de indole mundi hodierni disseritur et alio modo formulandae.

Non sat clare exponuntur relationes et vincula, quae religionem inter et culturam exsistunt. Vera quidem spiritus humani conamina in cultura et civilizatione promovenda religionem minime impediunt, immo religio ipsa veram culturam certe inspirat.

Servatis his propositionibus, fundamentalis prima pars schematis ...[2] in genere acceptanda videtur, sed saltem in genere. Operis pretium sit de modo loquendi et de expressionibus et de lingua latina disceptari. Nobis videtur, quod simplex et clara expositio homileticam persuasionem superare debeat; ceterum speciales animadversiones ad secretaria-

tum scripte tradimus vel ab aliis episcopis nostris proponentur in aula.

Multo magis discutibilia apparent proposita secundae partis, quae mutationes profundiores subeunda sunt ...[3]

Nimis particularia dicta sunt, praesertim vero sine ulla competentia quae in cap. III secundae partis proposita « de vita oeconomica-sociali » et maxime illa « de pecuniarum collocationibus et publica moderatione rei nummariae ». Quae si ita sumantur, tamquam nimis fluctuantes solutiones apparent et inutiles nobis videntur; sapiunt capitalismum.

Capita vero, ubi « de vita communitatis politicae » et « de communitate gentium » disseritur, nostra sententia, accuratiorem exigunt elaborationem. Quae in Litt. Encycl. *Pacem in terris* dicta sunt, iam praecellunt schema XIII, nam postulant creationem ordinatae societatis omnium hominum simul et reservationem potestatis singulorum Statuum exigunt, ob rationes, quae bonum commune familiae humanae spectant.

Omnino difficile sumitur, quod bellum tamquam instrumentum censeri videtur quo lites inter nationes resolvuntur (iustum bellum!? interrogatio...).

Tota igitur secunda pars ita in genere exponenda nobis videtur:

1. Cum pars prima characterem personalem exhibet, necesse est pro individuo defendendo a crescenti mechanisatione et idolo « demassationis » hominis, in luce ...[4] personalismi christiani elaborare illa problemata urgentiora, de quibus in secunda parte tractatur.

2. Quae urgentiora problemata altius perscrutanda sunt ope sic dictae theologiae rerum terrestrium, attamen timemus, ne huiusmodi theologia nunc momento sit adhuc nimis parva et initialis.

3. In quibusdam casibus non dedecet humiliter profiteri, sacram fidem nostram non praebere faciles et efficaces problematum solutiones tamquam in pillulis, sed potius debemus laboriosum iter facere, cum omnibus bonae voluntatis hominibus in universo orbe, ut solutiones aliquando inveniamus, immo etiam haec humillime petendae sunt a Misericordi Deo Creatore pariter et mundi Salvatore, nam adiutorium et gratiam largitur, qui hortatur: « Invoca me et ego exaudiam te ».

4. Exhortari oportet mundum, ut libentius et vehementius problematum solutiones quaerat, e sopore surgat, ne dives pars hominum, *uti audivimus,*[5] sibi soli pecuniam acquirat, cum technicae progressus, nulla ascesi frenisque moderatus, certe catastrophen novae turris Babel paret. Nihil communi cum sectario catastrophismo habentes, vilem cavemus optimismum, *uti alii iam dixerunt,*[6] cum de futuris mundi agitur;

haec omnia expresse indicare oportet in cap. II, secundae partis « De cultus humani progressu rite promovendo » ...[7] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] praepositionem. [2] (nn. 1-58). [3] Displicet nobis e. g. problema laboris humani (n. 79) extremis digitis exponi. Necesse est igitur indicare pericula, quae hodie labori humano imminent, coniuncta non solum cum technicae progressu, sed etiam cum variis modis, quibus laborantes a moderna administratione pendent. Detur quoque dignus locus ipsi iuri ad laborem. [4] (principiorum). [5] deest. [6] deest. [7] 5. Quo hodierna urgentissima problemata, quae consideravimus, « inter se compacta sint et spiritu salutis penetrata », oportet ea semper arctius convinciantur cum opere salutis, cum doctrina parabolisque Christi Domini nostri, ne constitutio pastoralis de mundo hodierno nimis naturalistica evadat, maxime vero ut dirigantur ad Evangelii summa, seu beatitudines in sermone montano prolatas atque etiam ad stultitiam Crucis. 6. Si vero de quaestionibus exsistentiae hominum agatur, quorum e. g. magna pars famem patitur, bella et pericula exterminationis ob atomica arma quae imminent, et alia his similia in his rebus, non sufficit rationalis tantum inquisitio, et de mediis praeventivis mera cogitatio, sed magis necessaria videtur quaedam elevatio vocis, exclamatio, immo continua appellatio ad conscientiam et bonam voluntatem hominum, seclusa tamen demagogia. Nihil aliud faciebat ipse Salvator noster, dum clamabat « misereor super turbam », vel illud propheticum « vae vobis », vel etiam apostoli et Ecclesiae Patres, nostris denique temporibus tanti christiani, ut Papa noster Pius, Ioannes et Paulus.

Moderator: Venerabiles Patres,

Ut videtis iam per aliquem oratorem transitus revera factus est ad examen singularium partium constitutionis. Moderatores quaerunt ergo num vobis placeat finem imponere disceptationi de schemate constitutionis pastoralis *de Ecclesia in mundo huius temporis* in genere sumpto.

Patres quibus finem huic disceptationi de schemate in genere sumpto imponi placet, velint surgere; aliter sedentes maneant. Assignatores videant et referre velint. [*Intervallum*].

Secretarius generalis: Patres venerabiles, in primis do vobis aliquam notitiam. Dominica proxima, die 26 mensis huius, S. Pater se conferet in campum gitanorum (zingari) in urbe Pometia, 31 ab Urbe kilometro. Hac occasione invitantur omnes conferentiae episcopales ut velint duos Patres unaquaeque mittere, qui ipsas conferentias repraesentent; duo Patres pro unaquaque conferentia episcopali: est invitatio.

Summus Pontifex erit Pometiae hora 17 exacta, ibique celebrabit Missam in campo gitanorum. Post sanctam Missam, habebitur spectaculum religiosum: Parabolae convivii S. Lucae, quam interpretabitur corpus saltatorum gitanorum.

Ergo, duo Patres pro unaquaque conferentia episcopali. Si alii episcopi per se volunt petere Pometiam, certissime id facere possunt.

Nunc, Patres, lego vobis quaestionem quam proponunt em.mi moderatores: « Placetne Patribus ut, exacta — seu finita — disceptatione circa schema constitutionis pastoralis *de Ecclesia in mundo huius temporis* in genere sumptum, transitus fiat ad disceptationem circa singulas partes eiusdem schematis? ». Responsio est: *placet* vel *non placet,* et dabitur per schedam quae nunc distribuitur vobis.

Repeto quaestionem, quae ceterum pluries proposita est pro aliis schematibus: « Placetne Patribus ... ». Respondeatis igitur *placet* vel *non placet*; et, si placuerit huic amplissimo coetui transitus fieri potest ad disceptationem circa singulas partes. Partitio erit haec: in primis fiet disceptatio circa prooemium, circa expositionem introductivam et primam partem; deinde fiet disceptatio circa secundam partem schematis. Respondeatis, igitur, ad quaestionem propositam. [*Intervallum*].

Patres venerabiles, in hypothesi quod responsio sit affirmativa, ne tempus teratur, uti patet, incipit disceptatio prooemii, etc., notae introductoriae et prioris partis, quemadmodum dixi. Leget in primis, faciet suam relationem exc.mus D. Marcus McGrath, ep. S. Iacobi Veraguënsis, et postea incipiet vera disceptatio et moderationem accipiet congregationis generalis em.mus ac rev.mus D. card. Iulius Döpfner, arch. Monacensis.

Verbum facere petierunt em.mus D. card. Ioseph Cardijn; exc.mi DD. Ioannes Abasolo, ep. Vijayapuramensis in India; Andreas Charue, ep. Namurcensis (Namur) in Belgio; Hermannus Volk, ep. Moguntinus (Mainz) in Germania; Ioseph Marafini, ep. Verulanus-Frusinatensis in Italia (Veroli-Frosinone); Arturus Elchinger, ep. aux. Argentoratensis (Strasbourg) in Gallia; Carolus Himmer, ep. Tornacensis (Tournai) in Belgio.

Moderator: Habeat relationem exc.mus D. Marcus McGrath, ep. S. Iacobi Veraguënsis in Panama.

Exc.mus P. D. MARCUS GREGORIUS McGRATH
Episcopus S. Iacobi Veraguënsis

Relatio pro « expositione introductiva » *

Venerabiles Patres, [11]

Post generalem illustrationem totius nostri schematis, ...[1] aliqua breviter explicanda sunt de « expositione introductiva » quacum schema nunc initium capit: scilicet, de eius ratione, forma et praecipuis elementis.

De ratione huius novae « Expositionis introductivae ».

Decisum est in Commissione plenaria mixta mensis novembris anni praeteriti ut amplior conspectus rerum actualium pararetur, qui staret veluti punctum proficiscendi seu initium totius schematis, iuxta vota plurimorum Patrum qui hoc directe petierunt aut indirecte innuerunt, et quidem duplicem propter rationem: *primo,* ut sive in methodo procedendi sive in modo loquendi ratio effective habeatur verae situationis mundi hodierni de quo loqui velimus; *secundo,* ut dialogus cum mundo, seu cum omnibus hominibus, ad quos schema nunc explicitius dirigitur, iuxta volita Patrum, facilius et sincerius incipiatur.

Patet quod methodus haec aliquid novum est in documento conciliari: sed ipsum documentum nostrum est principalis novitas et novam exigit methodum. Iam ex temporibus Papae Leonis XIII legimus et audivimus in encyclicis et allocutionibus Summorum Pontificum considerationes eorum de rerum novarum conditione, sive in re sociali, sive in aliis rebus, de quibus omnibus certiores redditi Summi Pontifices doctrinam Ecclesiae palam et fidenter proponunt. Speciali modo Papa Paulus VI nos invitavit ad dialogum cum mundo in prima eius Encyclica. In hac via iam satis aperta Sacra Synodus cum fiducia intrat, et quidem iam intravit.

Adest alia ratio non spernenda. Ex initio laborum in confectione huius schematis, saepe monuerunt Patres conciliares contra illas descriptiones vel illum dialogum qui se referrent tantum ad mundum occidentalem et praesertim Europam. Periculum evidens adest ...[2] ex eo quod maxima pars Patrum et Peritorum necnon Auditorum in labore schematis

* Huiusmodi relatio typis impressa Patribus distributa est in congregatione generali 132, die 21 septembris 1965.

[11] occidentales sunt et praecise ex Europa; dum schema vult omnibus hominibus cuiuscumque culturae loqui. Ad vitandum huiusmodi periculum constituta est parvula sub-commissio dicta « de signis temporum »
[12] sive postea « de conspectu generali ». Durante tertia sessione Concilii haec sub-commissio plus quam decem conventus habuit cum pluribus Episcopis et eorum peritis ex omnibus regionibus mundi, praesertim ex Asia, Africa et America Latina. Ex eorum assertis multa particularia suggesta sunt pro variis partibus et capitibus totius schematis; et etiam elementa permulta et communia inveniebantur pro hac initiali descriptione seu conspectu generali quocum schema nunc incipit ...[3].

De forma « Expositionis introductivae ».

Iam in editione praevia schematis, sub n. 2, habetur aliqua brevissima adumbratio « signorum temporum » quae nunc ampliore forma redacta constituit novam expositionem introductivam. Dicitur sub n. 4, pagina 6, linea 23: « Idonei auctores quosdam principaliores huius mundi aspectus sequenti modo delineant ». Patet exinde quod descriptio quae sequitur neque est exhaustiva neque obiective diversa sub aspectu phaenomenologico ab aliquibus aliis descriptionibus de mundi nostri situatione quae ubique eduntur, praesertim ab organizationibus et coetibus internationalibus. Mundus de quo agitur est idem; et praecise schema incipit suam considerationem huius mundi ex illis quae communiter observantur, sicut supra dictum est, ut accuratius de homine in mundo iudicet et facilius et sincerius cum omnibus hominibus de hoc mundo dialogum prosequatur.

« Expositio introductiva » nonnisi lineas generales aliquas vult indicare. De hac brevi descriptione schema immediate transit ad expositionem doctrinalem quae primam partem schematis constituit. In secunda parte, ubi « de quibusdam problematibus urgentioribus » agitur, unumquodque problema breviter describitur in contextu actualis mundi antequam proferantur iudicia. Sic omnibus apparet quomodo haec « expositio introductiva » init dialogum cum mundo, viam parans primae parti schematis; et quomodo connectitur problematibus particularibus secundae partis per brevissimas illas descriptiones problematum quae illic inveniuntur.

Principia elementa « Expositionis introductivae ».

Expositio primum in mentem revocat factum momentosum horum temporum: factum nempe mutationis, velocis, extensae et profundae in omni ordine, multo magis quam in anteactis saeculis et in dies adhuc

notabilioris. Hae mutationes et eorum consectaria quae tantum affi- [12] ciunt opus Ecclesiae in salutem hominum directum aliquo modo sane occasionem praebuerunt huic ipsi Concilio Vaticano II propter accommodatam renovationem, sive vulgo « aggiornamento » Ecclesiae convocato.

Numerus 5 exhibet aliquas inter praecipuas causas et instrumenta huius mutationis: « mentem scientificam » et « technicas artes », praesertim, quae non tantum tam profunde transformant visionem quam [13] homo de universo habet, sed etiam res magis magisque sub dominio et in servitium hominis reddunt. Hae omnes mutationes, culturales, mentales, scientificae et technologicae magnos effectus sociales, psychologicos, morales et religiosos inducunt in homine et in societate, at simul saepe tensiones contrarias provocant tum intra personam cum etiam inter personas et inter familias et coetus hominum. Descriptio quae habetur a n. 5 usque ad num. 8 inclusive tantum lineamenta generalia pingit mundi hodierni, vitando in quantum possibile omne id quod esset nimis exclusivum uni parti mundi et simul relinquendo pro secunda parte schematis puncta specialia quae ibi tractari debent. Passim suggeritur diversitas habitudinum inter varias nationes et inter varios coetus eiusdem nationis respectu eorundem phaenomenorum, praesertim inter divites et pauperes respectu bonorum huius mundi.

Sub n. 9 idea centralis seu « leit-motiv » totius expositionis clarius in lucem ponitur, nempe consideratio hominis et eius conditionis in mundo, illius hominis qui tam magnos fructus progressus iam possidet et maiora amplius sperat dum timere debet suiipsius destructionem; ille homo qui in medio mutationum quas ille ipse quotidie promovet quaerit ordinem permanentem et veritatem aeternam, seipsum interrogans de ultima ratione rerum. Textus noster nullo modo supponit omnes homines hodie sic sese interrogare, quod esset, ut ita dicam, ingenuum et contra factum. Sed tempora ipsa interrogationem suscitant qua multi homines vere anguntur; dum Ecclesia, suo munere fungens, non timide expectat ut ab omnibus interrogetur sed post descriptionem hominis sortis in mundo hodierno illa ipsa quaestiones de personae humanae vocatione in Deum revocat, et nuntium magni gaudii evangelicum, iterum exponet.

Patet ex tota hac « expositione introductiva » quantum desideret Sacra Synodus Christi lumen et amorem praesentiores reddere omnibus hominibus in solvendis gravibus eorum problematibus. Pro catholicis praesertim, sed etiam pro omnibus qui evangelium audiunt problemata lumine Evangelii schema illustrat. Ex ipsa evolutione autem rerum evidens est non omnia problemata immediate determinari neque solvi posse;

[13] nec pendet nostri schematis exitus a definitiva solutione unius vel alterius problematis, quia singula problemata suo tempore et suo loco maturabunt. Res novae adhuc quotidie evolvuntur, et indesinenter nobis praebent nova problemata quae nova studia et profundiorem dialogum exigunt. Incipitur hic novus dialogus Ecclesiae cum mundo, quae extendetur et applicabitur in omnibus nostris nationibus; et numquam his in terris finietur.

In oratione: [1] quae, ut Patres noverunt, etiam primam partem seu doctrinalem illustravit. [2] — et adhuc adest —. [3] Patet quod hic labor nondum finitus est.

10

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. CARDIJN

Venerabiles Patres,

Sacra nostra Synodus, in hac valde laudanda pastorali constitutione, ad omnes huius temporis homines Evangelii lumen vult tendere. Summopere oportet homines illos considerare non generali tantum modo, sed sicut in concreto inveniuntur et conversantur in mundo huius temporis.

Tria autem praecipua genera hominum his arduis problematibus hodie revera afficiuntur in mundo *huius temporis,*[1] scil. iuvenes, opifices et populi Tertii Mundi. *Omnes*[2] expectant nuntium Concilii, ut vocem Christi clamantis: *evangelium pauperibus*[3] misit me Pater.

Valde optarem proin ut *in Introductione,*[4] in Expositione introductiva praesentis constitutionis pastoralis, quae intitulatur « De hominis conditione in mundo hodierno », *addatur unus vel tres numeri de*[5] iuvenibus, opificibus et Tertii Mundi populis respective dedicati. Afferent *ter*[6] toti Expositioni introductivae stylum et notam opportune concretam et dynamicam.

Hodie, de iuvenibus et Tertio Mundi *populis loquar*[7]; alia vice, si id ...[8] permittitis, de *opificiis huius temporis.*[9]

In praesenti demographia mundi, iuvenes pro media circiter parte omnium orbis hominum computantur. Illa praesentis humanitatis pars media a Concilio *non*[10] potest praetermitti, *quia*[11] est pars maxime dynamica, et habebit influxum maximum in futurum *mundum. Vita autem*[12] illorum iuvenum est omnino differens a vita iuvenum in praeterito *tempore.*[13] Vivunt magis et magis longe a parentibus, *longe*[14] a

familia, *longe* [15] a patria, sive pro studiis, sive pro labore, sive pro distractionibus. Sunt magis uniti inter se, et magis convivunt. In vitae annis versantur in quibus de vocatione sua atque servitio in mundo determinationem facere necesse debent. Mundus, in quo sic intrant et laborare incipiunt, novis et quidem gravissimis quaestionibus conturbatur. In eorum manibus pendet quod mundus iste novus ad meliora vel peiora progrediatur. Soli et abandonati hi iuvenes non possunt recte solvere problemata huius aetatis et mundi moderni.

Sacra ergo Synodus, ista constitutione mediante, speciali modo ad nostrae aetatis iuvenes nuntium dirigere debet, qua fiduciam suam dicat, simul *et exhortet*,[16] exhortationem faciat ut unusquisque *iuvenum* [17] in conscientia sua, et omnes in *omnibus* [18] diversis coetibus, responsabilitatis suae *propriae* [19] pro praesenti atque futuro tempore conscii sint, *personali vita et omnibus coetibus vitae.*[20]

Sacra Synodus non ...[21] debet iuvenes paterne exhortari, *sed debet* [22] viriliter propriae responsabilitatis *iuvenes* [23] conscios facere. Hodiernus mundus erit quod *ipsi* [24] erunt in electione liberae voluntatis ...[25]. Ipsimet, propriis defectibus, certe, sed *nec* [26] etiam malis industriis, persaepe lucri intuitu, ipsis abutentibus, a praesenti *magna* [27] perpulchra vocatione et responsabilitate *iuventus* [28] revocari *ne permittatur* [29]!

Auctoritates potestatesque omnes, tam civiles quam privatae, honeste et assidue iuvenes totius mundi adiuvare debent ut vocationi *istae* [30] generose laetoque animo respondeant et sic mundum universum in melius renovent et promoveant.

A iunioribus tandem huius temporis, a Domino Iesu Christo, qui in vita sua terrestri iuvenes valde diligebat, certe dilectis, exoptat *quoque* [31] Sancta Mater Ecclesia ut sint pro temporibus istis novis operarii efficaces missionis suae divinae in mundo, ad concordiam et salutem hominum laudemque Dei promovendam in aevo praesenti *et* [32] futuro.

Ad hominum conditionem in hodierno mundo attendens, Ecclesia ...[33] dignum habere debet generalem populorum Tertii Mundi motum ad aequalitatem in omnibus humanae vitae campis cum veteribus nationibus *acquirendae.*[34] Tam intelligentia humanarum rerum concreta, quam divinae caritatis participatione atque missionali actione, hos novos populos in eorum promotione efficaciter magnaque eorum proprii ingenii reverentia, Ecclesia quantum potest, adiuvare debet.

Veterum nationum christianarum fideles omnimodo debent praesentibus doloribus, miseriis ...[35] angoribus auxilio adesse. *Eorum fratribus Tertii Mundi* [36] non tantum pecuniis et temporalibus *technicis* [37] mediis nationes illas novas adiuvare debent, sed praecipue educatione fraterne ad hoc directa ut ipsaemet promotionis suae humanae atque divinae

causam assumere possint. Magnum certe historicum scandalum esset, si per diuturnum in posterum tempus prorogaretur praesens possessio et fruitio maximae mundi divitiarum partis a solis nationibus quae christiana religione recensentur.

Haec nostra Synodus antiquiores et divitiores nationes cum clamore valido magnaque christiana anxietate sollemniter adiuret ut omnes scientificas, technicas, oeconomicas et politicas vires quibus hodie, sine ullo dubio, uti *possint*,[38] si volunt, efficaciter et sine mora coordinent in quodam vere universali ...[39] motu ...[40]

Moderator: Velis, em.me Domine, venire ad finem!

Orator: Si, egoismo vel stirpis *ortitudinis*[41] ..., pro certissimo *possum habere*[42] iudicium Dei severe et sine mora iudicaturum esse hanc magnam internationalem iniustitiam nostri temporis ...[43]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Hi. [3] evangelisare populos. [4] deest. [5] addantur tres numeri vel unus numerus cum tribus paragraphis. [6] isti numeri vel paragraphi. [7] paucis tantum verbis agam. [8] mihi. [9] opificum problemata in hoc mundo locuturus. [10] eo minus. [11] quod. [12] et quia vita. [13] deest. [14] deest. [15] etiam. [16] ac. [17] eorum. [18] suis. [19] deest. [20] deest. [21] tam. [22] quam. [23] deest. [24] ipsimet. [25] suae. [26] deest. [27] sua magna et. [28] deest. [29] non permittentur. [30] isti. [31] deest. [32] atque etiam in. [33] maxima consideratione. [34] acquirendam. [35] Tertii Mundi. [36] deest. [37] technicisque. [38] possunt. [39] et sincere humano. [40] ad tam varias magnasque dolores et anxietates Tertii Mundi sublevandas et abolendas. [41] vel conditionis vel nationis oboedientes, huic divinae Providentiae evidenti mandato obtemperare recusent. [42] tenere possumus. [43] Loquar de opificibus huius mundi temporibus proxima vice, si mihi permittetur.

Animadversio addita:

J'approuve la proposition de Son Excellence Monseigneur Angelo Fernandes, Coadjuteur de New-Delhi, de constituer une Commission post-conciliaire, aussi large que possible, pour étudier et résoudre les problèmes du Tiers-Monde.

Tous les évêques du Tiers-Monde devraient signer cette proposition ou une autre, plus claire. Je suis prêt à l'appuyer auprès des Evêques du Celam, d'Asie et d'Afrique.

11

Exc.mus P. D. IOANNES AMBROSIUS ABASOLO Y LECUE
Episcopus Vijayapuramensis

Venia venerabilium Patrum conciliarium, liceat mihi sequentes animadversiones facere[1]:

1ª animadversio. Quae in prooemio, n. 1, linn. 21-30, circa mundum dicuntur non placent. Asseritur nomine « mundi » hic venire « ex una parte caelum et terram seu universitatem rerum a Deo creatarum, ex altera parte universam familiam humanam », et reliqua. Et paucis velut comprehendere volens varios conceptus expositos, versus finem paragraphi, linn. 27-29, asseritur: « Illum uno verbo dicimus mundum, quem sic dilexit Deus ut Filium suum Unigenitum daret ». Sed hoc « uno verbo » tantummodo repetitur unus ex conceptibus iam memoratis, in textu enim a S. Ioanne mutuato « mundus » stat pro universa familia humana.

Ut reor, textus adhibitus in hac declaratione non describit ...[2] prout in praesenti ...[3] intenditur. Mea humili opinione hic nomine « mundi » venit: « Complexus omnium rerum creatarum atque omnium vicissitudinum et conditionum quibus homines hodierni cuiuscumque regionis, stirpis, culturae et religionis quomodolibet subiacent in eorum itinere ad Patriam ».

2ª animadversio. Quod in pag. 13, n. 11, circa hominem statuitur non videtur accurate dictum. Oporteret ut in lin. 6 primo mentio fiat de duobus elementis quibus homo componitur adducendo verba S. Scripturae. Itaque haec paragraphus sic incipere posset: « Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem » (*Gen.*, 2, 7).

In textu, linn. 6 et 7 affirmatur quod homo « ad imaginem Dei creatus est et qua talis — *qua talis!*[4] — super cunctas creaturas visibiles dominus est constitutus atque ad Deum ut ad finem suum dirigitur ».

Verum est quod homo, ad imaginem Dei creatus, constitutus est dominus super cunctas creaturas visibiles. Sed competitne ei hoc quatenus est imago Dei? Iuxta contextum S. Scripturae in *Gen.* 1, 26, fortasse accuratius sit dicere hominem esse similem Deo eo quod fuerit constitutus dominus super creaturas visibiles, potius quam constitutus fuerit dominus super eas eo quod creatus fuerit ad imaginem Dei. Hoc tamen non impedit quominus ratio ob quam homo habeat dominium super creaturas visibiles sit eius natura intellectivo-volitiva quae reddit

eum imaginem, naturalem quidem, Dei, nisi ornata sit gratia sanctificante, tunc enim efficitur imago supernaturalis Dei.

Et quod ad Deum ut ad finem suum dirigatur, ut in lin. 8 indicatur, convenitne homini quatenus est imago Dei? Imago qua imago ex se tantum importat similitudinem. Quaenam igitur est ratio ordinationis hominis in finem? Ut notum est, in praesenti ordine unicus finis ad quem homo est destinatus, est finis naturaliter *ei* [5] indebitus, ad quem disponitur et ordinatur per gratiam sanctificantem.

3ª animadversio. In linn. 13 et 14 legitur: « Hoc autem homo exercere valet, quia intellectu et conscientia, corde et voluntate praeditus est ». Ex hoc coniicere licet in homine esse quatuor facultates realiter distinctas.

4ª animadversio. N. 12 (de dignitate corporis humani) sic incipit: « Corporali sua conditione homo universas mundanas creaturas in se colligit et culmen vitae terrestris constituit ».

Iam vero, iuxta doctrinam communem si homo in se colligit omnes res creatas non est praecise ob suam corporalem conditionem, sed quia est compositus ex corpore et anima rationali. Nota sunt illa verba S. Gregorii: « Omnis creaturae aliquid habet homo; habet namque homo commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum angelis » ...[6]. Quid simile legitur in Angelico ...[7]

Si vero homo consideratur ut culmen vitae terrestris, hoc nullo pacto debetur eius corporali conditioni, sed animae rationali quae in homine est unicum principium vitae sive vegetativae sive sensitivae sive intellectuali.

5ª animadversio. Mirum quod in n. 13, pag. 14, ubi de dignitate animae, nec verbum dicatur de eiusdem spiritualitate ac immortalitate. Admittimus hanc constitutionem pastoralem non debere esse tractatum Anthropologiae, tamen non decet hac in re praetermittere mentionem de proprietatibus quae constituunt dignitatem animae ...[8].

6ª animadversio. In pag. 15, n. 16, linn. 36-40, vita socialis hominis illustrare intenditur vita trinitaria. Fides christiana, dicitur in textu, « docet nos, qui unus quidem est, in tribus subsistere Personis, quarum unaquaeque ita ad alias vivit ut ea ipsa relatione constituatur. Persona humana igitur, cum ad imaginem Dei unius et trini creata sit, quomodo signum eius in se non habeat? ».

Homo creatus a Deo uno et trino secumfert, proculdubio, impressum aliquod signum Trinitatis, quod quidem nobis non innotescit nisi cognita existentia mysterii per fidem. Sic Patres et Doctores Ecclesiae

plures detegunt analogias inter hominem et Trinitatem. Sed quod divinae personae relationibus constituantur, et quod unaquaeque *divina sit*[9] quasi ad alias vivat, non videtur esse sufficiens fundamentum ut affirmetur personam humanam, a Deo uno et trino creatam, habere in se signum eius sub illo respectu. Actus enim ille quo Deus creavit hominem erat communis tribus personis. Congruentius esset proponere homini vitam trinitariam ut exemplum imitandum.

Conclusio. Accuratius enucleentur conceptus philosophico-theologici. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] mundum. [3] in iam celeberrimo schemate XIII. [4] deest. [5] ipsi. [6] (*Hom. 29 super Evangelium*). [7] Hinc homo vocari solet mundus abbreviatus (microcosmos). Sed, ut dixi, hoc quia compositus est ex corpore et anima rationali. [8] In linn. 12-14 asseritur: « recte iudicat homo se intellectu, divinae mentis speculo, universitatem rerum superare ». Vereor ne haec affirmatio sit valde temeraria. Firmiter tenendum est etiam hodie valida esse et nunquam obsoleta evasura illa verba auctoris Imitationis Christi: « Si tibi videtur plura scire et ea satis intelligere, scias oportet ea quae ignoras adhuc ampliora esse » (L. 1, c. 3). [9] persona divina.

Exc.mus P. D. IOANNES KROL, arch. Philadelphiensis Latinorum, *subsecretarius Ss. Concilii*:

Exitus suffragationum super schemate *de apostolatu laicorum*:

Suffragatio I, super n. 1 cap. I:

Praesentes votantes	2.224
Dixerunt *placet*	2.218
non placet	5
placet iuxta modum, ergo nullum	1

Suffragatio II, super nn. 2 et 3 cap. I:

Praesentes votantes	2.224
Dixerunt *placet*	2.205
non placet	18
placet iuxta modum, ergo nullum	1

Suffragatio III, super n. 4 cap. I:

Praesentes votantes	2.206
Dixerunt *placet*	2.185
non placet	19
placet iuxta modum, ergo nullum	2

Suffragatio IV, super integro cap. I:

Praesentes votantes	2.130
Dixerunt *placet*	1.904
placet iuxta modum	213
non placet	8
Suffragia nulla	5

Suffragatio V, super nn. 5 et 6 cap. II:

Praesentes votantes	2.034
Dixerunt *placet*	2.025
non placet	9

Suffragatio VI, super n. 7 cap. II:

Praesentes votantes	2.077
Dixerunt *placet*	2.068
non placet	8
Suffragium nullum	1

Moderator: Proxima congregatio erit crastina die, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium!

CONGREGATIO GENERALIS CXXXV

24 septembris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CXXXV

24 septembris 1965

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Moderabitur congregationem generalem 135 em.mus ac rev.mus D. card. Iulius Döpfner, arch. Monacensis.

Patres venerabiles, vobis communico mortem piissimam exc.morum ac rev.morum DD. Ioseph Ferche, ep. tit. Vinensis et aux. Coloniensis, atque Alfredi Caselle, ep. tit. Lugurensis, aux. Melphiensis, qui erat tantum episcopus electus et nondum consecratus. Oremus pro eis!

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: *De profundis clamavi ad te, Domine ...*

Secretarius generalis: Patres venerabiles, dominica proxima erit dies natalis nostri Summi Pontificis. Propono vobis ut eidem mittatur telegramma quod sequitur: « Paulo VI Summo Pontifici. Die tuo natali, Beatissime Pater, exsultantes tibi omina offerunt et vota Patres sacrosancti Concilii ut plurimos atque plurimos dies adhuc videre possis bonos in decus Ecclesiae in salutem animarum in mundi universi quietam tranquillitatem. Nobis et laboribus nostris, Pater sancte, tuam benedictionem impertire » [*Plausus*].

Communico vobis, Patres, exitum ultimae suffragationis heri factae, super quaesito: « An placeat Patribus ut post discussionem generalem super integrum schema transeatur ad discutienda singula capita eiusdem schematis? »:

Praesentes votantes		2.157
Dixerunt	*placet*	2.111
	non placet	44
	placet iuxta modum	1
Votum nullum		1

Ergo prosequitur disceptatio, uti heri dictum est.

Lego nomina eorum, qui verbum facere postulaverunt circa prooemium, introductionem et primam partem.

Circa *prooemium et introductionem,* sunt em.mus ac rev.mus D. card. Ioseph Frings, arch. Coloniensis in Germania; exc.mi DD.: Hermannus Volk, ep. Moguntinus (Mainz) in Germania; Ioseph Marafini, ep. Verulanus-Frusinatensis in Italia (Veroli-Frosinone); Arturus Elchinger, ep. aux. Argentoratensis in Gallia (Strasbourg); Carolus Himmer, ep. Tornacensis in Belgio (Tournai); Andreas Hamvas, arch. Colocensis (Kalocsa) in Hungaria; rev.mus P. Ioannes Prou, sup. gen. Congr. Gallicae O. S. B.

Ad *primam partem,* loqui postulaverunt: em.mi ac rev.mi DD. cardd.: Paulus Petrus Meouchi, patr. Antiochenus Maronitarum in Libano; Paulus Richaud, arch. Burdigalensis in Gallia (Bordeaux); Rufinus Santos, arch. Manilensis in Insulis Philippinis; Franciscus Šeper, arch. Zagrabiensis in Iugoslavia; exc.mi DD.: Ignatius Ziadé, arch. Berytensis Maronitarum in Libano; Petrus Cantero, arch. Caesaraugustanus in Hispania (Zaragoza); Michaël Klepacz, ep. Lodzensis in Polonia (Łódż); Ioseph Ruotolo, ep. Uxentinus in Italia (Ugento); Eugenius D'Souza, arch. Bhopalensis in India (Bhopal); Nicolaus Elko, ep. Pittsburgensis Ruthenorum in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Carolus Weber, ep. Iceuvensis in Sinis; rev.mus D. Petrus Arrupe, praep. gen. S. I.

Lego, Patres, textum suffragationis circa schema *de apostolatu laicorum.* Amodo, Patres venerabiles, claritatis gratia, vobis indicabo etiam numerum suffragationis, qui est relatus in schedula quae vobis distribuitur, ita ut possitis conferre. Numerus est in parte superiore schedae, latere sinistro.

Haec suffragatio habet n. 312, et postea prosequemur, numeris successivis.

Videatis, Patres, pag. 24, n. 8 [*cf. pag. 322-324*]. *Placet,* Patres, an *non placet?*

Moderator: Prosequitur discussio quoad schema *de Ecclesia in mundo huius temporis,* ad prooemium et introductionem.

1

Em.mus P. D. IOSEPH card. FRINGS
Archiepiscopus Coloniensis

Venerabiles Patres,

Quia legere non possum et tempus mihi defuit ut memorarem interventum meum, rogavi exc.mum D. secretarium generalem ut ipse legat mea vice. Ipse benigne annuit, et humanissime eum rogo ut incipiat.

Exc.mus P. D. Pericles Felici:

Venerabiles Patres,

Loquar tantum de prooemio et de quibusdam ambiguitatibus in eo contentis, quae ipsum problema totius schematis illustrant.

1. In n. 1 de *populo Dei* ita sonat locutio, quam si populus Dei de supra se declinet ad angores hodierni generis humani, quod etiam elucet ex citatione verbi alicuius imperatoris Romani « nihil humanum a me alienum puto ». Sed revera hoc non fit ex quadam condescensione vel aliqua magnanimitate sed ex simplici facto, quod etiam nos simpliciter homines sumus, generi humano non solum per dialogum coniuncti, sed ipsius partem facientes. In hac mira ratione textus nostri apparet immatura notio populi Dei, quae totum schema pervadit.

2. Haud melius elaborata est, secundum meum humile iudicium, notio *mundi* in n. 2 definita, quae tamen pro nostro schemate non minus fundamentalis est quam notio Ecclesiae. In ultimo inciso huius paragraphi sub una conclusione coadunantur diversissimae notiones mundi. Mundus ut universitas rerum creatarum; mundus, cui, quamvis peccatis obnoxius sit, tamen offertur dilectio Dei, quae peccatores quaerit; mundum denique, quem Novum Testamentum *κοσμος οὗτος, αἰών οὗτος* appellat. Qui mundus has tenebras operi Christi resistentes significat et in fine iudicabitur. Haec tertia significatio cum secunda confunditur, quia dicitur hunc mundum in fine per fidem salvatum iri.

Insuper nihil dicitur de mundo in sensu hodie usitato: de universitate nempe rerum ab hominibus fabricatarum et de coniunctione hominum in labore technico. Hic est mundus hodiernus, de quo schema nostrum tractare deberet, scil. de eius relatione ad mundum in sensu biblico, et de modo, quo populus Dei in eo conversari potest et debet. Sed definitio mundi in prooemio nihil de hac re dicit, et consequenter in toto schemate notio insufficiens mundi adhibetur.

3. In ultima sectione n. 3, iterum modo vere insufficienti, *scopus* schematis declaratur. In prima enim parte sermo fit de sincera cooperatione Ecclesiae cum genere humano ad fraternitatem meliorem omnium instituendam; in secunda parte sententia haec illustratur verbis, qui intimam missionem Christi, i. e. salutem supernaturalem hominis, significant. Hic adest periculosissima confusio inter progressum humanum, cuius causa dialogus institui dicitur, et inter salutem divinam, quae oboedientia fidei percipitur. Mirum non est hanc confusionem totum schema pervadere, cum eius scopus tam confuse definiatur.

Quapropter propono et expostulo, ut notiones populi Dei et mundi rectificentur et per totum schema in eodem sensu adhibeantur, necnon scopus schematis clarius demonstretur. Ad quod assequendum non sufficerent mutationes accidentales hic et illic insertae, sed reformatio totius textus in sua substantia. Dixi.

Em.mus P. D. card. Frings: Gratias quam maximas ago exc.mo D. secretario generali et omnibus vobis!

Moderator: Proponat nunc exc.mus secretarius generalis ulteriorem suffragationem in nostro schemate.

Secretarius generalis: Habetur suffragatio 313, et est super integrum caput modo lectum, nempe super cap. II — secundo in nova editione, uti patet.

*Placet*ne vobis Patribus hoc caput, *non placet* an *placet iuxta modum?*

2

Exc.mus P. D. HERMANNUS VOLK
Episcopus Moguntinus

Venerabiles Patres et auditores omnes,

Pars prima schematis, praesertim prooemium et expositio introductiva, aliquomodo describunt intentionem huius schematis. Etsi multa dicuntur, tamen descriptio mundi eiusque problematum non bene se habet ad responsum, quod damus sub respectu theologico. Mundum celerrime mutari ipse mundus scit et dicit, melius fortasse quam nos. Nostrum autem est ea dicere, quae mundus ex seipso scire nequit; nam si sciret, *nondum*[1] esset mundus: theologicum scil. aspectum ipsius mundi. De hoc in schemate pauciora tantum dicuntur. E. g.: In nullo ex centum sex titulis schematis obvenit vocabulum « peccatum »; neque in ipso textu ex professo sermo est de mundo ex peccato talis facto,

qualis in Sacra Scriptura saepissime intelligitur. Mundus quidem nos ignorat, nos autem mundum noscimus, quandoquidem novimus eius habitudines theologice describendas.

2. Sicuti in doctrina de Ecclesia distinguere solemus inter ea, quae mutabilia, et ea, quae immutabilia sunt, ita etiam in interpretando mundo huius temporis eadem distinctione uti bonum est. Non tantum res et eventus novos, sed etiam res constantes et manentes attendere debemus. In ipsis rebus novis problemata vetera eorumque aspectus theologicos detegere etiam nostrum est auxilium, quod tribuamus mundo huius temporis. Nam si habitudo inter regnum Dei et mundum funditus esset mutata, Evangelium ipsum denuo scribendum esset. Propterea nefas est ita agere, quasi solummodo ex condicionibus novis oriantur problemata. Manent vetustissima problemata eaque gravissima: dolores, mors, obscuritas mundi et hominis, fundatae sive in creatura sive in mysterio *sive in peccato* [2] sive in statu peregrinationis. Estne theologice correctum, quod dicitur in n. 8 de disruptis aequilibriis in mundo hodierno? Quid omnino est aequilibrium et quando exsistebat aequilibrium quod in schemate hodie demum disruptum esse dicitur? Moveturne mundus solummodo ad disruptum aequilibrium an non etiam ad efficiendum meliorem ordinem et aequilibrium?

3. Hodiernam mundi condicionem ad atheismum seducere posse, ex contrariis rationibus evenit. Multis hominibus progressus mundi huius temporis talis ac tantus esse videtur, ut, quod deest, se propriis viribus acquisituros esse sperent ideoque se Deo non indigere putent. Nam mundus plus maiusve efficit quam multi fideles opinantur. Aliis et non paucis, ordo huius mundi tantopere disruptus esse videtur, ut Deum creatorem credere se non posse putent atque auxilium neque a Deo neque ab hominibus venire posse sperent. Eis omnibus auxilium praestare debemus eo, quod accurate ostendimus, quae lacuna, quale ut ita dicam vacuum oriatur pro intellectu et actione humana, si Deus negetur. Hanc lacunam si inaccurate describimus, nullum praebemus auxilium contra atheismum.

4. Maximi est momenti, quod Christus ipse in nostro schemate rectum obtinet locum. Prima pars schematis in fine uniuscuiusque capitis de Christo loquitur. Hoc quidem fieri potest, tamen non sufficienter inde elucet Christum esse caput universi eiusque fundamentum. Christus aliquomodo apparet quasi novum argumentum pro sententia, quae iam aliis rationibus probata est. Inde sequitur, quod neque mundus neque gratia recte describitur. Non bene ostenditur solum Christum esse in hodierna hominis condicione *et pro homine in peregrinatione semper* [3] lumen et vitam, cum homines tantopere in mortis caligine versentur, ut

nullo alio quam Christi lumine lucescere valeant. Totus mundus, sub respectu ultimi finis consideratus, tantopere peccato est inflictus, ut eius condicio solummodo in Christo superari queat. In schemate autem mundus apparet tamquam creatura leviter tantum peccato laesa. Peccatum, quod est in mundo, in obliquo describere non sufficit. Sed neque redemptio sufficienter illustratur in schemate, quia Christus non sufficienter apparet tamquam causa exemplaris gratiae et vitae christianae, quae habet figuram Christi. Nisi haec omnia bene explicantur, status, quem habet Ecclesia in mundo, non bene dilucidatur. Si Christus apparet solummodo tamquam additamentum externum, non intellegitur, cur nobis dicatur: « Vende omnia, quae habes, et da pauperibus, et veni, sequere me »; et: « Nolite commisceri mundo ». Attendere debemus, ne christianum nuntium reducamus, ut mundum melius alloquamur.

5. Ideo propono, ut in prima parte schematis pura praescriptio, praesertim descriptio condicionis hodiernae mundi et hominis abbreviatur, ut autem maturius et ex professo aspectus theologicus mundi pronuntietur: scil. eum esse creatum a Deo ideoque habere determinatam et inexterminabilem habitudinem ad Deum; eum esse in peccato; eum esse redemptum a Christo; eum esse destinatum ad finem supernaturalem, qui neque evolutione neque historia naturali, sed tantum per Christi adventum obtineri potest. In his theologicis elementis fundatur legitimum ius Ecclesiae et Concilii ad loquendum cum et de mundo huius temporis. Considerandum etiam videtur, utrum non melius caput quartum partis primae ponatur in initio huius partis. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] noniam. [2] gratiae et peccati. [3] deest.

Animadversiones additae:

In genere: Mihi cordi est, sequentes emendationes proponere:

1. Vox « mundus », quid dicat et enuntiet, non potest secundum beneplacitum statui et declarari; nam talis conceptus exhibeatur oportet, qui illum mundum enuntiat, in quo christifideles ut tales vivere debent atque operari. Hunc conceptum quaerere debemus ex verbo Dei revelante, et quidem non tantum considerantes mundum sub aspectu creaturae Dei, sed et sub aspectu peccati et redemptionis et perfectionis eschatologicae per gratiam Christi efficiendae. Hac via evitamus periculum, ne bonitatem creaturae, quae ex Dei manibus provenit, exclusive consideramus negligendo ea, quae ex historia hominis cum Deo perpetrata et ex libertate tam Dei quam creaturae procedunt.

De cetero caveamus, ne simpliciter loquamur de cooperatione hominis cum Deo creatore. Etenim creare ex nihilo tantopere est solius Dei, ut in illo proprie dicto habere non possit cooperatorem.

2. Mundi evolutionis atque mutationis descriptio sub aspectu theologico deficit et insuper in campo pastorali confusionem gignere potest, nisi etiam ea, quae nulla evolutione mutari possunt, enuntientur et illustrantur, sicut e. g. ipsum esse

creatum, ordinatio creaturae ad ipsum Christum et ad finem eschatologicum per Christum perficiendum.

3. Attento harum emendationum momento cum omni modestia licet mihi proponere atque instanter expetere, sit ante subcommissionis labores suscipiendos habeatur sessio plenaria Commissionis mixtae, in qua consensus vel confirmetur vel inveniatur de applicandis normis a Commissione Centrali statutis.

Ad n. 12: Homo, inquantum est corpus, pars et culmen mundi materialis est. In connexione cum veritate haec momenta exponantur: In corpore suo homo seipsum tantopere pati debere sentit, ut ei difficile esse videatur, seipsum Dei imaginem dominumque universi intellegere, econtra timeat, ne dignitati suae personali periculum immineat. Dies et nox, aestus et frigor, fames et sitis, necessitas dormiendi et aliae naturae suae conditiones ei sunt datae, quin interrogatus sit; operari debet, ut vivere possit (laborem humanum operosum esse non sufficienter exprimitur in pag. 14, lin. 1: « ad laborandum *non sine sudore* »!).

Ad n. 13 (vel ad 38: Ex altera parte homo in mundo materiali munus specificum habet et exercere debet, quandoquidem mundi culmen personale. Hoc munus est in eo, quod mundum esse creaturam Dei agnoscens ipsumque suae ipsius vitae ingerendo ad ipsum Deo referre debet. Hoc facit homo rebus, quae sibi ope agriculturae, opifici, technicae artis parat utendo. Insuper autem mundus vitae humanae inseritur etiam eo, quod homo mundum cognoscat, in eo celebrat, eique cum reverentia obviat, etiam quin res mundi consumat. Non deesse debet expositio quaedam de spatio et tempore, deque rebus materialibus signis sacramentalibus sanctificatis.

Ad pag. 14, lin. 24: « Non enim de solo pane vivit homo, sed de veritatis perceptione et verbi Dei acceptione ». Tali modo tam diversa obiecta verbulo « et » coniungere nefas videtur; nam « veritas » hoc loco non videtur intelligi eo sensu, quo in Evangelio S. Ioannis adhibetur.

Ad n. 13: Ex unitate principiorum materialium et spiritualium oritur possibilitas hominis ponendi signa et symbola ut seipsum coram Deo et hominibus exprimat. Ex altera parte homo seipsum exprimere valet verbo. Etsi inter varias nostri temporis mutationes etiam haec est, ut homo sicuti numquam antea imaginibus influitur et videre facere potest, quae usquehuc nunquam aspici potuerunt: tamen homo debet seipsum, inquantum est persona, praesertim verbis exprimere, debetque capax manere ad audiendum testimonium hominum et Dei seipsum revelantis. Ea, quae audivimus, maioris sunt momenti quam ea, quae videmus; nam exteriora hominis videre, eius cor autem ab ipso testificatum audire debemus.

1. Ad n. 37, linn. 11-14: Clarius distinguendum est inter certitudinem fidei, quae nobis navitatem hominis in hoc mundo essentialiter manifestat, et meditationes de quaestionibus huius temporis instituendas.

2. Ad n. 38: Vituperandum est, quod textus non quaerit ipsum internum responsum Sacrae Scripturae, sed suum responsum iam antea praeparatum Sacra Scriptura confirmare intendit. Sic evenit, quod navitas hominis quasi exclusive in dominio externo rerum videtur, quod est falsa interpretatio ideae imaginis Dei, quae non primarie externum dominium respicit, sed hominis habitudinem ad Deum. Centrum existentiae humanae secundum Sacram Scripturam est relatio personalis ad Deum et ad hominem, deinde ad hoc centrum ordinantur omnia alia. Etiam in mundo hodierno revera relationes personales maiores momenti sunt quam fabricationes technicae.

3. Ad n. 39: Non est clarum, quae sunt verae victoriae generis humani. Nullo modo evolutio technica simpliciter progressus humanus et victoria humana est.

4. Quod in n. 23-30 dicitur, haud bene errores proprios ex erroribus aliorum excusare intendit.

5. Clarius explicetur sublime munus testimonii fidei, spei et caritatis pro hoc mundo. Fides, inquantum mundum superat, vero sensui mundi inservit; summum ministerium christianorum in hoc mundo non in eo est quod christiani laborem aliorum participant, sed in testimonio libertatis in hoc mundo et de hoc mundo, quam fides praebet. Distantia quoad mundum, quem Sacra Scriptura postulat, non est abalienatio hominis, quae eum in suo ministerio impedit, sed est conditio muneris sui. Non obliviscendum est, in nostro schemate, hominem dominium temporis et spatii summe exercere, si Deum in cultu publico adorat, si die dominica resurrectionem Domini a mortuis solemniter celebrat et sic novum mundum annuntiat.

Ad n. 38 (cf. scripta ad n. 13): Homo non tantum ad hoc operatur, ut fiat dominus omnium rerum, sed saepissime ut vitam suam degat et insuper ut condiciones vitae suae meliorentur.

Ad n. 41 ss.: Bonum esset, loqui de signis et fructibus regni Dei in peregrinatione, scil., de gaudio, pace, libertate, pietate. Loquendum est de libertate tamquam dono salutifero, de libertate filiorum Dei, liberatorum a destructiva potestate mundi; nam vitam, quam in Christo habent, fidelibus mundus — ne more quidem — non abripere potest.

Regale sacerdotium, regno Dei proprium, omnibus rebus, excepto solo peccato, conferendi sensum permanentem, sicut ipse Christus fecit, in forma crucis, coram mundo despectabili, nobis autem in Christo nota.

Duplex habent christiani munus in mundo: Debent omnibus temporibus ostendere, quomodo homo christianus in ipso mundo vivat seque ipsum et mundum ad Deum referat. « Omnia vestra sunt, vos autem Christi estis » (*1 Cor.* 3, 22). Simul autem christiani ostendere debent, a mundo quoque abstinere esse necessarium et possibile. Ostendi debet christianum non debere omnia possidere, quaecumque possidere possunt; debet quoque ostendi christianum paucis egere, si Christo coniungitur, non quia mundum despicit, sed ut testimonium reddat pro Christo. Hoc correspondet characteri eschatologico status peregrinationis: « Nolite commisceri mundo ».

3

Exc.mus P. D. IOSEPH MARAFINI
Episcopus Verulanus-Frusinatensis

Venerabiles Patres,

Schematis expositio introductiva et prima pars laude dignae sunt, praesertim quia copiose explicant sinceram cooperationem, quam Ecclesia ad societatem perfectam construendam et ad mundi progressum promovendum libentissime offert, et quam homines coaevi ardenti animo exspectant ac reposcunt.

Revera huiusmodi cooperatio immensae caritatis amplexus est, quo Ecclesia ...[1] mundum universum sibi adstringere cupit mutuae intelligentiae et aedificationis gratia, desiderio mota ut evolutio mundi non contra aut extra Ecclesiam fiat, sed cum Ecclesia; atque iure meritoque haec cooperatio exhibetur non ut aliquid vitae mundi superadditum, sed ut principium perfectivum ab intrinseco, more evangelici fermenti. Qua via sperare possumus illud divortium inter fidem et vitam practicam superatum iri, quod inter graviores nostri temporis errores recensetur in n. 52 ...[2]

Mihi nunc liceat quasdam animadversiones, iuxta ordinem schematis, proponere, hanc praemittens generalem:

Ut cooperatio Ecclesiae cum mundo efficax evadat et missioni ipsius Ecclesiae consentanea, duo requiruntur: nempe cognitio vera et obiectiva hominis et mundi hodierni, et expositio mediorum aptorum, quibus Ecclesia ad perfectionem mundum perducere contendit.

Iamvero in his duobus prima pars schematis saepe deficere videtur, sicut ex observationibus sequentibus apparebit.

1. In expositione introductiva, n. 8, ubi disrupti aequilibrii adnumerantur, causa eorum siletur; ne superficialis malorum recognitio evadat, haec causa dicenda est et appellatur *peccatum;* similiter, in n. 9, ubi agitur de appetitionibus profundioribus hominis, iuvat earum *radicem* indicare, quae constituitur desiderio, divinitus insito in corde humano, immortalitatis et felicitatis vitam terrestrem transcendentis, necnon illa capacitate Dei, de qua divus Thomas locutus est.

Insuper, cum expositio introductiva mentem legentis valde excitet multitudine problematum et interrogationum, perficienda est mentione Dei Patris Providentissimi, cuius Sapientia « attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter » ...[3]

2. In cap. I, primae partis, ubi anthropologia christiana delineatur, gravis deprehenditur defectus: silentio enim praetermittitur vulnus adamiticum. Mihi videtur locus aptus esse post n. 15 ad inserendam breviter doctrinam peccati originalis, sine qua impossibile est hominem intelligere. Nam in humano spiritu inest quoddam — ut ita dicam — principium existentiale negativum, quod theologice fomes concupiscentiae nuncupatur, ita ut omne malum in homine et in societate imperans rationem culpae aut poenae habeat. Ex eo discidium profluit, quod in imo corde indesinenter renovatur iuxta vibrantia verba S. Pauli: « Non quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio ... Nunc iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum ... Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae et captivantem me in legem peccati » ...[4]

3. In nn. 18 et 19, ubi de Deo ab hominibus agnoscendo et de atheismo disseritur, debilis et brevior confutatio atheismi apparet. Attentis gravitate et diffusione erroris huiusmodi, videtur hic locus peropportunus ad exsistentiam Dei synthetice probandam: non certe recolendo argumenta metaphysica, sed explanando rationes quibus maxima problemata, quae animos hominum affligunt, in Deo creante et elevante resolvuntur, dum, Dei exsistentia negata, in enigmate manent, immo insolubilia et absurda fiunt.

4. Cap. II rationes rectae evolutionis socialis comprehendit viasque signat ad eam fovendam, i. e. vias libertatis, fraternitatis universalis, responsabilitatis et cetera; tamen gravi defectu laborat: etenim ignorat dualismum moralem, relationes hominum et societatem perturbantem, scil. illum conflictum inter bonum et malum, inter Deum et satanam, inter Christum et antichristum, inter regnum Dei et imperium diaboli, de quo saepe Evangelium loquitur et S. Ioannes more prophetico agit in Apocalypsi, potissimum in cap. 13.

Sub lumine huius doctrinae mundus considerandus est non modo irenico — sicut schema implicite suggerit — sed tamquam theatrum persecutionum, conflictuum, dolorum, ubi ipsa vita hominis militiae et tentationis significationem capit.

Itaque christiana interpretatio rerum in meliorem partem ac praevisio boni (vulgo optimismo) fundantur non solum in bonitate naturae humanae — cui tamen officit vulnus peccati — quam potius in auxilio gratiae et in victoria progrediente et finali Christi Redemptoris. Profecto satana non praevalebit nec opus salvificum Ecclesiae destruere poterit: illud tamen ad tempus impedire et turbare usque ad parusiam Domini ei permissum fuit.

Hanc doctrinam meminisse iuvabit non solum ad interpretanda *recte* [5] humana et socialia, sed etiam ad proponenda remedia magis idonea. Nam ex hac veritate profluit insufficientia virium et mediorum naturalium ad salvandos homines et ad meliorem ordinem socialem promovendum. Quae insufficientia, mea humili sententia, explicite in hac parte schematis revocanda est, ne in errorem naturalismi incidatur.

5. In nn. 20 et 36 proponitur ut exemplar Christus homo perfectus et fit mentio de mysterio Incarnationis ad illuminandum mysterium hominis et evolutionem mundi. Iamvero in re tanti momenti, ubi de Ecclesiae relationibus cum mundo agitur, non sufficit praebere Christum tamquam hominem perfectum, sed necesse est Christum et hunc crucifixum proponere ut fontem gratiae, vitae et salutis. In incarnatione enim Deus homo factus est, ut homo fieret Deus; et natura humana assumpta est ad existentiam divinam; secus cooperatio Ecclesiae cum mundo vi-

detur producere potius humanisationem Ecclesiae — sit venia verbo — quam spiritualisationem mundi.

6. In cap. III clare elucet inter spiritum et materiam, inter Ecclesiam et mundum non intercedere oppositionem sed compositionem harmonicam atque recte docetur rebus creatis et activitatibus temporalibus inesse valorem seu significationem propriam, quamvis absconditam, in qua realis et visibilis fit mens Dei creantis et servantis; tamen non dicitur quod de facto oppositio habetur, perpromanans ex parte hominis semper proclivis ad malum; quapropter huiusmodi dialectica inter mundum et Evangelium nunquam omnino decidet.

Insuper ad perficiendum hoc *opus* (*quod describitur*[6]: quid significat humana navitas in universo mundo), necessarium opinor adiungi: quid significet humana navitas in vita cuiusque hominis, ne in obscuro maneant sensus et finis individui, a Christo redempti, periculumque avertatur interpretandi valorem singuli hominis in ordine ad societatem; immo ipsa evolutio mundi consideranda est subordinate ad finem ultimum personae.

7. et ultimo. In hac prima parte schematis et praecipue in cap. IV collaboratio, quam Ecclesia mundo offert ad perfectum ordinem socialem instaurandum, videtur effici in linea evolutionis naturalis et immanentis. Hoc periculum interpretationis auferendum est et clare affirmandum actionem Ecclesiae exerceri in linea transcendentiae et elevationis supernaturalis, quatenus provehit homines ad participationem vitae divinae. Apertis verbis dicendum est ministerium ab Ecclesia oblatum ad societatem perficiendam esse praecipue ministerium fidei, gratiae, purificationis, orationis et magisterium crucis; offert enim id quod Christus Redemptor meruit et suae Sponsae commisit mundo tradendum.

De cetero, etiam hominibus coaevis haud difficile est persuaderi — et historia id luculenter demonstrat — fretas viribus solummodo naturae, sensu libertatis, dignitatis et iustitiae, personas singulas et societatem minime idoneas esse ad perfectionem veram et tutam consequendam.

Mundo hodierno, qui, fisus suis viribus et ratione, atque oblitus Dei et Iesu Christi, in timores, in angores, in desperationem, in multiplices animi anxietates prolabitur, oportet ut Concilium hac ab omnibus exspectata constitutione auxilia fidei et principia integrae vitae christianae cum firmitate et magna fiducia offerat.

In textu scripto tradito: [1] ut verbis Pauli VI utar. [2] Perplexitas autem, quae primo ictu emanans a novitate huius doctrinae animos legentium afficit, re maturius perpensa evanescit. Novitas schematis nimis extolli mihi videtur. Procul

dubio novitas in hoc habetur quod nullum Concilium Oecumenicum has quaestiones pertractavit; attamen novitas in magisterio ordinario Ecclesiae reapse fere nulla habetur sive quoad res sive quoad methodum, quia litterae pastorales episcoporum et Litterae Encyclicae Summorum Pontificum, praecipue Pii XII, Ioannis XXIII et Pauli VI plures has quaestiones agitarunt eandemque methodum sunt secuti, sicut ex notis schemati appositis eruitur. [3] (*Sap.* 8, 1). [4] (*Rom.* 7, 15 ss.). Huic doctrinae revocandae ratio etiam psychologica subvenit. Nam iudicium quo homines coaevi in aestimanda liceitate actuum humanorum ducuntur, non est ratio aut congruentia cum lege divina vel humana, sed animi motus nativus et naturalis: quod natura sua sponte exprimit ac depromit, id licitum reputatur. [5] deest. [6] caput (quod inscribitur:.

Secretarius generalis: Audiatis, Patres!

Patres qui nomine conferentiarum episcopalium dominica proxima se conferent in campum gitanorum, si proprium vehiculum non habent, possunt uti vehiculo nostri secretariatus administrativi. Quod vehiculum, vel potius quae vehicula, praesto erunt hora tertia cum dimidio post meridiem in platea a Pio XII nuncupata, prope plateam S. Petri. Ergo hora tertia cum dimidio post meridiem, haec vehicula, haec autocineta iter suum versus Pometiam incipient. Hora tertia cum dimidio. Et Patres qui participant induent habitum pianum tantum.

Nunc lego textum suffragationis 314. Hic numerus est ab inito Concilio. [*Cf. pag. 328-329, nn. 9-10*]. *Placet*ne an *non placet?*

4

Exc.mus P. D. LEO ARTURUS ELCHINGER
Episcopus tit. Antandrinus, coad. Argentoratensis

Venerabiles Patres,

Ad nn. 2 et 3 prooemii loquor: 1. sub quo respectu Concilium in hoc schemate mundo alloqui intendit; 2. de forma concreta Ecclesiae dialogi cum hominum familia.

I. In n. 2, pag. 5, lin. 19 dicitur: Cunctis hominibus exponere cupit Concilium « quomodo ... Ecclesiae praesentiam et navitatem in mundo concipiat ».

Sed intentio sic declarata, ulterius in textu, minus stricte applicatur. In multis locis partis I non apparet si agitur de modis agendi qui unice ad mundum spectant, vel si agitur de determinationibus quas Ecclesia sibimetipsae dat in relatione ad mundum.

Ut finis Ecclesiae dialogi cum mundo magis determinetur, respicere debemus ad intentionem Ioannis Papae XXIII, Concilium convocantis, et ad ipsam hodierni mundi exspectationem relate ad Ecclesiam.

Ioannes XXIII optavit ut Ecclesia mundo renovatam faciem ostenderet, et hominibus hodiernis cum toto dynamismo Evangelii ministraret. Ad hoc non sufficit ut Concilium reiteret affirmationes generales quae omnibus fere iam notae sunt.

Insuper, secundum eius titulum, schema non agere debet « de mundo huius temporis » sed « *de Ecclesia* in mundo huius temporis », i. e., de novis relationibus Ecclesiae cum mundo. Aliunde, homines huius temporis, magis ad actus quam ad verba attendunt. Ideo, non tam audire volunt theoriam aliquam Ecclesiae de mundo, sed audire desiderant quomodo Ecclesia se concrete reformare intendit relate ad mundum hodiernum.

Schema autem nimia profert de iis quae mundus facere debet, et tantummodo pauca affert de iis quae ipsa Ecclesia vult facere, ut melius viam praeparet ad mundum inveniendum et positive considerandum.

Mundus merito hoc exspectat. Christus, etenim, explicite nos rogavit ut testes eius simus, et hoc, non tantum in eius doctrina diffundenda, sed etiam in nova ratione homines diligendi atque concrete adiuvandi.

II. Quomodo talis sollicitudo concrete et melius in textu nostro elaborari possit.

Homines hodierni exspectant ab Ecclesia sanam libertatem, profundam sinceritatem, communionem fraternam in labore, in idearum communicatione, in gaudiosa tranquillitate, etc.

In nostro schemate, non patet sufficienter quomodo vult Ecclesia ita agere, ut illa hominum legitima desideria impleri possint, incipiendo in ipso sinu Ecclesiae. Optime autem et feliciter schema loquitur in n. 40 de libertate in studio scientifico.

Sed, in cap. I, sermo fit de primatu conscientiae, de magnitudine libertatis, de momento vitae corporalis. Non sufficit ut postea dicatur humanam dignitatem esse excolendam. Ecclesia quaerere debet quid, in concreto, faciendum sit, ut haec dignitas reipsa excolatur in societate hodierna, immo et quaerere debet *quid ipsa Ecclesia* facere possit ut in semetipsa haec dignitas hominis revera agnoscatur.

Concretum aliquod tentamen ad salvandam dignitatem humanam in eo consisteret, v. g., ut commendaretur quam maxime, sed sapienter, sic dicta « decentralizatio » et effectiva aestimatio libertatis personalis, in omni societate oeconomica, sociali et etiam ecclesiastica (et quidem in omnibus hierarchiae gradibus). Haec enim decentralizatio foveret pro variis personis possibilitatem sese vere exprimendi et assumendi in omnibus responsabilitatem hominis adulti dignam (quo minime necessitas et momentum auctoritatis superioris negaretur).

Insuper, quid Ecclesia facere intendit ut « qualitas » hominis et sensus, sic dictus « gratuitatis », melius excolatur, etiam in ipsa Ecclesia, relate ad obsessionem quantitatis et conformismi?

Tali modo, ad omnes quaestiones huius partis I, aliquae determinationes concretae proponi deberent. V. g., quando agitur de Mandato novo caritatis, designari oporteret quid in concreto Ecclesia facere vult ad implendam illam legem Evangelii, secundum quam omnes iudicabimur in ultimo Iudicio: legem, nempe, dividendi bona nostra cum fratribus ...

Similiter, non sufficiunt declarationes — optimas quidem sed nimis generales — de incredulitate hominum et de atheismo, sed necessarium est ut Ecclesia inquirat ea eliminare quae ex parte ipsius Ecclesiae sunt occasio incredulitatis; et requiritur ut Ecclesia, audacia missionaria mota, testes Christi, secundum novas apostolatus formas, emittat praecise ad eos qui nunquam authenticum Nuntium de Deo et de Christo audierunt.

Si, pro unoquoque problemate sic indicemus mutationem mentalitatis quam in Ecclesiam, et per ipsam, in mundum introduci cupimus, tunc mundus ad ea quae declaramus vere attenderet et Ecclesiam cum nova fiducia adspiceret. Sane, Ecclesia hodie praebere nequit responsum concretum ad omnes quaestiones quae ponuntur, sed in multis, saltem indicare valet vias quas, quaerendo solutionem, percurrere intendit.

Per modum conclusionis propono: 1. ut ea quae tantummodo aut primarie mundum ipsum unice spectant, abbreviantur et contrahentur; 2. ut ea quae Ecclesiam et eius habitudinem ad mundum hodiernum spectant, amplientur et magis concrete tractentur; 3. ut non tantum theoretice sed practice indicantur ea quae Ecclesia ipsa vult facere, ad melius serviendum mundum modernum.

Sic schema nostrum, intentioni in n. 2 expressae, melius respondebit. Talis eius structurae modificatio, maiorem realismum et spiritum missionarium inquirens, nobis adhuc possibilis videtur et valde optabilis.

Concilium, etenim, responsabilitatem habet de « bona fama Dei » inter homines; responsabilitatem habet de aestimatione quam homines habebunt vel non de *Dei amore erga mundum huius temporis*. Fiat! Gratias.

Moderator: Exc.mus secretarius generalis leget nunc textum sequentis suffragationis.

Secretarius generalis: Suffragatio 315 [*cf. pag. 329-331, nn. 11-12*]. *Placet* an *non placet?*

5

Exc.mus P. D. CAROLUS M. HIMMER
Episcopus Tornacensis

Venerabiles et carissimi Patres,

Animadversio mea respicit expositionem introductivam et speciatim numeros 4, 5 et 6.[1]

Ut optime notavit exc.mus relator, ratio huius expositionis introductivae, votis multorum Patrum respondens, est duplex: prima ut melius cognoscatur vera situatio mundi hodierni, secunda ut dialogus cum mundo facilius et sincerius incipiatur.

Omnino probanda atque laudanda generatim haec introductio propter suam obiectivitatem et propter conatum describendi usque ad minuta characteres mundi hodierni et simul eos ad synthesim redigendi.

Revera est seria difficultas huiusmodi descriptionem in aliquo schemate quod valere debet tam pro Oriente quam pro Occidente, tam pro christianis quam pro non-christianis, tam pro hominibus qui ad mundum sic dictum laboris pertinent quam pro aliis *etc., introducere.*[2]

Ibi unam animadversionem tantum facere intendo, cogitando praecise ad exigentias dialogi cum operariis, *opificibus*[3] aetatis nostrae. Numerice isti constituunt et semper magis constituent maiorem *omnino*[4] partem mundi hodierni et *proxime*[5] futuri. Neque obliviscendum est quod hic mundus *operariorum*[6] ideologia marxista valde imbuitur. Est factum et contra factum non valet illatio. Est cum *hoc* mundo quod noster dialogus ineundus et perficiendus est.

Oportet ergo, *mihi videtur,*[7] ut ab initio schema nostrum conditiones actuales describere intendens non praetermittat assignare inter eas quamdam *mutationem* quae est evidentissima et quae simul tangit profunde *mentem et*[8] cor opificum hodiernorum.

Et quaenam est *haec mutatio*[9]? Hoc factum novum in historia est accessio mundi operariorum ad quamdam promotionem irreversibilem atque constantem. Et quibusnam characteribus apparet ornata haec promotio?

1. Haec promotio habet hoc sibi proprium quod est *totalis,* scil. ad omnes aspectus vitae sese extendit. Ioannes XXIII, *sanctae memoriae,*[10] in Encyclica *Pacem in terris* optime descripsit hunc progressum gradualem classium opificum prius in re oeconomica et sociali, deinde gressum facientem ad res politicas et ad omnes culturae formas.

2. Haec promotio habet etiam pro se *proprium*[11] quod ex natura

sua revera ducere debet ad progressum profundum humanitatis. Non possumus enim oblivisci, *carissimi Fratres,*[12] verba Ioannis XXIII proclamantis nunc in encycl. *Mater et Magistra* quod haec promotio mundi laboris est profecto « progredientis humanitatis indicium » (*sunt ipsissima verba Summi Pontificis*).[13] Declaraverat prius in eodem contextu quod nostris diebus contingit *a*) homines magis cupere acquisitionem alicuius peritiae professionalis (*capacità professionale*)[14] quam possessionem alicuius pecuniae; *b*) homines magis hodie aestimare redditus ex labore provenientes et redditus ex iuribus cum labore coniunctis promanantes quam redditus ex pecuniarum capite (il capitale) exsistentes. Observabat hac occasione *Summus Pontifex*[15] quod haec hodierna aestimatio erat veluti « indicium — *ut dixi*[16] — progredientis humanitatis », nam labor in quantum procedens immediate a persona anteferendus est *quam maxime*[17] divitiarum copiis. A. v., promotio haec progressum humanitatis signat quia derivat ex valore laboris prout hic personam humanam nobiliorem reddit.

Concludo. Optandum est ergo mentionem huius promotionis introduci his nn. 4, 5 vel 6, scil. in hac schematis parte quae mutationes hodiernas describit.

Neque sufficere videtur huic voto nostro respondere, alludendo ad ea quae in n. 9, pag. 9, linn. 38 s., vel pag. 10, linn. 3, 4 et 5 declarantur circa exigentias et vindicationes opificum. Scio etiam *ipsum*[18] laborem ut valorem in se optime quidem et adaequate *etiam*[19] praesentari *in nostro schemate,*[20] in n. 79. Sed propter rationes supra allatas humiliter peto ut inter signa praecipua mundi nunc mutantis locus fiat mentioni laboris prout dat valorem authentice humanum actuali et completae promotioni mundi operariorum ...[21] Dixi. Deo gratias ... et gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] deest. [13] deest. [14] deest. [15] deest. [16] deest. [17] deest. [18] deest. [19] deest. [20] deest. [21] En textus Ioannis XXIII: In Litteris Encyclicis *Mater et Magistra* declarabat: « Contingit quoque nostris diebus, ut homines potius alicuius artis peritiam quam rerum possessionem excupiant; iidemque pluris faciant redditus, qui ex labore vel ex iuribus cum labore coniunctis oriantur, quam redditus qui ex pecuniarum capite vel ex iuribus cum hoc coniunctis exsistant. Quod quidem plane congruit cum nativa laboris indole, qui, cum a persona humana proxime procedat, anteferendus est externorum bonorum copiae, quae suapte natura instrumentorum loco habenda sunt; idque progredientis humanitatis indicium profecto est » (*A.A.S.*, 53 [1961], p. 427). Item in Encyclica *Pacem in terris,* Ioannes XXIII ut progressum considerat promotionem oeconomicam et socialem classium opificum atque politicam et culturalem: « Ante omnia opificum classes videmus in re oeconomica et sociali grada-

tim profecisse. Initium enim iidem capientes a suorum iurium vindicatione maxime in ordine rerum oeconomicarum et socialium, deinde ad vindicationem gradum fecerunt rerum politicarum, tum demum ad politioris humanitatis commoda adipiscenda animum intenderunt. Quam ob rem in praesentia opifices qui ubique sunt, illud vehementer exquirunt, ne unquam ducantur quasi quaedam res rationis et libertatis expers, qua alii arbitrio suo utantur, sed tanquam homines in quibuslibet humanae societatis partibus: hoc est in regione oeconomica et sociali, in re publica, in campo denique doctrinarum et disciplinarum » (*A.A.S.*, 55 [1963], p. 267).

Moderator: Exc.mus D. secretarius generalis communicabit textum suffragationis sequentis.

Secretarius generalis: Suffragatio 316. Pag. 33 [*cf. pag. 332-334, nn. 13-14*]. *Placet* an *non placet?*

6

Exc.mus P. D. ANDREAS M. CHARUE
Episcopus Namurcensis

Venerabiles Patres,

Iam plures locuti sunt de mundo. Attamen, opportunum duco examini subiicere, directe sub respectu biblico, ea quae in prologo dicuntur de mundo. Secunda enim paragraphus n. 2 videtur rescribenda, et haec est ratio. Sensus vocabuli « mundus » in Libris sacris ita varii sunt et ita complexi ut argumentum in aliquibus lineis exponi non possit. Propterea, ut prostat, textus noster erroneae interpretationi ansam *praebere potest.*[1]

Intenditur expositio theologico-biblica notionis, et quidem in perspectiva pastorali. Hoc velitis considerare, venerabiles Patres: in libro cui titulus « Vocabulaire de théologie biblique », plus quam sex columnae illi argumento consecrantur, cum tamen ibi procedatur per modum alicuius summi (un résumé).

Si rem contrahamus ad magis fundamentalia, saltem quatuor sensus citari *deberent*[2] et pro quocumque eorum quatuor sensuum habetur perspectiva religiosa *relate ad schema nostrum.*[3]

1. Saepe intenditur valor spatialis mundi ...[4]. Ita in Actibus ...[5], mundus est « caelum et terra, et omnia quae in eis sunt ». In illo mundo clarescunt magnitudo et sapientia Dei ...[6] et Novum Testamentum insistit in participatione Verbi in ipsa creatione. Iuxta S. Ioannem, omnia a Deo per Verbum facta sunt ...[7]. Christus, dicit S. Paulus, est « primogenitus omnis creaturae, quoniam in ipso condita sunt universa in caelis

et in terra » *etc.*[8] Quae omnia docet Christi Ecclesia quoad creationem et universalem Creatoris dominationem, in facie eorum omnium qui quamcumque speciem atheismi tenerent ...[9]

Per transennam *notare iuvat*[10] expressionem illam biblicam « caelum et terra » difficultatem hodie facere quia non iam versamur in visione antiquorum, sed vivimus in temporibus interplanetariis. Quid est caelum pro scientificis et generatim pro hominibus nostri temporis?

2. Mundus est, iuxta cap. II Geneseos ...[11], terra hominum, terra hominibus commissa. Sed ecce Filius Patris, homo factus, habitavit seu tabernaculum *suum*[12] posuit in terra nostra ...[13] Terra hominum facta est terra incarnationis Filii eiusque nobiscum Foederis novi. *Ergo hoc ad nos etiam interest.*[14]

3. Alibi mundus intelligitur familia ipsa hominum, hominum nempe qui a Deo personaliter diliguntur, utpote ad imaginem Dei *creatorum.*[15] Verbum autem est lux illorum hominum ...[16]. Homo enim factus, Filius Dei non potest non esse lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Immo,[17] luce Verbi illuminantur omnia opera creationis ita ut Christi Ecclesia gaudere debeat de omni vero scientiarum atque technicarum artium progressu. Ita enim homo creationi dominatur eamque sibi subiicit, *iuxta librum Geneseos.*[18] Unde christifideles, licet praesertim ea quae sursum sunt quaerere debeant, adlaborare tamen invitantur, *in schemate,*[19] ut cum ceteris hominibus ad aedificationem mundi humanius configurandi adlaborent ...[20]

Sed tandem 4, patet mundum, in Libris sacris Novi Testamenti, praesertim apud Ioannem, esse mundum divisum, mundum peccati: ut aiunt, l'hamartiasphère. Tunc mundus est genus humanum in quantum sub peccato est inde a protoparentum lapsu. Ille mundus per peccatum a Deo separatur, sub ductu Principis huius mundi *est,*[21] et ita in tenebris immergitur ut aequivalenter « tenebrae » appelletur ...[22] Quando dicitur totum mundum in maligno positum esse, non patet praecise in quonam sensu hoc dicatur: vel de Principe huius mundi, vel de peccato ...[23]

Quidquid *autem*[24] sit, affirmatur ab Ecclesia mysterium redemptionis a Christo et in Christo: Deus enim ex ineffabili caritate dilexit mundum deditque ei Filium suum unigenitum ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam. Insimul autem dicitur Christum non esse de hoc mundo: est in mundo, sed mundus in tenebris manet. Historia salutis, ut aiunt, evolvitur praecise in revelatione ac quasi irradiatione lucis in tenebris. Unde fieri non potest quin luctatio habeatur inter mundum peccato corruptum et Evangelium Christi authenticum. Inter rigidum pessimismum et ingenuum optimismum, via media eli-

genda est in omnibus quae pertinent ad apostolatum, ad artem pastoralem, ad conatus, ut aiunt, penetrationis in mundo. Consentire non possum iis qui contendunt mundum esse naturaliter sanum et bonum, quasi ergo ...[25] obcaecationes et corruptiones cordis ad nativam ...[26] condicionem creationis pertinerent. Certo certius, haec non est mens eorum qui schema XIII conscripserunt, sed puto tamen periculum erroris existere falsae interpretationis ...[27]

Quibus positis, duplex solutio mihi videtur possibilis. Vel amplius *exponetur*[28] notio theologico-biblica ...[29]. *Sed hoc erit difficile. Quomodo intelligere quod*[30] « mundum, qui sub maligno positus est, in fine per fidem *salvabitur* »[31]?

An non sufficeret — *et haec est mea propositio — ita loqui*[32]: « Omnes homines, ...[33] etiam illi qui revelationem christianam non acceperunt, omnes, inquam, a Deo amantur et, modo sint bonae voluntatis, salutem invenire et attingere possunt in illo Christo quem adorat et praedicat Ecclesia. Velint ergo omnes audire quid hodie Christi Ecclesia doceat de hominum condicione in mundo hodierno et de quibusdam urgentioribus problematibus quae coaetaneos nostros graviter sollicitant ».

Generatim, dicam concludendo, haec dixi de mundo sed[34] quaero utrum non oporteret totum schema examini peritorum in re biblica subiicere?

Quibus ...[35] non obstantibus, *dico etiam*[36] schema mihi placere et spero quod, post novam revisionem, omnibus, aut saltem quam plurimis *satisfaciat*.[37]

In textu scripto tradito: [1] praebet. [2] debent. [3] ad quam referri debet schema nostrum. [4] tou kosmou. [5] (10, 16; 17, 24). [6] creantis. [7] (*Io.* 1, 3). [8] visibilia et invisibilia... Omnia in ipsum et in ipso creata sunt: et ipse est ante omnes et omnia in ipso constant (*Col.* 1, 15-17). [9] (*Act.* 7, 24; *Rom.* 1, 20). [10] noto. [11] (*Gen.* 2, 19). [12] deest. [13] et sic. [14] (cf. *Io.* 1, 14-18; 6, 14; 16, 28; 18, 37). [15] creati (*Gen.* 2, 26-27). [16] (*Io.* 1, 5 ss.). [17] Ceterum. [18] (cf. *Gen.* 1, 27-31). [19] deest. [20] (cf. schema XIII, cap. II, n. 69). [21] manet. [22] (*Io.* 1, 5). [23] (*Io.* 1, 19). [24] deest. [25] etiam. [26] et iustam. [27] si in prologo servarentur ea quae nunc dicuntur de mundo. [28] exponitur. [29] mundi. [30] In omni autem hypothesi hoc erit longum et difficile. V. g. quomodo dici potest pag. 5, linn. 25-27. [31] salvandum esse »? Quomodo hoc intelligere? Saltem distinctiones fieri deberent. Insuper quaero utrum opportunum sit ab initio insistere in hoc quod lectores peccatores sint. Non ita procedebat Paulus quando in Areopago Athenienses alloquebatur (*Act.* 17). Non ita procedebat Christus ipse qui multa tacita tenebat et in parabolis loquebatur turbis ne imprudenter turbarentur. Utique oportet clarius loqui de peccato, sed non ab initio, in ipso prologo. [32] simpliciter loqui e. g. secundum formulam quam

ut exemplativam propono? [33] diceretur. [34] Ita de expressione « mundus » in prologo. Generalius autem. [35] de cetero. [36] concludo dicendo. [37] placebit.

Animadversiones additae:

Pag. 18, lin. 43 et pag. 19, lin. 1: an valet in casu citatio *1 Io.* 3, 20?

Pag. 25, lin. 18: loco « nonne », melius videtur dicere « an ».

Pag. 26, lin. 8: « admitti debent »: textus gallicus dicit « s'efforceront ».

Pag. 27, linn. 40-43: non intelligo phrasim: ... bona inveniant, ac ipsos attrahant...!

Pag. 28, lin. 12: dicitur in textu gallico Revelationem *semper* (toujours) manifestare indolem communitatis propriam. Utique textus latinus dicit « constanter », quod est minus absolutum. Quidquid autem sit, animadvertendum est indolem oeconomiae salutis ipsam personam uniuscuiusque etiam respicere: « Dilexit me », dicebat S. Paulus.

Pag. 30, lin. 30: in latino, habetur « creaturae » dum in textu gallico, supponitur « creaturis », et hoc videtur melius.

Pag. 31, lin. 27: legere « obstringuntur ».

Pag. 33, lin. 4: an non est legendum « vellent »?

Pag. 40, lin. 9: « Ecclesia » vel « suipsius »; fluctuatio habetur in tota phrasi, ita ut non appareat utrum de Concilio aut de Ecclesia sermo fiat. In textu gallico, subiectum est « Ecclesia ».

Pag. 40, lin. 23: an non melius diceretur: ... errarent ... putarent ... etc. ...?

Pag. 42, lin. 4: « connectari » est verbum medium.

Pag. 44, lin. 33: « adaequet », loco « adaequat ».

Moderator: Exc.mus D. secretarius generalis annunciabit sequentem suffragationem.

Secretarius generalis: Suffragatio 317: *Placet,* Patres venerabiles, cap. III « De variis apostolatus campis », an *non placet,* an vero *placet iuxta modum?* Nempe fit suffragatio de integro cap. III.

Moderator: In sequenti parte discussionis potius fit transitus ab expositione introductoria ad capita diversa primae partis.

7

Em.mus P. D. PAULUS PETRUS card. MEOUCHI

Patriarcha Antiochenus Maronitarum

Venerabiles Patres,

Neminem fugit quantum progressus doctrinalis, etiam in aliquibus consequentiis de Incarnatione Verbi dogmatis, vitae quotidianae populi Dei applicandis, nostra constitutio pastoralis *de Ecclesia in mundo huius temporis* confecit.

Tres animadversiones mihi manent hic, praeter alias iam ad secretariam missas, exponendas.[1]

1. Cum de resurrectione Christi schema loquitur, non videtur magni facere momentum illius eventus vitae Christi quod habet in traditione orientali theologica. Ille eventus, etenim, non est simplex terminus temporalis dolorosae nostrae redemptionis, nec additamentum aliquod, in quo invenimus documenta de fine ultimo Verbi Incarnati post mortem, sed eventus quidem cosmicus, universalis, mundo materiali immanens, eumque sublevans, et humanitatem unificans, eique Spiritum Sanctum dans, ad Corpus mysticum unicum, et populum Dei peregrinantem formandum et *coalescendum.*[2] Etiamsi sit eventus historicus et personalis, attamen ad omnia extendit influxum suum supranaturalem et suprahistoricum.

Factum Incarnationis, etenim, innumeras habet consequentias ad theologiam cosmos-universi penitus astruendam, quia Verbum, ut homo, sibi univit materiam, et sic materia divinitati unitur. Idcirco in Resurrectione quae plene revelat ens verum Verbi Incarnati, cum dicitur « Filius Dei in virtute, secundum Spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri » (*Rom.* 1, 4), Christus fit Spiritus vivificans, et Filius Dei in virtute. Ideo Resurrectio Christi fit etiam humanitatis resurrectio et materiae, secundum illud quod a Paulo dicitur cum de virtute resurrectionis loquitur ...[3]. Illa virtus vitam christianorum ad illum terminum conducere debet, quem desiderat creatura omnis, secundum illud Pauli: « ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriae filiorum Dei. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc » ...[4]; ita ut, cum cautela, affirmare possimus Paulum et traditionem orientalem magis Resurrectioni Christi quam eius Passioni, momentum tribuere ...[5]; *cum cautela dico,* quia Passio et Resurrectio intime connectuntur, ita ut unicum actum constituant, etiamsi invenimus apud Paulum aliquam quasi correctionem loquelae cum dicit: « unus pro omnibus mortuus est », immediate adiunxit: « qui pro ipsis mortuus est et resurrexit » ...[6]. Passio est conditio necessaria Regni Dei; Resurrectio definitive in mundum, Regnum illud et Dei praesentiam immittit secundum illud Pauli: « absorpta est mors in victoria. Ubi est, mors, victoria tua? Ubi est, mors, stimulus tuus? » ...[7]; illa victoria quae nobis datur in illo qui est « primitiae Christus » ...[8], primogenitus, ut dicit Irenaeus, humanitatis novae, novissimus Adam, mortis victor, divinisationis nostrae in sua resurrectione Auctor.

2. De theologia Spiritus Sancti in relatione ad populum Dei ut talem. Non videtur schema nostrum in momentum Spiritus Sancti in populum Dei, tamquam populum, insistere, nec relationem Ecclesiae ut commu-

nitatis cum Spiritu Sancto monstrare. Etenim vitae communitatis manifestationes, aliae sunt ac illae vitae individuorum. Communitas ecclesialis habet utique interioritatem, ut ita dicam, magis profundam, magis universalem ac illam individuorum. Ecclesia, ut communitas, habet veritatis scientiam divinam, atque, ut talis, recepit promissum Spiritum Sanctum a Christo Domino datum. In ea et per eam Spiritus historiam christianam creat et scribit, quia ipse, dum unitatem eius, ut anima, operatur, et ei charismata numerosa offert, ad eius aedificationem et eius esse proprium prodest ...[9], et sic, fit oeconomia christiana ministerium Spiritus ...[10]. Pius XII, veneratae memoriae, in suis litteris encyclicis *Mystici Corporis Christi* iam ad haec omnia allusit, cum dixit: « Quando Christus in Cruce glorificatus est, Spiritus suus communicatus est *Ecclesiae* cum liberalitate, ut *ipsa* et unusquisque membrorum eius conformes sint magis ac magis Salvatori nostro ». Secundum illam realitatem, primae generationes vixerunt, et mentem habebant claram Spiritum possidendi, dum individuis Spiritus communicabatur in servitium Ecclesiae.

3. De anthropologia christiana. Deest nostro schemati doctrina de anthropologia christiana in Scriptura et Traditione fundata. Quando, enim, textus noster de christiano loquitur, utitur eo tamquam « deo ex machina », modo iuridico et forensi.

Astruenda igitur est doctrina de anthropologia christiana, cuius principium sit imago Dei, secundum traditionem praesertim orientalem, et quorum consequentiae affirmarent, hominem christianum conscientiam mundi esse, existentiam eius mundo immanentem esse (ut est existentia Christi Capitis), in quantum vivit *katà phusin,* secundum illam naturam a Deo conditam, quae in peccato perdidit l'*eikôn toû Theoû,* imaginem *illam* [11] Dei, quae in sacro baptismatis lavacro, eam in pristinum habuit, et quae mundo dare potest sensum divinum, finemque Deo dignum, siquidem homo creatus est ut mundi centrum sit, ac lingua sua sit pro mundo ad glorificandum Deum, necnon ad convertendum creaturas ad simplicitatem a Creatore in eis insitam.

Video aliquid signum mihi invitans ad tacendum ...[12]

Concludo. Haec tria puncta essentialia mihi videntur ad recognoscendum schema, secundum visionem ...[13] completam traditionum christianarum omnium.

Cum in schemate doctrinam quae dicitur « d'engagement » proponitur, in quo contradicitur traditio orientalis nugacitatis omnium rerum et e mundo fugae, illa puncta valorem novum problematibus tractatis adiicerent, sensum eschatologicum illorum problematum salvarent et

medium terminum traditionem occidentalem inter et orientalem constituerent.

In textu scripto tradito: [1] Pro stylo adhibito, paucis in locis reconsiderando; pro perspicacitate in problematibus exponendis; pro magnanimitate et optimismo forsan uniformiter in schemate sparso; necnon et pro aequilibrio et peritia auctorum textus in doctrina innumeris documentis fulcienda; pro his considerationibus et pro aliis, iam ad secretariam missis, schema nostrum libenter laudo. Attamen tria mihi videntur magna cum attentione notanda. [2] coagulandum. [3] (*Phil.* 3, 10). [4] (*Rom.* 8, 21-22). [5] (*Rom.* 4, 25; 5, 10; 8, 34). [6] (*1 Cor.* 5, 14-15). [7](*1 Cor.* 15, 54-55). [8] (*1 Cor.* 15, 20). [9] (*1 Cor.* 12, 4-6. 11; *Eph.* 4, 3-6). [10] (*2 Cor.* 3, 8). [11] deest. [12] Christianus vero, cum a Spiritu Sancto sit arreptus, in periculis huius mundi experitur instinctum a Spiritu Sancto ipso motum, qui semper ei verba Irenaei praesentia reddit: homo ex corpore, anima et Spiritu Sancto formatus est. [13] magis.

Animadversiones additae:

Réflexions générales: 1. Le style du Schema est celui, me semble-t-il, qui est le plus adapté, narratif, clair, facilement compréhensible, surtout que le texte s'adresse à tous les hommes, même à ceux qui « foris sunt » — et avec raison —, et qui ne sont pas initiés à notre parler théologique.

Déjà cela — style, destination et intérêt de l'Eglise pour toute l'humanité, engageant le dialogue avec elle et lui donnant son opinion sur tous les problèmes qui l'intéressent et sur les situations qui l'angoissent — déjà cela est hautement pastoral et permet de donner à ce texte le titre de *Constitutio pastoralis.*

2. Par ailleurs, la présentation de l'Eglise comme Peuple de Dieu, dès le début du Schema — et non pas nécessairement hiérarchique — semble meilleur, en conformité avec la Constitution *Lumen Gentium,* et manifeste que chaque membre de ce Peuple de Dieu porte, en tant que membre et non en tant qu'autorité, les problèmes et la responsabilité du monde et doit les éclairer de l'intérieur de la lumière de la foi.

3. Il faudrait, me semble-t-il, accentuer davantage l'union de la mission de l'Eglise et du Christ Seigneur dans le monde. Le « misereor super turbas » est doublé de l'« Ecce Agnus Dei qui tollit peccatum mundi ». L'Eglise continue la mission de salut, d'incarnation rédemptrice du Christ. Le Prooemium en dit quelque chose. C'est insuffisant. On le perd de vue un peu dans le reste du texte. La mission de l'Eglise n'est pas de s'occuper seulement des problèmes matériels de l'humanité, mais de leur donner un sens religieux et de les orienter vers le salut d'une humanité qui n'a qu'un seul et unique but, une seule fin, le Dieu Trinitaire qu'elle n'atteint qu'à travers le monde et ses différentes situations matérielles concrètes. Pas de séparation.

4. On a certainement fait un grand effort pour ne pas perdre de vue le mystère de l'Incarnation qui unifie les perspectives et éclaire l'assomption du matériel et sa sanctification. Il faudrait en tirer davantage les conséquences à travers toutes les pages de cette Constitution pastorale. Ce sera une Constitution plus nettement christologique et aura, de la sorte, plus de poids, me semble-t-il.

5. On a déterminé le sens du mot « mundus » dans une perspective exclusivement objective. C'est bien. On pourrait, me semble-t-il, et dans l'esprit de la réflexion précédente, lui donner valeur subjective de signe, à travers lequel Dieu me parle et qui est un *index* pour des yeux « simples » vers le Créateur.

6. Si on a bien fait de partir de l'existence de l'homme d'aujourd'hui, il ne faudrait pas se laisser aller à la simple description sans l'éclairer de la lumière du Christ. Décrire est facile, mais décrire ne résout pas le problème. Je loue, cependant, la méthode, mais qui, comme toute méthode, a ses avantages et ses inconvénients. Il faudrait veiller ici aux inconvénients auxquels on pourrait se laisser aller plus facilement que dans la méthode déductive.

7. L'effort qu'on a fait pour mettre l'homme au centre de cette Constitution, soit sous son aspect intérieur et personnel, soit sous son aspect social, est hautement louable. Cela est l'esprit de toutes les encycliques sociales des Papes. Mais encore une fois, qu'on ne perde pas de vue un instant ses attaches au Christ. Pas de positivisme historique, mais du réel christologique. Montrer toujours le dynamisme intérieur de toutes les situations dans lesquelles se trouve l'homme soulevé par la force du Christ et orienté vers Lui. Cela existe dans cette Constitution, mais cela reste insuffisant.

8. Enfin et ici un grave problème se pose: la théologie « d'engagement » et de *conversio ad mundum* de ce Schema s'éloigne de la tradition théologique de l'Orient, cet Orient de la contemplation, de la théorie, de l'intuition, de la fuite du monde et de la sainteté dont l'odeur se répand d'elle-même et attire; cet Orient aussi du monachisme, de l'adhérence au Verbe et de la theiopoiesis.

Cependant l'Orient, aujourd'hui, qui garde le contact très fort avec ses traditions spirituelles et théologiques, semble évoluer vers les techniques et la science, et l'Eglise, dans une attitude engagée, pourrait renouveler cette science et cette technique.

Quoi qu'il en soit, un équilibre dans l'exposé de ce Schema difficile, doit tenir compte des traditions orientale et occidentale. Il serait à souhaiter qu'on trouve un moyen terme qui unisse les deux traditions.

9. La conception des problèmes est faite, même dans les principes théologiques, dans une perspective uniformément occidentale. La Tradition orientale ne semble avoir exercé aucune influence sur les auteurs de ce Schema.

10. Il y a certainement à louer dans ce Schema: l'ensemble de ce qui y est dit forme une somme d'enseignements, parfois élémentaires, parfois plus poussés et très documentés (à propos surtout des renseignements pratiques de la vie et de l'évolution du monde moderne).

Prooemium. Trois points à noter:

1. On fait bien de noter, dans le paragraphe 2, la résurrection du Christ. Cela reste, me semble-t-il, insuffisant. Voici comment je formerai la phrase de la page 5, lignes 24 sq.: pro quibus *Verbum incarnatum est,* seipsum tradidit et postea resurrexit. Les trois moments de la vie du Christ s'unifient dans l'intention rédemptrice: l'incarnation est rédemptrice et la valeur sautériologique de la résurrection est exposée dans bien des pages des lettres pauliniennes.

2. L'insistance sur l'homme concret, corps et âme, etc. est très bonne (p. 6, par. 3, lignes 10 sq.). On avait tellement l'habitude de parler du salut des âmes

et non du salut des hommes; et l'intérêt des missionnaires se portait aux âmes et non pas aux hommes, comme si le corps n'était pas racheté par la mort du Christ.

3. Les trois dernières lignes du paragraphe 3 (page 6, lignes 18 sq.) sont bonnes, où l'on montre la continuité qui existe entre la mission du Christ et celle de l'Eglise sous la motion du S. E., du même Esprit qui a inspiré le Christ et qui continue d'inspirer l'Eglise. Mais cela n'affleure pas toujours dans les pages qui suivent.

Par ailleurs, montrer, dès le début, l'Eglise dans une attitude d'humilité et de pauvreté est excellent (nulla ambitione terrestri moventur... Ministraret...).

Expositio introductoria. Cette nouvelle partie descriptive est très bonne, mais incomplète. Trois remarques:

1. A la page 6, ligne 32, on pourrait ajouter *religiosa* après culturali. On donnera un développement, par la suite, sur les changements religieux; mieux vaut, dans le par. d'introduction qu'est le par. 4, annoncer toutes les idées qui seront développées.

2. De même à la fin du premier alinéa, p. 7-8 on pourrait mettre un développement sur les transformations religieuses.

3. Le développement de la science pose, pour beaucoup, le problème de la réalité et de la valeur de la religion. Aujourd'hui, pour beaucoup la science est divinisée. Elle a clarifié ce qui était obscur, tandis que la religion reste enveloppée de ses mystères. Il faudrait, me semble-t-il, que le par. 7 fasse mention de cela.

Première Partie. Chapitre I. Une note préliminaire et six remarques:

Note préliminaire. Ce chapitre est certainement riche, mais déroute par la multiplicité des genres qui y sont employés: description biblique, cosmologique, psychologique, théologique, etc. Ce qui lui enlève un peu de son unité.

Remarques: 1. Le par. 11 s'attarde, d'une manière délibérée, sur la grandeur de l'homme créé à l'image de Dieu. C'est bien. C'est unilatéral. Pour donner une anthropologie complète, il ne faudrait pas manquer d'attirer l'attention sur la misère de l'homme, et ne pas oublier ici les classiques descriptions du Cardinal de Bérulle, de Bossuet et de Pascal, si bibliques elles aussi.

Par ailleurs, l'alinéa compris entre les lignes 20 et 24 est chargé de trois idées dont le lien n'est pas suffisamment visible.

Enfin, il ne faudrait pas perdre de vue l'exposé de l'anthropologie dans la tradition orientale, d'un Grégoire de Nysse, p. e. Ce qui enrichirait sans doute le point de vue développé ici, avec trop de généralité, me semble-t-il.

2. A propos du par. 12 qui traite du corps, l'on pourrait faire allusion au fameux dicton du traité de Verbo Incarnato: « hoc redemptum quod assumptum est », étant donné que le développement dans tous les paragraphes de ce chapitre est un mélange de considérations rationnelles et des données de la foi.

3. L'alinéa compris entre les lignes 28-40 du par. 20 est à mieux organiser: Pourquoi à la ligne 37 reparler de la mort du Christ? On en a parlé précédemment, et on vient de parler juste avant du mystère pascal.

Par ailleurs, je mettrais volontiers les lignes 37-40 à la ligne 32.

De plus, dans cet alinéa et dans tout le par. la valeur salvifique de la résur-

rection ne parait pas. On parle de la résurrection, mais en passant, sans en dire la valeur comme pour la mort du Christ: Le Christ resuscité devient « esprit vivifiant ».

De même pour les lignes 6 et 7 de la page 19.

Enfin, si ce par. couronne bien tout le chapitre, on n'en voit pas le rayonnement et l'influence dans tous les paragraphes du chapitre.

4. Le par. 15, lignes 20 sq. me semble assez négatif. L'argument sur lequel il s'appuie pour assurer l'existence de la liberté c'est son opposition possible à Dieu. Pourquoi ne pas s'appuyer sur l'argument positif, où le développement de la liberté dans le sens du bien constitue les saints « qui potuerunt transgredi et non sunt transgressi, facere mala et non fecere »: ce qui suppose une option fondamentale en faveur de Dieu dans leur vie.

En accord avec le par. 11, la fin de ce par. 15 pourrait se terminer en rappelant que par le baptême l'image de Dieu nous est rendue, celle même que nous avons perdue par le péché originel, et, de la sorte, avec l'image de Dieu nous est restituée la liberté profonde de l'Etre dans ses démarches ontologiques vers Dieu. Car la liberté en nous est attachée à l'image de Dieu. Et cela dans le sens de la tradition ascétique et mystique orientale, et théologique aussi.

5. Les deux paragraphes qui traitent de l'athéisme offrent une vue d'ensemble du problème de la négation de Dieu, affirme les droits de la personne humaine et réfute, aussi bien sur le plan personnel que sur le plan social, ce qui, en refusant Dieu, aliène vraiment l'homme. Peut-être qu'une plus grande insistance sur ce point aurait donné à ces paragraphes plus de force: le Créateur n'est pas hétérogène à l'homme. Il en fonde l'être. Le matérialisme, de quelque couleur qu'il relève, asservit l'homme à plus petit que lui. Reste, bien entendu, que l'économie demeure utile et nécessaire à l'homme.

On aurait voulu, cependant, voir nommer le matérialisme dialectique avec ses principales caractéristiques, pour donner une énumération assez complète.

6. Il y aurait, peut-être, quelques fautes d'impression que je note ici de toutes façons:

P. 14 ligne 25: acceptatione au lieu de acceptione.

P. 16 ligne 20: praesto au lieu de praesta.

P. 18 ligne 18: je ne vois pas la nécessité de *se*.

On relèverait encore un plus grand nombre de ces fautes dans la suite du texte.

Chapitre II. Ce chapitre, qui souffrait de considérations assez individualistes, est satisfaisant du point de vue social et communautaire. Cependant deux remarques:

1. Dans le par. 24, je crois qu'on pourrait revoir les lignes 25 et 26 de la page 22: on pourrait citer la liberté religieuse, élément essentiel dont l'homme a besoin pour vivre sa vie d'homme. On mettrait, p. e. « ad vitae privatae protectionem, *praesertim in libertate religiosa salvanda* » (ligne 26).

2. Le par. 32 sur la liberté laisse à désirer:

a) affirmer que l'homme ne naît pas libre mais qu'il le devient, exige des explications qu'il faudrait mettre en rapport avec l'image de Dieu, perdue par le péché, comme je l'ai noté plus haut, selon la tradition orientale (*théologie de l'eikôn*).

b) A la ligne 20, je changerais comme suit la phrase: seipsum *pro Deo* et pro aliis impendendo, pour ne pas tomber dans une philanthropie sociologique, non

finalisée sur Dieu, comme le prétendent bien des philosophies et des idéologies modernes. Par ailleurs, Dieu est la fin de la liberté humaine.

Chapitre III. Le chapitre III me semble équilibré et bon. Quatre remarques:

1. La montée de tout le créé vers le Christ à travers l'homme, pour une œuvre de sanctification est bien notée. La création, bien que *in maligno posita,* à cause du péché de l'homme, reste un signe et conserve les « vestiges du Verbe ». Elle est ambigue pour le pécheur. Elle est un index sur Dieu pour l'homme ami de Dieu, un François d'Assise, p. e.

Il y aurait peut-être à expliquer comment la *fuite du monde* pour trouver le salut, qui est une caractéristique de la spiritualité de l'Orient, n'est pas un refus du monde créé par Dieu, mais une assomption, dans la pénitence, du monde, d'une certaine façon. C'est l'aspect *eschatologique* de la vie chrétienne. L'évolution se fait, en ne niant pas ce point de vue essentiel, vers l'*incarnationisme.*

Enfin tout en essayant d'éviter un optimisme béat, l'on ne peut pas s'empêcher de penser qu'il y a tout un courant qui s'origine dans S. Irénée et les PP. Orientaux et qui n'admet pas l'aspect pessimiste que S. Augustin a voulu imprimer à la création après le péché originel d'Adam et d'Eve.

2. Une théologie des réalités terrestres est esquissée. Je me demande toujours pourquoi on n'a pas suffisamment tiré de la résurrection du Christ, par rapport à cette théologie et au renouveau de tout, la valeur intrinsèque dont elle anime toute créature, dans et par l'homme: « resurrexit propter iustificationem nostram », dit Paul (*Rom.* 4, 25); « Factus est novissimus Adam in spiritum vivificantem » (*1 Cor.* 15, 45) etc. Cette recherche de la valeur de la résurrection nous laisserait en contact direct avec la théologie paulinienne et la plus pure tradition orientale. L'occident chrétien appuie, d'une manière exclusive, sur la Passion et la mort du Christ. L'Orient représente le Christ sur la Croix dans sa gloire et son triomphe sur la mort.

3. Nous avons ici des éléments d'une théologie du travail. L'on pourrait, me semble-t-il, mettre davantage à profit l'apport très riche du Père Chenu o. p. dans son livre sur la théologie du travail.

4. Le sens eschatologique du travail de l'homme et de sa participation à la construction du monde, bien que réel, dans les derniers par. de ce chapitre, devrait, me semble-t-il, transparaître davantage à travers toutes les pages. C'est alors qu'on notera davantage l'union entre la cité terrestre et la cité céleste, entre la vocation céleste et terrestre de l'homme.

Les passages de ce chapitre qui parlent du Christ me semblent soulevés d'un beau lyrisme. C'est très bon. On aurait pu tirer davantage du texte capital de *Col.* 1, 14 sq. dans le sens du Christ, récapitulation du cosmos.

Chapitre IV. Ce chapitre, d'un exposé facile et assez religieux, et qui veut expliquer les relations de l'Eglise-institution au monde d'aujourd'hui, contient de nombreux éléments de l'ancien texte. Quatre remarques:

1. A la page 39, lignes 4-6 on aurait pu insister sur la Sainte Trinité, source de l'Eglise, comme on l'a très bien fait dans la Constitution *Lumen Gentium.*

2. A la page 39, ligne 10, je mettrais *Deus Pater* plutôt que Deus tout court, dans le même sens que la remarque précédente, et étant donné que dans la suite du développement on parle du Fils et du Saint Esprit.

3. A la page 39, lignes 19-21: l'assomption de tout l'homme et, dans l'homme, de toute la nature, sans excepter la matière, aurait dû apparaître dans les chapitres précédents, en parlant du monde (dont on a noté qu'il est *in maligno positus* sans affirmer, d'une manière nécessairement complémentaire qu'il est *redemptus* en l'homme et pour l'homme. De la sorte serait sauvée la valeur de signe de ce monde et son animation intérieure vers le Christ).

4. A la page 40, ligne 4 on affirme une fois de plus que l'Eglise n'a aucun appétit de domination. Cette répétition de cette affirmation est gênante. On y sent l'Eglise comme appelée au banc des accusés et cherchant, de toute manière, à se disculper. On pourrait ici ou dans les chapitres précédents supprimer ou tempérer cette affirmation.

* * *

Chapitre III. 1. Il est important d'insister sur l'eschatologie qui oriente de l'intérieur les événements et les hommes vers leur destinée véritable et vers leur libération.

Toute activité humaine a donc deux aspects qui se complètent et qui sont dans le prolongement l'un de l'autre: l'aspect historique et l'aspect eschatologique ou transhistorique.

2. Il faudrait, à mon avis, mettre après le n. 37 (problema ponitur), le n. 40 (qui deviendrait 38), puis le n. 39.

Ce dernier n. 39 est à reconsidérer. L'Eglise n'a pas à avoir peur des puissants de la terre. Elle a à les voir, à les considérer, mais à leur parler avec la force divine et prophétique dont elle est dépositaire. Vouloir à tout prix entrer en dialogue, risquerait de diminuer ses virtualités et l'obligerait à sacrifier quelques-unes de ses valeurs les plus authentiques. L'Eglise a à défendre les « Pauvres », c'est-à-dire les faibles à qui l'Evangile est promis, contre l'Etat Moloch et idole.

Une fois cette position de l'Eglise établie, l'on pourrait être au clair pour ce qui est de son dialogue avec le monde. Pas de compromis.

Après le n. 39, viendraient les nn. 45, 47, 46: ces nn. montrent comment le monde doit être racheté.

Pour terminer on mettrait le n. 44 (caelum novum et terra nova). Vision chrétienne du monde. C'est bien cela que tout ce Schema devrait donner.

Chapitre IV. 1. Il faudrait donner à ce chapitre une allure plus nettement pastorale. Ce chapitre pourrait être le sommet de tout le Schema, et répondre à son titre.

2. Il faudrait donner après le n. 49 une vue d'ensemble de l'ecclésiologie renouvelée de Vatican II: Vrai Peuple de Dieu, convoquée, en tant que Peuple, par le Saint Esprit et la prédication apostolique, unie dans la foi et le baptême en un seul Corps Mystique, qui est la Présence visible dans le monde, de Jésus-Christ lui-même, et ce par sa vie, sa parole, ses sacrements, par le ministère de ses apôtres (hiérarchisés) en vue du Règne de Dieu.

3. Le n. 50 irait mieux dans le c. III après le n. 45.

4. Le n. 51 devrait être développé pour montrer comment le Mystère du Christ doit concrètement passer dans les événements eux-mêmes. Cette insistance du Christ dans les événements préparerait les nn. 53 et 54: toute l'Eglise est pastorale, dans tous ses membres, qui, sanctifiés animent de l'intérieur les événements et toutes leurs actions.

5. Le n. 58 est bon, mais vague et non circonstancié. On devrait passer des idées aux possibles réalisations que l'Eglise entend faire pour préparer la cité future qu'elle désire tout autant, sinon plus, que l'homme moderne. Proclamation de la parole, union des peuples, malgré leurs différences raciales, et service pour guérir et soutenir.

D'un mot, que le mot « pastoral » ne soit pas un simple mot, mais une richesse de doctrine et de vie concrète d'un Peuple de Dieu en marche vers l'accomplissement du Règne de Dieu, à travers le monde tel qu'il est, sécularisé et « in maligno positus » mais sauvable. Le Christ est mort et *ressuscité* (dans le sens de mon intervention au Concile, le 24 septembre 1965.

Moderator: Exc.mus D. secretarius generalis proferet novam suffragationem.

Secretarius generalis: 318. Videatis pag. 40 [*cf. pag. 337-339, nn. 15-17*]. *Placet*ne an *non placet?* Patres venerabiles, una tantum manet facienda suffragatio.

8

EM.MUS P. D. PAULUS M. CARD. RICHAUD
Archiepiscopus Burdigalensis

Venerabiles Patres,

Istud schema manifestat verum aequilibrium et sanam profunditatem in doctrina, valde utiles propositiones in re concreta, denique honestam conformitatem relate ad observationes in praecedenti sessione a Patribus allatas. Quare vellem tantummodo rogare quaedam additamenta sub specie vitae socialis ...[1]

...[2] 1. Vellem, praecise sub respectu rei socialis, parvam observationem enuntiare de n. 30, I partis, pag. 25, ubi quaestio est de fundamentali inter ...[3] homines aequalitate. Admitto quod certo certius talis aequalitas omnium hominum adest circa eorum originem, valorem dignitatis naturalis pro unoquoque et circa vocationem finalem. Attamen non possumus immemores esse quod sunt saepe saepius differentiae, etiam maximae, inter eorum intelligentias, capacitates physicas, potentias agendi, tandem inter eorum valores morales. Ergo simplicem paragraphum addendam propono in fine istius numeri, sic expressam: « Cum tali aequalitate, remanent de facto inter homines quoad eorum capacitatem physicam, intellectualem, moralem multae discrepantiae de quibus necesse est habere aliquam rationem ut vera et utilis aequitas servetur in distributione officiorum atque remunerationum ».

2. Semper sub respectu principiorum doctrinae socialis christianae,

n. 76, in II Parte, recte et opportune attendit ad obligationem fovendi incrementum productionis, ita ut regiones egentiores, quae infeliciter non sunt adhuc praeditae etiam bonis stricte necessariis, gaudeant tandem evolutione congruenti ad dignitatem humanam. Sed, humillimo meo sensu, experientia constat quod beneficia productionis intempestive adauctae diriguntur praesertim ad populos iam ditiores et bene praeditos. Inde semper servanda est apud moderatores productionis oeconomicae aliqua ratio proportionata, ita ut praeceptum evangelicum temperantiae erga divitias et commoda vitae sapienter consideretur. Secus homines traduntur ad incessantem incitationem pervulgationis immoderatae (vulgo dicta: réclame, publicité) quae semper nova desideria fovet et ducit ad perpetuam elevationem conditionum vitae. Ergo proponam in fine istius paragraphi sequentem lineam: « In regionibus bene praeditis servetur regula evangelica temperantiae quae debet semper observari a productionis moderatoribus ».

3. In n. 79, pag. 63, lin. 5, post verba: « Universus processus laboris fructuoso aequetur necessitatibus personae atque habitudinis hominis, imprimis eius vitae familiaris, respectu habito et sexus et aetatis », propono hoc additamentum: « speciatim ad mulieres quae faciliter debent manere in domo pro necessitatibus et pro harmonia familiae sicut pro educatione puerorum ».

4. In eodem numero et in eadem pagina quando agitur de sufficienti quiete et otio laborantium, vellem quod, in lin. 8, post verba « agere possint », addatur istud incisum opportune completivum: « praecipue si quies et otium collective servantur ». *Ratio* est quod valde utile, et melius conforme est ad praeceptum in Genesi prolatum, quietem in eodem die constitui pro fere omnibus laborantibus. Nunc hoc est magis possibile, et revera de facto est iam instauratum in quibusdam gentibus, gratia progressus mirifici in instrumentis mechanicis et in officinis industrialibus.

5. Relate ad n. 80, pro meliori conformitate cum Encyclica ...[4]

Moderator: Em.me Domine, velis attendere nos versari discussione I partis nunc, non iam II Partis.

Orator: *Quoad primam partem theoreticam, praecise,*[5] mirum est et valde dolendum quod, in *hac parte* [6] et etiam in capite ...[7] in quo agitur de vita oeconomico-sociali, non fit formalis mentio de « doctrina sociali Ecclesiae », quae expressio adhibita fuit multoties a Pontificibus Romanis et specialiter consecrata a Papa Ioanne XXIII in Encyclica *Mater et Magistra*. Non potest esse sine detrimento gravi, coram peritis sociologicis huius temporis et etiam coram laicis catholicis Actionis Catholi-

cae et sacerdotibus, quod aliqua praetermissio adest in nostra constitutione pastorali, de corpore synthetico atque officiali Magisterii Ecclesiae in hac materia, quae tenet principiis essentialibus Evangelii et cuius praestantia non potest minui in temporibus praesentibus, secundum suam manifestationem coadunatam atque authenticam. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] (de qua agitur principaliter in cap. III partis II). [2] Attamen. [3] omnes. [4] *Mater et Magistra* in suo n. 95, mihi placeret quaedam parva additio ad lin. 20 pag. 63 sic post verba « administrationem fructus » significata: « salva auctoritate in quantum necessaria est ad sanam unitatem regiminis ». [5] Tandem. [6] in I parte theoretica. [7] III.

Animadversiones additae:

De hoc capite II quod, sicut totum schema, manifestat sanum aequilibrium ac veram profunditatem doctrinae, animadversionem propono quoad n. 30.

Aequalitas fundamentalis inter omnes homines, sine ullo dubio, non deneganda est. Sed si adest talis aequalitas omnium hominum circa eorum originem, valorem dignitatis naturalis et vocationem finalem, non possumus immemores esse quod constat saepe saepius differentias, etiam maximas, inter eorum intelligentias, capacitates physicas, potentias agendi et valores morales. Ergo aliquod additamentum necessarium est ad hoc numerum, ita ut bene declaratur quod ratione habita istarum differentiarum concretarum, sana aequitas non potest esse, practice et de facto, nisi de aequalitate proportionis, sed non de aequalitate absoluta, in repartitione officiorum atque etiam in distributione remunerationum, salvis exigentiis humanae naturae, dignitatis personalis, facultatis sese promovendi et procurandi vitam familiae.

Secretarius generalis: Suffragatio 319. Pag. 41 [*cf. pag. 339-341, nn. 18-19*]. *Placet* an *non placet?*

10

EM.MUS P. D. RUFINUS CARD. SANTOS
Archiepiscopus Manilensis

Venerabiles Patres,

In spiritu quod schema nostrum adhuc perfici potest, humiliter censeo ut [1] in cap. II, in n. 27 (pag. 24, linn. 10-14) ultima pericopa *submitto ut eliminari possit. Talis pericopa ita sonat* [2]: « Gaudium igitur populi Dei offerunt illae nationes, quae ius ad libertatem religiosam, tam « individualem » quam « collectivam », ut quoddam elementum constitutivum boni communis considerant ».

Primo quidem, quia innecessaria *videtur* [3] in hoc loco *talis* [4] propo-

sitio. Sufficeret *enim* [5] simpliciter remittere ad doctrinam a Concilio *iam* [6] propositam de libertate religiosa.

Deinde talis assertio hic apposita absque ampliori declaratione vel explicatione, occasionem praebere potest interpretationibus a doctrina Ecclesiae alienis, pro illis invocando auctoritatem Concilii.

Et, tertio, pericopa haec, in contextu cui inseritur, implicare videtur quod sint nationes in quibus homines inviti cogantur ad veram catholicam fidem amplectendam.

Insuper pericopa implicat iudicium comparativum, quasi maius meritum habeant, maiorique dignae sint laude nationes quae absque ulla limitatione libertatem concedunt, quam illae quae in publicis manifestationibus moderamen statuunt. Quod sat periculosum est affirmare. « Dominus nos vetat de interiore cuiusvis culpa iudicare », dicitur et recte in sequenti numero schematis, scil. in n. 28. Id autem aeque recte dicitur de merito et laude aliis tribuendo. Relinquamus ergo Dei iudicio, gaudium allatum, laudem meritumque aestimare nationum.

Verum *est* [7] et si ausi fuerimus eam rem nostro humano iudicio submittere, vix saepe illud possemus iustum proferre. Etenim, haud certe quis dicere potuerit maioris gaudii causa esse populo Dei nationes illas quae omnimodam in re religiosa libertatem permittunt, etiam usque ad ipsam religionem eiusque fundamenta impugnanda (etiam, ut exemplo res illustretur, usque ad prohibendam in scholis elementaribus Dei invocationem per orationem omnibus in Deum credentibus communiter acceptam eo quod unius parens alumni velit filium sine Deo et religione adolescere); quam illae nationes, quae, nullius conscientiae vim inferentes neque aliquem a praxi suae religionis cohibentes, externae tamen et publicae actioni collectivae aliquando moderamen apponunt, in hoc et ipsae agentes iuxta religiosam conscientiam eorum qui communitati praesunt, et iuxta religiosam conscientiam multitudinis a qua mandatum regiminis illi receperunt.

Excludatur, *rogo, si fieri potest,* [8] praefata pericopa a schemate, et simpliciter revocetur modo generico decretum de libertate religiosa. Dixi et Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Placet praeprimis operam laudibus commendare eorum qui schemati praeparando adlaboraverunt. Quod enim nunc habemus schema, longe praestat illo nobis praeterito anno tradito. Adhuc certe perfectionem recipere potest, praesertim (ut aliqui Patres iam dixerunt) quoad latinitatem et styli uniformitatem, et quoad nimis iteratam eiusdem doctrinae affirmationem. Id tamen nequaquam detrahit merito eorum qui praeparationi schematis operam dederunt. Ad illius perfectionem conferre censeo, si. [2] omittatur qua dicitur. [3] est. [4] ea. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] ergo.

10

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. ŠEPER
Archiepiscopus Zagrabiensis

Venerabiles Patres conciliares,

Meus interventus refertur ad nn. 18 et 19, ubi de atheismo.[1]

De atheismo in hac constitutione certe tacere non possumus. Loquendum est non solum ideo quod atheismus sit unum ex problematibus difficillimis Ecclesiae in mundo hodierno, sed etiam — et *haec est praecipua ratio* [2] — ideo quod in mundo huius temporis homines et motus exsistunt qui atheismum considerant tamquam conditionem veri humanismi et tamquam postulatum progressus mundi et societatis. In schemate nostro christianam conceptionem problematum huius mundi exponere volumus: quaestio de atheismo intrat igitur in ipsum fundamentum huius schematis, tamquam necessaria iustificatio dicendorum.

Sed essentiale est, *qua ratione et modo* hic nobis de atheismo loquendum sit. Specialis natura et contextus huius schematis expostulant sermonem de atheismo sibi cohaerentem: putamus ea quae nunc in *duobus citatis numeris* [3] habentur nec sufficientia esse nec plene accommodata.

Prae oculis habeantur, oportet, quaestiones: qui sunt homines quos alloquimur? Qua ratione nobis loquendum est? Quid obtinere volumus?

Non loquimur solis catholicis, sed omnibus hominibus bonae voluntatis. Non solis philosophis aut mundi rectoribus, sed prorsus omnibus hominibus. Desiderium nostrum est, ut non solum a fidelibus sed etiam ab ipsis atheistis attente audiamur.

Ratione positiva ad problema accedendum est, cum intentione ut detegantur et describantur rationes et radices, ex quibus provenit id quod atheismus hodie tam late patens phaenomenon evaserit. Non est obliviscendum hodie iam existere in mundo multos homines qui atheismum quodammodo *in hereditatem* acceperunt potius quam personali consilio amplexi sunt. Atheismus facile hominibus praesentatur tamquam consequentia normalis et naturalis maioris progressus scientiae et culturae. Et haec quaestio non est parvipendenda in deiudicanda propagatione atheismi, praesertim cum adsint homines religiosi et praedicatores qui saepe nimis facile contra mundum modernum indiscriminatim insurgunt et in laudes temporum anteactorum effunduntur.

Finis loquendi in hoc schemate non est simplex condemnatio atheismi nec — primario — demonstratio existentiae Dei. Neque in hoc schemate, praecise, intendimus conversionem atheistarum. Exponere volu-

mus, quomodo christiani intelligunt hunc atheismum hodiernum et qua ratione suscipiunt existentiam atheistarum. In evidentiam ponere volumus, qua ratione fides in Deum non solum non impedit, sed etiam urget actionem et sollicitudinem pro progressu humanitatis et pro melioribus conditionibus vitae necnon maiore dignitate personae humanae provehendis.

Quapropter manifestius et cum maiore sinceritate agnoscendum est, partialem responsabilitatem pro hoc atheismo moderno etiam aliquando iis christianis imputandam esse, qui nimis pertinaciter ordinem stabilitum et immutabilitatem structurarum socialium, falso ad nomen Dei provocantes, defendebant aut etiam defendere pergunt. Quod si Ecclesiae qua tali pure et simpliciter haec res attribui nequit, quis est qui negare possit in populo Dei fuisse qui religionem simili unilaterali ratione interpretabantur eaque — quamvis bona fide — abutebantur? Proclamemus clare conservatismum illum rigidum et immobilismum, quem aliqui Ecclesiae catholicae adscribere non desinunt, a vero spiritu Evangelii alienum esse!

Expresse declarandum est notionem Dei quam hi atheistae habent essentialiter esse defectuosam et mancam, ideoque non esse veram. Verus Deus non est ille, qui homines a cura de iustitia et caritate activa erga omnes in hoc mundo avertat et iustitiam ac felicitatem aeternam tantummodo promittat, sed ille est verus Deus, qui praecipit et exigit a nobis, ut iustitiam et caritatem etiam in hoc mundo — et primum in hoc mundo — omnibus modis et viribus realizare satagemus! Iustitia in caelo intelligenda est etiam tamquam recompensatio pro hac iustitia quam homines in terra instaurare student.

Verus Deus, quem Iesus docuit et manifestavit, non seipsum hominibus revelat solummodo per ordinem naturae, sed etiam per Populum suum et per singulos homines qui in Populum suum cooptati sunt et qui vita et opere Eum in mundo coram fratribus suis testificant. Verus Deus omnes homines vocat et adiuvat, ut testimonium perhibendo veritati, veritatem facientes in caritate iustitiae et caritati per seipsos suamque in Spiritu cooperationem universum mundum magis magisque testem et revelatorem Dei efficiant.

Exinde videmus, fidem in Deum, si vera et sincera est, nullatenus obstaculum et impedimentum progressus esse posse, sed incitamentum et sustentaculum.

Immo nos christiani putamus, Deum esse verum et reale principium, ut promotio dignitatis personae humanae et veri humanismi haberi possit. Tamen exinde asserere nolumus atheistas nihil pro hac promotione proficere posse, cum veri valores existere possint, quorum fundamentum

divinum quandoque non quidem statim patet, et tamen implicitam saltem affirmationem voluntatis divinae et legis aeternae repraesentant.

Talis sermo — *meo iudicio*[4] — de atheismo in contextum huius schematis pertinet. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] praecipue. [3] nn. 18-19. [4] deest.

11

EXC.MUS P. D. IGNATIUS ZIADÉ
Archiepiscopus Berytensis Maronitarum

Venerabiles Patres, Observatores ac Auditores carissimi,

In cap. III partis I, nn. 41 et sequentibus, quaestio de ratione inter humanam actionem et Regnum Dei nos inducit in cor mysterii.[1] Revera expositiones huius capitis *satisfacere possunt exspectationi hominum sed etiam illam decipere.*[2] Mihi videntur ...[3] vigore essentiali carere. Ibi enim deest virtus Christi resurgentis. *Porro Resurrectio Domini homines decipere nequit.*[4] In illis paginis bis tantum alluditur ad Resurrectionem ...[5] et quidem materialiter; mysterium vero Resurrectionis non inspirat formaliter *responsionem hic propositam. Cogitationem schematis vidimus enim procedere*[6] a creaturis ac paulatim *inquirere*[7] sensum creationis versus finem historiae in glorioso adventu Domini. Sed, ni fallor, ...[8] theologica visio historiae non ex prima creatione, sed ex secunda ...[9] oritur. Eventus huius mundi intelligi nequeunt nisi sub luce adventus novae creationis, iam inceptae in Resurrectione Domini.

In mundo huius temporis tacere non possumus novitatem[10] Resurrectionis quae iam invadit *primam creationem.*[11] *Certo certius*[12] consideratio profundior et interior Sacrae Scripturae ac theologiae orientalis *praeberet remedium timiditati istius textus.*[13] Quaestio enim *nostra*[14] non est alia quam quaestio *primae Epistolae ad Corinthios*[15]: « Quomodo resurgunt mortui? qualive corpore venient? » Hodie dicimus: « Quid de incremento activitatis humanae? An mors absurda? Vel si fit resurrectio in fine huius saeculi, quomodo resurgitur? quaenam est ratio inter hoc saeculum et venturum saeculum? »

Attamen, Sacra Scriptura elementa responsionis satis clara nobis praebet. « Insipiens, tu quod seminas, non vivificatur nisi prius moriatur. Et quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum ... Deus autem dat illi corpus ... » ...[16] Itaque possumus dicere:

1. Activitas humana est *ad Regnum* [17] Dei quod granum est *ad corpus futurum.*[18] Inter utrumque adest continuitas et incrementum.

2. Granum mori debet. « Caro et sanguis Regnum Dei possidere non possunt » ...[19]. Ecce transitus per mortem Crucis quem *schema* [20] non satis exponit sub luce ontologica Resurrectionis Domini.

3. Creationis consummatio opus Dei est; mysterium ...[21] Resurrectionis ...[22] non est altera creatio ex nihilo, sed liberatio vitae a servitute mortis. « Seminatur in corruptione, surget in incorruptione » ...[23]. Adest ergo non solum continuitas et transitus per mortem, sed vera novitas. *Iam hodie transimus* [24] de vetustate *mundi mortalis* [25] ad novitatem Dei *viventis.*[26]

4. Haec consummatio creationis, per liberationem Crucis, non est aliud quam ipse Christus, Dominus noster surgens a mortuis, Christus Totus *est et* [27] « Corpus Spiritale » ...[28] in quo iam a plenitudine temporum Deus omnia recapitulavit ...[29]. In ipso ...[30] activitas humana non est amplius nec tantum perfectio huius saeculi, sed etiam ac maxime initium novi saeculi.

Hoc est kerygma mysterii paschalis in quo vivitur iam reapse ratio inter activitatem humanam et Regnum Dei. Experientia Christi resurgentis aperit nobis novas dimensiones, *non satis expressas* [31] in schemate nostro, scil.:

1. *Dimensionem ontologicam, seu mystericam.*[32] Universalis Christi dominatus non est tantum moralis, ore ac more. Resurrectio non est tantum in fine historiae, sed *realiter* [33] « omnia in Ipso constant », nova creatio iam incepta est, non extra historiam sed ab intra, ut fermentum immortalitatis ...[34]

2. *Dimensionem liturgicam. Liturgia enim manifestat adventum Domini ac effundit virtutem* [35] Spiritus Eius hic et nunc agentis et gementis. *In divina Liturgia* [36] christianus *fundamentaliter* [37] vivit ...[38] rationem inter activitatem humanam et Regnum Dei.

3. *Dimensionem communitariam.*[39] Omnis creatura, a fortiori humana, ingemiscit sub motione Spiritus Christi resurgentis. Membra Ecclesiae in activitate sua humana, vivunt illam solidarietatem. *Ecclesia in mundo inseritur ita ut mundus iam in Ecclesia complectatur; mysterium Verbi Incarnati in prima creatione seminatum paulatim in Ecclesia manifestatur.*[40]

4. *Tandem, dimensionem eschatologicam. Cum* [41] pignus hereditatis nostrae iam adest in Spiritu Sancto, ...[42] adventus Domini magis ac magis progreditur. Valores huius saeculi *iam* [43] invenerunt sensum suum: *in Christo enim semen sunt* [44] Regni Dei; vita christiana eas consecrat ita

ut participatio nostra Corpori et Sanguini Domini communio fiat magnae Paschae totius creationis.

Si non confiteamur Christum resurgentem ...[45], si inquirimus sensum historiae extra mysterium Resurrectionis *quod*[46] est clavis totius historiae, « fides igitur nostra vana est et praedicatio nostra inanis » ...[47]. Sed spem nostram tacere non possumus. « Nunc autem Christus resurrexit a mortuis primitiae dormientium » ...[48]

Pluries in Oriente in festis Paschatis dicimus « Surrexit Dominus, vere surrexit ». Et in familiis christiani se salutant: « Surrexit Dominus », et respondetur « vere surrexit ».[49] Gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Proponere velim aliquas animadversiones circa fundamentum theologicum huius constitutionis pastoralis quod diffusius tractatur in parte I, cap. III, n. 41 usque ad finem eiusdem capitis (nn. 41-47, pag. 33-36), scil. circa rationem inter humanam actionem et Regnum Dei. In illis numeris stamus iuxta cor mysterii: quid est ratio inter Ecclesiam et mundum, vel inter gratiam et naturam? [2] aliquo modo satisfaciunt fidem quaerentem intellectum; tamen. [3] quodam. [4] deest. [5] (pag. 34, linn. 24-25; pag. 36, lin. 1). [6] rationem hic expositam inter humanam activitatem et Regnum Dei. Cogitatio enim schematis procedit. [7] inquirit. [8] vera theologia historiae, seu. [9] creatione. [10] A. v. ibi deest novitas. [11] hunc mundum. [12] Forsitan quoddam remedium praeberet. [13] de resurrectione Domini. [14] n. 41. [15] S. Pauli in ep. *1 Cor.* 15, 35 ss.: « Sed dicet aliquis: [16] (*1 Cor.* 15, 36-38). [17] Regno. [18] corpori futuro. [19] (*1 Cor.* 15, 50). [20] n. 46. [21] scil. [22] quae. [23] (*1 Cor.* 15, 42). Sic. [24] seu transitus. [25] deest. [26] deest. [27] deest. [28] (*1 Cor.* 15, 44). [29] (*Eph.* 1, 10). [30] iam scimus quod primus Adam, et humanitas nostra mortalis, adimplet primam creationem ita ut, magis ac magis, homo comprehendit cosmos totum; scimus autem per Adam novum quod homo iam incipit novam creationem in gratia novitatis Dei. Sic. [31] nimis neglectas. [32] dimensio ontologica seu mysterica. [33] in re. [34] « Quoniam impletum est Tempus et appropinquavit Regnum Dei » (*Mc.* 1, 15). [35] dimensio sacramentalis. Sacramenta enim sunt gesta Christi resurgentis in historia nostra, signa adventus eius ac virtutes. [36] Sic in mysterio sacramenti. [37] imprimis. [38] hanc. [39] dimensio communitaria. [40] christiani esse debent conscientiam humanitatis apertam novae creationi. [41] dimensio eschatologica. [42] Itaque iam historia tota fit historia salutis ac. [43] tandem. [44] iam fiunt semen. [45] in hoc capite. [46] quae. [47] (*1 Cor.* 15, 14). [48] (*1 Cor.* 15, 20). [49] « Surrexit Dominus vere! » (*Lc.* 24, 34).

12

Exc.mus P. D. PETRUS CANTERO CUADRADO

Archiepiscopus Caesaraugustanus

Venerabiles Patres Conciliares,

Prima pars huius schematis, ut basis discussionis, mihi placet. Multa sunt laudanda quae, ratione brevitatis temporis, omitto. Et gratias ago auctoribus propter suum magnum laborem in difficili redactione huius schematis.

Velim tamen aliquas observationes, criticae positivae, ad illam perpoliendam, in sua perspectiva psychologica et mentali, in sua thematica et in sua structura interna.

1. *Quoad perspectivam psychologicam et mentalem.* Mihi videtur quod haec pars, sicut secunda pars, sapit aliquomodo ex una parte naturalismum et ex altera clericalismum, sive ingerentiam cleri in rebus temporalibus. Sapit etiam ex una parte optimismum humanum valde ingenuum et ex altera parte mentalitatem non solum occidentalem sed etiam et praesertim populorum occidentalium culturae et oeconomiae multum evolutae.

Si ageretur de aliqua lectione habita in scholis Universitatis, vel de aliquo articulo preli, ego consentirem fere omni doctrinae hic expositae; sed agitur de documento conciliari, quod transit ad patrimonium culturale totius Ecclesiae et habet valorem doctrinalem universalem, quia intendit exprimere sensum Ecclesiae et imponit Catholicis obligationem sequendi principia huius schematis, non tantum dat doctrinam ad initiandum vel perficiendum dialogum cum mundo in negotiis temporalibus.

2. *Quoad thematicam.* Thematica huius schematis est mihi et aliis verae et gravi praeoccupationi pastorali.

a) Quia extendit ad problemata temporalia plus minusve circumstantialia quae sunt propria competentiae et responsabilitatis directe Caesaris, non Ecclesiae Dei; et Concilium debet dare « quae sunt Caesaris Caesari; quae sunt Dei Deo ». Ex alia parte, mihi videtur quod inconscienter in aliquibus schematibus duo pondera et diversae mensurae adhibentur; sic in schemate de libertate religiosa, videtur quod in principio negatur interventio Caesaris in rebus religiosis, et tamen in hoc schemate propugnatur interventio Ecclesiae in rebus temporalibus circumstantialibus. Hoc non videtur obiectivum neque plene sincerum et aliquo modo clericalismum sapit.

b) Inter haec problemata temporalia multa sunt opinabilia, in quibus sunt, valide atque licite, diversae optiones catholicorum. Si ex ipsis una concreta optio adoptatur, perhibetur ansa ad fovendas pugnas et divisionem fractionum politicarum, cum periculo scissionis intra Ecclesiam et intra populum.

Verum est quod in hoc schemate orientationes non formulantur in terminis politicis, sed de facto habent vel praestantur ad significationem et positiones politicas.

c) Sapit etiam optimismum ingenuum dilettantismi, quia, mihi videtur, inimici Ecclesiae accipient et profitentur de orientationibus et principiis quae sint illis favorabilia et non accipient quod non prodest, dum catholici omnes sine ulla discriminatione culturali et sociologica debent accipere et sequi omnes orientationes et principia huius schematis, quamvis applicatio horum principiorum eis noceat. Ergo hac de causa, peior esset conditio catholicorum quam acatholicorum. Sequamur praeceptum Domini: « simplices sicut columbae, prudentes sicut serpentes ».

Ex altera parte, hoc schema videtur respondere magis ad quaestiones in quibus Ecclesia non habet missionem receptam a Domino Iesu, et quod mundus exspectat a Concilio et ab Ecclesia est nuntium Evangelii et fermentum Evangelii ad homines huius temporis. Prae oculis habendum est quod proprium missionis Ecclesiae est ordo personarum magis quam ordo rerum temporalium, quia in ordine rerum temporalium nec Evangelium nec Ecclesia ut talis possunt offerre mundo « maquettam » formalem definitivam civitatis terrestris, sed solum principia et fermenta veritatis, iustitiae, libertatis et amoris.

3. *Quoad structuram internam.* Admitto divisionem in duas partes schematis sicuti est, sed structura interna primae partis non videtur respondere ordini logico et theologico suorum elementorum doctrinalium.

Haec prima pars nostri schematis, meo humili iudicio, etsi non est ita suggerens atque excitans sicut est secunda pars, tamen est pars fundamentalis totius schematis. Et iam ab initio et in decursu expositionis huius primae partis, loquitur saepe saepius de gaudiis, languoribus, appetitionibus et interrogationibus hominum nostri temporis, et de necessitate cognoscendi profundas mutationes hodiernas, et respondendi impulsionibus Spiritus Domini in actuali statu rerum.

Hoc verissimum est; sed praesertim actio Ecclesiae in mundo — praesentia et actio Ecclesiae in mundo — exsurgit radicitus non ex circumstantiis externis sed ex ipsa nativa natura Ecclesiae, ex ipsa constitutione et missione Ecclesiae in mundo, sive in mundo huius temporis,

sive in mundo futuri temporis. Principia catholica circa haec problemata sunt recepta a Domino Iesu, etsi applicationes horum principiorum sint diversae in decursu temporis.

Unde videtur quod non solum sub aspectu logico sed etiam sub aspectu doctrinali, oportet agere in primo capite — non in capite quarto — de natura et necessitate praesentiae et actionis Ecclesiae in mundo simpliciter, sive huius temporis sive futuri temporis, ita ut stabiliatur non solum adaptatio mediorum pastoralium Ecclesiae ad suum finem proprium, sed etiam stabiliantur clare ipsi fines et limites huius praesentiae et actionis Ecclesiae in mundo.

Mihi videtur quod hoc problema, in tota sua intrinseca complexitate et actualitate hodierna, debet impostari non solum in plano iuridico institutionali relationum Ecclesiae cum Statu, non solum in dominio doctrinali et practico relationum inter Hierarchiam et fideles, sed etiam in plano doctrinali relationum inter ordinem sacralem et temporalem. Quia in essentia profundiore huius problematis, ut hodie est, agitur de principiis theologicis circa realitates temporales huius mundi, sive hodierni sive futuri, et non solum in sua perspectiva theologica et pastorali, sed etiam in sua perspectiva interdisciplinari, id est, in connexione theologiae cum scientiis profanis iuris publici, sociologiae, etc.

Tensiones actuales quae, plus minusve, fere in omnibus populis christianis apparent in dominio doctrinali et practico relationum inter Hierarchiam et fideles, meo humili iudicio, proveniunt non solum ex actuali promotione membrorum laicorum intra Ecclesiam, sed etiam — et praesertim, tamquam ex sua radice profundiore — ex divulgatione aliquarum conceptionum doctrinalium, quae hodie et in hoc schemate adhuc non sunt sufficienter maturae et illuminatae sub luce iuridica et theologica Ecclesiae. Dixi.

Textus scripto traditus:

Tensiones actuales quae, plus minusve, fere in omnibus populis christianis apparent in dominio doctrinali et practico relationum inter Hierarchiam et fideles, meo humili iudicio, proveniunt non solum ex actuali promotione membrorum laicorum intra Ecclesiam, sed etiam — et praesertim, tamquam ex sua radice profundiore — ex divulgatione aliquarum conceptionum doctrinalium, quae hodie adhuc non sunt sufficienter maturae et illuminatae sub luce theologica et iuridica Ecclesiae.

Unde, ad vitandum periculum gravissimum non solum rupturae institutionalis virium apostolicarum et spiritualium intra Ecclesiam ipsam, sed etiam ad vitandum maius et possibile periculum confusionis vel identificationis totius « corporis doctrinalis » huius Constitutionis cum una ex multis « ideologiis » nostri temporis, oportet in ipso initio Primae Partis huius Constitutionis exponere et stabilire

aliqua principia de distinctione et intervinculatione ordinum creationis et redemptionis, naturae et gratiae, quae in textu actuali nostris discussionibus et suffragiis proposito, mea opinione, non sunt modo claro et logico elaborata.

Liceat mihi aliquas animadversiones facere de *perspectiva mentali Primae Partis huius Constitutionis.*

1. Iam ab initio et in decursu expositionis huius Primae Partis loquitur saepe saepius *a*) de gaudiis, languoribus, appetitionibus et interrogationibus hominum nostri temporis; *b*) de necessitate cognoscendi profundas mutationes hodiernas, et respondendi impulsionibus Spiritus Domini in actuali statu rerum, etc.

Hoc verissimum est: sed praesentia et actio Ecclesiae in mundo exurgit, radicitus, ex ipsa nativa natura, constitutione et missione divina Ecclesiae et christifidelium in mundo, sive in mundo huius temporis sive futuri saeculi. Principia catholica circa haec problemata sunt recepta a Christo Domino, etsi applicationes horum principiorum sint diversae in decursu temporis.

Unde videtur quod non solum sub aspectu logico sed etiam sub aspectu doctrinali, oportet in *primo* capite — non in capite *quarto* — agere, sub lumine Revelationis, de natura et necessitate praesentiae et actionis Ecclesiae in *mundo simpliciter,* sive huius temporis sive futuri temporis, ita ut stabiliatur non solum adaptatio mediorum pastoralium Ecclesiae ad suum finem proprium, sed etiam stabiliantur clare ipsi fines et limites huius praesentiae et actionis Ecclesiae in mundo.

2. Mihi videtur quod hoc problema, in tota sua intrinseca complexitate et profunditate hodierna, debet impostari non solum — ut antea proponebatur — in plano iuridico institutionali relationum Ecclesiae cum Statu vel societate civili, et relationum iuridicarum et pastoralium Hierarchiae cum christifidelibus et suarum societatum religiosarum, sed etiam in plano doctrinali relationum inter ordinem sacralem et temporalem. Quia in essentia plus profunda huius problematis, ut hodie agitatur, agitur de principiis theologicis circa realitates temporales huius mundi, sive hodierni sive futuri. Consequenter, agitur non solum de praesentia et actione Ecclesiae ut institutio divina et socialis, qua talis, sed etiam de praesentia et actione omnium christifidelium, qua talium, coram istis realitatibus temporalibus, tum naturalibus tum historicis.

3. Adhuc magis, mihi videtur quoque quod haec impostatio « problematicae » contentae in hac constitutione, debet etiam fieri non solum in plano seu perspectiva *personali* et *individuali* relationum hominum cum Deo et Ecclesia, sed etiam in plano et perspectiva *sociali* et *collectiva* totius Ecclesiae coram mundo, qui quotidie apparet et est magis magisque unus, « socializatus » et « internationalizatus ».

Iam vero, haec perspectiva Primae Partis non sufficienter apparet in textu nobis tradito. Re quidem vera, omnes istae quaestiones hodie non sunt maturae, saltem in sua proiectione seu plano sociali, non solum in sua *perspectiva theologica et pastorali,* sed etiam — et multo minus — in sua *perspectiva interdisciplinari*; i. e., in connexionibus theologiae cum scientiis profanis iuris publici et privati, sociologiae etc. quod, quidem, necessarium vel multum conveniens esset ad dialogum efficacem cum mundo culturali stabiliendum.

Ideo, omnino prae oculis habendum est quod in nostro textu attendatur 1. haec perspectiva planorum et suarum implicationum non solum cum « tractatu de Ecclesia » sed etiam cum aspectibus moralibus et interdisciplinaribus quos

offerunt culturae hodiernae realitates temporales mundi; 2. iuxta hanc perspectivam, adaptetur etiam tota structura interna huius I partis constitutionis pastoralis *de Ecclesia in mundo huius temporis,* i. e., cap. IV occupet locum cap. I, etc.; 3. relate ad formam expositionis I partis huius constitutionis, mihi videtur esse in aliquibus locis « nimis litterariam ». Aliquae metaphorae, plus minusve poeticae, non consonant in hac materia, in qua claritas et pulchritudo interna ipsius conceptus debet praevalere in quolibet textu Concilii Oecumenici Ecclesiae Christi.

Moderator: Exc.mus D. secretarius generalis notum faciet eventum suffragationum huius diei.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, communico vobis alium nuntium mortis; nam obiit exc.mus D. Franciscus Ioseph Tief, ep. tit. Nisenus in Lycia, olim ep. Concordiensis in America. Oremus pro eo.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: *De profundis clamavi ad te, Domine ...*

Secretarius generalis: En exitus, venerabiles Patres, suffragationum quae mane factae sunt:

Suffragatio 312:

Praesentes votantes	2.171
Dixerunt *placet*	2.163
non placet	8

Suffragatio 313:

Suffragium tulerunt Patres	2.167
Dixerunt *placet*	1.975
non placet	2
placet iuxta modum (nam est super integro capite)	190

Suffragatio 314:

Praesentes votantes	2.172
Suffragati sunt *placet*	2.161
non placet	8
placet iuxta modum (sunt vota nulla)	2
Suffragium nullum	1

Suffragatio 315:

Praesentes votantes	2.162
Dixerunt *placet*	2.145
non placet	14
placet iuxta modum (nullum igitur) .	1
Suffragia nulla	2

Suffragatio 316:

Praesentes votantes	2.073
Dixerunt *placet*	2.065
non placet	6
placet iuxta modum	1
Suffragium nullum	1

Suffragatio 317, super integro cap. III scil.:

Praesentes votantes	2.023
Dixerunt *placet*	1.707
non placet	4
placet iuxta modum	311
Suffragium nullum	1

Suffragatio 318:

Praesentes votantes	1.975
Dixerunt *placet*	1.972
non placet	3

Ultimae suffragationis exitus dabitur proxima congregatione generali, in qua, ut iam dixi heri, mutabuntur sedes. Patres qui possunt venire in hanc aulam ante tempus venient, ita ut assignatio fieri possit cum aliqua commoditate.

Moderator: Proxima congregatio erit sequenti feria II, hora nona.

Em.mus D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium!

CONGREGATIO GENERALIS CXXXVI

27 septembris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CXXXVI

27 septembris 1965

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Patres venerabiles, heri pie defunctus est exc.mus D. Hyacinthus Ioannes Ambrosi, arch. tit. Anchialitanus, olim arch. Goritiensis in Italia. Oremus pro eo!

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: *De profundis clamavi ad te, Domine ...*

Secretarius generalis:

Congregationem generalem centesimam tricesimam sextam moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Iulius Döpfner, arch. Monacensis.

Beatissimus Pater ad telegramma ominale, quod ei misimus die eius natali, sic respondit: [*omnes Patres surgunt*]

« Venerabilibus fratribus nostris ex Oecumenico Concilio Vaticano II patribus.

Gratissimo suavique oblectamento affecti ob laeta omina ac vota quae nuper, nostro recurrente natali die, ab ista Oecumenicae Synodi Sede, caritatis studio suadente, nobis flagrantissime protulistis, benevolentiam atque existimationem vobis testamur impensam atque Sancti Spiritus uberrima dona vobis singulis universis vestrisque laboribus atque officiis supplices invocamus, ut " Deus meus impleat omne desiderium vestrum secundum divitias suas in gloria in Christo Iesu ".

Quae vota apostolica nostra benedictione confirmare exoptamus, quam vobis omnibus peramanter largimur.

Paulus Papa Sextus ».

[*Plausus*].

Hodie prosequetur disceptatio circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis,* parte I, et loqui postulaverunt: em.mi ac rev.mi DD. cardd.: Maximus IV, patr. Antiochenus Melchitarum; Franciscus König, arch. Vindobonensis in Austria; Ermenegildus Florit, arch. Florentinus

in Italia; Ioannes Villot, arch. Lugdunensis (Lyon) in Gallia; Agnellus Rossi, arch. S. Pauli in Brasilia; exc.mi DD.: Michaël Klepacz, ep. Lodzensis in Polonia; Ioseph Ruotolo, ep. Uxentinus (Ugento) in Italia; Eugenius D'Souza, arch. Bhopalensis in India; Nicolaus Elko, ep. Pittsburgensis Ruthenorum in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Carolus Weber, ep. Iceuvensis (Ichowfu) in Sinis; rev.mus P. Petrus Arrupe, praep. gen. S. I.; exc.mi DD.: Aemilius Guerry, arch. Cameracensis in Gallia (Cambrai); Antonius Pildáin, ep. Canariensis in Hispania (Canarias); Iacobus Corboy, ep. Monzensis in Zambia (Monze); rev.mi PP. Anicetus Fernandez, mag. gen. O. P.; Gerardus Mahon, sup. gen. Societatis S. Ioseph de Mill Hill; exc.mi DD.: Emmanuel Llopis, ep. Cauriensis-Castrorum (Coria) in Hispania; Sergius Méndez, ep. Cuernavacensis in Mexico (Cuernavaca); Paulus Hnilica, ep. tit. Rosadensis (Rusado) e Cecoslovachia; Franciscus Marty, ep. Rhemensis in Gallia (Reims); Gabriel Garrone, arch. Tolosanus in Gallia.

Communico vobis, Patres, exitum ultimae suffragationis factae feria VI elapsa, scil. in ultima congregatione transactae hebdomadae. Suffragatio est 319:

Praesentes votantes	2.022
Dixerunt *placet*	2.013
non placet	8
Suffragium nullum	1

Ergo textus approbatus fuit in congregatione generali.

Prosequentur hodie, Patres venerabiles, suffragationes circa schema *de apostolatu laicorum*. Nunc lego textum suffragationis 320.

Sed, antea, annuntio vobis quod feria IV proxima incipient suffragationes circa modos schematis *de pastorali episcoporum munere* ... (ergo suffragatio fit circa modos cum duplici tantum formula: *placet* et *non placet*) ... incipient feria IV proxima.

En textum 320 suffragationis. Videatis pag. 43, n. 20 [*cf. pag. 341-343, nn. 20-22*]. Ergo: *placet* an *non placet?*

Moderator: Prosequitur nunc disceptatio circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis,* quoad I partem.

1

Em.mus P. D. MAXIMUS IV card. SAIGH
Patriarcha Antiochenus Melchitarum

Vénérables Pères,

Le schéma sur « l'Eglise dans le monde de ce temps » est fondamentalement bon, tant par l'intention qui l'a provoqué que par l'esprit qui l'anime.

De nombreuses voix au Concile avaient demandé un texte bien centré sur le Christ, et manifestant au monde un Esprit d'amour. C'est l'essentiel et, en cela, le schéma actuel leur a donné, à notre avis, satisfaction.

Il nous semble, néanmoins, que sur deux points cet esprit fasse quelque peu défaut: au sujet de l'athéisme et au sujet de la guerre.

Je ne parlerai aujourd'hui que du premier.

Le par. 19 sur l'athéisme est, à notre avis, *très* [1] négatif. Il décrit le marxisme sans le nommer, mais assez clairement et de façon plutôt sommaire. Il condamne — ce qui va de soi — cette doctrine athée, ceux qui la défendent et les autorités civiles qui la soutiennent. Mais il est clair que ce n'est pas en condamnant le marxisme qu'on sauve l'humanité de l'athéisme.

Pour sauver l'humanité de l'athéisme, il faut aussi — et cela est l'élément nouveau et constructif — dénoncer les causes qui provoquent le communisme athée, en proposant surtout une mystique dynamique et une morale sociale vigoureuse, montrant dans le Christ la source de l'effort des travailleurs vers leur vraie libération.

Ce paragraphe pourrait être avantageusement remplacé par le passage, si fort et si positif, de notre cher et vénéré Pape Paul VI dans son Encyclique *Ecclesiam Suam*: « Les athées, dit le Pape, nous les voyons aussi parfois mûs par de nobles sentiments, dégoûtés de la médiocrité et de l'égoïsme de tant de milieux sociaux contemporains, et empruntant fort à propos à notre Evangile des formes et un langage de solidarité et de compassion humaines. Ne serons-nous pas un jour capables de reconduire à leurs vraies sources, qui sont chrétiennes, ces expressions de valeurs morales? »

Et Paul VI reprend Jean XXIII dans *Pacem in Terris,* en disant: « Les doctrines de ces mouvements athées, une fois élaborées et définies, demeurent toujours les mêmes, mais les mouvements eux-mêmes ne peuvent pas ne pas évoluer et subir des changements même profonds. Nous

ne désespérons pas de les voir un jour ouvrir avec l'Eglise un autre dialogue, *dialogue* [2] positif, différent de l'actuel dialogue, obligatoirement limité à déplorer et à se plaindre ».

Ces textes de Paul VI et de Jean XXIII nous semblent bien préférables au texte actuel du schéma, qui est « limité à déplorer et à se plaindre ».

Nous savons tous par l'expérience que beaucoup de ceux qui se disent athées ne sont pas réellement contre l'Eglise. Il en est qui en sont bien près. Ils cherchent en réalité, comme Paul VI le dit, une présentation plus vraie de Dieu, une religion en accord avec l'évolution historique de l'humanité, et surtout une Eglise soutenant, non seulement les pauvres, mais aussi l'effort de solidarité des pauvres. Ils sont souvent scandalisés par une chrétienté médiocre et égoïste, empêtrée dans l'argent et les fausses richesses, défendant, même par les armes, non pas sa foi qui ne peut jamais être défendue par la force, mais ses intérêts et sa sécurité à court terme.

Certains ont réclamé que le schéma dénonce le péché du monde. Mais voilà bien le grand, l'énorme péché du monde, celui que Jésus dénonce sans cesse dans son Evangile, à savoir l'égoïsme et l'exploitation de l'homme par l'homme.

Certains voudraient que ce texte parle davantage de la nécessité de porter la croix et de subir avec résignation son sort. Mais, qui donc porte, de fait, la croix plus que les masses laborieuses et misérables qui tentent de sortir de leur misère par le travail, la solidarité, voire même la socialisation? Il est regrettable seulement qu'elles le fassent dans des systèmes athées. Mais, n'est-ce pas l'égoïsme de certains chrétiens qui a provoqué et provoque, en grande partie, l'athéisme des masses?

Jésus nous met en garde contre le scandale des petits, c'est-à-dire des humbles: « Malheur à celui par qui le scandale arrive! » Jésus dit cela en conclusion de la parabole du riche et du pauvre Lazare. Bien des athées sont simplement des Lazare, scandalisés par des riches qui se disent chrétiens.

Ayons donc le courage de « reconduire » à leurs vraies sources, qui sont chrétiennes, ces valeurs morales qui sont la solidarité, la fraternité, la socialisation. Montrons que le vrai socialisme, c'est le christianisme, intégralement vécu dans le juste partage des biens et l'égalité fondamentale de tous. Ces forces modernes de l'économie et de la sociologie ont besoin, non de condamnations, mais du levain de l'Evangile pour se dégager de l'athéisme et se réaliser de façon harmonieuse. Plutôt que de les condamner sans cesse, relevons leur vrai sens, qui est chrétien. Surtout pratiquons nous-mêmes et faisons pratiquer l'Evangile du partage et de

la fraternité. Si nous l'avions vécu, si nous l'avions prêché intégralement, nous aurions épargné au monde le communisme athée.

Plutôt donc qu'une condamnation banale, que l'on connaît déjà, envoyons au monde du travail un nombre toujours plus grand de prêtres et de laïques, prêts à partager la vie de labeur et l'effort social des hommes de notre temps, en se faisant tout à tous pour leur révéler ce Dieu qu'ils récusent, mais qu'ils cherchent à tâtons, attirés par Jésus de Nazareth, le Charpentier, le Sauveur du monde et l'ami des hommes. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] trop. [2] deest.

Animadversiones additae:

1. *Remplacer le texte proposé par le suivant*: « Quam doctrinam Dominus Noster non minuit sed adimplevit quia Ipse est plenitudo Legis et Prophetarum in mysterio Incarnationis Redemptivae. Etenim non solum apparuit ut Propheta miserens super turbam et defendens oppressos,[1] immo adimplens omnia quae praedicta sunt per prophetas sicut Ipse declaravit in synagoga Nazareth dicens " Spiritus Domini super me ..., unxit me, evangelizare pauperibus misit me ... Hodie impleta est haec scriptura ",[2] sed etiam Verbum caro factum,[3] formam servi accipiens ... et habitu inventus ut homo,[4] assumpsit in Ipso omnes homines et imprimis pauperes qui cum Ipso et in Ipso mundi peccatorum pondus ferunt. Quapropter mandat ut aemuli boni Samaritani ad omnem hominem praesertim indigentem cum amore propius accederemus,[5] quia " si quis dixerit se Deum quem non videt diligere, fratrem autem suum quem videt non diligit mendax est ",[6] quod verum est non solum pro singulis hominibus sed etiam pro turbis seu " massis " laboriosis et pauperibus. Quinimmo Dominus Noster Iesus Christus revelavit ut in die iudicii Ipse debet iudicare omnes homines et unumquemque in uno verbo — quod credere et vivere debemus, " Esurivi et dedistis mihi manducare ... quamdiu fecistis ... aut non fecistis uni de minoribus his, mihi fecistis aut mihi non fecistis " (cf. *Mt.* 25, 35-45) ».

Rationes: le texte proposé ne montre pas pourquoi la morale envers les hommes est liée à la religion envers Dieu, pourquoi la foi est liée à la vie concrète. Il importe pour répondre aux fausses mystiques de solidarité athée de montrer la vraie solidarité des hommes en Jésus Christ fondée sur le mystère du Verbe Incarné.

Le paragraphe précédent sur les prophètes est bien construit et fort, celui-ci sur le Nouveau Testament doit être encore plus fort et clair.

La parenthèse « quod sane mirari debemus », surtout dans le texte français est naïve, ambigue et dangereuse.

2. Ligne 15: Remplacer les mots « fabrilem artem » par le mot de l'Evangile: « faber » et la phrase devient: « qui fuit faber ». *Ratio*: le mot « fabrilem

---

[1] *Lc.* 6, 20. 24; 16, 14. 15; 16, 19. 26.
[2] *Lc.* 4, 18.
[3] *Io.* 1, 14.
[4] *Phil.* 2, 7. 8.
[5] *Lc.* 10, 36. 37.
[6] *1 Io.* 4, 20.

artem » est alambiqué. Le mot de l'Evangile est plus naturel, plus simple et plus fort (*Mc.* 6 3).

[*Subscripserunt etiam*] H. Golland Trindade, arch. Botucatu; M. Piérard, ep. Beni; P. Bouillon, ep. Verdun; E. Loosdregt, vic. ap. Vientiane; C. Himmer, ep. Tournai; A. Hacault, aux. S. Boniface; N. Edelby, arch. tit. Edessa Melch.; E. Hakim, arch. Akka Melch.; Ph. Nabaa, arch. Bairut Melch.; A. Gand, coad. Lille; J. Botero Salazar, arch. Medellin.

Secretarius generalis: Suffragatio 321 est super integro cap. IV. Patres venerabiles: *placet*ne, *non placet* an *placet iuxta modum* cap. IV huius schematis?

2

Em.mus P. D. FRANCISCUS card. KÖNIG
Archiepiscopus Vindobonensis

Patres Conciliares,

Loquar de iis quae in nn. 18 et 19 de atheismo continentur. In hoc adhaereo etiam iis, quae in ultima congregatione generali em.mus Šeper dixit, scil. expositionem de hac re in schemate non sufficere.

Quae in schemate de atheismo habentur, ideo, non satisfaciunt — secundum meam humilem mentem — quia formae diversae atheismi non distinguuntur. Atheismus enim militans — de quo quasi unice in n. 19 — est tantum unus aspectus quaestionis. Non sufficiunt, quia ...[1] de remediis inveniendis, et de modo agendi Ecclesiae *nihil invenitur*.[2]

Ideo propono ut in textu ampliore haec quattuor puncta exponantur: 1. De formis diversis atheismi et de eius intima natura; 2. De radicibus huius phaenomenis; 3. De remediis adhibendis; 4. De modo agendi Ecclesiae.

Ad 1) Inter alia examini *theologico* subiiciantur ex una parte factum propagationis atheismi in toto orbe, ex alia parte illud axioma, quod anima naturaliter est christiana, quomodo scil. haec duo componenda sunt.

Ad 2) Radices videntur esse tantum in mundo qui dicitur occidentalis. Tales enim radices non inveniuntur *in genere*[3] in India, in aliis partibus Asiae et Africae.

A) A viris doctis tam catholicis quam non catholicis christianis sequens evolutio tamquam radix atheismi exhibetur: 1. Unitas christianorum frangitur in saec. XVI; 2. in saec. XVIII et XIX, Illuminismus et Deismus destruunt ordinem supranaturalem et theandricum scil. incarna-

tionem; 3. In saec. XIX, Deum ipsum e mundo expellere conantur. Fortassis haec evolutio incipienda esset iam in separatione Ecclesiae Orientalis et Occidentalis.

In [4] his omnibus, insuper, etiam culpa christianorum *omnium* [5] ostenditur.

Secunda radix est defectus christianorum qui in vita sociali et oeconomica interdum non recte egerunt.[6]

B) *Alia radix est notio non recta Dei.*[7]

C) ...[8] Deus tanquam principium intermundanum, *tanquam causa prima tantum exhibetur* [9] tunc tantum quandocumque in processu evolutionis talis causa ad explicationem progressus esset necessaria.

D) Vel Deus tantum consideratur ut solamen hominis quod non multum abest ab eo quod dicebatur « opium populi ».

E) *Et alia radix in imagine falsa hominis.*[10]

Ad 3) *scil. de remediis adhibendis.*[11] A) Cooperatio indeficiens ad unitatem christianorum fovendam exhortanda est. In quantum haec unitas adhuc deest, fraterna cooperatio viribus unitis in omni campo exercenda est ubi differentia fidei non tangitur.

B) Ecclesia iustitiam socialem strenue, sine timore et sine personarum acceptione defendat et mutationes *ubi necessariae sunt* [12] inducat.

C) In scholis catholicis, in omni educatione et actione laicorum rationes atheismi et nostrae responsiones plene evolvendae et proponendae sunt.

D) Quia ignorantia magnum periculum est ubique, ideo praesules Ecclesiae, sacerdotes et missionarii cognitionem amplam atheismi possideant, eius originem, eius argumenta eiusque modum agendi bene cognoscant. Ideo investigationes et libri a peritis praeparandi sunt.

Ad 4) *De modo agendi Ecclesiae.*[13] A) Neminem anathematizamus. Sed sine ira et studio, qua par est nostro muneri diiudicamus, cum omnibus hominibus bonae voluntatis aliquam communionem et modum vivendi in pace quaerimus. Ex altera parte Concilium non potest tacere, immo apertis verbis profiteri debet non licere credentes cuiuslibet denominationis christianae vel cuiuscumque religionis ...[14] vi ad atheismum cogere, quia libertas conscientiae cuilibet homini a natura tamquam ius inalienabile tribuitur. Gubernia atheistica invitentur: documentum de vera libertate religiosa in iure naturae fundata edant, sicut Concilium tale documentum praeparat.

B) In iis regionibus quae sub dominio Communismi versantur sequens ratio agendi suaderi videtur: testimonium pro Deo vivo reddere

ope collaborationis sincerae ad progressum oeconomicum patriae, et hoc modo non verbis sed opere demonstrare quod vita religiosa non paralyzat sed maiorem energiam gignere potest quam atheismus. Sed ante omnia prae ceteris antecellere debent caritate fraterna. Christiani fideliter et audacter unionem cum Ecclesia profiteantur non tantum in vita privata sed etiam in vita publica et sociali.

C) Quia evolutio historica atheismi contra Deum quodammodo initium sumpsit in negatione Dei incarnati, quod opus incarnationis in Ecclesia perseverat et quia Deipara Virgo in opere incarnationis a Deo electa est, ideo Dei Genetrix erit adiutrix in atheismo redarguendo.

En rationes cur schema in quaestione atheismi deficit. Si autem Patribus in Concilio et Commissioni mixtae competenti placuerit, novum textum in hac re cum peritis *secretariatus* [15] praeparabo. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] schema omnino silet. [2] in iis quae — sicut rectissime dicit schema — « inter gravissima huius temporis facta » numeranda sunt. De atheismo enim tantum dolere — cf. n. 19 — iterum non sufficit. [3] deest. [4] Ex. [5] deest. [6] deest. [7] Radix invenitur in non recta notione Dei apud non paucos christianos. Vel Deus et mundus ita invicem opponuntur ut secundum ideam Hegelianam libertas hominis eiusque plenitudo humana omnino coerceantur et opprimantur. [8] Vel. [9] concipitur, i. e. Causa prima tantum quae invocatur. [10] Radix illa invenitur in imagine falsa hominis et in iis quae ex illa imagine non recta sequuntur. [11] deest. [12] necessarias. [13] deest. [14] cum. [15] deest.

Secretarius generalis: Suffragatio 322 [*cf. pag. 349-352, nn. 23-25*]. *Placet* an *non placet?*

3

EM.MUS P. D. ERMENEGILDUS CARD. FLORIT
Archiepiscopus Florentinus

Venerabiles Patres,

Censeo n. 19 de *atheismo* indigere claritate et vigore.

A tanta auctoritate, ut est illa Concilii, affirmandum esset, ad utilitatem totius generis humani, indolem atheisticam materialismi dialectici minime esse accidentalem.

a) In illo systemate, tota cultura seu vita spiritualis humana non habet proprie realitatem, sed constituit merum aedificium externum ideologicum, quatenus vita oeconomica, materialistice concepta, est unica

realitas totam vitam humanam dirigens. Hinc non est ullus locus pro hominis natura spirituali eiusque dignitate personali, multo minus pro Deo, qui mundum hunc transcendit et a mundo est omnino distinctus.

b) Immo tota doctrina *marxistica* de labore, de valore, de vita oeconomica necessario supponit conceptionem monisticam.

Praeterea hodie non pauci catholici putant admitti posse illud systema pro eo quod attinet vitam oeconomicam quin admittatur eius doctrina atheistica, seu materialistica. Ea de causa, *venerabiles Patres,*[1] puto esse opportunum in praesenti documento verbis claris et univocis enuntiare impossibilitatem talis distinctionis ...[2]

Secundo, ne sileamus *quasi*[3] de *problemate mali.* Viae seu causa quae ad atheismum ducunt sicut et remedia potiora essent breviter indicanda.

Praeprimis, atheismus modernus est consectarium principii immanentiae, commune fere omnibus formis philosophicis nostri temporis, quod tandem aliquando matrix est et origo negationis Dei personalis ...[4]. *Quare hoc non explicite dicitur?*[5]

Praeter atheismum, typi sociologici et institutionalis, qui est phaenomenon multitudinum (di massa), uti omnes sciunt, diffunditur, praesertim inter iuvenes, atheismus « scientista », qui scientiam physicam facere praesumit metaphysicam. Alii ad specializationem technicam se applicant, veluti ad fontem autosufficientiae et humanismi athei.

Insuper rationes vel argumenta directa quae atheismus adducit contra Dei existentiam, corroborantur ex modo considerandi Ecclesiam ab extra et ex ratione vivendi plurium christifidelium.

Denique, *venerabiles Patres,*[6] praesentia mali physici et moralis in mundo — *ut veniam ad secundum titulum —, praesentia mali physici et moralis in mundo*[7] permanet fons vivus, si liceat sic loqui, negationis Dei. Manet obstaculum ceteris magis commune; obiectio magis pugnax et pervulgata, simulque subtilior et philosophica. Deus impotens coram malo et crimine quomodo Deus esse potest? Est Deus moraliter impossibilis. Coexistentia Dei simul et mali est contradictio insuperabilis.

Nonne ergo oporteret, *venerabiles Patres,*[8] hoc in numero vel in praecedenti qui intime connectitur cum isto, responsiones saltem aliquas promere quae magis pastoralem reddant textum conciliarem, solutionem christianam circa problema mali delineando? Auderem hic aliqua elementa responsionis suggerere:

1. Deus revera est amor et bonitas infinita, sed eius amor est pro nobis mysterium; idcirco est amor perturbans. Deus amat nos, sed suo modo. Ipse sicut suo modo existit, ita suo modo diligit nos. Sed sicut Deus est pro nobis ratio perturbationis, ita et amor ipsius. Quapropter

amor Dei est obiectum fidei: « Nos credidimus caritati quam habet Deus in nobis » ...[9]

2. Deus mundum liberum creans exercitio absoluto suae omnipotentiae sponte sua renuntiat quatenus vult ut homo libere divinae sollicitudini correspondeat. Ipse invitat, obligat, sed neminem cogit: « Si vis ad vitam ingredi ... » etc.

3. Formalis Dei repudium peccatum est; et peccatum est solum verum malum, arcte coniunctum cum doloribus quae ipsius causa notabiliter crescunt.

4. Deus intervenit utens malo ad redimendum nos a peccato, ad sanandum peccatores. Exstat divinum consilium in dramate mali: peccatum hominis provocat processum ruinae et castigationis; sed haec ipsa aerumnosa consectaria immutantur, Dei misericordia, in iter redemptionis.

Id utriusque Testamenti oeconomia mirabiliter patefacit. Ab Adam usque ad Mortem et Resurrectionem Christi, qui problema mali solvit existentialiter, ut ita dicam, et non theoretice, « in corpore suo ... super lignum », etc., comprobatur magna lex Dei « Ubi abundavit delictum superabundavit gratia » ...[10], vita erumpit e morte, bonum a malo, salus ex dolore.

Solutio christiana problematis mali valorem obtinet solum ubi intellegatur solidarietas quae coniungit nos omnes in Adam et in Christo, seu in peccato et in gratia. Athei plerumque sistunt in considerando malum vel dolorem in seipso, et tunc indignantur, et iure quidem, quia sensum non habet. E contra, ut rite intellegatur, oportet ut in dolore videamus dolorem alicuius membri corporis humanitatis et suam significationem inveniamus nonnisi in Christo. Mysterium est solidarietatis per quod percipere possumus doloris valorem. Aliae rationes sunt: dolor purificat, seiungit, extollit, locupletat. Est monitum Dei, est via quae ad proximos et ad Deum appropinquat, ad Christum crucifixum nos assimilat, est promissio ad consequendos caelos novos novamque terram.

Haec synthetice, venerabiles Patres, in hunc numerum, *si possibile fuerit,*[11] inserenda propono. Dixi!

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Etenim: Vita oeconomica non est processus mechanicus, sicuti affirmat materialismus dialecticus, qui hoc affirmando hominem deprimit ad rationem elementi materialis machinae. Ipsa vita oeconomica constituit verum bonum humanum, ideoque se refert ad hominem tamquam ens spirituale-corporale, quod veram, qua tale, unitatem spiritualem constituit. Proinde etiam productio rerum materialium fit activitate personali; etiam haec

bona habentur propter eorum relationem ad hominem ens spirituale-corporale. Vere etiam in vita oeconomica homo ponitur tamquam persona, tamquam subiectum agens, non tamquam obiectum processus materialis mechanici. [3] deest. [4] et a mundo distincti. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] (*1 Io.* 4, 16). [10] (*Rom.* 5, 20). [11] deest.

Animadversiones additae:

Generales animadversiones. A) Absque dubio nova redactio schematis praestat praecedenti, et, non obstantibus pluribus difficultatibus, adepta est quandam unitatem. Elementa essentialia quae prostabant in « adnexis » bene inseruerunt redactores in praesentem textum. Hic retinet fortasse indolem minus propriam documenti conciliaris, quoad formam, stylum, lexicon. Tamen id saepe tribuendum est naturae et novitati argumentorum. Desideratur suppressio quarundam repetitionum inutilium in una eademque pagina, et stylus concinnior.

B) Diligenter praecipua quae hominum nostri temporis maxime cordi sunt schema pertractat, sed aliqualem sapit naturalismum et nimium optimismum. Quae dicuntur, vera quidem sunt, sed nimis attenditur ad realitates mundanas in seipsis agnoscendas et promovendas neque satis apparet vis peccati in mundo concreto (« mysterium iniquitatis operatur », cf. *2 Thess.* 2, 7), sicuti, ex altera parte, non satis apparet missio Ecclesiae perducendi fideles ad spiritum supernaturalem quo christiana vita est necessario alenda.

In capite vero de matrimonio et familia, profecto ameliorato, aestimatio sic dictorum « valorum personalium » (amoris in particulari) praevalere videtur super « valores obiectivos » cum quodam periculo abusus, tam in re doctrinali quam in re pastorali.

Enucleatius dicendum esset de Providentia, de malo et dolore in mundo, de atheismo, de pluralismo culturarum respectu habito ad pluralismum religiosum.

Denique, meo iudicio, documentum melius appellaretur « Declaratio pastoralis » vel « Epistola pastoralis ad christifideles et homines universos », quam « Constitutio pastoralis ».

Particulares quaedam animadversiones. Pag. 9, n. 9, linn. 38-40. Potestne sic absolute affirmari vel supponi bona materialia « per iniquitatem vel iniustam distributionem » aliis abunde, aliis parcissime praesto esse? Convenienter introduceretur verbum limitativum, ut « multoties », vel « non raro ».

Pag. 15, n. 14, lin. 4. Proponitur, ad convenientem claritatem, insertio quinque verborum, ut dicatur: « ... hominis coniuncti, sub ductu et magisterio Ecclesiae solutionem inquirant... ». *Ratio*: confusio idearum existens, cui non favor per silentium praestandus, sed remedium, per opportunam affirmationem officii fidelium reverendi doctrinam Ecclesiae, opponendum videtur.

Pag. 15, n. 15, lin. 22. Ex eadem ratione proponitur insertio verbi « physicam ». Unde dicatur: « ... quam ut ei libertatem physicam auferat... ».

Pag. 23, n. 27, lin. 30. Dicitur: « ideo (homo dives, de quo *Lc.* 16, 19-31) et damnatus est ». Num adeo constat ideo et non et aliis quoque rationibus, eum fuisse damnatum?

Pag. 24, n. 27, lin. 10. Non placet referre hunc textum, in quo, necessitate contextus, quaestio reducitur ad fidem catholicam. Quaestio est et debet esse de coactione ad *quamlibet* fidem amplectendam. Dicatur: « ... exposcit ut ad amplexandam fidem vel religionem nemo invitus cogatur ».

Pag. 28, n. 35, lin. 10. Alias saepe indicetur clare necessitas gratiae, non mera participatio religionis christianae, ad communicandam vitam SS. Trinitatis. *Ratio,* ut supra, ad pag. 15, n. 14.

Pag. 30, n. 38, lin. 32. Non « vigere iuberet »; sed « curaret », vel « contenderet ». Lin. 34 videtur continere formulam obscuriorem.

Pag. 33, n. 42, linn. 16-17. Fortasse non speratur haec consequentia ieiuna: « quatenus ad hominis incrementum conferunt »; sed insuper, aliqua referentia ad Christi gloriam. Hoc loco, sicut in aliis, schema nimis ad promotionem hominis in ordine naturali, quae non est missio specifica Ecclesiae, attendere videtur; et non satis ad participationem supernaturalem in vita divina. In pag. 44, lin. 28 asseritur expresse, eadem mente, coniunctio intima Ecclesiae cum mundo. Ex schemate sic elucet; at numquid hoc sperat animus fidelium et ipsa humanitas?

Pag. 41, n. 53, lin. 27. Displicet modus loquendi. In aspectu religioso et morali iure sperant fideles peritiam (statim vel post studium peractum) apud suos Pastores. Et minime impellendi videntur ut « propria negotia in se recipiant » (quid ceterum, hoc significat?); in quo Concilium favorem praestaret periculo accedendi ad mentalitatem protestanticam circa significationem conscientiae personalis.

Pag. 43, n. 55, linn. 12-13. Dicatur: « sub lumine verbi divini, magisterio authentico Ecclesiae illustrati, diiudicare... ». *Ratio,* ut supra ad pag. 15.

Pag. 43, n. 56, linn. 25-31. Obscurum. Non omnia sed aliqua, fuerunt huiusmodi. Talis generalitas in assertione reducenda videtur.

Secretarius generalis: Suffragatio 323: pag. 54, nn. 26-27 [*cf. pag. 352-353*]. *Placet* an *non placet?*

4

EM.MUS P. D. AGNELLUS CARD. ROSSI
Archiepiscopus S. Pauli in Brasilia

Venerabiles Patres,

...[1] « Ecclesia in hoc mundo — ut egregie notavit Summus Pontifex Paulus VI in allocutione initio huius quartae sessionis Concilii habita — non se ipsa tantum, quasi finem spectat, sed cunctis hominibus inservit ». Quapropter ipsa se sentit cum genere humano eiusque historia intime esse coniunctam. Coniunctio autem ista in ipso mysterio Ecclesiae fundatur, siquidem Ecclesia non alias habet rationes exsistendi quam mysteriosae illae rationes ipsius Dei, qui ita dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret ...[2]. « Num nos effugiet, Ecclesiam, huius Concilii ope, plenius et perfectius conscientiam factam esse sive de se ipsa, seu de reconditis consiliis Dei, qui " dilexit mundum " ...[3], sive de natura muneris sui, quod dives ac ferax semper extitit vitalium veluti germinum ad novo vigore donandam hominum societatem? » (Ita Pau-

lus Summus Pontifex, Paulus VI, in allocutione inaugurali huius Concilii sessionis).

Coniunctionem istam Ecclesiae cum mundo, Concilium eloquentius demonstrare non valet quam instituendo dialogum de variis illis problematibus, quae homines hodiernos excruciant et ad eorum solutionem lumen afferendo ex Evangelio depromptum et vires salutares suppeditando. Hic est scopus nostrae constitutionis, quae pastoralis cum sit, difficulter aliam posset invenire methodum magis aptam vel efficacem ad finem istum quem sibi proposuit Concilium re vera assequendum.

Ad textum autem quod attinet, duo in genere dicemus:

1. Textus nobis valde placet. Commissio enim attente consideravit observationes a nobis in tertia sessione factas, et textus qui nostrae disceptationi nunc subiicitur magis completus et magis bene dispositus nobis videtur. Redactoribus igitur gratulamur et de felici exitu una cum eis Deo gratias quam maximas facimus.

2. Textus autem perficiendus est. Praetermittendo quaestiones quae minoris sunt momenti quaeque scripto secretariatui tradentur, vos attentos velim ad haec quae sequentur:

a) Nostra etiam facimus vota multorum Patrum hac in aula iam expressa ut accuratiori praecisioni subiiciantur notiones illae fundamentales, « Populi Dei » nempe et « Mundi », quae totum pervadunt schema quaeque nondum optata claritate gaudent.

b) Possibile esset, immo et opportunum nobis videtur tota analysis phaenomenologica expositionis introductivae qua mundus hodiernus characterizatur disponere modo magis correspondenti ordini tractationis anthropologicae quae in tribus prioribus capitibus primae partis schematis invenitur. Optima illa quae in textu iam continentur aptiori tantummodo ordine essent disponenda. Secretariatui scripto tradimus suggestionem istius novae redactionis.

c) Praeterea, optandum quoque esset, ut in schemate clariore modo diceretur propositum illud Papae Ioannis XXIII, convocantis Concilium ad faciem Ecclesiae renovandam, quodque « aggiornamento » solet vocari, non modo nostris diebus, sed semper et continuo desiderandum esse in Ecclesia ut de cetero iam explicite affirmatur in constitutione dogmatica *Lumen gentium* in n. 8.

d) Denique, cum in textu, sub n. 9, grave problema agitetur de populis qui in via progressus inveniuntur, necessarium nobis videtur prae oculis habere quaestionem, non modo respicere nationes Asiae et Africae nuper politice emancipatas, verum etiam et alias, ut v. g. America Latina, quae quidem politice inde a plus quam centis annis eman-

cipata est, sed adhuc hodie innumeris obstringitur adversitatibus ad progressum illum magis consonum exigentiis et dignitati personae humanae consequendum.

Has aliasque animadversiones nomine 92 episcoporum brasiliensium propositas nec non et correctiones sedulo considerare, ut schema perficiatur, omnium nostrorum officium est, quod pro viribus adimplere satagemus, sperantes constitutionem nostram pastoralem non modo hodie sed etiam in posterum testimonium stare sollemne in laudem et honorem Concilii, quinimmo et signum perenne esse illius renovationis continuo iterandae, quae semper competit Ecclesiae, quae conscientia evangelica mundi cum sit, Verbum Dei manens in aeternum, in historia hominum semper debet incarnare. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Nomine 92 episcoporum brasiliensium. [2] (*Io.* 3, 16). [3] (*Io.* 3, 16).

Animadversiones additae:

I. *Quoad prooemium.* 1. N. 2, pag. 5, lin. 20. Mentio quaedam explicita ad litteras Encyclicas *Pacem in terris* et *Ecclesiam suam* in nota desideratur. *Ratio*: ut clare ac explicite ostendatur Patres conciliares in animo habere prosequendi propositum illud pastorale « dialoghi » cum mundo hodierno, quod Ioannes XXIII proposuit et Paulus VI amplexit ac confirmavit (89 ep.).

2. N. 2, pag. 5, linn. 21-29. Paragraphus sic redigatur: Cum vox « mundus » diversos habeat sensus, etiam in ipsa Divina Revelatione, hic per vocem « mundum » intelligimus illud opus Dei, quod et homines et rerum universalitatem responsabilitati hominum commendatam comprehendit (*Gen.* 1), quodque lapsum a peccato Deus salvare voluit, nam sic eum dilexit ut Filium suum unigenitum daret (*Io.* 3, 16). *Ratio*: fere idem dicit quod a textu intenditur modo tamen simpliciore et faciliore intellectu (87 ep.).

II. *Quoad expositionem introductivam.* 3. *Observatio generalis.* Forsitan opportunum esset totam hanc analysim phaenomenologicam disponere modo magis correspondenti ordini tractationis quaestionum quae in tribus prioribus capitibus primae partis schematis inveniuntur, scil.: homo in seipso considerato, homo in societate et navitas hominis in mundi constructione. Analysis phaenomenologica istius partis introductivae igitur examini accurato subiiceret principaliora signa nostri temporis tum positiva tum negativa quae respiciunt ipsam personam humanam eiusque problemata in societate nec non et eius navitatem in constructione mundi et historiae.

Notandum autem est fere nihil esse addendum iis quae in textu iam continentur. Optima illa quae in textu inveniuntur aptiore tantum ordine essent disponenda. (Adnexum ostenditur exemplum istius aptioris reordinationis) (86 ep.).

4. N. 4, pag. 6, linn. 23-24. Supprimantur verba « idonei auctores ». *Ratio*: ne videatur Concilium haec omnia affirmare innixum testimonio aliorum et non assumere responsabilitatem eorum quae hic asseruntur (90 ep.).

5. N. 5, pag. 7, lin. 17. Tollantur verba « ex iisdem scientiis exortis ». *Ratio*:

ut evitemus quaestionem acriter inter specialistas exagitatam utrum progressus technicus progressui scientiarum debeatur vel e converso. Qua de quaestione, ut patet, in Concilio non est tractandum (91 ep.).

6. N. 5, pag. 7, lin. 42. Tollatur verbum « evolutivam ». *Ratio*: quod a textu intenditur iam satis exprimitur per verbum « dynamicam ». Verbum autem « evolutivam » si additur non videtur sufficiens ad omnes possibiles sensus huius dynamismi exprimendos. Qua de causa supprimendum est (85 ep.).

7. N. 5, pag. 8, lin. 1. Post verba « analysi »... et « synthesi » addatur: « continua ». *Ratio*: processus iste qui « aggiornamento » dicitur non modo nostris diebus sed semper et continuo in Ecclesia est optandus (cf. *Lumen Gentium* cum loquitur de Ecclesia *semper renovanda,* n. 8) (85 ep.).

8. N. 7, pag. 8, lin. 26. Post verbum « sentiendi » addatur: « et educandi ». *Ratio*: ut in luce ponatur modo etiam explicito necessitas transformationis methodi educationalis (90 ep.).

9. N. 7, pag. 8, lin. 41. Addatur: « et sese exhibet ut vera exigentia progressus scientifici ». *Ratio*: nam haec est ratio fortasse praecipua illius fascinii (omnino quidem falsi) quod exercet atheismus hodiernus in animo praesertim nostrorum iuvenum (91 ep.).

10. N. 7, pag. 8, lin. 41. Loco « doctrinam » dicatur « ideologiam ». *Ratio*: non est idem doctrina ac « ideologia » et quod intenditur in textu potius per verbum « ideologiam » exprimitur. Ceteroquin alias in ipso textu schematis hoc factum est (84 ep.).

11. N. 7, pag. 9, lin. 4. Addatur in fine lineae: et exprimitur aptitudine vere existentiali. *Ratio*: in hoc praecipue consistit characteristica dominans atheismi contemporanei (86 ep.).

12. N. 9, pag. 9, lin. 40. Post verba « se esse iudicant » addatur: « Nationes in via progressus sicut et ». *Ratio*: ne ad solas nationes nuper politice emancipatas textus restringatur (90 ep.).

13. N. 9, pag. 10, lin. 5. Post verbum « oeconomica » addatur: « sociali et politica ». *Ratio*: opifices non modo in vita oeconomica vero etiam et in vita sociali et in vita politica suas partes habere cupiunt et debent (91 ep.).

* * *

5. (De appetitionibus personarum et coetuum ad plenam vitam liberam et homine dignam).

Imprimis, homo huius temporis magis magisque propriae dignitatis conscius fit, atque opus suum perficere fortiter quaerit.

« Mens scientifica... — usque ad — ... dispositione (planificatio) » (pag. 7, linn. 18-25).

« Insimul progredientes... — usque ad — hominem perducunt » (pag. 7, linn. 29-30).

« Interea crescit... — usque ad — ... se esse iudicant » (pag. 9, linn. 31-40).

« Mulieres sibi vindicant... — usque ad — ... agere volunt » (pag. 10, linn. 2-5).

Iuvenes cuiusvis societatis ordinis vitae suae dispositionem sibi vindicant, in actuosas consociationes congregantur, et in ordinanda societate veram participa-

tionem quaerunt. Insimul iura puerorum magis explicantur et in dies conscia fiunt.

« Gentes progredientes... — usque ad — ... ditioribus nationibus » (pag. 9, lin. 40 - pag. 10, linn. 6-8). « Populi fame pressi... — usque ad — ... posse ac debere » (pag. 10, linn. 6-8).

Necessitas definitive abnuendi praeiudicia et discrepantias ex differentia nationis, stirpis, culturae, religionis, ac cuiusvis ordinis socialis oriundas, manifeste apparet.

« Sub omnibus... — usque ad — ...praebere potest » (pag. 10, linn. 9-13).

6. (De profundis inter homines relationum mutationibus).

Nostris temporibus fere omnes humanae relationes penitus transformantur et progrediuntur.

« Communitates locales... — usque ad — ... ruricolas dilatatur » (pag. 8, linn. 5-14).

« Nova et aptiora... — usque ad — ... excitat » (pag. 7, linn. 33-36).

Transmigrationes in dies intensificantur. Munera in societate magis magisque diversificantur et multiplicantur. Quae omnia structuram traditionalem profunde perturbarunt, et novas structuras et relationes sociales instaurare videntur.

« Huiusmodi evolutio... — usque ad — ... tribuere cupiunt » (pag. 8, linn. 18-21). Relationes inter haec duo genera regionum vigentes constituunt temporibus nostris maximum rerum publicarum discrimen ».

7. (Activitate sua homo cursus historiae dirigere vult).

Homo huius temporis magis in dies activitate sua cursus historiae dirigere vult.

Processus « rationalizationis » et « planificationis » non tantum ad materiam transformandam et vitam oeconomicam ordinandam hodie applicantur, sed ad omnes provincias activitatis humanae extenduntur.

Genus humanum de proprio incremento demographico praevidendo iam et ordinando magis magisque cogitat. Progressus scientiarum hominis capacem eum efficiunt ut, technice elaborando actionem circa consimiles suos, in vitam societatis directe vim exerceat.

Certiorem et ampliorem possibilitatem agendi homo assecutus est cognitionem. Efficacia norma decisiva constituta est inter diversas possibilitates electionis, i. e. eligitur ea possibilitas quae securius, promptius, et minimo pretio ad finem perducere videtur.

8. (Acceleratio historiae, disrupta aequilibria, et mutationes quae ex eis consequentur).

Ex his omnibus, ipsa historia tam rapido cursu acceleratur ut singuli vix eam prosequi valeant. Conceptio vulgaris spatii et temporis penitus immutatur. « Tam rapida rerum progressio... — usque ad — ... et quasi victima » (pag. 9, linn. 5-30).

« Mutatio formarum... — usque ad — ... aggrediuntur » (pag. 8, linn. 22-33).

« Ita genus humanum... — usque ad — ... probanda erunt » (pag. 7, lin. 41 - pag. 8, lin. 4).

9. (De religione et interrogationibus profundioribus et in dies universalioribus generis humani).

« Novae conditiones... — usque ad — ... multi perturbentur » (pag. 8, lin. 34 - pag. 9, lin. 4).

« Quae cum ita sint... — usque ad — ... libenter intendita » ((pag. 10, linn. 18-42).

[*Adhaeserunt*] Jaime, Cardeal Camara, Nivaldo Monte, Milton Corrêa Pereira, Antonio Batista Fragoso, José Lamartine Soares, Francisco Austregésilo Mesquita, Waldyr Calheiros, Belchior da Silva Neto, José Mauro Ramalho, José Costa Campos, João José da Motta e Albuquerque, João de Souza Lima, Afonso Maria Ungarelli, Carlos Schmitt, Ladislau Paz, Delfin Ribeiro Guedes, Anselmo Pietrulla, João Rezende Costa, Ruy Serra, Afonso Niehues, Quirino Alwin Schmitz, Vicente Araujo Matos, Augusto Petró, José de Medeiros Leite, José Thurler, Wilson Laus Schmidt, Clemente José Carlos Isnard, Alberto Ramos, Augusto de Carvalho, Frei Felicio Cesar Vasconcelos O.F.M., Cornelio Chizzini, Expedido de Oliveira, Mario Roberto Anglim, Bernardo José Nolker, Walfrido Teixeira Vieira, João Gazza, David Picão, José Lazaro Neves, José Alves Trindade, Tomas Guilherme Murphy, Gregorio Warmeling, Francisco Borja do Amaral, José de Medeiros Delgado, Gentil Diniz Barreto, Oscar de Oliveira, Adelmo Cavalcante Machado, Helder Pessoa Camara, José Terceiro de Souza, José Brandão de Castro, Camillo Faresin, Antonio Barbosa, Honorato Piazzera, Adalberto Domenico Marzi, Henrique Gelain, Claudio Colling, Herminio Malzone Hugo, Eliseu Maria Coroli, Walmor Battú Wichrowski, Bernardo José Bueno Mieli, Aniger Francisco Maria Melillo, Diogo Parodi, José Pedro Costa, Frei Henrique Golland Trindade, Anleto de Angelis, Raimundo de Castro e Silva, José Alberto de Castro Silva, Geraldo de Milleville, Gerardo Ferreira Reis, Candido Julio Bampi, Luiz Gonzaga da Cunha Marelim, Jorge Marcos de Oliveira, Elias Cueter, Francisco Zayek, Vicente Marchetti Zioni, José Bezzerra Coutinho, João Hoffmann, José Maria Pires, Serafim Fernandes de Araujo, Avelar Brandão Vilela, Luiz Gonzaga Peluso, Manuel Pereira da Costa, Othon Motta, Silvio Maria Dario, Cristiano Portela Araujo Pena, José Batista Pereira, Tomas Vaquero, José Gonçalves da Costa, Giocondo Grotti, Caetano Antonio Lima dos Santos, Gabriel Bueno Couto, Benedito Zorzi.

Secretarius generalis: Suffragatio 324 fit super integro cap. V: De ordine servando. Venerabiles Patres, *placet*ne, *non placet* an *placet iuxta modum* hoc cap. V?

5

Exc.mus P. D. MICHAËL KLEPACZ
Episcopus Lodzensis

Venerabiles Patres,

Nunc prae oculis habeo ...[1] punctum 4 et 8: « De hominis condicione in mundo hodierno ». Ad ea quas sequuntur observationes addere volo.

1. Concilium Oecumenicum magnas spes sed simul et timorem excitavit utrum illae spes non in vanum ituri sint. Mundus hodiernus se in momento decisivo sui progressus vel regressus vivere, reddidit sibi rationem: una ex parte observat inexspectatam evolutionem scientiae, pro-

gressum materialem et technicum, altera autem ex parte inquietus evadit ob moralem depravationem iam et intellectualem decadentiam relate ad superiores mentis et voluntatis inspirationes. Bona quae assequitur saepe saepius non ad meliores conditiones vitae humanae inserviunt. Hoc duo bella mundana et tertium nucleare imminens probant. Haec facta in animis magnam anxietatem excitant. Et hoc expressis verbis Concilium dicere mundo debet.

2. Ex hac animae humanae anxietate falsi prophetae et absque scrupulis reformatores usum deducunt. Et hoc factum in nostro schemate sublineandum est.

3. Prae oculis etiam consequens ex falsis theoriis factum habendum est, scil.: quod iisdem verbis et notionibus diversi sensus attributi sunt. E. g. nos in cultura graeco-romana et christiana educati aliter quam mundi hodierni reformatores intelligimus verba: veritas, iustitia, libertas, bonum, progressus, et sic porro. Proindeque de his notionibus loquentes debemus paucissimis saltem verbis de eorum deformationibus dicere.

Dicendo nempe, e. g., de lege et iure non obliviscendum est magnam humanitatis partem sub diversa explicatione horum verborum manere. Lex, ius sunt tantum instrumenta politicae. Idem de democratia, iustitia, libertate dicendum est. Multi etiam scientiati, politici et gubernia errant easdem notiones in pertractationibus pro suis accipiendo. Et tali modo saepe confusionem et superventionem patientur.

4. Aestimatio activitatis Ecclesiae in contemporaneorum oculis principaliter praemissis moralibus nititur. Hoc aequum est et iustum videtur. Una autem conditio requiritur, ea scil., quod facta ad aestimationem allegata vere sint facta et non quidem excogitati factorum conceptus aut facta omnino alterata, obligare debet non tantum erga Ecclesiae hierarchiam, sed semper et ubique. Concilium Vaticanum ...[2] haud semel de hoc principio loquebatur.

5. Cum quaestione de prioritate veritatis in genere et de prioritate moralitatis connectitur problema sic dictae « rationis Status ». Haec ratio saepe invocabatur et saepe illa recognoscitur uti supremum criterium a guberniis eorumque praepositis, a viris politicis, a scriptoribus, etc.

Ipsum principium hoc, a supremis eius praetensionibus abstrahendo in non paucis iustum videtur.

Quamdum valorem sic dictae « rationis Status » id indicat, quod subordinat illa bonum singulorum communi, quod individualismum impugnat et superius humanam societatem eiusque necessitates aestimari iubet. « Ratio Status » praeterea iis, qui praesunt multa et haud facilia

officia imponit. Nisi autem moralibus innititur praemissis, quae ipsa superiores sunt, saepe abusibus ansam praebere valet. Praxis vitae demonstrat saepe huic « Status rationi » submissa fuisse sentimenta chauvinismi nationalis et cupiditas dominandi singulis hominibus et societatibus. Quot et quantae iniuriae nationibus inflictae fuere sub huius principii invocatione! Ultimum bellum mundiale perplurima praestitit exempla abusuum nomine falsi conceptus huius « rationis Status ».

6 et ultimo. Ecclesia nunc posita est coram maximi momenti facto, insimul practico et fundamentali, scil. coram exitu et aestimatione secundi belli mundialis. Ii, qui delicta et facinora bellica commiserunt, si principem in Statibus tenebant locum, non poterant secundum iuris internationalis praescriptum iudicari, tale enim non existebat. Ideo in aulam Tribunalis Internationalis Norimbergae quasi furtim introducendum erat ius morale « ne homicidium facias » et eo magis « ne occidas populos ». Et *tribunalis,*[3] quae nunc in Germania *iudicat,*[4] spem *excitat*[5] crimina sive in campis concentrationis, sive in carceribus, sive admissa in trucidatione hominum in domibus aut in plateis condemnata et punita fore. Sanus ergo et moralis reflexus excitatur qui Status et populos admonet, ne quintum Decalogi praeceptum violent et iis non tantum immoralitatem eorum actuum demonstrat et simul iudicat hos actus non ferre aestimabiles materiales fructus.

Dico: ideo in schemate XIII et eo magis in proclamatione ad omnem humanitatem momentum hoc silentio praeteriri non debet.

Haec omnia dum mente revolvo, finiens has meas observationes, peto Concilium Oecumenicum ut haec momenta prae oculis habere velit. Amor veritatis, hominis bonum et Ecclesiae honor, quae hominem diligit et malum impugnat talem conciliarem declarationem cito exspectant. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] expositionem introductoriam et specialiter. [2] II. [3] tribunalia. [4] iudicant. [5] excitant.

Animadversiones additae:

I - *De atheismo* (ad I partem, cap. I, p. 19). Imprimis notandum est in nostro schemate pauca tantum et insufficientia simul dicta esse. Problema autem tam psychologice et sociologice complicatum tam maximi valoris ob una ex parte dechristianisatione mundi, altera ex diversis formis atheismi, ut amplior eius analysis necessario evolvi debeatur.

Secundo: civilisatio moderna ita alterata est in comparatione etiam cum saeculo undevigesimo ut nostra epocha alias quam olim responsiones exigat. Atheismus saeculi elapsi vigores atheismi dynamici et polemici prae se ferebat. Argumentis ex scientiis naturalibus desumptis nostro autem tempore evolutione harum scien-

tiarum abolitis uti nequit. Etiam philosophice argumenta ista nunc non valent. Ex hoc non sequitur eius annihilatio. Mutatum est tantum clima in quo afferatur: scil. evolutio socialis. Atheismi fautores non sunt ut olim progressivi tunc temporis intellectualistae sed totae societates. Ratio principalis atheismi pro eis est decadentia moralis. Progressus scientiarum technicarum vitam oeconomicam tali modo speciatim in occidente evolvit, ut homines post dura bellorum experimenta, totaliter vitae biologicae et technicae toto animo sese dederunt. Cum autem nostro tempore superiores ideae et specialiter ideae morales suum valorem perdiderunt homo vult ab eis totaliter abstrahere et se materialiter concepto « élan » vitae tradere. Uno verbo Deus antea utpote distributor bonorum materialium conceptus nunc temporis non videtur esse utilis. Quae simplices sed minime non parvae rationes declinationis mundi a fide in Deum habent suum adiutorium in argumentis quae quamvis absque valore sunt sed ad mentem hodiernam accommodata ex scientiis falsificato modo propositis desumuntur. Hodierni homines toto animo vitae materialiter dediti talibus argumentis faciliter satisfaciuntur.

Proinde in schemate de atheismo hoc imprimis sublineandum est. Praeterea addendum est, quod Ecclesia tunc temporis methodo communicativa, correspondens mentalitati hodiernae, argumenta dare potest peremptoria non tantum ex diversis scientiarum disciplinis, sed praecipua ex eo quod homo hodiernus non potest ut homo sine moralitate vivere et attingere progressum qui totam eius personalitatem evolvere queat. Nihilominus via ad meliora sub hoc respectu tempora non est facilis. Magnus expectat Ecclesiae labor!

Tamen de atheismo sic concepto agentes, non omnes eius formam prae oculis haberemus.

Existit et atheismus quem nominare possumus: atheismus politicus. Hic atheismus magnam orbis terrarum partem possedit. Fautores talis formae atheismi volunt reicere Supremum Ens eo fine, ut illi tantum ut criterium boni et mali, ut legislatores universi, ut suprema credendi forma remaneant. Cum moralitas vere tantum in hypothesi existendi Dei suum fundamentum et suam rationem hauriat talem moralitatem reiciunt suam voluntatem utpote supremum ius et legem super mundum dominare volunt. Eos qui ad hanc theoriam suos aures inclinare nolunt, non solum seductionibus sed etiam, si utile vel secundum eos necessarium est vi cogere conantur.

Sed ad hoc punctum unam magni momenti observationem addere debemus in talibus condicionibus societates remanentes, videndo simul eius vitam personalem et oeconomicam non correspondere promissionibus « aureae aetatis » magis defensivae sese manifestant. Inter homines bonae voluntatis (tales sunt etiam inter atheos) dialogus pro utraque parte magna utilitate non carebit.

De tali dialogo Summus Pontifex scribit: « Causae atheismi anxietate plenae voluptatibus infiltratae et utopia non raro nobiles sunt inspirata spe iustitiae, et progressus ... Athei sinceri non raro cum enthusiasmo invocant rigoristicam submissionem sapientibus exigentiis intellectus humani in suis conatibus consentanei cum scientia intelligendi universum mundum ... Videmus quoque non raro atheos, bonis sensibus motos, aversionem erga defectum sinceritatis et erga egoismum tot contemporaneorum hominum centrorum qui iuste et recte mutuant a nostro Evangelio formam et expressionem solidaritatis humanae et humanae compassionis ».

Tamen cum atheis politicis qui atheismo ut armis utuntur dialogus valere nequit. Tamen observari potest societas saepe vi reactionis eo magis fidem suam

manifestant. Proindeque magis intelligentes psychologiam humanam potius indifferentismum ut primum gradum ad atheismum propagant.

II - *Contemporaneae vitae paradoxa* (ad partem I, capp. 1-2). Aliquis — ceteroquin iuste — affirmavit mundum magna in parte ab absurdo regi. Alius addidit deificationem, quam homo saepe sibimetipsi attribuit, maximum esse contemporanei mundi errorem.

Uti assertionum harum antithesim factum asseritur magni progressus speciatim in scientiis naturalibus et in arte technica, in progressu naturali mundi et in magna habilitate organisationis socialis. Quaedam fides, quae automatismo tribuitur, fiducia dogmatibus materiae et numeri credita in dies fortiores evadunt. Praevisa autem ordinatio omnium (vulgo « die Planung ») in singulis statibus et in toto mundo maximum progressum reputatur in gubernando magno hominum numero et ingentibus materialibus bonis.

Unaquaeque harum idearum eminentes saepe fautores numerat, magnaque eis praesto est congeries argumentorum.

Ecclesia, quae non solum mundo unitur et cum ipso collaborat, sed etiam officium habet, in lumine intellectus, suae experientiae et Revelationis, iudicio subiicere, principia et theorias, quae vitam respiciunt humanam, quaeque non raro non advertunt theses et theorias de integritate entis, sed quoque impugnant eas, haec Ecclesia in realitate terrestri tot argumenta possidet, ut officium est illi ipsis utendi ad bonum commune promovendum.

Principale officium Ecclesiae est totalis veritatis de homine traditio; illum scil. a Deo creatum, in imaginem et similitudinem Dei formatum, terram in possessionem « cosmos » vero seu spatium interstellare ad scrutandum et cognoscendum accepisse illum magis ac magis intellectum suum evolvere debere et thesauris mundi rationabiliter uti, illum denique esse creatum pro tota aeternitate et non tantum ad brevem cursum in stadio vitae perficiendum.

Verus autem progressus hominis a moralitate dependet rationalibus et supernaturalibus praemissis innixa, quam homo intimo ex corde suscipit.

Ecclesia tragicam saepe sortem hominis numquam praetermittit, qui in errorem et malum saepe est intricatus. Tragicam illam sortem monstrat Ecclesia v. g. in ultimorum duorum bellorum mundialium exemplo. Homo tam profunde tum lapsus est, ut pondere incoeperit se hominem esse. Misero lapsu suo homo vere fuit deprehensus.

Ubi pervenimus et ubi adhuc perveniemus — unusquisque nostrum anxie hodie quaerit. Hac in quaestione continetur tota nostra epocha, omnisque tragicorum nostrorum temporum moles. Hi etiam, qui ne cogitare quidem sciunt, sentiunt aliquid insoliti, in intelligibilis et monstruosi factum fuisse. Id sentitur, quod sentiret captivus in carcere detentus, cui liberatio promissa fuit, et qui tamen tetricisiora et profundiora loca detruderetur; captivus ille sentiret obstupefactionem, timorem et ultimo profundissimam resignationem.

Officium etiam Ecclesiae est efficere, ut homines intelligant aetatem nostram, quae eos cogitare docet, quae nitebatur scepticismo erga omnia, uti personificatione liberationis, quaque aetas homines in vincula falsorum dogmatum aut sic dictarum « veritatum non admittentium negationem » coniecit. Dogma falsum pugnam cum intellectu non sustinebit, monstrare tantum ipsi debemus illud super principia vitali experientia non probata fundari, ideoque dogma illud falsum in propria irretitum esse retia.

A. v. homo est quasi arundo vento agitata, quae — ut locutione Pascal utamur — nisi moralitate fulcitur, frangitur, et in profundum abyssum mali cadet, quod sibimetipsi et aliis praeparavit.

Necesse est etiam homini explicare, quo iure verus consistat progressus; subest enim ille tam facile fascinationi in errorem inducentium verborum.

Progressus. Quando opera Caroli Marx leguntur, impressio exoritur totam eius doctrinam praeconcepta fide in progressum niti. Haec fides undevicesimo saeculo tam propria illud a primitivis conceptionibus civilisationis antiquitatis et mediaevalibus avertit. Tum enim quidam aureae aetatis mythus dominabatur, quae aetas irrevocabiliter ad tempora anteriora pertinet. Fides in Progressum maiuscula P conscriptum. Ad fidem hanc incitabat praeprimis progressus scientiarum naturalium et technicae.

Sed iam nunc scimus progressui v. g. technico valorem tantum relativum inesse. Evolutio mediorum communicationis a navicula usque ad machinas aereas a reactione poterat uti bonum absolutum reputari. Progressus productionis rota textoris ad magnum concernum machinarum textilium iam diversas opiniones excitat. Evolutio armorum ab arcu et funda ad iaculum nucleare non potest optimismum excitare. Propagatio instructionis, cum qua tanta coniuncta fuit spes, tales in deceptionem induxis intellectualistas ut Toynbee aut Huxley. An homo, qui bis in die vulgares legit editoriales sapientior est colono, qui legere nescit, sed qui independentes conclusiones deducere valet? Altera ex parte talia adsunt, quae omnes uti progressum aestimamus. V. g. mutatio systematis agrorum a servis cultorum in systema agrorum colonis pretio locatorum, aut administratio pagi propriis colonorum mediis nobis omnibus progressus esse videntur. Mutatio autem systematis agrorum pretio a colonis locatorum in systema laboris in favorem domini gratis a colonis praestiti, aut mutatio in systema collectivae agriculturae regressio potius dicenda est. Maior libertas socialis v. g. in forma capitalismi multorum malorum causa fuit. Maior sexualis libertas maxime pro familia et societate periculosa est. Eadem dici valerent de sic dicta iustitia sociali, de prospero materiali statu, de generali cultura. Praeter bonas horum omnino partes, quae negari non possunt, quot in ipsis continentur defectus! Celebris satirica fabula Georgii Orveille, cui inscribitur « Annus 1948 » lugubrem monstrat praevisionem, ut dicam, dehumanisationis hominis narcotico, cui nomen progressum, fere inebriati. Ideo auctor minime devotioni addictus, Aldous Huxley in opere suo "Ends and Means " principalem libri sui personam doctorem R. R. Marret loqui iubet: « Verus progressus est progressus in caritate » (charity); alii progressus secundarii sunt si cum eo conferuntur. Suprema actionis norma est caritas, quae continetur non tantum in sensu, sed et in intellectu et in voluntate: Dilectio - beneficentia - caritas.

Praeterea homo hodiernus nimis variis confisus est formis, organisationi, schematibus et systematibus. Sumamus uti exemplum varia systemata totalismi actualis, quae hominem tractant uti machinae rotam, uti alimentum pro suis ideis praeconceptis vel idealibus.

Ideo observatur nimia evolutio formalismi, praescriptionum iuridicarum, quae nec singularis homo, nec status adimplere valet. Maxime vero sufferunt singuli homines, qui pereunt in densissima silva iussorum et vetitorum, suffert etiam veri nominis materialis et spiritualis progressus. Praevisa ordinatio omnium (die Pla-

nung) in productione nationali valde utilis, cum officio tantum cuiusdam inspectionis generalis fungitur. Cum limites hos praetergreditur, ad absurdum descendit.

Ecclesia, quae seipsam ab excessiva centralisatione liberare desiderat, a iuridica tantum hominum pertractatione et cupit dominationem suam erga homines in humile servitium mutare, haec omnia intelligit et iis compatitur. Hanc veritatem Ecclesia debet mundo ostendere omnis potestatis sollicitudinem esse debere singulorum hominum bonum, et per consequens bonum societatis et totius humanitatis; veritatem debet Ecclesia ostendere hominem initium esse et finem omnium institutionum, legum et constitutionum. Hoc est nostri Evangelii iussum, quod toties affirmat nivelationem inter servos et dominos. Evangelium docet legem esse pro homine, et non hominem pro lege, praescripta vero nimis ligantes servitudinem esse, et non libertatem a Deo pro hominibus constitutam; curationem in sabbato litteram quidem legis offendisse, sed fuisse bonam pro homine actionem.

Et his est magnus pro activitate Ecclesiae campus.

III - *Dialogus inter credentes et non credentes.* Summus Pontifex Paulus Pp. VI in Litteris Encyclicis suis *Ecclesiam suam* in tertia eius parte super problema dialogi loquitur et quattuor eius concentrica circula distinguit: dialogus inter catholicos, dialogus inter catholicos et christianos-acatholicos, ulterius dialogus cum hominibus religionem non christianam profitentibus, et ultimus quartus circulus, dialogus cum omnibus hominibus bonae voluntatis. In hoc ultimo concentrico circulo inveniuntur quoque quaedam centra hominum non credentium. Ad ultima usque tempora dialogus cum non credentibus suspectus reputabatur et etiam non posse admitti censebatur. Summus Pontifex plenam rehabilitationem huic verbo restituit et etiam ecclesiasticum illud fecit ac in officialem vocabularium theologicum introduxit. Summus Pontifex Paulus Pp. VI evolvit tantum ideas ab antecessore suo b. m. Ioanne Pp. XXIII commemoratas in utrisque suis Litt. Enc. *Mater et Magistra* ac *Pacem in terris.*

Principalis huius solutionis theologica ratio praeceptum est Christi Domini: « Euntes docete omnes gentes ». Constitutio *de Ecclesia* ab actuali Concilio Oecumenico promulgata in cap. II « De populo Dei » audacter postulatum Christi Domini de suae Ecclesiae universalismo monstrat. Definitio S. Roberti Bellarmino contra Reformationem redacta largius et profundius promulgata fuit in Litt. Enc. b. m. Pii Pp. XII *Mystici Corporis Christi* et in praesenti constitutione *de Ecclesia.* Ad Ecclesiam, ad principii huius normam pertinent tam fideles catholici, quam et alii in Christum credentes, sicuti omnes in genere homines gratia Dei ad salutem vocati. Summus Pontifex Paulus Pp. VI attentionem nostram in maximi momenti problema adduxit, scil. dialogum finem suum habere posse et effectum tantum cum « bonae voluntatis » hominibus. Problema magni momenti est, quis sit homo « bonae voluntatis ».

In Ecclesiae historia invenimus tritam hoc tempore opinionem homines ad acatholicam pertinentes religionem et eo magis non credentes, esse necessario homines malae voluntatis. Non fuit tunc praecise intellectum in actum fidei formandum varia atque varia influere, primario autem homines, inter quos vivimus, emotiones et alia imponderabilia. Ante omnia vero non fuit evoluta theoria de psychologia actus fidei. Ideo hodie, dum recte consideratae sunt omnes hae actus fidei considerationes, mutata est opinio de homine bona vel mala voluntate praedito.

Non diutius tractantes hoc maximi momenti problema, tentare possumus has

conditiones indicare, quae permittunt nobis, ut homines cum quibus in dialogo invenimur, uti bona voluntate praeditos iudicare possimus: 1. homo in casu authentice et ideologice addici debet servitio aliquorum valorum non egoisticorum; 2. homo ille sequi debet in sua activitate conscientiae suae vocem.

E serie igitur personarum, quae in dialogo partem habere possunt, ii excluduntur, qui non sunt sinceri erga id, quod ipsi interne verum reputant et qui — quod peius est — cognitam veritatem impugnant tum propter odium erga certas personas vel institutiones, tum ob utilitaria aut conformistica motiva. Tales homines videntur in mundo hodierno satis esse numerosi, quamquam, visa proportione, numerus eorum absolutus vere minimus dicendus est.

Inter homines bonae voluntatis spectabilem partem atheistae constituunt, cum quibus dialogus pro utraque parte magna utilitate non carebit. Consideremus enim causas, quae in negationem existentiae Dei et ordinis supernaturalis influunt.

Materia, speciatim vero materialismus practicus, ita multos attrahit, ut vitam eorum dirigi faciat *solummodo* ad temporanea. Proprie loquendo, in discussione cum eis convinci valemus, eos parum interesse habere in perscrutandis theoreticis fundamentis eorum atheismi: « Pro vita nostra organisanda hypothesi Dei non egemus ». Econtra, finis nostri extraterreni consideratio et praeceptorum religionis observatio impedimentum formaret in assequendis immediatis finibus et homini proximis in terra. Theoriis his favet quoque celeris evolutio scientiarum naturalium et eius effectus, evolutio technicae. Haec omnia edocent hominem, quantus sit eius intellectus, quantae divitiae in cosmos abscondantur. Homo edocetur ingenium suum ad haec omnia pervenisse et seipsum iis thesauris uti. Quod maius est, persuasio oritur hominem ad omnia pervenire posse et eum esse factorem, et quodam sensu etiam creatorem. Haec ducunt ad aliquod genus deificationis hominis. Sed hic error, quem nunc naturales scientiae demonstrant, non est nimis considerandus. Homo enim in semetipso experimentatus est se neque esse omnipotentem, neque se omnia scire, sed esse se tantum investigatorem legum ab alio conditarum. Quia autem eodem tempore amaram gustatus est veritatem de humana crudelitate, melius ac melius intelligere incipit valorem vitae moralis pro humanitatis progressu.

Adhuc unus atheismi factor sat magnam partem habet, scil. celerrima disparitio hucusque actualium formarum culturae et civilisationis una cum earum materia. Ideo religiosa formatio in actuali traditione fundata vacillare incipit. Quia et in technicae epocha magis magisque homines necessitatem sentiunt horum valorum, quos religio continet. Haec iam nunc apparent in maximae civilitatis nationibus Europae et Americae.

Investigationes ab Instituto Gallup nuper v. g. peracta demonstravit nonaginta quinque procenta habitantium Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis fidem religiosam profiteri.

Atheismo practico, tam proprio materialismo vel sic dicto atheismo politico, orientationi totalitariae tam proprio, occurrunt in via amarae experientiae et lente mutant psychologiam etiam « credentium atheistarum » critice excitant proprias erga theses. Dialogus ergo cum atheis propria motiva habet et influere potest in profundiorem idearum religiosarum formationem.

Non est ergo mirandum hodiernum Summum Pontificem, actualium temporum necessitatibus deferentem, Secretariatum pro non credentibus condidisse, et discus-

siones tum in Gallia, tum ultimo in Austria habitas inter catholicos et atheos reali fundamento non carere.

Ideo Summus Pontifex scribere potuit: « Causae atheismi anxietate plenae, voluptatibus infiltratae et utopia, non raro nobiles sunt inspirata spe iustitiae et progressus ... Athei sincero non raro cum enthusiasmo invocant rigoristicam submissionem sapientibus exigentiis intellectus humani in suis conatibus consentanei cum scientia intelligendi universum mundum ... Videmus quoque non raro atheos, bonis sensibus motos, aversione erga defectum sinceritatis et erga egoismum tot contemporaneorum hominum centrorum qui iuste et recte mutuant a nostro Evangelio formam et expressiones solidaritatis humanae et humanae compassionis ».

IV - *Quomodo mundum christianum reddere?* Humano tantum modo res perscrutantibus posset videri fides christiana iam in initiis suis naturaliter debuisse mori, nam:

Palaestina, Roma et Graecia antiqua videbantur non posse doctrinam Christi recipere, tum propter eius materiam, tum propter formam eius. Materia doctrinae huius magna ex parte contraria fuit directrici factioni pharisaeorum et saducaeorum; talem evolutionem doctrinae Veteris Testamenti praedicabat, ut Antiquae Legis sacerdotes non tantum in ipsa sua existentia se periclitatos senserint, sed et revolutionarem Praeceptoris de Nazareth characterem offensum habuerint. Graecia antiqua S. Paulum etiam audiebat, avertit se autem ab eo cum de Christi Resurrectione loqui incoepit. Roma nimis theocratica erat et nimis in se confidebat, ut aliquis Petrus aut aliqui pauperes operarii ad ripam Tiberis habitantes ipsam superioritatem convincere possint. Vis physica de cetero non Apostolos adiuvabat. Forma praedicationis pro Romanis exquisito gustu ditatis nimis simplex erat. Et tamen ...

Superhumana et humanistica quoque intima unio spiritualis et socialis mundo istius temporis dynamismum infudit et in amplexum doctrinae Christi proiecit.

Et hodie? Quomodo christiana fides a mundo amplexabitur, cum quattuor quintae hominum partes aut illam non noverunt, aut ipsam recipere recusant? Et etiam in ipso centro catholicorum Europae et Americae multi homines sunt practice extra christianam religionem?

Et imprimis observatio in problematis margine, quae fere paradoxaliter sonabit: christianismus ipse modernam hominis emancipationem genuit et dechristianisationis spectrum evocavit. Christianismus etenim ab ipso suo exordio « temporaneum » ab « aeterno » divisit (Reddite quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo). Ipsa logica huius privationis huius characteri religiosi debuit ut consequentiam habere separationem scientiarum, philosophiae, politicae et oeconomiae a religione, distinctionem « laicalis » et « religiosi ». Continuatio horum omnium in basi autonomiae intellectus pro exitu habuit ingentem modernae Europae evolutionem.

Ex hac marginali observatione aliae adhuc defluunt consequentiae. Cultura laica a Deo separata non est necessario opus satanae, quamquam conatur ille processum hunc historicum dominare et contra Deum dirigere.

Praeterea conspicuum est oeconomiae divinae et operi creationis infuisse liberationem virium animae humanae, ut subiectum historiae fieri posset.

Sed haec quasdam consequentias habuerunt, quas Ecclesia non potest non considerare.

Ab ipso temporum modernorum exordio homo maximum interesse habuit in civilisatione et cultura evolvendis — de salute autem post mortem minime curant. Dominatio super naturae vires et evolutionis socialis intelligentia factae sunt opus homine dignum et valorem suum acceperunt. Removere famem, morbos, paupertatem, bella, aliaque flagella huiusmodi et constituere temporalem felicitatem — ecce principalis intellectus hominis directio. Natura, sua ex parte, viribus et conatibus laboris humani subiicitur, qui labor in dies magis ac magis aestimatur. Praxeos superioritas super theoriam ingentem causavit technicum progressum, quod, tam aucto hodie hominum numero, primarium factum est moderni temporis officium.

Primaria igitur temporalium et materialisticorum systematum contra Ecclesiam obiectio ea est, quod Ecclesia hucusque parvipendebat assertionem de ontologico bello hominis cum natura, quae sine eius inventionibus et sine eius labore evolutionem civilisationis impossibilem reddebat. Ecclesia — uti dicunt — abest in prima linea pugnae biologicae pro existentia. Activitatem suam — aiunt — in ultima linea exercet, sed tamen fructibus huius pugnae utitur. Ecclesia fructus ab aliis collectos suos facit et consumit, quod ab antiquis formis civilisationum religiosarum haereditavit — haec vero non possunt magnum hominum labori addictorum numerum Ecclesiae favorabilem efficere.

Alia obiectio: Ecclesia — non obstante officiali doctrina de caritate sociali — sorti pauperum indifferens est. Contra fraudes laborantibus irrogata practice non pugnat, partes parasitorum sustinet, oboedientia dominis, assertio fore, ut pauperes semper nobiscum habeamus, per quam a miseria proletariatus avertitur attentio, unicum grave problema vita aeterna constituit etc.

Tam facile erat operariis persuadere illos non solum nullum auxilium ab Ecclesia recepturos, sed etiam eas ideologice oppugnatum iri. Ideo operariorum massa, laicismo et socialismo mediantibus, socios in scientiis et in technica invenerunt.

Dum haec plus minusve vera argumenta, attamen satis realia, consideramus, id nobis faciendum est, ad quid Ecclesia huius temporis (et non tantum nunc) incumbit. Theologia laboris, rerum temporalium theologia, valor eorum pro homine, canon dissensionum conciliarium facta sunt. Ecclesia hodie (ceteroquin a longo iam tempore), per profundiorem penetrationem in psychologiam et sociologiam se accommodat civilisationi technicae, recognitioni iuris hominis ad bonum temporaneum, i. e. ad felicitatem terrestrem. Et, quod maius est, Ecclesia magis magisque communibus hominum coniungitur, ut clades et mala socialia amoveantur, ut iniusta pretia operariis soluta, oppressio debilium nationum, bella, fames, morbi et miseria. Non tantum orat Ecclesia in his intentionibus (a peste, fame et bello libera nos, Domine), secundum possibilitatem suam una cum suis sacerdotibus et laicis curat auxilio esse.

Ecclesia monstrat quoque hanc sollicitudinem, ut maximi momenti, non esse unicam suam sollicitudinem, nam cura verae spiritualis culturae producendae, cura iustitiae et pacis, cura ut recte intelligantur talia humanitatis bona ut moralitas et dilatatio terrenorum valorum in totam aeternitatem constituunt suum magnum, et, proprius dicendo, suum maximum officium. Mundus sine Deo odio vere non humano regetur, demonstrat hoc Ecclesia permultis humanitatis experientiis innixa.

Ecclesia monstrat quoque morbidum modernae civilisationis statum: extenuantes conatus et celeritatem, defectum temporis et carentiam conditionum, ut

homo possit arcana animae suae penetrare; consecrationem totius temporis rebus materialibus et operi productionis, absentiam cogitationis de aeternitate, solitudinem in ingenti, quasi formicarum, hominum numero, quam ob aliorum indifferentiam non supplebit abstracta notio fraternitatis in labore et solidaritatis internationalis.

Et has propter causas Ecclesia hodie, cum magis mundi huius necessitatibus coniungitur, magnum ei servitium praestat, et ipsa ceteroquin de his omnibus conatus haurit pro semetipsa ingentem thesaurum.

Secretarius generalis: Suffragatio 325 [*cf. pag. 357-360, nn. 28-30*]. *Placet*ne an *non placet?*

6

Exc.mus P. D. IOSEPH RUOTOLO

Episcopus Uxentinus - S. Mariae Leucadensis

Patres Venerabiles,

Constitutio pastoralis *de Ecclesia in mundo huius temporis,* noviter redacta, finem intentum, meo iudicio, assequi potest. Attamen nonnullas observationes circa primam partem mihi liceat exponere:

1. Ordo logicus incipere debet a tractatione rationali ad disceptationem supernaturalem: hoc non observatur in numeris cap. I.

Investigando dignitatem humanam, prius agendum esset de atheis, qui eam reponunt in possessione bonorum materialium, postea de naturalistis, qui dignitati spirituali consentiunt aliquo modo, sed reiiciunt Dei filiationem adoptivam, demum de christianis, qui vitam supernaturalem admittunt.

Propono alium ordinem, de quo tradam meam opinionem in scriptis secretariatui.[1]

2. Schema pauca dicit de Atheismo ut in n. 19. Attendamus, Patres venerabiles, ad hoc problema extremae gravitatis. Minime sufficiunt quae hinc inde dicuntur in nostro schemate; peterem ut fiat *declaratio separata,* vel saltem *unum caput integrum* constituatur de natura Atheismi et de dialogo cum atheis.

Verum est quod sermo efficax cum atheis est difficilis, cum deficiat basis communis argumentationis, sed verum est etiam quod maior pars atheorum sunt tales practice, non autem theoretice; ipsi putant existentiam Dei non esse necessariam pro humanitatis progressu, ideoque de ea non curant.

Attamen haec sacrosancta Synodus ostendere debet suum amorem erga oves errantes, qui finem suum ultimum assequi negligunt. Sumus

pastores animarum et homines bonae voluntatis curare debemus, ut ait Paulus VI in Encyclica *Ecclesiam suam*. Nam « de colloquendi munere agentes — ipse scribit — id quod Ecclesia, novo studio impulsa, his temporibus oportet accendatur, illud tantum iuvat monere eam paratam esse debere ad sociandum sermonem cum *omnibus hominibus* bona voluntate praeditis, sive intra limina ipsius sint, sive extra ».

Haec verba possunt faciliter ad atheos practicos in bona fide existentes. Hi possunt habere bonam voluntatem ad caliginem ab animo depellendam, si nos veritatem collustramus mente et corde. Pro ipsorum initio ad conversionem sufficeret aliqua delibatio notionum naturalium de Dei existentia. Ipsos possumus docere faciliores notiones, ut e. g. de consensu generis humani circa hanc veritatem, de impossibilitate existentiae mundi sine ente supremo, de ordine mirabili mundi sapientem ordinatorem exigente, de felicitate perfecta assequenda post mortem in ente perfectissimo iuxta illud Augustini: « Fecisti nos ad te, Deus, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te ».

3. Quoad temporum vicissitudines schema loquitur in n. 56 de maculis, de rugis membrorum Ecclesiae. Mihi videtur hoc contrarium esse indoli pastorali huius Concilii. Cum facta historica aliquo modo aggredimur, extra finem et methodum Synodi agimus.

Ioannes XXIII initio primae sessionis Concilii sic locutus est: « Oportet ut doctrina catholica amplius et altius agnoscatur eaque plenius animi imbuantur atque formentur ». Proinde non est agendum de historia. Quinimmo Paulus VI, loquendo ad Observatores die 17 octobris anni 1963, clare mentem suam aperiebat: « Nostra mens sollicitatur de tempore transacto recogitare. Sed hoc esset in summas difficultates incurrere et cicatrices divellere ».

Si hoc dictum est de fratribus separatis, eo magis dicendum est de fratribus nobis coniunctis in Ecclesia catholica, quorum errores, si errores fuerunt, saepe interpretationem benignam ab auctoribus peritis in historia accipiunt. E contra futura inspiciamus et relinquamus tempus praeteritum iudicio Dei et historiae; si fuerunt rugae, nitamur nos ab ipsis immunes esse et orationem dominicam recitando, toto corde clamemus: « dimitte nobis — Pater — debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris ». Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] (Proponerem ordinem sequentem: nn. 14, 15, 16, 17, 19, 18, 11, 12, 13, 20).

Secretarius generalis: Suffragatio 326, pag. 63 [*cf. pag. 360-362, nn. 31-33*]. *Placet* an *non placet?*

7

EXC.MUS P. D. EUGENIUS D'SOUZA
Archiepiscopus Bhopalensis

Venerabiles Fratres,

Sicut multi vestrum saepe cogitavi: ad quid in Concilium convenimus? Estne ad opus litterarium quam perfectissimum producendum, textus completos et perpolitos, an ad dandam Ecclesiae impulsionem talem qua valeat perficere opus quod Christus ei commisit? Praesertim cum *hoc caput et* [1] hoc schema legerem putavi: de quanam re agitur? De compilando quoddam *Readers Digest* de omnibus quae ultimis annis scripta sunt circa problemata hodierna, an de praeparanda Ecclesia ad *ea* [2] maiore cum caritate et efficacia obeundum?

Et credo me cardinem totius rei reperire in prooemio partis primae, praesertim in verbis lin. 6: « Populus Dei in eventibus, postulationibus, optatis, praesentiam Dei discernere, Eiusque interventus animadvertere satagit. Cui voci incunctanter oboedire debet ». Incunctanter, i. e. sine haesitatione, nullum tempus perdendo.

In variis campis Deus Ecclesiae committit ut loquatur verba vitae et ut salutem operetur, quos campos schema nostrum enumerat.

Volumus, venerabiles Fratres, ut constitutio haec pastoralis non sit tantum pulcher textus, sed fiat directiva actionis. Operari autem sequitur esse. Ecclesia bene aget, si bene est. Si in praeterito non bene, aut, ut verbis modo lectis utar, non incunctanter egit, hoc probat eam non bene fuisse. Quo in casu, oportet eam reformari.

Brevissimum ergo examen historicum instituamus. Prima pars agit de dignitate personae humanae, in specie de responsabilitate et conscientia. Iam Americana et Gallica revolutio formulaverunt « declarationem de iuribus hominis et civis ». Nonnisi post centum septuaginta sex annos Ecclesia sollemniter agnoscet libertatem religiosam et societatem pluralisticam in eis contentam, postquam magisterium eam variis vicibus respuit. Quot homines interea Ecclesia a se alienavit, cum inimica libertatis et dignitatis humanae visa sit?

Praeclara *hic* [3] dicuntur de iustitia sociali; sed momentum eius Ecclesia non tempestive agnovit. Post varia opera praecursorum, medio saec. XIX fundamentale opus Caroli Marx evulgatum est. Nonnisi post quadraginta tres annos data est Encyclica « Rerum Novarum », *et* [4] interea factum est quod Pius Papa XI vocavit scandalum saec. XIX: quod Ecclesia in Europa classem operariam amisit ...[5]

Anno praeterito, quidam *exc.mus*[6] moderator exclamavit: sufficit unus casus Galilei. Sed interea habuimus, ut de aliis taceam, casum Lammenais, casum Darwin, casum Marx, casum Freud, et nuper casum Teilhard de Chardin. Utique, opera illorum et motus ab illis initiati, quibusdam erroribus sunt affecti, sed nihilominus genuinos valores propugnaverunt quos schema nostrum nunc agnoscit. Quid ergo indiscriminatim damnari debebant? Nonne audiendum erat verbum scripturae: « Omnia probate, quae bona sunt tenete »? ...[7]

Historia, venerabiles Fratres, est magistra vitae. Errores praeteriti deinceps vitandi sunt. Ad quod iuvabit eorum causas penitius indagare.

Repeto me non emendationem quorumdam verborum schematis proponere. Tantummodo velim animum vestrum advertere ad eam conditionem sine qua non, ut fiat textus noster in animam viventem, nempe quod ex Ecclesia ea tollantur unde non bene et incunctanter voci Dei oboedit ...[8]

Causae quaedam dari videntur in organisatione *v. g.*[9] ecclesiastica, quales sunt: inamovibilitas de facto ...[10] officialium et ...[11] praevalens praeoccupatio administrativa, immo quodam sensu politica; ...[12] educatio cleri a mundo separata, secundum obsoletam scholasticam; ...[13] abusus censurae praeviae librorum et articulorum, et timor e repetitis damnationibus profluens; insufficiens participatio laicorum in vita Ecclesiae, praesertim in theologica elaboratione ...[14]. Causae *quae etiam*[15] inhaerent stylo vitae pastorum. Cur omnia etiam nunc cum obsoleta pompa fiunt? Cur homines, v. g. ...[16]

Moderator: Exc.me Domine, pressius loquaris ad textum et proponas emendationes!

Orator: Hoc ipsum Concilium, estne vere huius temporis? Ubinam adhuc habetur conferentia internationalis ...[17] interminabilem catenam monologorum lingua mortua prolatorum, in qua non fiunt discussiones apertae, quae vocantur forum, carrefour, panel-discussions? Feliciter habemus Bar-jona et Bar-abbas in quo vere colloquium instituamus. Si ne ipsa discussio quidem fit in stylo huius temporis, quid inde exspectandum erit?

Haec enumeratio causarum, venerabiles Fratres, certe non est exhaustiva, fortasse ne ad radicem quidem attingit. Sed spero fore ut iuvet nos ad cogitandum de ea re, a qua finaliter tota vis et efficacia nostri schematis pendet. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] eis. [3] in sect. II partis II. [4] quae practice nonnisi de iusto salario agebat et sic debile echo Marx erat. Sed.

[5] Eodem modo, legenti quae in schemate dicuntur de charactere evolutivo ordinis socialis, de technica et mediis communicationis, de emancipatione populorum a colonialismo, de valore humano sexualitatis et de his similibus, miratio oritur. [6] em.mus. [7] Quod si fecisset, non suscitasset tantum odium sequacium horum quos nominavi. [8] Non oportet repetere quae praeclarissime dixit, in ultima congregatione, exc.mus Elchinger, de primatu libertatis et conscientiae, de sensu communitatis et his similibus in Ecclesia restaurandis. Horum defectus certe magnum pondus inertiae constituit. Aliae autem causae inveniri poterunt cur Ecclesia se tam lente mundo sui temporis adaptet. Sinatis me quasdam vestro iudicio proponere. Neminem offendere volo: de personis non ago, sed tantum de structuris. [9] deest. [10] immo quasi automatica promotio. [11] consultorum et. [12] Qui vero sub hoc angulo res considerat, etsi multas informationes recipit, non facile sensum rerum percipit, nam solet nimis sollicitus esse de immediata reactione opponenda. [13] Hic in Urbe accumulatio tot millium sacerdotum, seminaristarum, religiosorum et religiosarum, quae mundum constituunt artificialem et in se clausum. [14] Causa quaedam ordinis doctrinalis recensenda est. Abundant in scriptura, in liturgia et in traditione spirituali textus qui immutabilitatem Dei et eorum quae ab ipso procedunt opponunt rerum variabilitati, quae magis secundum philosophiam platonicam quam secundum sensum Scripturae, velut vitium habetur. Haec si non rite intelliguntur, videntur immobilismum quasi consecrare; et sic fit ut immutabilitas quae de solis fundamentalibus datis revelationis valet, extenditur ad alias res magis periphericas in religione, sicut declarationes occasionales magisterii, systemata theologica et iuridica, immo ad res quae cum revelatione vix connexa sunt, sicut ordo politicus et socialis. [15] denique quae. [16] coram nos genuflectere debent ad anulum nostrum osculandum? Nonne haec omnia nos artificialiter, et non in Evangelium, ab hominibus secernunt? [17] in qua participantes, vestibus caeremonialibus induti, per menses audiunt.

Moderator: Exc.mus D. secretarius generalis proponit ultimam suffragationem huius diei.

Secretarius generalis: Suffragatio 327, quae est ultima etiam circa schema *de apostolatu laicorum*. Est super integro capite modo lecto, nempe VI: *de formatione ad apostolatum*.

Porro, Patres venerabiles, *placet*ne vobis hoc caput, *non placet* an *placet iuxta modum?*

8

EXC.MUS P. D. NICOLAUS ELKO
Episcopus Pittsburgensis Ruthenorum

Venerabiles Patres omnesque praesentes,

Mea interventio brevis erit cum unum tantum intendam tangere punctum, *nempe materialismum dialecticum.*[1]

Hic attenditote quaeso ad cap. I, nn. 11, 12, 13, 14, 15 et praesertim 19 Partis I ubi de dignitate personae humanae eiusque sequelis fusiore agitur calamo, non suaviter sed determinato sensu, ut Militans-Oppositio, fortiter declaranda est.

Generaliter[2] loquendo, materialismus dialecticus hodie ad instar draconis apocalyptici mundum invadit; invadit *mundum*[3] cum proposito destruendi ordinem naturae in territoriis iam ab eodem subiugatis, necnon cum intentione totum orbem terrarum occupandi. Hoc sane phaenomenon attentionem huius Concilii Oecumenici, vix censendum est effugere posse, non solum quia illud est nostrae aetatis modernae signum quoddam vere peculiare, sed etiam quia idem tamquam causa extrinseca hodiernae ruinae socialis nuncupetur oportet.

Perlectis dictis paginis constitutionis pastoralis cui nomen est *de Ecclesia in mundo huius temporis,* reor sincerrime materialismum dialecticum *vel atheismum*[4] non satis expresse debitam condemnationem obtinuisse. Ideo propono ut inter falsas doctrinas contra personae humanae dignitatem, materialismus dialecticus expressis verbis nominetur tamquam pestis actualis, *pestis actualis*[5] hodiernae societatis humanae.

Mea propositio sequentibus fulcitur rationibus. Ne videamur tale factum omnibus notum, nempe existentiam materialismi dialectici, ut ita dicam « inadvertenter » praeterire.

Ne mundus nos postea — *post Concilium*[6] — accuset de metu ac certa quadam pusillanimitate, si indirecte — *indirecte*[7] — tantum, de materialismo dialectico tractaverimus.

Venerabiles Patres,[8] vox tamen unius Summi Pontificis apud asseclas atheismi est vox unius hominis, cui illi statim verba et modum agendi alterius Summi Pontificis artificiose opponunt, ut credentes confundantur et in errorem inducantur.

Dum e contra vox Concilii, vox omnium episcoporum et quodammodo totius mundi est et ubique terrarum audietur, quod asseclae atheismi valde timent et *valde*[9] abhorrent.

Omnes etiam christifideles in toto orbe terrarum verba clara et man-

data iusta de hoc problemate ab hac Synodo celebri exspectant — non solum *exspectant* [10] mandata sed quoque *exspectant* [11] recommendata remedia efficacia.

Denique remedia efficacia ad periculum tam grave sanandum proponi debent ...[12]:

1. Errores et omissiones christianorum corrigantur, si dantur.
2. Oportet cognoscere problema atheismi, *debemus cognoscere* [13] *inimicum Dei.*
3. Iustitia socialis strenuo et sine timore exaggerationis defendi debet.
4. Materialismo practico plurimorum et theoretico atheismi amorem paupertatis et valorem ordinis supernaturalis monstrare oportet.
5. Educatio de atheismo in scholis et in familia obligatoria.
6. *Debemus habere libros speciales, aptos et profundos.*[14]
7. Seminaria ubi sacerdotes et missionarii « ad hoc » instruantur.
8. Apostolis laicis modo speciali instructis opus est.

Et ultimum [15]: Exemplum vitae christianae, praecipue donum caritatis et signum unitatis.

Hoc propono ut specifice — fortiter, formaliter — praesentatur ut omnes cognoscant verba Christi: *Portae inferi — vel armada antichristi — contra Christi Ecclesiam non praevalebunt.* Gratias!

In textu scripto tradito: [1] materialismum quippe dialecticum vel atheismum. [2] Generalis. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] Remedia ista enumerantur. [13] cognoscere profundius. [14] Libri speciales et apti et profundi. [15] 9.

9

Rev.mus P. D. PETRUS ARRUPE
Praepositus generalis Societatis Iesu

Venerabiles Patres,

Schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* laudabiliter solutiones problematibus hodiernis offerre intendit, sed timeo ne tales solutiones et in specie ea quae in n. 19 de atheismo dicuntur — certo certius praeter intentionem redactorum — adhuc nimis in plano intellectuali permaneant. Hoc esset in nostro frequenti defectu persistere: Ecclesia enim habet veritatem, principia, argumenta. At numquid haec omnia mundo tradit modo vere efficaci? Haec est quaestio.

Inadaequatio inter ea quae Ecclesia habet et ea quae mundo tradit evidentior facta est in mundo hodierno, qui a Deo praescindit, immo qui saepe ideam Dei destruere conatur. Haec mentalitas et cultura practice athea, non solum — sicut civitas illa sensu augustiniano — quasi ab extra, contra civitatem Dei militat, verum etiam saepta civitatis Dei pervadit et penetrat animosque ipsorum credentium (immo religiosorum et sacerdotum) modo subreptitio suo veneno attingit, quod tamquam fructus intra Ecclesiam habet: naturalismum, diffidentiam, rebellionem ...

Nova societas athea, per sua membra maxime conscia, modo efficacissimo laborat; adhibet media scientifica et technica, socialia et oeconomica; sequitur strategiam perfecte elaboratam; dominium fere absolutum exercet in organizationibus internationalibus, in societatibus finantiariis, in mediis communicationis socialis, televisivis, cinematographicis, radiophonicis, in ephemeridibus, *et ceteris*.[1]

Coram hac societate sistit Ecclesia ingentibus thesauris spiritus et veritatis ornata. At vero Ecclesia media vere efficacia tradendi tales thesauros hominibus nostrorum temporum, nondum invenisse dicenda est. Statisticae clare loquuntur: anno 1961 catholici erant in mundo 18 pro centum, hodie 16 pro centum; proportio ergo sensibiliter minuitur.

Post duo milia annorum solum parvam partem constituimus et in illa parva parte quidnam est revera catholicum? Sine dubio multa sunt bona in hoc pusillo grege: viri magni valoris et opera optime instructa. Sed si mundus consideratur in sua totalitate, influxus noster non est qualis esse deberet. Nam conamina nostra, debito suo influxu, magna ex parte, privantur propter dispersionem qua saepe laboramus.

Hae considerationes non debent pessimismum in nobis gignere. In mundo enim pressuram habebimus atque mysterium iniquitatis profectui Ecclesiae sese opponit. Ecclesiae augmentum diiudicari non potest criteriis mere humanis; nec tandem oblivisci debemus quod, dum alii methodos quasdam adhibere solent quae efficaces in mundo sunt sed cum Evangelio non cohaerent, nos praedicare debemus Christum, et ipsum crucifixum.

His prae oculis clare positis, gravis tamen obligatio nos urget examini subiciendi nostras methodos pastorales, praesertim quoad grave problema atheismi. In hoc problemate spontanee tendimus ad solutionem intellectualem ei dandam: ad refutandum, probandum, docendum, defendendum. Hoc utique pretiosum et essentiale est, sed prorsus insufficiens. Debemus non tantum veritatem sed etiam vitam communicare: potius quam defendere debemus creare; potius quam exponere debemus movere; potius quam veritatem contemplari, illam debemus ad effectum deducere ...[2]

Transitus a doctrina ad exsecutionem est certo difficilis propter constantem et celerem mutationem situationis concretae; ideo saepe inconscie hanc difficultatem effugimus et refugium quaerimus in veritate abstracta, omnino permanente et stabili, at simul minus efficaci in ordine solutionis.

Atheismus non est problema exclusive vel primarie philosophicum; propterea ultra refutationes ordinis intellectualis, maxime urget instituere ordinem individualem (i. e. individui ad Deum), familiarem (seu familiae ad Deum), communitarium (seu societatis ad Deum), in quo relationes mutuae nullo atheismo laborent. Haec omnia valent non solum de atheismo militante, aggressivo, verum etiam de illo mere practico sed structurali et vitali.

Quia vero facilius homo (et societas) Deum invenit per actus sociales, qui actuationem voluntatis includunt, quam per actus mere contemplativos, qui veritatem percipiunt et reflectunt, urget, coram communitate sine Deo, construere communitatem Dei, communitatem *christianorum*.[3]

Via radicalis pro sanatione radicali malorum, quae hodie ab atheismo et naturalismo derivant, est constructio societatis christianae, non separatae vel in quodam sic dicto « ghetto » constitutae sed in medio mundi; quae societas in omnibus imbuatur et animetur spiritu christiano communitario. Hanc atmosphaeram quasi respirando homo hodiernus facilius christianus fiet vel saltem homo religiosus. Sine tale atmosphaera quosdam paucos homines faciemus christianos, sed illos facile perdemus in mundo qui christianus non est, immo nec religiosus.

Ut hanc atmosphaeram creemus, necessarium est determinare quaenam sint eius fundamenta concreta et quaenam methodus laboris. Quod exigit, procul dubio, ut structurae sociales reformentur. Debemus ingredi ipsas structuras societatis humanae ut illas modificemus et ipsam vitam socialem, oeconomicam, politicam valoribus christianis imbuamus ...[4]

Res omnino urget; non possumus ulterius immorari: est tempus actionis.

Quid ergo nobis agendum est? — *Et hoc proponam ad schema.*[5] — Ut haec efficaciter fiant, humillime propositum quoddam concretum vobis, venerabiles Patres, aperire velim:

1. Fiat ab optimis specialistis et a viris vere in re peritis concreta, technica et exacta investigatio de actuali statu mundi, ne mero opportunismo momenti praesentis inspiremur et sic vires plures pessumdentur atque consilia nostra iterum iterumque mutare debeamus.

2. Determinentur lineae fundamentales actionis mundialis complexivae, sufficienter amplae ut concretis circumstantiis uniuscuiusque regionis aptari possint atque Summo Pontifici submittantur.

3. Ipse Summus Pontifex pro munere suo et pro cura erga universam Ecclesiam diversos campos singulis assignabit, ita ut integer populus Dei sub ductu pastorum, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, iunctis viribus huic incepto sese dedicet. Tunc omnes nullo excepto, spiritu oboedientiae ac caritatis communitariae animati et uniti, modo ordinato ad laborem procedamus. Hoc exigit plura sacrificia quia secumfert victoriam omnis egoismi, individualis et collectivi, et, ut ita dicam, postulat mortem mysticam collectivam: sacrificium omnis particularismi dioecesani, proprii Instituti religiosi, proprii status socialis. Omnia haec moriantur oportet ut Christus triumphet in mundo, sicut granum frumenti mori debet ut fructum afferat.

4. Invitemus omnes homines qui in Deum credunt ad hunc communem laborem ut Deus sit Dominus societatis humanae. Nonne haec collaboratio in his quae communia sunt omnibus in Deum credentibus, viam efficaciter sternet ad ulteriorem et profundiorem unionem in primis inter eos qui nomine christiano gloriantur?

Per modum conclusionis sequentia dicam: Pons per quem a veritate ad vitam transibimus hic est: 1. investigatio et reflexio technica, per fidem illuminata in vim orationis; 2. oboedientia absoluta Summo Pontifici; 3. fraterna caritas communitaria, quae nos omnes facit fratres adlaborantes in Christo unitos.

Haec omnia facere possumus, illa facere necesse est. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] En verba aliqua Ioannis XXIII quae ad hoc directe faciunt: « Attamen hodie, si unquam alias, necesse est, eiusmodi praecepta non solum cognita perspectaque habeantur, sed etiam ad effectum adducantur iis rationibus et modis, quae varius temporum locorumque status aut ferat aut exigat. Quod arduum quidem sed excelsum est munus; ad quod obeundum non solum Fratres filiosque nostros, qui ubique sunt, hortamur, sed etiam egregie cordatos homines universos ». Hucusque verba ex Litt. Enc. *Mater et Magistra* (*A.A.S.*, 53 [1961], p. 453). [3] christianam. [4] « Satis non est Filios nostros — aiebat Ioannes XXIII — caelesti fidei lumine frui atque boni provehendi ardore permoveri; quin etiam requiritur ut ipsius civilis cultus institutis se interserant efficacique actione eadem intus attingant » (ex Litt. Enc. *Pacem in terris*, *A.A.S.*, 55 [1963], p. 296). [5] deest.

10

Exc.mus P. D. AEMILIUS MAURITIUS GUERRY
Archiepiscopus Cameracensis

Venerabiles Fratres,

Paucis diebus post tertiam sessionem nostram, advenit res maximi momenti ad pacem in mundo componendam, scil. imploratio ex Bombay, die 4 decembris, ad universum mundum a SS.mo D.no Papa Paulo VI directa, ut « cursum ad arma » denuntiet, et nationum rectoribus solutionem pro pace proponat, definitam, concretam et immediatam, scil. quod, parcendo progressive militaribus expensis, mundialis pecuniae thesaurus creetur ut nationibus tertii mundi fraternum adiumentum efficaciter offeratur. Omnino necessarium est ut illud nobile propositum clarissime in schemate appareat. Attamen nulla mentio explicita fit. Solummodo parvula indicatio in notis, pag. 81, nota tertia. Atqui, in textu *ipso,*[1] non est aliqua nota tertia! Evidenter error typographicus! *Attamen silentium hoc est grave.*[2]

I. *Vox populorum et publicae conscientiae coram mortiferis minis.* Sanctissimus Pontifex cum angore gementes evocavit, qui omnes ad pacem adspirant, bellum horrent, vivunt tamen sub constanti minatione novi belli, quod hac vice in summum periculum addiceret civilizationem ipsamque humanitatis existentiam. Ceterum Papa se proposuit, in pluribus aliis circumstantiis, ut publicae conscientiae interpretem et prophetam ad intercedendum adversus vastationes quas cursus ad arma in populorum vitam inducit. Sanctitas Sua in Bombay declarat — *cito*[3]: « Cursus iste immanes vires tractat consumitque tam hominum quam opum ... »; *et etiam*[4]: « psychosiam nutrit vis et belli ... »; *et etiam*[5]: « ducit ad condendam pacem super inhumanum diffidentiae et reciproci metus fundamentum ».

II. *Sapientiae rationisque solutio.* Imploratio ex Bombay directa non solum malum eiusque causas discernit: positivam solutionem affert. Hic Papae interventus eo magis necessarius est quo comperitur cum dolore quasi tragica impotentia in qua iactantur principes ad furialem cyclum sistendum qui alias post alias nationes trahit, licet invitas, ad arma excogitanda et fabricanda quae sunt magis ac magis multa, permagni pretii, magis ac magis mortifera. Unusquisque ius invocat inculpatae tutelae; creare putant, ut dicitur, « dissuasionis vim »; omnes possidere volunt quod signum potentiae factum est.

Adversus hunc insensatum cursum, Papa quem nulla politica studia constringunt, qui alienus manet territorialibus querelis, et qui nihil vult aliud nisi commune bonum universale, vocem emisit rationis et sapientiae, solutionem concretam proponens.

III. *Postulationes iustitiae et fraterni amoris.* Cursus ad arma adhuc valde scandalosam disparitatem aggravat ...

Moderator: Exc.me Domine, advertas nos tractare in hoc momento primam partem schematis, non secundam!

Orator: Potest esse etiam in prima ...

Postulationes iustitiae et fraterni amoris. Cursus ad arma adhuc valde scandalosam disparitatem aggravat inter divites populos et alios qui auctu indigent, scil. quoad vitam, famem, morbos, incrementi possibilitatem oeconomici et socialis.

Cursus ad arma uniuscuiusque nationis oeconomicae valde gravia sacrificia imponit, quae reipublicae gubernatores cogunt ut sumptus minuant ad struenda domos, scholas, valetudinaria, laboratoria; breviter loquendo, ad aedificanda omnia pacis opera quae necessaria sint ad civium bonum, ut populorum vitae media augeantur.

Qua de causa, propositio in Bombay facta, iustitiae et fraterni amoris postulationibus respondet ita ut faveat, sicut dixit Papa, « iis qui patiuntur et urgens substantialeque adiumentum exspectant » ...[6]

Votum. Quanto extraordinario repercussu in mundum, quanta fama gauderet, quod unanimi actu totius conciliaris conventus, assentiremur omnes propositioni ex Bombay directae, voto scil. quo nationes obsecremus ut propositionis Summi Pontificis rationem habeant et teneant.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] IV. Signa pacificae voluntatis. Quamdiu internationales organisationes in capite auctoritatem publicam non habebunt, cui praebeantur efficacia media, ut conflictus praeveniant et solvant, quodam progressu substituendo vi materiali et violentiae inter populos, mutuae comprehensionis formam et sincerae cooperationis, diversi status existimant necessario cogi, ut se defendant, ad hoc quod vocatur « loi de la jungle », quae secum trahit quod fabricentur et disseminentur nuclearia arma et alia belli moderni media. Porro multi sunt inter hos status qui pacem vellent. Summi igitur momenti est eorum pacis voluntatem discernere posse, signis quae cuiusvis generis dubium excludant. Pulchra enim verba iam non sufficiunt. Propositio ex Bombay directa plura signa affert: ex una parte, negative, se abstinere ab omni verbo aut actu qui creare aut sustinere possit « vim et belli psychosim » ... « inhumanum diffidentiae et reciproci metus fundamen-

tum » ...; ex altera parte, positive, quod liberaliter diversi status pro sua quisque parte conferant ad praedictum internationalis pecuniae thesaurum, indubitandum signum erit eorum pacis voluntatis: simulque eos annumerabit inter humanitatis benefactores.

Animadversiones additae:

Attentionem redactorum cap. I (I partis schematis XIII) vertere vellem ad condicionem eorum qui nubere vel renuerunt, vel nequiverunt. In patria mea, exstant 2 milliones adultarum mulierum innuptarum vel viduarum. Numerus virorum solitariorum, etsi minor, ingens tamen, variis pro causis, invenitur. Solitudo autem hominibus non convenit et eos debilitat, dicente Philosopho hominem solitarium, aut bestiam esse, aut deum ... Videtur ergo tam foecundae caritati christianae officium incumbere vias ac formas invenire, quibus talis solitudinis amaritudo quodammodo allevietur. Revera, adsunt quidam conatus et institutiones huic malo obviare satagentes. Optandum tamen esset ut in schemate XIII quid dicatur de condicione solitarie viventium, de officio, quod omnibus incumbit, eos reminiscendi, de eis cogitandi, pro eis aliquid faciendi, forsitan addendo pauca verba de mediis ad hoc adhibendis, cum laude eorum qui iam hanc viam ingressi sunt.

11

Exc.mus P. D. ANTONIUS PILDÁIN Y ZAPIÁIN
Episcopus Canariensis

Venerabiles Patres,

Gratulanda revera commissio est, quia, quantumvis, non integrum caput, saltem duos numeros huius magni schematis dedicavit rei, quae, secundum Sanctissimum Papam nostrum, in prima sua Encyclica, « gravissima est earum quae nostris contingunt temporibus ».

Gravissima proinde, inter omnes quae tractari possunt in hoc Oecumenico Concilio. De atheismo loquor, ut videtis, et ego.

Mirandum sane fuisset, immo et scandalosum futuris generationibus, quod de ipso tacuisset hoc nostrum Concilium, coadunatum in hoc saec. xx, cuius teterrimum signum characteristicum, non est negatio unius alteriusve dogmatis, sed est negatio, effrens negatio ipsius Dei, hoc est atheismus, et talis atheismus, qualis numquam usquam legimus accidisse, ut *dicebat* [1] insignis Papa Pius XI.

Quidquid igitur nos, Patres conciliares, contra ipsum peragamus, « flagranti, nec unquam deponendo amore impulsi », ut verbis utar Summi Pontificis nostri in citata Encyclica, numquam nimium erit.

Liceat ergo et mihi, huic tanto operi, meam parvulam arenulam apponere, innuendo, simplici et pastorali modo, tria praecipua media, et tria propitiora rerum adiuncta, quae viam et solum praeparant atheismo, ad sese stirpescendum et expandendum.

Primum medium est pseudoscientia, seu quae in schemate appellantur « pseudo-argumenta ex scientiis deprompta, ad fidem in Deum e corde multitudinis exstirpandam ».

Mirandum sane, quod argumenta contra Deum depromere conetur, in hoc nostro saeculo, in quo novae quotidianae in scientiis pervestigationes, novis et fulgurantibus argumentis, existentiam et sapientiam Dei splendide demonstrant, adeo ut numquam prouti nunc splendidiora evenerint illa S. Pauli verba: « Invisibilia Dei a creatura mundi, per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur ».

Sed quoniam, his omnibus non obstantibus, de facto tamen atheismus argumentis pseudoscientificis utitur, quibus plures sibi homines adscribit, ego humiliter ab hac Sacra Synodo petere auderem, ut totis viribus in hoc campo ageret, non tam labore negativo et condemnatorio, quam positivo et constructivo, ita ut — concedatis mihi, quaeso, hoc somnium meum pandere — sicut Concilium Tridentinum praeclarus fons exstitit Seminariorum, ita Concilium hoc Vaticanum, origo gloriosa sit Universitatum, et Lycaeorum, omnisque generis scholarum, in universa terra percrebrescentium, in quibus Deus Scientiarum Dominus, sub splendida luce ipsarum, ab omnibus hominibus agnoscatur, sicut et mirabilia eius Sapientiae opera quae homines, intelligentia ab ipso Deo praediti, nonnisi a longe, cum omnibus suis adinventionibus technicis, de quibus tantum gloriantur, nonnisi a longe imitari possunt.

Et concedatis mihi — *humiliter quaeso* [2] — ut, de hac re *agenti* [3], evocem, in hac sollemnissima aula, memoriam illius exemplaris sacerdotis et eminentissimi, inter eminentissimos huius nostrae aetatis paedagogos, Andream Manjón, qui auctor fuit admirabilis illius methodi paedagogicae, quae, ex discentia et cognitione cuiuslibet scientiae profanae, mentes alumnorum, naturaliter, ascendere facit ad Deum scientiarum Dominum.

Secundum medium, seu, si vultis, secunda adiuncta, favorabilia prorsus, quibus atheismus proficit ad sese expandendum, sunt — *ut dicebat Pius XI* [4] — *inopia et miseria populorum.*

Populorum, qui, ignorantes doctrinam Ecclesiae docentis Deum terram, cum omnibus quae in ea continentur, ad utilitatem omnium hominum destinasse; omnibus hominibus ius strictum competere habendi partem bonorum sibi, suisque familiis sufficientem, adeo ut, qui in miseria inveniuntur, ius habeant sibi ex aliorum divitiis necessaria procurandi, haec omnia ignorantes, simulque videntes et patientes iniustissimam hodiernam bonorum distributionem, in Deum, horrendo impetu, et atrocibus blasphemiis invehuntur ut in causam tantorum malorum,

ipsam Eiusdem iustitiam, immo et existentiam negantes, innumerosque alios, in hoc horrendum, adversus Deum, bellum, trahentes ... non intelligentes causam huius iniustissimae distributionis *hodiernae bonorum, in mundo,*[5] non esse Deum, sed asseclas, sectatores et fautores *Capitalismi Liberalis,* qui, mandata Dei pro iustitia et caritate impie conculcantes, profundiores de die in diem, effodiunt abyssos, tum inter diversas nationes, quam inter homines unius eiusdemque nationis, quorum, dum aliqui carent vel minimis ad vitam hominis dignam necessariis, alii, absque ulla moderatione — *ut dicebat Pius XI* — voluptatibus indulgent, et in res prorsus inutiles, immo et nocivas, ingentes sumptus impendunt.

Opportunissimum igitur mihi videretur ut Ecclesia, in mundo huius temporis, hunc Capitalismum Liberalem, sollemniter reprobaret et condemnaret, simul autem, ut vexillum suae doctrinae extollens « slogam » illud egregii illius arch. Parisiensis, card. Suhard: « Nemo proletarius, sed omnes proprietarii »; vexillum sub quo, absque dubio, sese subscriberent, quamplurimi eorum qui, hodie, in associationibus atheisticis, militant, credentes se ita pro victu et cultu proprio laborare.

Tertium et aptissimum atheismi medium et solum praeparatum est *luxuria.*

Sufficiat meminisse illum Sancti Thomae articulum, qui, inter filias luxuriae, collocat « Odium Dei ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] affirmavit. [2] deest. [3] agens. [4] deest. [5] bonorum, in mundo hodierno.

Animadversiones additae:

1. Gratulanda revera commissio quia, si non integrum caput, duos saltem numeros dicavit ad problema gravissimum et transcendentalissimum, inter graviora et transcendentaliora problemata, quae agitantur in hoc mundo hodierno.

Loquor, ut videtis, de atheismo, effronte contra Deum sese extollente.

2. In hac enim pugna — ut dicebat insignis Pontifex Pius XI — disceptatur de maximo, quod humanae libertati ineundum, proponi possit consilio: aut pro Deo, aut contra Deum, en rursus deliberatio, in qua universi orbis sortes continentur; in quavis enim re politica et oeconomica, morali et disciplinari, domestica et civili, in Oriente et Occidente, ubique haec deliberatio occurrit cuius consectaria summum prorsus habent momentum.

3. Mirandum sane et prorsus inexplicabile foret saeculis futuris quod haec Sacra Synodus de illo taceret.

Quis scit, si praecise Deus, in sua Providentia, ad tantum et tale problema prae omnibus aliis tractandum, coadunari voluit hoc nostrum Concilium, in medio huius nostri saeculi vicesimi?

4. Signum enim teterrimum, et peculiare characteristicum huius saeculi non est negatio unius aut alterius dogmatis, neque ipsius revelationis, sed est negatio, effrens negatio ipsius Dei, hoc est, atheismus et talis atheismus qualis numquam usquam legimus accidisse, ut dicebat nuper laudatus Romanus Pontifex.

5. Tria vero sunt praecipue media quae adhibet, vel quibus proficitur horrendum hoc systema ad suum imperium ubique terrarum stabiliendum, etiam in illis nationibus in quibus communismus adhuc non est politice institutus.

6. Primum est pseudoscientia. Uti enim solerter animadvertit schema: in capite primo « De humanae personae vocatione » n. 19: « Atheismus ille ad fidem in Deum e corde multitudinis exstirpandam, pseudo-argumenta ex scientiis affert, argumenta ex scientiis praecise in hoc saeculo nostro, in quo novae quotidianae in scientiis adinventiones existentiam et sapientiam Dei, novis fulgurantibus argumentis, splendide demonstrant ».

7. Sed quoniam, his omnibus non obstantibus, de facto tamen, atheismus talibus argumentis pseudo-scientificis, crescentem in dies numerum hominum sibi adscribit, ipsos a fide in Deum detrahendo, ego humiliter ab hac Sacra Synodo petere auderem, ut totis viribus adversus atheismum, in hoc praecipue campo, ageret, non tam labore negativo et condemnatorio, quam positivo et constructivo, ita ut — concedatis mihi quaero hoc somnium meum pandere — sicut Concilium Tridentinum praeclarus fons exstitit seminariorum in quo clerici efformarentur, ita et Concilium hoc Vaticanum II, origo gloriosa sit Universitatum et Lycaeorum, et Academiarum, omnisque generis scholarum et societatum pro Deo, in universo Orbe institutorum et percrebrescentium, in quibus Deus scientiarum Dominus, sub splendida luce ipsarum, ab omnibus hominibus agnoscatur, simul autem, et absque ulla cunctatione, iubendo ut in omnibus scholis catholicis, cuiuscumque gradus, incipiendo, prouti aequum est, a seminariis, ut liber textus imponatur et explicetur alumnis, aliquis ex his qui signanter ex hodiernis adinventionibus scientificis, sive astronomicis, sive physicis, sive biologicis, etc., splendida sub luce exhibent tam inexpugnabilem Dei existentiam quam admirabilissimam ipsius scientiam.

Ego — ignoscite mihi hanc confidentiam — unum ex his libris ut textum in meo seminario habeo, et, experientia teste loquor de ipsius mirandis fructibus.

8. Secundum medium quo atheismus utitur aut saltem proficetur ad sese per totum fere orbem terrarum expandendum, est inopia et miseria populorum.

Duces enim et propagatores eius, hodiernam rerum inopiam in suam rem derivantes, toti in eo sunt ut Deum religionemque apud plebem, tamquam tantorum malorum causam criminantur (Pius XI).

Et quod maxime dolendum est, homines paene infiniti, rati et pro victu et cultu laborare, huiusmodi commentis adhaerentes, in Deum religionemque toto animo et horrendis conviciis criminantur (Pius XI).

9. Sed quinam sunt efficacissimi, quamvis inconscientes, horum ducum et propagatorum efficacissimi fautores?

Frequentissimum sane est ut quoties de fautoribus atheismi agitur, omnes oculos suos iniciant in communistas tantum, non attendentes quod, saepe saepius, in nationibus adhuc non communistis, efficaciores factores atheismi communistarum, ipsique regiam viam aperientes, sunt asseclae Capitalismi liberalis, qui leges iustitiae et caritatis conculcantes, locum dant, ut maior et profundior in dies abyssus aperiatur inter immensam ingentium turbam, qui summa egestate opprimuntur ex una parte, et ex altera, tot homines adsunt, qui absque ulla moderatione volup-

tatibus indulgent, et in res prorsus inutiles, immo et nocivas, ingentes sumptus impendunt.

10. Et quod magis adhuc est dolendum, inter huiusmodi capitalismi liberalis asseclas et atheismi fautores, inveniuntur non pauci, qui, cum catholicos se profiteantur, immemores iustitiae et caritatis christianae, quod suum est cuique non reddunt, et operarios vexare non verentur; et sic Deum, quem tales invocant, et religionem quam profitentur, ab operariis considerantur velamina et phantasmata, quibus illi iniustitias suas obnubilare immo et iustificare contendunt.

11. Necessarium igitur omnino mihi videtur ut Ecclesia in mundo huius temporis hoc capitalismum liberale impense improbet et sollemniter iubeat non tantum ut talis capitalismi asseclae peculiaribus honoribus — ut non semel accidit — non honorentur, sed potius ut publici peccatores habeantur, et poenae a Codice Iuris Canonici talibus peccatoribus consignatae, inflexibiliter ipsis applicentur, non obstantibus quibuscumque, sive ipsorum, sive suorum familiarium, donationibus.

12. Tertium et non minimum atheismi medium et campus proprius est luxuria.

Sufficiat meminisse illud articulum Sancti Thomae qui inter filias luxuriae collocat « odium Dei ».

Quidquid ergo adversus luxuriam haec sacra Synodus peragat, opportunissimum erit ut credentes ad atheismum debellandum inflammentur, atheos tamen ipsos non odio habentes, sed amantes.

Bene perspectum igitur habeant omnes, maximeque populorum rectores, quod in mundo huius temporis, quem luxuria, ut regina, immo prout dea, triumphans peragrat, luxuriae quomodocumque favere, idem est ac contra Deum agere; dum, e contrario, luxuriam coarctare est contra atheismum bellare.

13. Demum, nec supervacaneum fore mihi videtur ut alter integer numerus schematis ageret de atheismo practico, quamplurimos orbis populos, et longe maiorem partem librorum qui in ipsis leguntur pervadente, de quo adeo dolenter conquerebatur egregius ille archiepiscopus parisiensis card. Suhard, qui hunc atheismum denominabat universalem absentiam Dei.

Absentia Dei ab universitatibus; absentia Dei a legibus; absentia Dei a societatibus; absentia Dei a familiis, a moribus, a cordibus, quae facit ut innumerabiles homines, etiam inter baptizatos, vitam peragant atheorum vitae omnino analogam.

Huius enim tristissimi atheismi exitiales consequentias, nullus fere erit pastor animarum qui non manibus tangat et amarissime non lugeat.

* * *

Vere laude dignum mihi videtur quod in n. 54 schematis proponitur, videlicet, quod munus quod Romano Pontifici et episcopis traditum fuit, praedicandi cum auctoritate nuntium Christi, ita praestare debent, ut eodem nuntio imbuatur vita « concreta » (ita signanter omnino) fidelium.

Omnes enim experientia teste scimus, quid hac in re, nobis episcopis accidere soleat.

Si episcopus sese constringat ad munus suum praedicandi nuntium Christi in abstracto, i. e. absque applicationibus concretis, vel cum applicationibus concretis

tantummodo ad Arianos, ad Manichaeos, aut ad circumcelliones, omnia quiete et tranquille procedunt.

Sed eo ipso quod episcopus, sive sermonibus, sive litteris pastoralibus nuntium Christi praedicat, applicando ipsum ad quaestiones modernas concretas, et ad homines huius temporis, tunc statim oriuntur surdae obmurmurationes, immo et apertae protestationes dicentium haec extra potestatem pastorum Ecclesiae inveniri.

Hi tales de factione illorum sunt qui, nostris praesertim diebus, potestatem episcoporum (Romano Pontifice haud excepto) prout ipsi pastores sunt gregis sibi concrediti cohibere praesumunt, eam ad res stricte religiosas, absque applicationibus ad quaestiones practicas hodiernas, circumscribendo.

Oportet ergo ut Sacrosanctum hoc Concilium aperte consignaret munus quod Pastoribus Ecclesiae — atque proinde singulis episcopis pro sua dioecesi — competit praedicandi cum auctoritate nuntium Christi, complectere non tantum « res stricte religiosas » ut loqui solent, sed totam quantam legis naturalis materiam, eiusque interpretationem et applicationem concretam quatenus moralis earum ratio attenditur.

Hinc episcoporum facultas applicandi concreto modo — utique modesto — doctrinam moralem naturalem et evangelicam in quaestionibus quae praesertim nostris temporibus tantopere agitantur et sophisticantur.

Hinc quoque singulorum episcoporum facultas docendi ea quae ad causam socialem spectant, planeque exponendi integram doctrinam socialem catholicam, maxime in iis quae spectant ad plenam Redemptionem proletariorum a Romanis Pontificibus tamdiu desideratam.

Hinc etiam singulorum episcoporum potestas tractandi, non unam tantum, sed plures etiam, easque gravissimas quaestiones, sive mere sociales, sive morales-politicas, ordinem tamen ethicum et conscientiae tangentes, ut ea quae sunt de obligationibus, sed etiam de iuribus: de iuribus omnium hominum et populorum, et maxime illorum qui iniuste vexantur.

Hinc demum et praestantissime in omnibus rebus in quibus Ecclesiae educandi munus versatur, prout egregie exponit Papa Pius XI, in sua Encyclica *Divini illius Magistri.*

In illis vero quae prius exposuimus, maxime prae oculis habendae duae illae magnificae allocutiones ad episcopos habitae a Papa Pio XII *Si diligis* nempe et *Magnificate Dominum* ex qua praecipue deprompsimus quae supra diximus.

* * *

Ad n. 15 aut ad n. 22.

1. In pulcherrimo hoc et laudabilissimo schemate, aliqua, ni fallor, desunt capita ut sit undequaque perfectum.

Et, inter ea, unum, haud quidem praetereundum, « De libertate a peccato ». Aut saltem hic n. 22 magis explicatus.

2. Nam si quod est officium Ecclesiae proprium, in eo est ut mundo reddat libertatem illam praestantissimam inter omnes libertates, libertatem quam Christus et Apostoli eorumque successores supra omnes alias libertates et contra non paucas pseudo-libertates semper praedicaverunt, libertatem videlicet qua Dominus nos liberavit, libertatem nempe a peccato, et a servitute peccati, quod est unicum incompossibile cum vita supernaturali et gloria aeterna.

3. Et eo magis in mundo huius temporis in quo, prouti asserebat egregius Pius XII in eloquentissimo illo sermone ad fideles Romae et totius mundi habito, maremagnum peccatorum, omnis generis quae tam privatim quam publice patrantur, submergere minatur mundum in luto, ab ipso imaginem Dei tollere et subvertere vel ipsas moralitatis normas.

4. Memorate — aiebat — numerum, gravitatem, frequentiam peccatorum in hoc mundo.

Ponderate innumera peccata occulta et publica; peccata adversus Deum et Ecclesiam; peccata hominum contra homines in sua anima et in suo corpore; peccata adversus proximos, speciatim adversus humiliores et indefensos; peccata adversus familiam et societatem. Peccata quorum aliqua adeo sunt crudelia et inaudita ut nova vocabula necesse sit invenire ad ipsa describenda.

5. Sub penetrante luce fidei comparata hunc immensum ignominiarum et dedecorum cumulum cum splendente Dei sanctitate, et cum fine propter quem creatus fuit homo, cum rationibus exemplaribus propter quas sustulit passionem et mortem mundi Redemptor, et, post haec, dicite si Iustitia divina possit iam per amplius tempus tolerare talem deformationem suae imaginis, talem donorum suorum abusum, talem suae voluntatis despectum, et super omnia, tam infamem derisionem innocentis sanguinis proprii Filii sui.

6. Et sane, venerabiles Patres, advenisse iam videntur tempora illa quae praenuntiabat S. Paulus in ultima suarum epistolarum, dicens quod erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, sine affectione, sine pace, proditores, protervi, timidi, voluptatum amatores magis quam Dei.

Cum his circumstantiis aggravantissimis, quod ipsis, tamquam canibus ad vomitum revertentibus — ut verbis utar Sancti Petri — applicari possint illa quae scripsit S. Paulus: « Quia cum cognovissent Deum et ... » (*Rom.* 1, 21. 26. 27. 28. 30. 31).

7. En horrendissima Sancti Pauli pagina, abhinc viginti saeculis scripta, quae ad litteram applicari potest quamplurimis hominibus huius nostri saeculi vigesimi.

Ut videtis de problemate agitur tanti tamque gravissimi ponderis, ut facile non explicetur quomodo praetermitti possit a Concilio nostro Oecumenico, in schemate in quo agitur de praesentia Ecclesiae in mundo huius temporis.

Causas praedictae scelestissimae calamitatis profunde scrutari ad Commissionem attinet et ad Vos, venerabiles Patres. Mihi, omnium minimo, innuere liceat sequentes.

I – *Imprimis fere universalis scandali* exhibitio hoc est, occasionis proximi peccati mortalis, in fere omnibus vitae hodiernae locis et manifestationibus, v. g. in choreis, in balneis, in seminuditatibus in viis et plateis, in inverecundis imaginibus, in ephemeridibus et cinematographeis, in omnibus mediis communicationis socialis, quibus scandala per oculos et aures, in animos, non tantummodo virorum et mulierum, sed et puerorum et puellarum intromittuntur, adeo ut ipso iam citato Romano Pontifice teste, incomparabiliter minorem numerum peccatorum in mundo huius temporis fore, nisi homines ad ea perpetranda non tantis allicerentur scandalis. Quorum datur et negotiatio.

II – *Laxismus moralis* de die in diem accrescens et subrepens vel ipsos libros Theologiae Moralis, normas magis magisque laxas proponentes, maxime in iis quae occasiones peccati mortalis attingunt, propositae ab iis qui moralistae vocantur,

qui tamen theologorum titulum nullatenus merentur, utpote exponentes opiniones suas argumentis et probationibus theologicis penitus exutas, quae tamen ab aliis eiusdem furfuris auctoribus repetitae, ut oracula accipiuntur et applicantur a quamplurimis sacerdotibus, praesertim confessoribus.

III – *Irenismus moralis,* analogus irenismo dogmatico, quem Summus Pontifex, feliciter regnans, fortiter impugnabat in una ex suis allocutionibus.

Sicut enim irenismus dogmaticus attrahere intendit fratres separatos, occultando, aut imminuendo veritates dogmaticas, quae nec sileri nec imminui fas est, ita irenismus moralis, haud quidem paucorum sacerdotum, allicere vel ad minus non avertere conatur animas, ipsis imminuendo et relaxando normas moralitatis, quae nec imminui nec relaxari possunt, praecipue in materia sexuali et sociali, locum sic dantes ut principaliora munia in piis associationibus occupantes appareant personae iustitiam socialem publice conculcantes, et sic provocantes indignationem operariorum, et facientes ut propter illos nomen Ecclesiae et Dei ab his blasphementur.

IV – *Nova systemata moralia,* quae haereses appellari mererentur, quaeque non tantummodo attenuare intendunt malitiam peccati, praecipue in peccatis luxuriae, quinimmo ab ipsis penitus tollere rationem ipsam peccati.

Alludimus, ut videtis, praecipue ad systema morale sic dictum « Ethicae situationis » secundum quod conscientia non est legis obiectivae ad particularem casum applicatio, sed habenda est ut conclusio intimi dialogi cum Deo, non ut legislatore, sed ut Patre tantum considerato, intentionem tantummodo hominis inspiciente, qui conscientiam suam non secundum leges obiectivas efformare debet, sed secundum intuitionem personalem in casu, ex quo sequitur licitum esse posse, perficere graviter universalissime prohibita, uti catholicam fidem cum alia commutare, divortium attentare, procurare abortum, onanismum immo et homosexualismum perficere, relationes inter solutos ac si uxorati essent in praxim reducere, etc.

Haec, ut videtis tanti sunt ponderis, tamque impensae gravitatis ut Synodus haec Vaticana non possit non prae oculis habere et systema ex quo profluunt impensissime condemnare.

V – Denique, ultima verba de hodiernamento, — sit venia versioni vocabuli aggiornamento — de *aggiornamento illo falsificato,* quod potius appellari deberet « rilassamento », quodque improbabat Sanctissimus noster Papa die 7 iulii huius anni his verbis maximi momenti quarum cum textum italicum prae manibus non habeam, versionem hispanicam refero.

* * *

Ad n. 15. Necessarium omnino videtur ut huic n. addatur alius « De peccato in mundo huius temporis », exponendo statum quaestionis, detegendo causas, innuendo remedia. *Ratio*: quia, prouti asserebat egregius Pius XII, in eloquentissimo illo sermone ad fideles Romae et totius mundi habito, Maremagnum peccatorum, omnis generis quae tam privatim quam publice patrantur, submergere minatur mundum in luto, ab ipso imaginem Dei tollere, et subvertere vel ipsas moralitatis normas.

Adeo ut mundo huius temporis applicari possit horrendissima illa pagina Capitis I Epistolae S. Pauli ad Romanos.

Ut patet de problemate agitur tanti tamque gravissimi ponderis ut facile non explicetur quomodo praetermitti possit a Concilio nostro Oecumenico in schemate in quo agitur de praesentia Ecclesiae in mundo huius saeculi.

Nam si quod est munus Ecclesiae proprium, hoc est ut sit sal terrae.

Ad n. 27. Deleantur verba « Gaudium igitur offerunt Populi Dei illae nationes, quae ius ad libertatem religiosam, tam " individualem " quam " collectivam ", ut quoddam elementum constitutivum boni communis considerant ». *Ratio*: quia haec verba inserere idem est ac praeiudicare quaestionem « De libertate religiosa », quae adhuc sub lite est, et cui Concilium iam dedicat integrum et speciale caput. Eius proinde mentio hoc in loco est superflua et ansam daret pluribus Patribus ut, propter ipsam, reiicerent totam paragraphum.

Ad n. 31. Deleantur ultimae lineae, incipiendo a verbis « ut in tota vita sociali ad bonum omnium effulgere faciant libertatis spiritum.

Quocirca magni esset emolumenti, si iura quae plurimae nationes omnibus agnoscunt hominibus, sub omni regimine politico reapse observarentur ». *Ratio*: quia haec verba inserere idem est ac praeiudicare quaestionem « De libertate religiosa », quae adhuc sub lite est, et cui Concilium iam dedicat integrum et speciale caput. Eius proinde mentio hoc in loco est superflua et ansam daret pluribus Patribus ut propter ipsam reiicerent totam paragraphum.

12

Exc.mus P. D. IACOBUS CORBOY
Episcopus Monzensis

Venerabiles Patres,

Cap. III huius schematis est conamen valde laudabile synthetice explicandi sensum activitatis humanae. Talis explicatio facilis non est quia haec materia hucusque numquam in sede conciliari tractata est et etiam in theologia moderna adhuc deest synthesis vere satisfaciens.

Exinde sequitur quod ne quidem principia generaliora in forma absolute definitiva enuntiari possunt et quod cavendum est a specificationibus nimis particularibus.

Hic nunc latet verum problema totius huius schematis. Ab una enim parte mundus a Concilio exspectat ut Ecclesiae sententiam manifestet circa plures quaestiones quae totum mundum afficiunt et quae solutionem urgenter expostulant. Ab altera autem parte Ecclesia dare nequit responsiones specificas et absolutas ad talia problemata sed ad summum indicare principia generaliora plus minus clare enuntiata e quibus solutiones petendae erunt.

In hac situatione difficili, pro meo iudicio, sequentia facienda sunt:

1. Esset error si actualis textus primae partis ita emendaretur ut loco principiorum generalium et interdum potius vagorum ponerentur

principia categorica et absoluta ...[1]. Nam hodie multae quaestiones adhuc sunt in plena evolutione et etiam doctrina theologica in perpluribus adhuc est in phasi evolutionis tum quod ad ipsas res tum quod ad exactas formulationes theoreticas et practicas attinet ...[2]. Futurae investigationi theologicae ampla libertas relinquenda est. Dum, v. g., bonum est dicere quod « ordo redemptionis in se ordinem creationis includit », sapiens est nolle ulterius explicare exactum talis propositionis sensum theologicum.

2. ...[3] Concilium debet urgere theologos ...[4] ut pleniorem et profundiorem theologiam activitatis humanae sub luce fidei elaborent et illam deinceps ad problemata concreta nostrorum temporum applicent.

In nationibus quae hodie sese evolvunt doctrina socialis, v. g., summi momenti est et Ecclesia fortasse praesentiam suam in his nationibus nonnisi per activitatem socialem demonstrare poterit. Non possumus efficaciter has nationes ad Christum adducere nisi ipsas in campo sociali adiuvemus et tandem illas doceamus ut seipsas adiuvent. Sed doctrina socialis indiget solido fundamento theologico et in specie indiget profunda theologia circa activitatem humanam in genere et circa activitatem humanam et christianam laicorum, sacerdotum et religiosorum in specie. Talis autem theologia hodie adhuc deficit nec sine magno et arduo labore theologorum nostri ac futuri temporis exspectari poterit.

3.[5] Maiore cum cura providendum est ut principia generalia quae in prima parte enuntiantur, deinceps in secunda parte applicentur ad casus specificos et quidem intra limites mox indicatos. Hac in re schema adhuc satis deficiens est. Quamvis enim prima pars schematis intendat tractare de principiis quae mox in secunda parte ad varia concreta problemata essent applicanda, tamen in rerum veritate connexio inter primam et secundam partem est satis tenuis et debilis et certo non adest illa organica unitas quae tamen merito exspectari et postulari debet ...[6]

Transeo nunc ad aliquas observationes magis particulares:

Ad n. 42. In hoc numero statuitur principium quod « Actiones hominis perficiunt hominem ». In hoc contextu aliqua dicenda sunt de problemate mali: debet indicari quomodo etiam res adversae et disillusiones hominem perficere possunt, et hoc in ipso quoque ordine naturali. Item sermo faciendus est de problemate mali in luce Crucis intellecti necnon de renuntiatione christiana. Hanc vitam terrestrem sane magni facere debemus sed simul etiam ipsi renuntiare. In actionibus nostris nosmetipsos perficimus non tantum pro hac, sed etiam pro futura vita. Doctrina de renuntiatione christiana excludit defectum realismi et nimium optimismum; doctrina de spe christiana excludit nimium pessimismum.

Ad n. 43. Hic statuitur quod « perfectio ordinis socialis *omnino*

diversa est ab augmento Regni Dei ». Iamvero, haec assertio est nimis categorica. Exsistit enim intima connexio inter progressum socialem et religiosum, speciatim in populis sese evolventibus. Porro, vita humana et christiana hominis non constituunt duas vitas perfecte diversas, sed unicam vitam integram humanam christianam.

Ad n. 45. Schema loquitur ad omnes homines. Idcirco, antequam de dominatu Christi sermo fiat, convenienter aliqua dicantur oportet de dominatu Dei et de divina Providentia. In hoc contextu notio « Regni Dei » qualis iam in constitutione *de Ecclesia* delineatur, ulterius evolvi deberet. Multae parabolae de Regno Dei respiciunt activitates Dei in hoc mundo et hic aspectus « Regni Dei » tractatus non fuit in constitutione *de Ecclesia.* Notari enim debet quod « dominatio Ecclesiae » minorem extensionem habet quam « dominatio Christi ».

Tandem deprehenditur aliquod periculum ne activitates populi Dei considerentur tamquam distinctae ab activitate mundi ...[7]

Moderator: Exc.me Domine, velis venire ad finem, quia tempus exhaustum est.

Orator: Denique non tantum hic sed etiam in responsionibus quae in Introductione propositae fuerunt, debemus sublineare quod homo non tantum construit civitatem terrenam quantumvis bonam necnon quod cor hominis in hac vita numquam plene quietari potest.

In textu scripto tradito: [1] et insuper specificationes theoreticae et practicae valde particularizatae. [2] Cavendum ergo est ne legitimis evolutionibus obstacula ponamus. E contra. [3] Debemus porro inambiguis verbis statuere quod non intendimus in hoc documento offerre solutiones undequaque specificas et definitivas ad illa problemata quae in parte II tractantur. Talis declaratio non solum respondet actuali rerum statui, sed etiam requiritur ne integrae doctrinae propositae absolutus valor agnoscatur vel exspectationes nutriantur quae tandem aliquando homines deludent et Ecclesiae valde nocere poterunt. 3. [4] ut quaestionibus huius schematis sedulo studeant et doctrinam hic quasi in germine propositam ulterius evolvant. In specie autem theologici invitentur. [5] 4. Dum ea quae hucusque diximus respiciunt limites schematis et ea quae post eiusdem promulgationem facienda erunt, aliqua tamen iam nunc statim circa hoc ipsum schema fieri possunt et debent antequam promulgetur: nam. [6] Immo penes lectorem huius schematis vix non debet oriri impressio hic non agi de *uno* quodam documento, cuius singulae partes logice et organice cohaerent, quam potius de pluribus documentis a variis redactoribus in plena independentia ab invicem conscriptis et tandem modo potius exteriore cum invicem connexis. [7] Talis autem distinctio non semper rei veritati respondet.

13

Rev.mus P. D. ANICETUS FERNANDEZ

Magister generalis Ordinis Praedicatorum

Venerabiles Patres,

Schema est allocutio Ecclesiae ad mundum hodiernum, seu « ad universam familiam humanam », ut in ipso schemate affirmatur ...[1]

In hac allocutione duo sunt prae oculis in primis habenda: *a*) veritates et bona ordinis naturalis quae semper et ubique sunt omnino necessaria ad verum progressum et felicitatem generis humani et quae Ecclesia semper et ubique defendere, exponere et proponere debet; *b*) veritates et bona supernaturalia, quae omnes veritates et omnia vere bona et solutiones rectas problematibus ordinis naturalis datas perficiunt et promovent, et quae Ecclesia a fortiori defendere, exponere et proponere debet.

Schema pluries et bene loquitur de his duobus punctis fundamentalibus, sed forsan non adhuc cum illa claritate, distinctione, amplitudine et vigore *desideranda*.[2] Quare velim proponere aliquas observationes, praesertim in n. 30, quae *forsan* [3] ad perfectionem schematis adiuvare possint.

1. Clarius, profundius et *validius* [4] esset insistendum in illo summo principio et primo fundamento quod informare et dirigere debet omnes conscientias hominum et omnes societates generis humani, nempe: Quod omnes homines cuiuscumque conditionis, loci et temporis omnesque nationum gentes, unam veram familiam seu societatem universalem in mundo efformant. *Haec societas universalis* [5] generis humani seu *communitas naturalis* [6] hominum totius orbis, luculenter demonstrant, unitas *originalis* [7] et creationis a Deo orta, eadem natura humana specifica et eadem destinatio communis.

Ex hoc principio oriuntur quaedam iura et officia prima et fundamentalia et aequalia pro omnibus hominibus. Omnes homines in primis sunt membra huius societatis universalis et cives orbis terrestris. Haec societas universalis naturalis est prior quam *societates* [8] diversarum nationum et homo prius pertinet ad ...[9] societatem humanam quam ad societatem particularem alicuius nationis ...[10] Et similiter in ordine naturali iura et officia quae ex natura humana oriuntur *sunt etiam priora et fundamentaliora quam iura et officia quae oriuntur* [11] ex aliis societatibus particularibus *nationum*.[12] Per illa homo prius est cives familiae ...[13] humanae, quam alicuius nationis ...[14]

2. Haec unitas totius generis humani in una familia et fraternitas quae ex illa oritur, clarius, fortius et sublimius apparent ex elevatione naturae humanae ad ordinem supernaturalem in Christo Redemptore. Quia, ex una parte, omnes veritates et omnia vere bona et omnia iura et officia ordinis naturalis melius illustrantur, confirmantur et perficiuntur; et, ex alia ...[15], omnes homines novis et sublimioribus veritatibus et bonis, iuribus et officiis *ditari*[16] possunt atque sublimioribus vinculis in una eademque familia divina uniri. Namque iuxta divinam revelationem omnes homines a Deo sunt creati, ab eisdem protoparentibus descendentes, a Christo Domino aequaliter a servitute peccati redempti ...[17], ad ...[18] gratiam supernaturalem quae animam sanctificat et perficit per participationem divinae naturae vocati, ad eumdem finem supernaturalem, quae in Dei fruitione consistit, *elevati.*[19] Itaque omnes homines eliguntur et vocantur ut sint vere et realiter divinae naturae consortes, vere et realiter fratres Unigeniti Filii Dei Iesu Christi, vere et realiter filii eiusdem Patris Caelestis, vere et realiter cum Christo cohaeredes eiusdem regni caelestis.

Homo enim, per elevationem ad ordinem supernaturalem non solum est civis mundi, sed etiam est civis et domesticus Dei, i. e. civis civitatis caelestis cum iuribus et officiis novis et sublimioribus. Ecclesia igitur a Christo ipso edocta has novas et sublimes veritates et *haec nova et sublimia bona,*[20] haec nova et sublimia iura et officia semper praedicavit et praedicare debet, atque in mundo simul cum fraterno amore caritatis invexit ac invehere debet.

Omnem discriminationem populorum in ordine ad regnum caeleste reiicit, semper alte cum apostolo Paulo ...[21] proclamando quod in Deo et in Filio eius non est masculus, neque femina, servus neque liber, iudaeus nec graecus, barbarus aut scytha, sed omnia et in omnibus, Christus.

Haec omnia valde illuminant, corroborant et perficiunt societatem naturalem humanae consortiationis et fraternitatis universalis et iura et officia et omnia bona et veritates ordinis naturalis ...[22]

Ordo enim supernaturalis, licet sit certe distinctus ab ordine naturali, tamen per Incarnationem Verbi et divinam revelationem et elevationem hominis ad ordinem supernaturalem insertus est in ipso ordine naturali. Talis ordo supernaturalis divinus ad quem omnes vocantur, non est ergo contra naturam, sed supra naturam, nec contra rationem, sed supra rationem, non inhumanum, sed suprahumanum.

Valde dolendum est quod schema, praesertim in sua prima parte, haec clarissima et pulcherrima doctrina Ecclesiae non semper prae oculis

habere videtur, et, e contra, pluribus in locis redolere videtur minus felix conamen assimilandi conceptus aequivocos ab extraneis et contrariis ideologiis ut existentialismo, vitalismo ...[23] et evolutionismo mutuatos, cum non parvo detrimento et confusione verae et clarae doctrinae catholicae et magno periculo interpretationis erroneae ...[24]

Valde *etiam*[25] desiderandum est ut schema ab his ambiguitatibus et confusionibus purificetur et clarificetur cum solida et clara doctrina Ecclesiae.

3. Certo ad solvenda problemata concreta huius mundi non sufficit consideratio theoretica horum principiorum, sed perveniendum est ad applicationes practicas, ad casus singulares, quatenus possibile sit. Sed in his applicationibus semper prae oculis illa doctrina fundamentalis ordinis naturalis et supernaturalis et intima eorum harmonia *prae oculis*[26] habenda est, si revera volumus lucem et non confusionem problematibus hodiernis afferre.

Ita[27] fecerunt alii philosophi et theologi christiani suis propriis temporibus ...[28]. Sufficiat citare S. Augustinum, saec. V; S. Thomam, saec. XIII; theologos eximios et missionarios heroicos saec. XVI. Hoc historico momento saec. XVI cum regiones ignotae Americae inveniebantur et unitas geographica totius orbis terrestris obtinebatur, plurima et graviora problemata oriebantur vel clarius et instantius ponebantur. Theologi et missionarii illius temporis his principiis nixi et plene de fraternitate humana universali in ordine naturali et supernaturali conscii, clare et fortiter et alte explicaverunt et proclamaverunt contra auctoritates et alios eximios philosophos errantes, Communitatem Naturalem totius orbis generis humani sive societatem complectentem totam humanitatem et iura et officia universalia quae tamquam normam supremam et universalem debebant dirigere et regere fraternas et pacificas relationes conviventiae inter omnes homines et populos independenter a gradu civilizationis.

Hoc spiritu ducti prima iuris gentium atque ethicae internationalis principia posuerunt et evolverunt et cum tali perfectione quod adhuc hodie eorum eximia doctrina non est superata a scientia iuristarum *hodiernorum,*[29] immo *et*[30] potius in multis ...[31] valde inferior ...[32]

In textu scripto tradito: [1] (n. 2). [2] quae optanda essent. [3] forte. [4] fortius. [5] Hanc societatem universalem. [6] communitatem naturalem. [7] originis. [8] societas. [9] hanc. [10] vel alicuius gentis. [11] deest. [12] Ideoque sunt iura et officia quae a nemine unquam impediri vel tolli aut dispensari possunt. Comitantur homini semper quaecumque sint circumstantiae, loci, tem-

poris, vel generis vitae, in quibus inveniatur. [13] universalis. [14] vel gentis. [15] parte. [16] locupletari, [17] sunt. [18] eandem. [19] sunt evecti. [20] deest. [21] (*1 Cor.* 12, 13; *Gal.* 3, 11). [22] Unum ergo corpus cum simus omnes, debemus nos invicem, qua homines singulares et qua coetus sociales nationales et internationales, diligere, iuvare atque fovere semper, non verbo neque lingua tantum, sed opere et veritate (*1 Io.* 3, 18). [23] actualistico. [24] Quandoque e. g. praebere videtur occasionem erroris eorum qui putant omnes homines esse destinatos ad quandam glorificationem cosmicam huius mundi, vel illorum qui a Paulo VI reprobati « confundere videntur Ecclesiam cum hoc mundo ». [25] ergo. [26] deest. [27] Itaque. [28] et hoc modo cursum historiae humanae mutare consecuti sunt. [29] novissimorum. [30] haec. [31] invenitur. [32] Similiter valde desiderandum est ut Concilium nostrum tam praeclarum universalismum socialis conceptionis christianae tanquam fermentum novum in mentibus et societatibus humanis introducere conetur, quo celerius et irreversibili motu omnes particularismi et pugnae nationum, omnesque servitutes et dominatus politici aliarum gentium in alias, et omnis discriminatio inter homines e terra evanescunt. Et in hoc sensu Ecclesia strenue semper laboravit: licet dolendum sit quod non semper christiani et nationes christianae hanc sanam salutiferam doctrinam in praxi servaverunt. Ideoque graves iniustitias et gravia damna quandoque in mundo patraverunt. Sed haec praeclara doctrina, ope praesertim magisterii Leonis XIII, Pii XII et Ioannis XXIII, maxime resplendet in Ecclesia et in mundo. Et sub eodum spiritu communionis naturalis omnium gentium et evangelicae fraternitatis erit praesentia Pauli VI apud Sedem Nationum Unitarum, quam felicem faustamque fore ominamur et speramus.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, bonum est vobis recolere ordinem quo fient suffragationes de modis respicientibus schemata quae sunt suffraganda, quorum est suffraganda expensio modorum.

A feria IV proxima, fiet suffragatio modorum schematis *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* uti dixi. Deinde, his exactis, fiet transitus ad modos suffragandos schematis *de accommodata renovatione vitae religiosae;* deinde ad modos schematis *de educatione christiana,* quod schema vel crastina vel post duos dies vobis distribuetur. Deinde, fiet transitus ad modos schematis *de institutione sacerdotali*; et postremo ad modos schematis *de habitudine Ecclesiae ad religiones non christianas,* quod schema etiam intra paucos dies vobis distribuetur, Patres.

Quoad primum schema suffragandum, quoad modos, nempe *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* rogo vos, Patres venerabiles, ut crastina vobiscum feratis textum recognitum, nempe modos huius schematis, ita ut ego possim efficacius aliquas explicationes dare. Crastina faveatis vobiscum ferre hunc libellum; attamen suffragationes, uti dixi, incipient feria IV proxima; et, feria IV, erunt sex suffragationes.

Nunc communico vobis exitus suffragationum quae mane factae sunt.

Suffragatio 320:

Inter praesentes votantes 2.143
Dixerunt *placet* 2.104
non placet 35
placet iuxta modum 3
Suffragia nulla 1

Suffragatio 321:

Ex 2.128 Patribus praesentibus et votantibus.
Dixerunt *placet* 1.834
non placet 7
placet iuxta modum 287

Suffragatio 322:

Praesentes votantes 2.139
Dixerunt *placet* 2.123
non placet 11

Suffragia nulla 5

Suffragatio 323:

Suffragati sunt Patres 2.139
ex quibus dixerunt *placet* 2.121
non placet 18

et nullum votum nullum.

Suffragatio 324:

Inter Patres 2.140
Dixerunt *placet* 1.894
non placet 9
placet iuxta modum 230

Suffragia nulla 7

Suffragatio 325:

Patres praesentes votantes 2.080
Pronuntiaverunt *placet* 2.063
non placet 17

Suffragatio 326:

Patres praesentes votantes	2.020
Dixerunt *placet*	2.012
non placet	5
placet iuxta modum	1
et suffragia nulla sunt	2

Suffragatio 327 et ultima:

Suffragium dederunt Patres	2.016
Dixerunt *placet*	1.865
non placet	3
placet iuxta modum	143
Suffragia nulla sunt	5

Ergo omnes suffragationes huius schematis exitum dederunt positivum. Attamen, uti moris est, et *Ordo* praescribit, modi examinabuntur et textus perpolitus exhibebitur suo tempore nostrae congregationi ut denuo suffragio supponatur.

Moderator: Proxima congregatio erit crastina die, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium!

CONGREGATIO GENERALIS CXXXVII

28 septembris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CXXXVII

28 septembris 1965

Exc.mus P. D. IACOBUS LE CORDIER, ep. tit. Prienensis, aux. Parisiensis, *Ss. Concilii subsecretarius*: Hodie, Missa de Spiritu Sancto. Cantus proprii: nn. 21 ss.; oratio fidelium: n. 89; continuatur lectio *Actuum* et *Ioannis*.

Quamvis S. Wenceslaus in Missa conciliari non commemoretur, illum tamen deprecabimur una cum celebrante em.mo arch. Pragensi, card. Ioseph Beran.

Post Missam:

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*: Patres venerabiles, heri pie obiit exc.mus D. Ernestus Tweedy, arch. tit. Assurensis, olim arch. Hobartensis in Australia. Recitemus *de profundis*.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: *De profundis clamavi ad te, Domine ...*

Secretarius generalis: Congregationem generalem 137 moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Iulius Döpfner, arch. Monacensis, et prosequetur disceptatio super schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis,* parte I, circa quam facere verbum postulaverunt: beat. P. D. Ignatius Petrus Batanian, patr. Ciliciae Armenorum; exc.mi PP. DD. Emmanuel Llopis, ep. Cauriensis in Hispania (Coria); Sergius Méndez, ep. Cuernavacensis in Mexico; Paulus Hnilica, ep. tit. Rosadensis e Cecoslovachia; Franciscus Marty, ep. Remensis in Gallia; Gabriel Garrone, arch. Tolosanus in Gallia; Petrus Parente, arch. tit. Ptolemaidensis in Thebaide; Eduardus Schick, ep. aux. Fuldensis in Germania; Michaël Rusnack, ep. aux. Torontinus in Canada (Toronto); Sebastianus Soares de Resende, ep. Beirensis in Mozambico (Beira); Iustinus Darmajuwana, arch. Semarangensis in Indonesia (Semarang); Caesar Antonius Mosquera, arch. Guayaquilensis (Guayaquil) in Aequatore; Franciscus Kuharić, ep. aux. Zagrabiensis in Iugoslavia (Zagreb); Alfredus Bengsch, arch. Berolinensis in Germania; Carolus Wojtyla, arch. Metropolita Cracoviensis in Polonia; Felix Romero, ep. Giennensis in Hispania.

[3]

SCHEMA DECRETI DE PASTORALI EPISCOPORUM MUNERE IN ECCLESIA

1 – TEXTUS RECOGNITUS ET MODI

A COMMISSIONE CONCILIARI
DE EPISCOPIS ET DIOECESIUM REGIMINE EXAMINATI *

[5]

PARS PRIOR

PROOEMIUM ET CAPITA I-II

TEXTUS RECOGNITUS
IUXTA MODOS A PATRIBUS CONCILIARIBUS PROPOSITOS
RELATIONES

[7]

PROOEMIUM ET CAPUT I

DE EPISCOPIS QUOAD UNIVERSAM ECCLESIAM

SUFFRAGATIONES

Die 4 novembris 1964 factae sunt suffragationes de Prooemio et de Capite I.

Prima suffragatio, de num. 1-3 (Prooemium):

Praesentes votantes	2.011
Placet	1.908
Non placet	101
Vota nulla	2

Secunda suffragatio, de num. 4 (Caput I):

Praesentes votantes	2.010
Placet	1.782
Non placet	225
Vota nulla	3

---

* Huiusmodi fasciculus Patribus distributus fuit in congregatione generali 129, die 16 septembris 1965.

Tertia suffragatio, de num. 5-7 (Caput I): [7]

Praesentes votantes	1.996
Placet	1.912
Non placet	81
Vota nulla	3

Quarta suffragatio, de num. 8 (Caput I):

Praesentes votantes	1.963
Placet	1.880
Non placet	81
Vota nulla	2

Quinta suffragatio, de num. 9-10 (Caput I): [8]

Praesentes votantes	1.968
Placet	1.889
Non placet	78
Vota nulla	1

Sexta suffragatio, super Prooemio et integro Capite primo:

Praesentes votantes	1.965
Placet	1.030
Non placet	77
Placet iuxta modum	852
Vota nulla	6

Integrum Caput I, cum in Congregatione Generali duas ex tribus suffragiorum partibus non attigerit, ad Commissionem transmissum est ut recognosceretur iuxta modos a Patribus propositos.

PROOEMIUM

Textus in schemate propositus

1. [*Prooemium*]. Christus Dominus, Filius Dei vivi, qui venit ut salvum faceret populum suum a peccatis utque omnes homines sanctificarentur, sicut Ipse missus est a Patre, ita et misit Apostolos suos, quos ideo sanctificavit, tradens eis Spiritum Sanctum, ut et ipsi glorificarent Patrem super terram et animas salvas facerent, « in aedificationem Corporis Christi » (*Eph.* 4, 12) quod est Ecclesia.

2. In hac Christi Ecclesia, Romanus Pontifex, successor Petri, cui oves et agnos suos pascendos Christus concredidit, suprema, plena et universali in curam animarum, ex divina institutione, gaudet potestate. Qui ideo, cum tamquam omnium fidelium pastor ad bonum commune Ecclesiae universae et ad bonum singularum Ecclesiarum procurandum missus sit, super omnes Ecclesias ordinariae potestatis obtinet principatum.

Episcopi autem et ipsi, positi a Spiritu Sancto, in Apostolorum locum succedunt ut animarum pastores, atque, una cum Summo Pontifice et sub Eiusdem auctoritate, ad Christi, aeterni Pastoris, opus perenne reddendum missi sunt. Christus enim Apostolis eorumque successoribus dedit mandatum atque potestatem ut docerent omnes gentes, hominesque sanctificarent in veritate atque pascerent. Episcopi itaque, per Spiritum Sanctum qui datus est eis, veri et authentici effecti sunt fidei Magistri, Pontifices ac Pastores.

Textus iuxta modos recognitus

1. [*Prooemium*]. Christus Dominus, Filius Dei vivi, qui venit ut salvum faceret populum suum a peccatis [1] utque omnes homines sanctificarentur, sicut Ipse missus est a Patre, ita et misit Apostolos suos,[2] quos ideo sanctificavit, tradens eis Spiritum Sanctum, ut et ipsi glorificarent Patrem super terram et *homines salvos* facerent, « in aedificationem Corporis Christi » (*Eph.* 4, 12) quod est Ecclesia.

2. In hac Christi Ecclesia, Romanus Pontifex, *ut* successor Petri, cui oves et agnos suos pascendos Christus concredidit, suprema, plena, *immediata* et universali in curam animarum, ex divina institutione, gaudet potestate. Qui ideo, cum tamquam omnium fidelium pastor ad bonum commune Ecclesiae universae et ad bonum singularum Ecclesiarum procurandum missus sit, super omnes Ecclesias ordinariae potestatis obtinet principatum.

Episcopi autem et ipsi, positi a Spiritu Sancto, in Apostolorum locum succedunt ut animarum pastores,[3] atque, una cum Summo Pontifice et sub Eiusdem auctoritate, ad Christi, aeterni Pastoris, opus perenne reddendum missi sunt.[4] Christus enim Apostolis eorumque successoribus dedit mandatum atque potestatem ut docerent omnes gentes, hominesque sanctificarent in veritate atque pascerent. Episcopi itaque, per Spiritum Sanctum qui datus est eis, veri et authentici effecti sunt fidei Magistri, Pontifices ac Pastores.

Emendationes, introductae a Commissione, litteris *inclinatis* seu *italicis* significantur.

Textus in schemate propositus

3. Hoc suum episcopale munus, quod per consecrationem episcopalem susceperunt, Episcopi, sollicitudinis omnium Ecclesiarum participes, in communione et sub auctoritate Summi Pontificis exercent omnes uniti in Collegio seu corpore quoad universam Dei Ecclesiam.

Illud exercent singuli quoad assignatas sibi dominici gregis partes, unusquisque Ecclesiae particularis sibi commissae curam gerens aut quandoque aliqui coniunctim necessitatibus quibusdam diversarum Ecclesiarum communibus providentes.

Quare Sacrosancta Synodus, attentis etiam condicionibus hominum consociationis, quae nostra hac aetate, ad novum fertur rerum ordinem, pressius determinare intendens pastorale Episcoporum munus, haec quae sequuntur statuit.

Textus iuxta modos recognitus

3. Hoc suum episcopale munus, quod per consecrationem episcopalem susceperunt,[5] Episcopi, sollicitudinis omnium Ecclesiarum participes, in communione et sub auctoritate Summi Pontificis exercent, *ad magisterium et regimen pastorale quod attinet,* omnes uniti in Collegio seu corpore quoad universam Dei Ecclesiam.

Illud exercent singuli quoad assignatas sibi dominici gregis partes, unusquisque Ecclesiae particularis sibi commissae curam gerens aut quandoque aliqui coniunctim necessitatibus quibusdam diversarum Ecclesiarum communibus providentes.

Quare Sacrosancta Synodus, attentis etiam condicionibus hominum consociationis, quae nostra hac aetate, ad novum fertur rerum ordinem,[6] pressius determinare intendens pastorale Episcoporum munus, haec quae sequuntur statuit.

NOTAE

[1] Cf. *Mt.* 1, 21.

[2] Cf. *Io.* 20, 21.

[3] Cf. Conc. Vat. I, Sessio IV, Const. dogm. I *de Ecclesia Christi,* c. 3, Denz. 1828 (3061): « Tantum autem abest, ut haec Summi Pontificis potestas officit ordinariae ac immediatae illi episcopalis iurisdictionis potestati, qua Episcopi, qui *positi a Spiritu Sancto* (cf. *Act.* 20, 28) in Apostolorum locum succedunt, tanquam veri pastores assignatos sibi greges singuli singulos pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali pastore asseratur, roboretur ac vindicetur, secundum illud sancti Gregorii Magni: " Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur " ».

[4] Cf. Conc. Vat. I, Sessio IV, Const. dogm. *de Ecclesia Christi,* Prooem., Denz. 1821 (3050): « *Pastor* aeternus *et episcopus animarum nostrarum* (*1 Pt.* 2, 25), ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et caritatis vinculo continerentur. Quapropter, priusquam clarificaretur, *rogavit Patrem non pro* Apostolis *tantum, sed et pro eis, qui credituri erant per verbum eorum in ipsum, ut omnes unum essent, sicut ipse Filius et Pater unum sunt* (*Io.* 17, 20 s.). Quemadmodum igitur Apostolos, quos sibi de mundo elegerat, *misit, sicut ipse missus*

erat a Patre (*Io.* 20, 21): ita in Ecclesia sua pastores et doctores *usque ad consummationem saeculi* (*Mt.* 28, 20) esse voluit. Ut vero episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, beatum PETRUM ceteris Apostolis praeponens in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum, super cuius fortitudinem aeternum exstrueretur templum, et Ecclesiae caelo inferenda sublimitas in huius fidei firmitate consurgeret ».

[5] Cf. CONC. VAT. II, Constitutio dogm. *de Ecclesia,* cap. III, n. 21: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 24-25.

[6] Cf. IOANNES XXIII, Const. Apost. *Humanae salutis,* 25 dec. 1961: *A.A.S.,* 54 (1962), p. 6.

CAPUT I

DE EPISCOPIS QUOAD UNIVERSAM ECCLESIAM

Textus in schemate propositus

I – PARTES QUAS HABENT EPISCOPI QUOAD UNIVERSAM ECCLESIAM

4. [*Potestatis Collegii Episcoporum exercitium*]. « Suprema in universam Ecclesiam potestas, qua Episcoporum Collegium pollet, sollemni modo in Concilio Oecumenico exercetur ». Ideo Sacrosancta Synodus decernit omnibus Episcopis, qui sint Membra Collegii Episcopalis, ius esse ut Concilio Oecumenico intersint, aut saltem in eo repraesententur, iuxta normas a Summo Pontifice determinatas.

« Eadem potestas collegialis una cum Papa exerceri potest ab Episcopis in orbe terrarum

Textus iuxta modos recognitus

I – PARTES QUAS HABENT EPISCOPI QUOAD UNIVERSAM ECCLESIAM

4. [*Potestatis Collegii Episcoporum exercitium*]. *Episcopi, vi sacramentalis consecrationis et hierarchica communione cum Collegii Capite atque membris, constituuntur membra Corporis episcopalis.*[1] *« Ordo autem Episcoporum, qui collegio Apostolorum in magisterio et regimine pastorali succedit, immo in quo corpus apostolicum continuo perseverat, una cum Capite suo Romano Pontifice, et numquam sine hoc Capite, subiectum quoque supremae ac plenae potestatis in universam Ecclesiam exsistit, quae quidem potestas nonnisi consentiente Romano Pontifice exerceri potest ».*[2] *Haec vero potestas « sollemni modo in Concilio Oecumenico exercetur »:*[3] *ideo Sacrosancta Synodus decernit omnibus Episcopis, qui sint membra Collegii episcopalis, ius esse ut Concilio Oecumenico intersint.*

« Eadem potestas collegialis una cum Papa exerceri potest ab Episcopis in orbe terrarum

Textus in schemate propositus

degentibus, dummodo Caput Collegii eos ad actionem collegialem vocet, vel saltem Episcoporum dispersorum unitam actionem approbet vel libere recipiat, ita ut verus actus collegialis efficiatur ».

5. [*Coetus seu Consilium Centrale*]. Cum universale Summi Pontificis munus maiores in dies auxilii et praesidii vires exposcat, Sacrosancti Concilii Patres magnopere exoptant ut aliqui Episcopi diversarum orbis regionum, Supremo Ecclesiae Pastori validiorem praestent adiutricem operam, modis tamen et rationibus ab Ipso opportune statuendis, etiam in Coetum seu Consilium quoddam convenientes, quo simul significari possit omnium Episcoporum universae Ecclesiae sollicitudini participatio.

6. [*Episcopi sollicitudinis omnium Ecclesiarum participes*]. Episcopi, qua Collegii Episcopalis Membra, cum aliis Episcopis coniunctos semper se sciant atque omnium Ecclesiarum sollicitos sese exhibeant, cum ex Dei institutione et praecepto apostolici muneris Ecclesiae una cum ceteris Episcopis sponsores sint. Praesertim solliciti sint de illis orbis terrarum regionibus in quibus verbum Dei nuntiatum nondum est aut in quibus, praecipue ob parvum sacerdotum numerum, christifideles in periculo versantur a vitae christianae mandatis discedendi, immo et ipsam fidem amittendi.

Quare omnibus viribus satagant ut opus propagationis fidei atque cetera apostolatus opera a fidelibus alacriter sustineantur et promoveantur. Insuper curare studeant ut apti praeparentur sacrorum administri necnon auxiliares tum religiosi tum laici pro missionibus

Textus iuxta modos recognitus

degentibus, dummodo Caput Collegii eos ad actionem collegialem vocet, vel saltem Episcoporum dispersorum unitam actionem approbet vel libere recipiat, ita ut verus actus collegialis efficiatur ».[4]

5. [*Coetus seu Consilium Centrale*]. Cum universale Summi Pontificis munus maiores in dies auxilii et praesidii vires exposcat, Sacrosancti Concilii Patres magnopere exoptant ut aliqui Episcopi diversarum orbis regionum, Supremo Ecclesiae Pastori validiorem praestent adiutricem operam, modis tamen et rationibus ab Ipso opportune statuendis,[5] etiam, *si Eidem placuerit,* in Coetum seu Consilium quoddam convenientes, *quo simul significari possit omnes Episcopos sollicitudinis universae Ecclesiae participes esse.*

6. [*Episcopi sollicitudinis omnium Ecclesiarum participes*]. Episcopi, qua *legitimi Apostolorum successores et* Collegii episcopalis membra, *inter* se coniunctos semper se sciant atque omnium Ecclesiarum sollicitos sese exhibeant, cum ex Dei institutione et praecepto apostolici muneris *unusquisque* Ecclesiae una cum ceteris Episcopis *sponsor sit.*[6] Praesertim solliciti sint de illis orbis terrarum regionibus in quibus verbum Dei nuntiatum nondum est aut in quibus, praecipue ob parvum sacerdotum numerum, christifideles in periculo versantur a vitae christianae mandatis discedendi, immo et ipsam fidem amittendi.

Quare omnibus viribus satagant ut *evangelizationis et apostolatus opera* a fidelibus alacriter sustineantur et promoveantur. Insuper curare studeant ut apti praeparentur sacrorum administri necnon auxiliares tum religiosi tum laici pro missionibus atque regionibus cleri

Textus in schemate propositus

atque regionibus cleri penuria laborantibus. Curent etiam ut, quantum possibile sit, aliqui ex suis sacerdotibus praedictas missiones vel dioeceses adeant ibidem sacrum ministerium in perpetuum aut saltem ad praefinitum tempus peracturi.

Prae oculis habeant praeterea Episcopi in usu bonorum ecclesiasticorum rationem quoque esse habendam necessitatum non tantum suae dioecesis sed et aliarum particularium Ecclesiarum, quippe quae unius Ecclesiae Christi sint partes. Attendant denique ad calamitates pro viribus sublevandas, quibus aliae dioeceses vel regiones laborant.

7. [*Operosa caritas erga Episcopos vexatos*]. Maxime illos Sacrorum Antistites, qui propter nomen Christi calumniis et angustiis vexantur, in carceribus detinentur, vel suo ministerio prohibentur, fraterno amplectantur animo eosque germana actuosa cura prosequantur, ut eorum dolores precatione et opera Confratrum leniantur et mulceantur.

II - EPISCOPI ET APOSTOLICA SEDES

8. [*Episcoporum in propria dioecesi potestas*]. Episcopis, ut Apostolorum successoribus, in dioecesibus ipsis commissis per se omnis competit potestas ordinaria, propria ac immediata, quam eorum munus pastorale expostulat, firma semper in omnibus potestate quam, vi muneris sui, Romanus Pontifex habet sibi vel alii Auctoritati causas reservandi.

Insuper singulis Episcopis dioecesanis facultas fit a lege generali Ecclesiae in casu particulari dispensandi fideles in quos ad normam iuris habent auctoritatem, quoties id ad eorum

Textus iuxta modos recognitus

penuria laborantibus. Curent etiam ut, quantum possibile sit, aliqui ex suis sacerdotibus praedictas missiones vel dioeceses adeant, ibidem sacrum ministerium in perpetuum aut saltem ad praefinitum tempus peracturi.

Prae oculis habeant praeterea Episcopi in usu bonorum ecclesiasticorum rationem quoque esse habendam necessitatum non tantum suae dioecesis sed et aliarum particularium Ecclesiarum, quippe quae unius Ecclesiae Christi sint partes. Attendant denique ad calamitates pro viribus sublevandas, quibus aliae dioeceses vel regiones laborant.

7. [*Operosa caritas erga Episcopos vexatos*]. Maxime illos Sacrorum Antistites, qui propter nomen Christi calumniis et angustiis vexantur, in carceribus detinentur, vel suo ministerio prohibentur, fraterno amplectantur animo eosque germana actuosa cura prosequantur, ut eorum dolores precatione et opera Confratrum leniantur et mulceantur.

II - EPISCOPI ET APOSTOLICA SEDES

8. [*Episcoporum in propria dioecesi potestas*]. *a*) Episcopis, ut Apostolorum successoribus, in dioecesibus ipsis commissis per se omnis competit potestas ordinaria, propria ac immediata, *quae ad exercitium eorum muneris pastoralis requiritur,* firma semper in omnibus potestate quam, vi muneris sui, Romanus Pontifex habet sibi vel alii Auctoritati causas reservandi.

b) Singulis Episcopis dioecesanis facultas fit a lege generali Ecclesiae in casu particulari dispensandi fideles in quos ad normam iuris *exercent* auctoritatem, quoties id ad eorum

Textus in schemate propositus

bonum spirituale conferre iudicent, dummodo agatur de re in qua Sedes Apostolica dispensare solet, nec specialis reservatio a Sede Apostolica sibi vel alii Auctoritati facta fuerit.

9. [*Romanae Curiae Dicasteria*]. In exercenda suprema, plena et immediata potestate in universam Ecclesiam, Romanus Pontifex utitur Romanae Curiae Dicasteriis, quae proinde nomine et auctoritate illius munus suum explent in bonum Ecclesiarum et in servitium Sacrorum Pastorum.

Exoptant autem Sacrosancti Concilii Patres ut haec Dicasteria, quae Romano Pontifici atque Ecclesiae Pastoribus eximio semper fuerunt auxilio, novae ordinationi, necessitatibus temporum magis aptatae, subiiciantur, praesertim quod spectat eorundem numerum, nomen, competentiam propriamque procedendi rationem, atque inter se laborum coordinationem.

10. [*Membra et Officiales Dicasteriorum*]. Praeterea cum eadem Dicasteria ad universalis Ecclesiae bonum sint constituta, optatur ut eorum Membra, Officiales et Consultores, quantum fieri potest, ex diversis Ecclesiae regionibus assumantur ita ut catholicae Ecclesiae officia seu organa centralia indolem vere universalem prae se ferant.

In votis quoque est ut inter Dicasteriorum Membra cooptentur etiam aliqui Episcopi praesertim dioecesani, qui mentem, optata ac necessitates omnium Ecclesiarum Summo Pontifici plenius referre valeant.

Textus iuxta modos recognitus

bonum spirituale conferre iudicent, *nisi a Suprema Ecclesiae Auctoritate specialis reservatio* facta fuerit.

9. [*Romanae Curiae Dicasteria*]. In exercenda suprema, plena et immediata potestate in universam Ecclesiam, Romanus Pontifex utitur Romanae Curiae Dicasteriis, quae proinde nomine et auctoritate illius munus suum explent in bonum Ecclesiarum et in servitium Sacrorum Pastorum.

Exoptant autem Sacrosancti Concilii Patres ut haec Dicasteria, quae *quidem* Romano Pontifici atque Ecclesiae Pastoribus *eximium praebuerunt auxilium,* novae ordinationi, necessitatibus temporum, *regionum ac Rituum* magis aptatae, subiciantur, praesertim quod spectat eorundem numerum, nomen, competentiam propriamque procedendi rationem, atque inter se laborum coordinationem. *Exoptant pariter ut, ratione habita muneris pastoralis Episcoporum proprii, Legatorum Romani Pontificis officium pressius determinetur.*

10. [*Membra et Officiales Dicasteriorum*]. Praeterea cum eadem Dicasteria ad universalis Ecclesiae bonum sint constituta, optatur ut eorum Membra, Officiales et Consultores, *necnon Legati Romani Pontificis,* quantum fieri potest, ex diversis Ecclesiae regionibus *magis* assumantur, ita ut catholicae Ecclesiae officia seu organa centralia indolem vere universalem prae se ferant.

In votis quoque est ut inter Dicasteriorum Membra cooptentur etiam aliqui Episcopi praesertim dioecesani, qui mentem, optata ac necessitates omnium Ecclesiarum Summo Pontifici plenius referre valeant.

6] *Textus in schemate propositus*	*Textus iuxta modos recognitus*
Denique perutile esse censent Concilii Patres si eadem Dicasteria laicos, virtute et experientia praestantes, magis audiant, ita ut et ipsi in rebus Ecclesiae partes sibi congruentes habeant.	Denique perutile esse censent Concilii Patres si eadem Dicasteria laicos, virtute, *scientia* et experientia praestantes, magis audiant, ita ut et ipsi in rebus Ecclesiae partes sibi congruentes habeant.

NOTAE

[1] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *de Ecclesia,* cap. III, n. 22: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 25-27.

[2] CONC. VAT. II, Const. dogm. *de Ecclesia,* ibid.

[3] CONC. VAT. II, Const. dogm. *de Ecclesia,* ibid.

[4] CONC. VAT. II, Const. dogm. *de Ecclesia,* ibid.

[5] Cf. PAULUS VI, *Allocutio* ad Em.mos Patres Cardinales, Exc.mos Praesules, Rev.mos Praelatos ceterosque Romanae Curiae Officiales, d. 21 sept. 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 799: « È norma sacra dei Dicasteri della Curia Romana interrogare i Vescovi e valersi del loro giudizio nella trattazione degli affari. Fra i Consultori delle Sacre Congregazioni si annoverano non pochi Vescovi, provenienti da varie regioni. E Noi diremo di più; quando il Concilio Ecumenico mostrasse desiderio di vedere associato in un certo modo e per certe questioni, in conformità alla dot-
7] trina della Chiesa e alla legge canonica qualche rappresentante dell'Episcopato, particolarmente fra i Presuli che dirigono una diocesi, al Capo supremo della Chiesa stessa, nello studio e nella responsabilità del governo ecclesiastico, non sarà sicuramente la Curia Romana a farvi opposizione, ché anzi essa sentirà accresciuto l'onore e l'onere del suo sublime e indispensabile servizio, ch'è, a parte il debito procedere dei Tribunali ecclesiastici, sia nella Curia Romana, che nella Diocesi, come bene sappiamo, specificamente amministrativo, consultivo ed esecutivo ».

Cf. PAULUS VI, *Allocutio* ad Concilii Patres, die 29 sept. 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 849-850: « Inter varias diversasque quaestiones, de quibus in Concilio pertractabitur, primas habet quae ad vos attinet, utpote Episcopos Ecclesiae Dei. Haud dubitamus asseverare Nos magna spe ac sincera fiducia huiusmodi disceptationem expectare. Enimvero, salvis declarationibus dogmaticis, Oecumenici Concilii Vaticani Primi ad Romanum Pontificem attinentibus, altius investiganda erit doctrina de Episcopatu, de eius muneribus deque eius cum Petro necessitudinibus. Exinde rationes Nobis exponentur, quibus, ad doctrinam et usum vitae quod spectat, in apostolico munere Nostro obeundo utamur. Hoc namque universale munus, quamvis a Christo instructum sit plenitudine et iusta virtute potestatis, quam quidem scitis, poterit tamen auxilii et praesidii maiores vires sibi adiungere, si dilecti et venerabiles Fratres in Episcopatu, modis et rationibus opportune statuendis, Nobis validiorem et suscepti oneris magis consciam praestabunt adiutricem operam ».

[6] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Fidei donum,* 21 apr. 1957: *A.A.S.,* 49 (1957), p. 237 s.: « Quodsi unusquisque Episcopus portionis tantum gregis sibi commissae sacer pastor est, tamen qua legitimus Apostolorum successor ex Dei institutione et praecepto apostolici muneris Ecclesiae una cum ceteris Episcopis sponsor fit,

secundum illa verba quae Christus ad Apostolos fecit: " Sicut misit me Pater, et ego mitto vos " (*Io.* 20, 21). Haec quae " omnes gentes ... usque ad consummationem saeculi " (*Mt.* 28, 19-20) amplectitur missio, cum Apostoli de mortali vita decesserunt, minime decidit; immo in Episcopis communionem cum Iesu Christi Vicario habentibus, adhuc perseverat ». [17]

Cf. etiam: BENEDICTUS XV, Epist. Ap. *Maximum illud,* 30 nov. 1919: *A.A.S.,* 11 (1919), p. 440; PIUS XI, Litt. Encycl. *Rerum Ecclesiae,* 28 febr. 1926: *A.A.S.,* 18 (1926), p. 68.

MODI PROPOSITI ET EXAMINATI [19]

RELATIO GENERALIS DE PROOEMIO ET DE CAPITE I

Venerabiles Patres,

Varii quidem numeri Prooemii et Capitis I schematis « De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia » suffragio Patrum fuerunt approbati, sed multi postea introducti sunt modi, quibus aptior textus redactio exquirebatur. Iisdem semper principiis fundamentalibus ducta, quae in anterioribus relationibus exposita sunt, eadem item methodo utens, qua in ponderandis animadversionibus antea factis usa est, Commissio nostra modos expendit a Vobis de variis huius schematis numeris introductos et quam maxime eorumdem omnium rationem habuit. De omnibus his modis, etiam minimis, disceptavit specialis Subcommissio constans Exc.mis Relatoribus, Rev.mo Secretario Commissionis atque Rev.mis Secretariis quinque priorum Subcommissionum, quae in Commissione erectae fuerunt. Propositiones quas dicta Subcommissio admittendas aestimavit subiectae sunt iudicio Commissionis plenariae, quae consentientibus omnibus Membris, haec sequentia approbationi Patrum submittenda censuit.

Multi modi easdem emendationes iterum proponebant, quae iam antea in animadversionibus prolatae fuerant. Quae quidem alteri examini subiectae, saepesaepius ob easdem rationes in prioribus Relationibus indicatas admitti non potuerunt. Inter eas haud paucae hac iterum ratione remotae sunt, quia doctrinae in Constitutione dogm. « De Ecclesia » affirmatae contrariae sunt. Aliae vero emendationes propositae ea etiam ratione acceptatae sunt, quia textum nostri schematis perfectius eidem Constitutioni « De Ecclesia » congruentem reddunt.

Ad Prooemium schematis quod attinet, quattuor emendationes introductae sunt.

[19] In num. 1, pag. 5, linn. 7-8 [pag. 9, linn. 7-8],* loco verborum « et animas salvas facerent », admissa sunt verba « et *homines salvos* facerent »; missio enim salvifica Christi ipsos homines salvos facere intendit.

In num. 2, pag. 5, lin. 12 [pag. 9, lin. 11], post verba « Romanus Pontifex » additum est verbum « *ut* », ita ut, iuxta votum 4 Patrum, textus « Romanus Pontifex, *ut* successor Petri ... » clarius indicet rationem ob quam Summus Pontifex suprema, plena et universali in Ecclesia gaudet potestate. Haec potestas expresse nunc, ad petitionem 25 Patrum, in textu emendato *immediata* quoque dicitur; ita distincte
[20] enuntiatur doctrina definita in Concilio Vaticano I, quae iam implicite in textu priore affirmabatur verbis: « Qui ideo, tamquam omnium fidelium pastor ».

In num. 3, pag. 6, lin. 5 [pag. 10, linn. 3-4], tandem, iuxta votum 3 Patrum, adduntur verba « *ad magisterium et regimen pastorale quod attinet* », quibus, iuxta doctrinam in Constitutione « De Ecclesia » traditam, significatur Episcopos in Collegio unitos munera magisterii et regiminis pastoralis exercere.

Ad Caput Primum quod attinet, ut textus nostri schematis perfectius cohaereat cum doctrina in Constitutione « De Ecclesia » admissa, quaedam introductae sunt mutationes, quas quidem multi Patres rogarunt inducendas.

In prima alinea num. 4, pag. 15, linn. 1-9 [pag .13, linn. 1-9], loco prioris textus, admissus est textus quem plus quam septingenti Patres inserendum rogarunt, et qui, cum citationibus ex Constitutione « De Ecclesia » constet, plene doctrinae in hac Constitutione traditae respondet.

In num. 8, pag. 17, lin. 5 [pag. 15, linn. 13-14], ad petitionem 619 Patrum, restituitur textus, vi cuius potestas illa Episcopis competit quae ad *exercitium* eorundem muneris requiritur, qui textus hisce verbis exprimitur: « Episcopis ... per se omnis competit potestas ordinaria, propria et immediata, *quae ad exercitium eorum muneris pastoralis requiritur* ». Ad petitionem eorundem Patrum item in eodem num. 8, pag. 17, lin. 13 [pag. 15, linn. 19-20], loco verborum « ad normam iuris habent auctoritatem », admissa sunt verba « ad normam iuris *exercent* auctoritatem ».

In eodem num. 8, pag. 17, linn. 14-17 [pag. 15, linn. 20-24], petentibus circiter 600 Patribus, nova formula introducta est ad determinandam potestatem dispensandi a legibus generalibus Ecclesiae, quae fit Episcopis. Suppressa sunt verba « dummodo agatur de re in qua

---

* Numeri paginarum et linearum, inter uncos [ ] positi, sese referunt ad hunc fasciculum.

Sedes Apostolica dispensare solet »; haec enim verba, quae nimis in- [20]
determinatam relinquunt materiam, inutilia sunt, quia, cum ipsi Episcopi dispensare valeant in materiis non reservatis, revera non dabitur iurisprudentia, qua constare poterit in quibusnam materiis Sedes Apostolica dispensare solet. Potestas autem Episcoporum non ad omnes materias sese extendit, sed solummodo ad eas, de quibus non fuerit facta reservatio specialis a *Suprema Ecclesiae Auctoritate*. Haec itaque formula introducta est in textu « *nisi a Suprema Ecclesiae Auctoritate specialis reservatio facta fuerit* ». Haec generalis formula omnino conveniens videtur. Re quidem vera, una ex parte, cum agatur de dispensationibus in legibus generalibus seu universalibus, sola Suprema Auctoritas, scilicet sive Romanus Pontifex sive Concilium Oecumenicum, per se valet tales reservationes in favorem alicuius auctoritatis statuere. Altera autem ex parte hac formula implicite asseritur alias Auctoritates in Ecclesia constitutas, uti v. g. Patriarchas, tales reservationes facere posse, cum,
Statuente Suprema Ecclesiae Auctoritate, talis potestas sibi quasdam cau- [21]
sas reservandi alii etiam Auctoritati concedi possit.

Petentibus non paucis Patribus, in num. 9, in fine, scilicet pag. 17, lin. 32 [pag. 16, lin. 4], expresse nunc affirmatur, quod implicite iam in textu habebatur, exoptatam Curiae reformationem respicere etiam Nuntios et Delegatos Apostolicos. Quare adduntur verba: « *Exoptant pariter ut, ratione habita muneris pastoralis Episcoporum proprii, Legatorum Romani Pontificis officium pressius determinetur* ». Similiter in n. 10, pag. 17, lin. 37 [pag. 16, lin. 12], expressa mentio fit de iisdem Legatis, cum post verba « Officiales et Consultores » addantur haec alia « *necnon Legati Romani Pontificis* ».

Non pauci quidem Patres, scilicet plus quam 30, rogarunt ut loco verborum « Exoptant Sacrosancti Concilii Patres » admitterentur verba « Decernit Sacrosancta Synodus ». Servata tamen sunt verba uti in textu habentur, quia etiam Concilium Tridentinum similibus verbis usum est, et quia de solo Patrum voto quaestio esse potest, usquedum Summus Pontifex approbationem suam huic textui dederit. Post hanc Summi Pontificis approbationem, verba « Decernit Sacrosancta Synodus » adhiberi poterunt.

Aliae quaedam mutationes introductae in textu minoris sunt momenti atque generalius latinitatis ratione inductae sunt, quin ulla sensus mutatio habeatur. Tales sunt mutationes introductae in num. 5, pag. 15, linn. 28-30 [pag. 14, linn. 5-7]; item in num. 6, pag. 16, linn. 2, 7 et 9 [pag. 14, linn. 11, 14, 15]. Attamen in num. 5 restituuntur lin. 26 [pag. 14, lin. 3], verba « *si Eidem placuerit* », uti a 16 Patribus petitum est et implicite iam in textu significabatur. Tandem in num. 6, pag. 16, linn. 15-16 [pag. 14,

[21] linn. 22-23], loco verborum « opus propagationis fidei atque cetera apostolatus opera » admissa sunt verba magis generalia « *evangelizationis* et apostolatus opera ». Tandem restituuntur in eodem num. 6 verba « *Qua legitimi Apostolorum successores* », quod non pauci rogaverunt.

Venerabiles Patres,

Vobis gratias agimus, quia vestris animadversionibus textus in meliorem formam redigi potuit.

Mutationes introductae certo certius textum clariorem non tantum reddunt, sed et plene conformem doctrinae quae in Constitutione dogm. « De Ecclesia » habetur. Omnium modorum, quantum fieri potuit, ratio habita est in schemate emendato. Quare, confidimus ut huic textui approbationem vestram plene concedere velitis, immo et instanter nunc Vos rogamus ut hanc approbationem plane significetis.

† PETRUS VEUILLOT
Archiepiscopus tit. Constantiensis in Thracia

[23]

RELATIO
DE SINGULIS NUMERIS PROOEMII ET CAPITIS I

DE SCHEMATE IN GENERE

1 — Quaeritur: Abbates et Praelati *nullius* gaudent etiam iuribus, privilegiis et facultatibus de quibus fit sermo in hoc schemate? (*1 Pater*).

R. — Abbates et Praelati *nullius* in iure veniunt nomine Episcoporum (C.I.C. can. 215 § 2).

2 — Quaeritur: Nonne congruum et opportunum esset ut in hoc schemate iura et facultates determinarentur Episcoporum *titularium,* qui nec Coadiutores sint nec Auxiliares? (*1 Pater*).

R. — In Concilio Oecumenico quaestiones iuridicae particulares non pertractantur. In capite III, n. 38, 2 sermo fit de parte quam in Conferentiis Episcoporum habent Episcopi *titulares.*

PROOEMIUM [23]

AD NUM. 1

3 — Pag. 5, lin. 2 [pag. 9, linn. 2-3]: Non dicatur « populum suum », sed: « ut omnes homines salvos faceret a peccatis et sanctificaret », ne populus electus prae aliis videatur peccator et universalitas salutis clare appareat (*1 Pater*).

R. — Textus schematis remittit ad *Mt.* 1, 21.

4 — Pag. 5, lin. 5 [pag. 9, linn. 5-6]: Non dicatur: « quos ideo sanctificavit », sed: « quos ideo *docuit* et sanctificavit » (*1 Pater*).

R. — Necesse non est ut expresse dicatur Christum Dominum *docuisse* Apostolos.

5 — Pag. 5, linn. 5-6 [pag. 9, lin. 6]: Auferantur verba: « tradens eis Spiritum Sanctum », quia sanctificatio Apostolorum non unice Spiritui Sancto tribui potest (*1 Pater*).

R. — In textu minime dicitur sanctificationem Apostolorum unice tribuendam esse Spiritui Sancto.

AD NUM. 2 [24]

6 — Pag. 5, lin. 11 [pag. 9, lin. 11]: Post verba: « successor Petri » addatur: « ut Christi Vicarius et Ecclesiae Caput ». Romanus Pontifex enim succedit Petro non tantum tamquam Episcopus Apostolo, sed etiam tamquam Vicarius Christi et Caput Ecclesiae (*1 Pater*).

R. — Additio necessaria non est quia Romanum Pontificem esse Christi Vicarium et Caput Ecclesiae comprehenditur in locutione: « successor Petri ».

7 — Pag. 5, lin. 10 [pag. 9, lin. 10]: Pro verbis: « Romanus Pontifex » semper adhibeantur verba: « Summus Pontifex ». Alibi enim dicitur « Summus Pontifex », quae locutio magis accepta est Orientalibus, tum Catholicis tum Orthodoxis (*1 Pater*).

R. — Servatur locutio « Romanus Pontifex », quae pariter convenit ac locutio « Summus Pontifex », quaeque decursu saeculorum saepissime adhibita est in documentis sollemnibus et in definitionibus ac Decretis Conciliorum Oecumenicorum, ut e. g. in Conciliis Lateranensi I, II, IV et V, Lugdunensi II, Constantiensi, Florentino, Tridentino et Vaticano I. Ceterum etiam in aliis documentis, Constitutionibus et Decretis huius Sacrosancti Concilii Vat. II eadem locutio adhibetur.

[24] 8 — Pag. 5, linn. 20-30 [pag. 9, linn. 20-31]: Textus ita reformetur: « Episcopi autem, positi a Spiritu Sancto, in Apostolorum locum succedunt ut animarum pastores, quibus sanctificandis, pascendis et regendis a Christi Vicario et sub Ipsius Auctoritate, ad Christi opus perenne reddendum mittuntur. Christus enim Apostolis dedit mandatum atque potestatem ut docerent omnes gentes hominesque sanctificarent in veritate atque pascerent. Episcopi itaque, idipsum mandatum a Christi Vicario recipientes pro parte Dominici gregis sibi commissa, Apostolorum successores constituuntur et veri et authentici efficiuntur fidei Magistri, Pontifices ac Pastores » (*1 Pater*).

R. — Non videtur textum schematis esse reformandum; in ipso enim minime excluduntur peculiares determinationes quae in modo proposito exponuntur.

9 — Pag. 5, lin. 23 [pag. 9, lin. 23]: Ante verba: « (et) sub Eiusdem auctoritate », addatur verbum: « (et) *tantum* etc. », nam Episcopi directe tantum Summo Pontifici subsunt (*1 Pater*).

[25] R. — Additio proposita non videtur necessaria, quia particulares determinationes non sunt semper ubique iterandae.

10 — Pag. 5, lin. 28 [pag. 9, lin. 28]: Pro verbo: « pascerent » ponantur verba: « gubernarent » vel « ducerent ». Sic enim melius indicaretur Episcopum esse Pastorem in toto munere suo (*1 Pater*).

R. — In verbo « pascere » comprehenditur etiam « gubernare » vel « ducere ».

Caput I

DE EPISCOPIS QUOAD UNIVERSAM ECCLESIAM

I – Partes quas habent Episcopi quoad universam Ecclesiam

AD NUM. 4 [*Potestatis Collegii Episcoporum exercitium*].

11 — Pag. 15, lin. 9 [pag. 13, lin. 9]: Addatur: ad Concilium Oecumenicum convocari posse vel debere etiam Superiores Ordinum Religiosorum (*4 Patres*).

R. — In textu id non excluditur, necessarium autem non videtur ut id in ipso exprimatur.

12 — Pag. 15, lin. 12 [pag. 13, lin. 19]: Pro verbis « potestas collegialis » ponantur verba « *munus collegiale* » (*1 Pater*). [25]

R. — Servantur verba textus, quae melius respondent Constitutioni dogm. « De Ecclesia ».

13 — Pag. 15, lin. 17 [pag. 13, lin. 24]: Omittantur verba: « *vel libere recipiat* »; saepius enim dubium esse poterit num eiusmodi receptio reapse fiat (*4 Patres*).

R. — Textus respondet Const. dogm. « De Ecclesia ».

AD NUM. 5 [*Coetus seu Consilium Centrale*].

14 — Pag. 15, lin. 22 [pag. 13, lin. 29]: Verbum « exoptant » mutetur in verbum « decernunt », ut melius exprimatur in Concilio Oecumenico Patres una cum Summo Pontifice unum Coetum efformare (*25 Patres*).

R. — Praefata mutatio fieri poterit, approbante Summo Pontifice, in praesentis Decreti promulgatione. Ceterum, etiam in Concilio Tridentino adhibitae sunt quaedam formulae non praeceptivae, sed optativae. [26]

15 — Pag. 15, lin. 23 [pag. 13, lin. 29]: Proponitur ut haec verba addantur: « (exoptant ut) *omnes Patriarchae Orientales* (et aliqui Episcopi) ». Ratio est ut patriarchali instituto reddatur debitus honor (*7 Patres*).

R. — Unius Romani Pontificis est determinare Membra Coetus seu Consilii Centralis, sive Patriarchas, sive Archiepiscopos, sive Episcopos, quos Ipse seligere maluerit.

16 — Pag. 15, lin. 23 [pag. 13, lin. 30]: Proponitur ut addatur aliquos etiam qui non sint Episcopi partem habere posse in Coetu seu Consilio Centrali (*1 Pater*).

R. — Summus Pontifex Paulus VI in sua Allocutione diei 21 septembris 1963 locutus est solummodo de Episcopis.

AD NUM. 6 [*Episcopi sollicitudinis omnium Ecclesiarum participes*].

17 — Pag. 16, linn. 15-26 [pag. 14, linn. 22-33]: Novus textus propositus est, in quo *plures peculiares determinationes* fiunt de modis quibus apostolatus opera promoveantur (*5 Patres*).

R. — In hoc schemate non sunt multa particularia de apostolatu missionario exponenda, de quo proprie agendum est in schemate de Missionibus.

[26] 18 — Pag. 16, lin. 23 [pag. 14, lin. 29]: Proponitur ut auferantur verba: « *quantum possibile sit* »; experientia enim constat sacerdotes saepe non mitti, quamvis possibile esset (*1 Pater*).

R. — Praefata verba in textu servantur, quia in Concilio Oecumenico ratio haberi non potest de casibus peculiaribus.

AD NUM. 7 [*Operosa caritas erga Episcopos vexatos*].

19 — Pag. 16, lin. 40 [pag. 15, lin. 6]: Exposcitur ut textus non sit tantummodo *theoreticus,* sed ut in ipso determinetur quid reapse sit faciendum (*1 Pater*).

R. — Modi, quibus in re operosa caritas erga Episcopos vexatos exerceatur, dependent ex adiunctis temporis, locorum, personarum, ideoque determinari nequeunt in hoc schemate.

[27]

II – Episcopi et Apostolica Sedes

AD NUM. 8 [*Episcoporum in propria dioecesi potestas*].

20 — Pag. 17 [pag. 15]: In titulo dicatur: Episcopi et *Sancta Sedes,* quia et aliae sunt Sedes Apostolicae; scilicet Antiochena, Hierosolymitana etc. (*1 Pater*).

R. — Servatur titulus « Episcopi et Apostolica Sedes », quia in praecedentibus Conciliis Oecumenicis adhibitus est, etiam quando actum est de negotiis Ecclesias Orientales spectantibus, ut in Conc. Florentino; item in Conciliis Lateranensi I, II, IV et V, Lugdunensi II, Constantiensi, Tridentino et Vaticano I et etiam in hoc Concilio Vaticano II. Ceterum in Codice I. C. can. 7 determinatur quid veniat nomine Sedis Apostolicae.

21 — Pag. 17, lin. 7 [pag. 15, lin. 15]: Post verba: « vi muneris sui », haec addantur: « *Vicarii scilicet Christi et totius Ecclesiae Pastoris* », ut expresse indicetur undenam proveniat in Summo Pontifice facultas causas Sibi reservandi (*5 Patres*).

R. — Additio non est necessaria; pluries enim dictum est Romanum Pontificem, qua Petri Successorem, Vicarium Christi esse ac totius Ecclesiae Pastorem.

22 — Pag. 17, lin. 8 [pag. 15, lin. 15]: Loco verborum « Romanus Pontifex habet sibi vel alii Auctoritati causas reservandi », ponantur verba: « Romanus Pontifex vel alia Auctoritas competens, v. g. Concilium Oecumenicum, habet causas sibi reser-

vandi ». Ratio est quia Concilium Oecumenicum pollet potestate (*18 Patres*). [27]

R. — Immutatur textus et explicatio datur in Relatione (cf. pag. 20).

23 — Pag. 17, lin. 11 [pag. 15, lin. 18]: Pro verbo « fit » adhibeatur verbum « fiat », ne aliqua lugenda consectaria forte habeantur si opportunae normae de usu eiusmodi facultatis a Romano Pontifice vel in recognito Codice I. C. non statuantur (*4 Patres*).

R. — Servatur textus, quia in ipso aperte indicatur quod facultas conceditur a Sancta Synodo, itemque casus determinantur in quibus eiusdem usus fieri valet, necnon causa exprimitur ob quam idem usus fieri potest.

24 — Pag. 17, lin. 14 [pag. 15, linn. 20-21]: Loco verborum: « quoties id ad eorum bonum spirituale conferre iudicent », ponantur verba: « *ob iustam causam* », ne facultas dispensandi restringatur (*5 Patres*). [28]

R. — Servatur textus, quia eiusmodi facultas dispensandi Episcopis conceditur ob eorundem munus pastorale.

AD NUM. 9 [*Romanae Curiae Dicasteria*].

25 — Pag. 17, lin. 20 [pag. 15, linn. 27-28]: Verbum « utitur » mutetur in verbum « uti potest », quia Summus Pontifex liber est utendi vel non utendi Dicasteriis Curiae Romanae (*10 Patres*).

R. — Servatur verbum « utitur », quod nullimode significat Romanum Pontificem *uti debere* Dicasteriis Curiae Romanae.

26 — Pag. 17, lin. 21 [pag. 15, lin. 27]: Post verba: « Romanus Pontifex », haec addantur: « *casu quo adiutus a supra memorato Consilio Episcoporum,* utitur Romanae Curiae Dicasteriis ». Ratio est quia quando Consilium Centrale permanens institutum erit, necessarium videtur etiam huius Consilii relationes ad Romanae Curiae Dicasteria circumscribere (*24 Patres*).

R. — Unius tantummodo Summi Pontificis est normas statuere quae servari debeant a Romanae Curiae Dicasteriis in casu quo Consilium Centrale ab Ipso constituatur.

27 — Pag. 17, lin. 22 [pag. 15, lin. 29]: Pro verbis: « *nomine et auctoritate* », dicatur: « *ex mandato* »; prior enim locutio latior videtur et durior fratribus seiunctis.

R. — Servatur textus, cuius sensus verior est; praeterea, locutio « ex mandato » intelligi posset in sensu quod Dicasteria Curiae Romanae agere valeant solummodo ex potestate delegata.

[28] 28 — Pag. 17, lin. 33 [pag. 16, lin. 4]: Textus ita redigatur ut indicetur Dicasteria Romanae Curiae esse *solummodo instituta consultiva et exsecutiva tum Summi Pontificis, tum Consilii Centralis* (*30 Patres*).

R. — Res valde determinata proponitur, et Concilium Oecumenicum particularia praefinire non expedit.

[29] AD NUM. 10 [*Membra et Officiales Dicasteriorum*].

29 — Pag. 18, linn. 3-5 [pag. 16, lin. 18]: Proponitur ut deleantur verba « (Episcopi) *praesertim dioecesani* ». Ratio est quia si in Urbe commorantur, magnum damnum dioecesibus infertur ex eorum non residentia in sua quisque dioecesi; sin autem saepius ad Urbem accedere debeant, ingentes sumptus fieri debent (*1 Pater*).

R. — Servatur textus, quia non requiritur Episcoporum dioecesanorum continua vel diuturna commoratio in Urbe; quod attinet autem ad expensas faciendas, haud difficile erit procurare ut eorum dioeceses gravius non onerentur.

30 — Pag. 18, lin. 5 [pag. 16, lin. 19]: Proponitur ut post verba: « praesertim dioecesani », haec addantur: « *electi inter Episcopos a Conferentiis Episcopalibus propositos* ». Ratio est quia iidem melius exprimere poterunt sententiam proprii Episcopatus (*1 Pater*).

R. — Non fit proposita additio in textu, quia non est necessaria; insuper autem unius Summi Pontificis est Membra Dicasteriorum Curiae Romanae pro sua prudentia seligere.

31 — Pag. 18, linn. 8-12 [pag. 16, linn. 22-26]: Omittantur verba de *laicis* a Dicasteriis Curiae Romanae audiendis, quia id non est necessarium et quia exinde inconvenientia manare possunt (*2 Patres*).

R. — Servatur textus, tum quia non est praeceptivus, tum quia eorumdem votum esset solummodo consultivum, proindeque periculum non adest ut exinde gravia incommoda sequantur.

32 — Pag. 18, lin. 10 [pag. 16, lin. 24]: Post verba « (laicos) magis audiant », haec addantur: « in his quae ipsos vel saecularia aut temporalia negotia directe spectant ». Rationes sunt: *a*) Quia clerici, etiam Episcopi, in rebus Ecclesiae, idest specifice sacris et pure ecclesiasticis, submitterentur laicis: quod absonum est; *b*) Quia esset occasio scandali pro laicis illis, cum ad Dicasteria Curiae Romanae plerumque afferantur casus vel negotia pecca-

minosa et inhonesta, non modo laicorum sed et clericorum, immo et Episcoporum (*2 Patres*).

R. — In textu non fit additio proposita, quia necessaria non est. Laici enim solummodo *audiri deberent,* et idcirco Clerici et Episcopi iisdem non submitterentur. Quia vero in textu expresse dicitur quod laici solummodo *partes sibi congruentes habeant,* manifeste patet quod iidem essent audiendi tantummodo quando id decet et expedit.

33 — Pag. 18, linn. 8-10 [pag. 16, linn. 23-25]: Textus ita reformetur: « *Denique decernit Sacrosancta Synodus quod eadem Dicasteria sibi assumere debent laicos, scientia et experientia praestantes, ita ut in rebus Ecclesiae* etc. ... ». Ratio est quia non intelligitur quare solummodo in laicis peculiariter *virtus* requiratur; *praeterea,* post omnia quae in hoc Concilio dicta sunt de partibus laicorum in Ecclesia, absonum esset hic statuere quod partes congruentes laicorum in rebus Ecclesiae eae solummodo sunt ut iidem *audiantur* (*23 Patres*).

R. — Unius Summi Pontificis est personas nominare quae partes habeant in Dicasteriis Curiae Romanae. Expedire autem non videtur ut in Concilio decernatur etiam laicos assumendos esse tanquam Membra Dicasteriorum Curiae Romanae.

QUAESITA PARTICULARIA

1. *An placeat ut textus numeri 4* (in hoc fasciculo, pag. 13, lineis 2-9) *ita immutetur ut*

loco	*legatur*
« Suprema in universam Ecclesiam potestas, qua Episcoporum Collegium pollet, sollemni modo in Concilio Oecumenico exercetur ». Ideo Sacrosancta Synodus decernit omnibus Episcopis, qui sint Membra Collegii Episcopalis, ius esse ut Concilio Oecumenico intersint, aut saltem in eo repraesententur, iuxta normas a Summo Pontifice determinatas.	*Episcopi, vi sacramentalis consecrationis et hierarchica communione cum Collegii Capite atque membris, constituuntur membra Corporis episcopalis. « Ordo autem Episcoporum, qui collegio Apostolorum in magisterio et regimine pastorali succedit, immo in quo corpus apostolicum continuo perseverat, una cum Capite suo Romano Pontifice, et numquam sine hoc Capite, subiectum quoque supremae ac plenae*

1] *loco*

legatur

potestatis in universam Ecclesiam exsistit, quae quidem potestas nonnisi consentiente Romano Pontifice exerceri potest ». *Haec vero potestas* « *sollemni modo in Concilio Oecumenico exercetur* »: *ideo Sacrosancta Synodus decernit omnibus Episcopis, qui sint membra Collegii episcopalis, ius esse ut Concilio Oecumenico intersint.*

2. *An placeat ut textus numeri 8* (in hoc fasciculo, pag. 15, lineis 13-14) *ita immutetur ut*

loco

Episcopis, ut Apostolorum successoribus, in dioecesibus ipsis commissis per se omnis competit potestas ordinaria, propria ac immediata, quam eorum munus pastorale expostulat, firma semper in omnibus potestate quam, vi muneris sui, Romanus Pontifex habet sibi vel alii Auctoritati causas reservandi.

legatur

a) Episcopis, ut Apostolorum successoribus, in dioecesibus ipsis commissis per se omnis competit potestas ordinaria, propria ac immediata, *quae ad exercitium eorum muneris pastoralis requiritur,* firma semper in omnibus potestate quam, vi muneris sui, Romanus Pontifex habet sibi vel alii Auctoritati causas reservandi.

2] 3. *An placeat ut textus numeri 8* (in hoc fasciculo, pag. 15, lineis 17-22) *ita immutetur ut*

loco

Insuper singulis Episcopis dioecesanis facultas fit a lege generali Ecclesiae in casu particulari dispensandi fideles in quos ad normam iuris habent auctoritatem, quoties id ad eorum bonum spirituale conferre iudicent, dummodo agatur de re in qua Sedes Apostolica dispensare solet, nec specialis reservatio a Sede Apostolica sibi vel alii Auctoritati facta fuerit.

legatur

b) Singulis Episcopis dioecesanis facultas fit a lege generali Ecclesiae in casu particulari dispensandi fideles in quos ad normam iuris *exercent* auctoritatem, quoties id ad eorum bonum spirituale conferre iudicent, *nisi a Suprema Ecclesiae Auctoritate specialis reservatio facta fuerit.*

4. *An placeat ut textus numeri 9* (in hoc fasciculo, pag. 15, lineis 32-36; pag. 16, lineis 1-7) *ita immutetur ut*

loco	*legatur*
Exoptant autem Sacrosancti Concilii Patres ut haec Dicasteria, quae Romano Pontifici atque Ecclesiae Pastoribus eximio semper fuerunt auxilio, novae ordinationi, necessitatibus temporum magis aptatae, subiiciantur, praesertim quod spectat eorundem numerum, nomen, competentiam propriamque procedendi rationem, atque inter se laborum coordinationem.	Exoptant autem Sacrosancti Concilii Patres ut haec Dicasteria, quae *quidem* Romano Pontifici atque Ecclesiae Pastoribus *eximium praebuerunt auxilium,* novae ordinationi, necessitatibus temporum, *regionum ac Rituum* magis aptatae, subiciantur, praesertim quod spectat eorundem numerum, nomen, competentiam propriamque procedendi rationem, atque inter se laborum coordinationem. *Exoptant pariter ut, ratione habita muneris pastoralis Episcoporum proprii, Legatorum Romani Pontificis officium pressius determinetur.*

5. *An placeat ut textus numeri 10* (in hoc fasciculo, pag. 16, lineis 9-15) *ita immutetur ut*

loco	*legatur*
Praeterea cum eadem Dicasteria ad universalis Ecclesiae bonum sint constituta, optatur ut eorum Membra, Officiales et Consultores, quantum fieri potest, ex diversis Ecclesiae regionibus assumantur, ita ut catholicae Ecclesiae officia seu organa centralia indolem vere universalem prae se ferant.	Praeterea cum eadem Dicasteria ad universalis Ecclesiae bonum sint constituta, optatur ut eorum Membra, Officiales et Consultores, *necnon Legati Romani Pontificis,* quantum fieri potest, ex diversis Ecclesiae regionibus *magis* assumantur, ita ut catholicae Ecclesiae officia seu organa centralia indolem vere universalem prae se ferant.

QUAESITUM GENERALE

An placeat expensio facta a Commissione Conciliari circa modos reliquos Prooemium et Caput I respicientes.

[35] CAPUT II

DE EPISCOPIS QUOAD ECCLESIAS PARTICULARES SEU DIOECESES

SUFFRAGATIONES

Die 5 novembris 1964 factae sunt suffragationes de Capite II.

Septima suffragatio, de num. 11-18:

Praesentes votantes	2.062
Placet	2.040
Non placet	22
Vota nulla	

Octava suffragatio, de num. 19-20:

Praesentes votantes	2.063
Placet	2.055
Non placet	8
Vota nulla	

Nona suffragatio, de num. 21:

Praesentes votantes	2.044
Placet	1.986
Non placet	57
Vota nulla	1

Decima suffragatio, de num. 22-24:

Praesentes votantes	1.993
Placet	1.979
Non placet	12
Vota nulla	2

Decima prima suffragatio, de num. 25-26:

Praesentes votantes	2.005
Placet	1.982

Non placet	22	[35]
Vota nulla	1	

Decima secunda suffragatio, de num. 27-29: [36]

Praesentes votantes	1.981
Placet	1.956
Non placet	25
Vota nulla	

Decima tertia suffragatio, de num. 30-32:

Praesentes votantes	1.964
Placet	1.950
Non placet	14
Vota nulla	

Decima quarta suffragatio, de num. 33-35:

Praesentes votantes	1.985
Placet	1.801
Non placet	172
Vota nulla	12

De integro capite II facta est suffragatio, quae fuit *decima quinta,* die 6 novembris 1964:

Praesentes votantes	2.129
Placet	1.219
Non placet	19
Placet iuxta modum	889
Vota nulla	2

Integrum Caput II, cum in Congregatione Generali duas ex tribus suffragiorum partibus non attigerit, ad Commissionem transmissum est ut recognosceretur iuxta modos a Patribus Conciliaribus propositos.

Caput II

DE EPISCOPIS QUOAD ECCLESIAS PARTICULARES SEU DIOECESES

Textus in schemate propositus

I – Episcopi Dioecesani

11. [*Dioecesis notio et Episcoporum munus in dioecesi*]. Dioecesis est Populi Dei portio, quae Episcopo cum cooperatione presbyterii pascenda concreditur, ita ut, pastori suo adhaerens ab eoque per Evangelium et Eucharistiam in Spiritu Sancto congregata, Ecclesiam particularem constituat, in qua vere pleneque inest et operatur Una Sancta Catholica et Apostolica Christi Ecclesia.

Singuli Episcopi, quibus Ecclesiae particularis cura specialis commissa est, sub auctoritate Summi Pontificis, tamquam proprii, ordinarii et immediati earum pastores, oves suas in nomine Domini pascunt, munus docendi, sanctificandi et regendi in eas exercentes. Episcopi tamen agnoscant iura, quae sive Patriarchis Ecclesiarum Orientalium sive aliis hierarchicis Auctoritatibus legitime competunt.

Ad suum autem apostolicum munus intendant Episcopi ut Christi testes coram omnibus hominibus, non solum iis providentes qui iam Principem Pastorum sequuntur, sed iis quoque toto animo sese devoventes qui a via veritatis quoquo modo deflexerunt aut Christi Evangelium et misericordiam salutiferam plane ignorant, donec « in omni bonitate et iustitia et veritate » (*Eph.* 5, 9) tandem omnes ambulent.

12. [*Episcoporum munus docendi*]. In exercendo suo munere docendi, Christi Evan-

Textus iuxta modos recognitus

I – Episcopi Dioecesani

11. [*Dioecesis notio et Episcoporum munus in dioecesi*]. Dioecesis est Populi Dei portio, quae Episcopo cum cooperatione presbyterii pascenda concreditur, ita ut, pastori suo adhaerens ab eoque per Evangelium et Eucharistiam in Spiritu Sancto congregata, Ecclesiam particularem constituat, in qua vere inest et operatur Una Sancta Catholica et Apostolica Christi Ecclesia.

Singuli Episcopi, quibus Ecclesiae particularis cura commissa est, sub auctoritate Summi Pontificis, tamquam proprii, ordinarii et immediati earum pastores, oves suas in nomine Domini pascunt, munus docendi, sanctificandi et regendi in eas exercentes. *Ipsi* tamen agnoscant iura, quae sive Patriarchis sive aliis hierarchicis Auctoritatibus legitime competunt.[1]

Ad suum autem apostolicum munus intendant Episcopi ut Christi testes coram omnibus hominibus, non solum iis providentes qui iam Principem Pastorum sequuntur, sed iis quoque toto animo sese devoventes qui a via veritatis quoquo modo deflexerunt aut Christi Evangelium et misericordiam salutiferam ignorant, donec « in omni bonitate et iustitia et veritate » (*Eph.* 5, 9) tandem omnes ambulent.

12. [*Episcoporum munus docendi*]. In exercendo suo munere docendi, Christi Evan-

Textus in schemate propositus

gelium hominibus annuntient, quod praecipuum est eorum officium, eos ad fidem in Spiritus fortitudine vocantes aut in fide viva confirmantes; integrum Christi mysterium ipsis proponant, illas nempe veritates quarum ignorantia, Christi ignorantia est, itemque viam quae divinitus revelata est ad glorificationem Dei atque eo ipso ad beatitudinem aeternam consequendam.

Ostendant insuper res ipsas terrestres et humana instituta secundum Dei Creatoris consilium, ad hominum salutem quoque ordinari et ideo ad aedificationem Corporis Christi non parum conferre posse.

Indigitent ideo quanti, iuxta doctrinam Ecclesiae socialem, aestimanda sit persona humana, cum sua libertate et ipsa corporis vita; familia eiusque unitas et stabilitas, prolisque procreatio et educatio; civile consortium cum suis legibus et professionibus; labor et otia, artes et technica inventa; paupertas et opum affluentia; rationes denique exponant quibus solvendae sunt de bonorum materialium possessione, incremento ac recta distributione, de pace et bello, de fraterna omnium populorum conversatione gravissimae quaestiones.

13. [*Doctrinae christianae proponendae rationes*]. Doctrinam christianam proponant ratione temporum necessitatibus aptata, quae scilicet respondeat difficultatibus et quaestionibus quibus maxime homines premuntur et anguntur; doctrinam quoque tueantur, ad eam defendendam ipsos fideles docentes. In eadem tradenda, maternam Ecclesiae sollicitudinem comprobent erga omnes homines, sive fideles sive non fideles, et peculiari cura prosequantur pauperes et tenuiores, quos evangelizare misit eos Dominus.

Textus iuxta modos recognitus

gelium hominibus annuntient, quod *inter* praecipua *Episcoporum munera eminet,*[2] *eos in Spiritus fortitudine ad fidem* vocantes aut in fide viva confirmantes; integrum Christi mysterium ipsis proponant, illas nempe veritates quarum ignorantia, Christi ignorantia est, itemque viam quae divinitus revelata est ad glorificationem Dei atque eo ipso ad beatitudinem aeternam consequendam.

Ostendant insuper res ipsas terrestres et humana instituta secundum Dei Creatoris consilium, ad hominum salutem quoque ordinari et ideo ad aedificationem Corporis Christi non parum conferre posse.

Edoceant ideo quanti, iuxta doctrinam Ecclesiae, aestimanda sit persona humana, cum sua libertate et ipsa corporis vita; familia eiusque unitas et stabilitas, prolisque procreatio et educatio; civile consortium cum suis legibus et professionibus; labor et otia, artes et technica inventa; paupertas et opum affluentia; rationes denique exponant quibus solvendae sunt de bonorum materialium possessione, incremento ac recta distributione, de pace et bello, de fraterna omnium populorum conversatione gravissimae quaestiones.[3]

13. [*Doctrinae christianae proponendae rationes*]. Doctrinam christianam proponant ratione temporum necessitatibus aptata, quae scilicet respondeat difficultatibus et quaestionibus quibus maxime homines premuntur et anguntur; *eandem* doctrinam quoque tueantur, ipsos fideles docentes *illam* defendere *et propagare.* In eadem tradenda, maternam Ecclesiae sollicitudinem comprobent erga omnes homines, sive fideles sive non fideles, et peculiari cura prosequantur pauperes et tenuiores, quos evangelizare misit eos Dominus.

8] *Textus in schemate propositus*

Cum Ecclesiae sit cum humana societate, in qua vivit, ad colloquium venire, Episcoporum imprimis est officium ut homines adeant et colloquia cum eisdem petant ac promoveant. Quae colloquia, ut semper veritas cum
9] caritate, intelligentia cum amore copulentur, perspicuitate sermonis simul ac humilitate et lenitate praestent oportet, itemque debita prudentia iuncta tamen cum fiducia, quippe quae amicitiam cum foveat animos coniungere nata sit.

Varia media ad doctrinam christianam annuntiandam adhibere satagant in hodierno tempore quae praesto sunt, videlicet imprimis praedicationem atque catecheticam institutionem, quae quidem semper principem tenent locum, sed et propositionem doctrinae in scholis, in academiis, conferentiis et coadunationibus omnis generis, necnon eiusdem diffusionem declarationibus publicis occasione quorumdam eventuum factis, prelo variisque instrumentis communicationis socialis, quibus ad Christi Evangelium nuntiandum uti omnino oportet.

14. [*Catechetica institutio*]. Invigilent ut catechetica institutio, quae eo tendit ut in hominibus fides, per doctrinam illustrata, viva fiat atque explicita et operosa, tum pueris et adolescentibus, tum iuvenibus, tum etiam adultis sedula cura tradatur; ut in eadem tradenda serventur aptus ordo atque methodus conveniens non tantum materiae de qua agitur, sed et indoli, facultatibus et aetati necnon vitae condicionibus auditorum, ut eadem institutio innitatur Sacra Scriptura, Traditione, Liturgia vitaque Ecclesiae.

Curent praeterea ut catechetae ad munus suum rite praeparentur, ita ut Ecclesiae doctri-

Textus iuxta modos recognitus

Cum Ecclesiae sit cum humana societate, in qua vivit, ad colloquium venire,[4] Episcoporum imprimis est officium ut homines adeant et colloquia cum eisdem petant ac promoveant. Quae *salutis* colloquia, ut semper veritas cum caritate, intellegentia cum amore copulentur, perspicuitate sermonis simul ac humilitate et lenitate praestent oportet, itemque debita prudentia iuncta tamen cum fiducia, quippe quae amicitiam cum foveat animos coniungere nata sit.[5]

Varia media ad doctrinam christianam annuntiandam adhibere satagant in hodierno tempore quae praesto sunt, videlicet imprimis praedicationem atque catecheticam institutionem, quae quidem semper principem tenent locum, sed et propositionem doctrinae in scholis, in academiis, conferentiis et coadunationibus omnis generis, necnon eiusdem diffusionem declarationibus publicis occasione quorumdam eventuum factis, prelo variisque instrumentis communicationis socialis, quibus ad Christi Evangelium nuntiandum uti omnino oportet.[6]

14. [*Catechetica institutio*]. Invigilent ut catechetica institutio, quae eo tendit ut in hominibus fides, per doctrinam illustrata, viva fiat atque explicita et operosa, tum pueris et adolescentibus, tum iuvenibus, tum etiam adultis sedula cura tradatur; ut in eadem tradenda serventur aptus ordo atque methodus conveniens non tantum materiae de qua agitur, sed et indoli, facultatibus et aetati necnon vitae condicionibus auditorum, ut eadem institutio innitatur Sacra Scriptura, Traditione, Liturgia, *Magisterio* vitaque Ecclesiae.

Curent praeterea ut catechetae ad munus suum rite praeparentur, ita ut Ecclesiae doctri-

Textus in schemate propositus

nam plane cognoscant, necnon et leges psychologicas et disciplinas paedagogicas theoretice et practice addiscant.

Satagant etiam ut institutio catechumenorum adultorum restituatur aut melius adaptetur.

15. [*Episcoporum munus sanctificandi*]. In exercendo suo munere sanctificandi memores sint Episcopi se ex hominibus assumptos esse et pro hominibus constitui, in iis quae sunt ad Deum, ut offerant dona et sacrificia pro peccatis. Episcopi enim plenitudinem Sacramenti Ordinis possident et ab ipsis in sua potestate pendent tum presbyteri, qui quidem, ut Ordinis Episcopalis providi sint cooperatores, et ipsi consecrati sunt veri Novi Testamenti sacerdotes, tum diaconi, qui ad ministerium ordinati populo Dei in communione cum Episcopo eiusque presbyterio inserviunt; ipsi itaque Episcopi praecipui sunt dispensatores mysteriorum Dei sicut et totius vitae liturgicae in Ecclesia sibi commissa moderatores, promotores atque custodes.

Iugiter igitur adnitantur ut christifideles paschale mysterium penitius cognoscant et vivant, per Eucharistiam, ita ut unum arctissimum efficiant Corpus in unitate caritatis Christi; « orationi et ministerio verbi instantes » (*Act.* 6, 4), laborem impendant ut omnes quorum cura sibi est commissa unanimi sint in oratione utque Sacramentorum receptione in gratia crescant ac fideles Domino sint testes.

Qua perfectores, Episcopi clericorum suorum, religiosorum et laicorum sanctitatem, secundum suam cuiusque peculiarem vocationem, promovere studeant, memores quidem se teneri ad exemplum sanctitatis praebendum, in caritate, humilitate et vitae simplicitate. Ita Ec-

Textus iuxta modos recognitus

nam plane cognoscant, necnon et leges psychologicas et disciplinas paedagogicas theoretice et practice addiscant.

Satagant etiam ut institutio catechumenorum adultorum restituatur aut melius adaptetur.

15. [*Episcoporum munus sanctificandi*]. In exercendo suo munere sanctificandi memores sint Episcopi se ex hominibus assumptos esse et pro hominibus constitui, in iis quae sunt ad Deum, ut offerant dona et sacrificia pro peccatis. Episcopi enim plenitudine Sacramenti Ordinis *gaudent* et ab ipsis in *exercenda* sua potestate pendent tum presbyteri, qui quidem, ut Ordinis episcopalis providi sint cooperatores, et ipsi consecrati sunt veri Novi Testamenti sacerdotes, tum diaconi, qui ad ministerium ordinati populo Dei in communione cum Episcopo eiusque presbyterio inserviunt; ipsi itaque Episcopi praecipui sunt dispensatores mysteriorum Dei, sicut et totius vitae liturgicae in Ecclesia sibi commissa moderatores, promotores atque custodes.[7]

Iugiter itaque adnitantur ut christifideles paschale mysterium penitius cognoscant et vivant, per Eucharistiam, ita ut unum arctissimum efficiant Corpus in unitate caritatis Christi;[8] « orationi et ministerio verbi instantes » (*Act.* 6, 4), laborem impendant ut omnes quorum cura sibi est commissa unanimi sint in oratione[9] utque Sacramentorum receptione in gratia crescant ac fideles Domino sint testes.

Qua perfectores, Episcopi clericorum suorum, religiosorum et laicorum sanctitatem, secundum suam cuiusque peculiarem vocationem, promovere studeant, memores quidem se teneri ad exemplum sanctitatis praebendum, in caritate, humilitate et vitae simplicitate. Ita Ec-

Textus in schemate propositus

clesias sibi concreditas sanctificent ut in eisdem universae Christi Ecclesiae sensus plene effulgeat. Idcirco vocationes non tantum sacerdotales, sed et missionarias ac religiosas quam maxime foveant.

16. [*Episcoporum munus regendi ac pascendi*]. In exercendo suo munere patris ac pastoris, sint Episcopi in medio suorum sicut qui ministrant, boni pastores qui cognoscunt suas oves quosque et ipsae cognoscunt, veri patres qui spiritu dilectionis et sollicitudinis erga omnes praestant, quorumque auctoritati divinitus quidem collatae omnes grato animo sese subiiciunt.

Quae ut efficaciter facere valeant, Episcopi, « ad omne opus bonum parati » (*2 Tim.* 2, 21) et « omnia sustinentes propter electos » (*2 Tim.* 2, 10) vitam suam ita ordinent oportet, ut necessitatibus temporum accommodata sit.

Fidelium bono ut pro sua cuiusque condicione aptius consulere queant, eorumdem necessitates, in socialibus in quibus vivunt adiunctis, rite cognoscere tenentur, aptis ideo adhibitis instrumentis, praesertim investigationis socialis. Erga omnes sollicitos se praebeant cuiuscumque sunt aetatis, condicionis vel nationis, tum incolas, tum advenas et peregrinos.

Fratres separatos peculiari amore prosequantur, fidelibus etiam commendantes ut erga

Textus iuxta modos recognitus

clesias sibi concreditas sanctificent ut in eisdem universae Christi Ecclesiae sensus plene effulgeat. *Idcirco vocationes sacerdotales ac religiosas quam maxime foveant, speciali cura vocationum missionalium adhibita.*

16. [*Episcoporum munus regendi ac pascendi*]. In exercendo suo munere patris ac pastoris, sint Episcopi in medio suorum sicut qui ministrant,[10] boni pastores qui cognoscunt suas oves quosque et ipsae cognoscunt, veri patres qui spiritu dilectionis et sollicitudinis erga omnes praestant, quorumque auctoritati divinitus quidem collatae omnes grato animo sese subiciunt. *Integram sui gregis familiam ita congregent atque efforment ut omnes, officiorum suorum conscii, in communione caritatis vivant et operentur.*

Quae ut efficaciter facere valeant, Episcopi, « ad omne opus bonum parati » (*2 Tim.* 2, 21) et « omnia sustinentes propter electos » (*2 Tim.* 2, 10) vitam suam ita ordinent oportet, ut necessitatibus temporum accommodata sit.

Fidelium bono ut pro sua cuiusque condicione aptius consulere queant, eorumdem necessitates, in socialibus in quibus vivunt adiunctis, rite cognoscere *satagant,* aptis ideo adhibitis instrumentis, praesertim investigationis socialis. Erga omnes sollicitos se praebeant cuiuscumque sunt aetatis, condicionis vel nationis, tum incolas, tum advenas et peregrinos. *In hac pastorali sollicitudine exercenda fidelibus suis in rebus Ecclesiae partes ipsis congruentes servent, eorumdem officium et ius quoque agnoscentes active adlaborandi ad aedificationem mystici Corporis Christi.*

Fratres *seiunctos* amore prosequantur, fidelibus etiam commendantes ut erga eos magna

Textus in schemate propositus

eos magna cum humanitate se gerant, oecumenismum quoque, ut ab Ecclesia intelligitur, foventes. Non baptizatos tandem cordi habeant, ut et ipsis caritas eluceat Christi Iesu, Cuius coram omnibus testes sunt Episcopi.

Sacerdotes, quippe qui munera et sollicitudinem eorum pro parte suscipiant et cura cotidiana tam studiose exerceant, paterna semper caritate amplectantur, eosdem ut filios et amicos habentes ideoque ad eos audiendos parati atque confidenti cum eisdem consuetudine, integrum opus pastorale totius dioecesis promovere studeant.

Solliciti sint eorum condicionum spiritualium, intellectualium et materialium ut hi sancte pieque vivere atque ministerium suum fideliter ac fructuose adimplere valeant. Quare institutiones foveant et peculiares conventus instaurent, in quibus sacerdotes aliquoties congregentur tum ad longiora peragenda exercitia spiritualia in vitae suae renovationem tum ad altiorem acquirendam cognitionem ecclesiasticarum disciplinarum, praesertim Sacrae Scripturae et theologiae, socialium maioris momenti quaestionum, necnon novarum actionis pastoralis rationum.

Operosa misericordia prosequantur sacerdotes qui in periculo quoquo modo versantur aut in quibusdam defecerunt.

17. [*Peculiares apostolatus formae*]. Variae foveantur apostolatus rationes atque in universa dioecesi, vel in eiusdem peculiaribus regionibus, omnium operum apostolatus, sub moderamine Episcopi, coordinatio atque intima coniunctio, qua quidem omnia incepta atque instituta, catechetica, missionalia, caritativa, socialia, familiaria, scholastica atque quaelibet alia finem pastoralem persequentia, ad concor-

Textus iuxta modos recognitus

cum humanitate *et caritate* se gerant, oecumenismum quoque, ut ab Ecclesia intelligitur, foventes.[11] *Etiam* non baptizatos cordi habeant, ut et ipsis caritas eluceat Christi Iesu, Cuius coram omnibus testes sunt Episcopi.

Sacerdotes, quippe qui munera et sollicitudinem *ipsorum* pro parte suscipiant et cura cotidiana tam studiose exerceant, *peculiari* semper caritate amplectantur, eosdem ut filios et amicos habentes [12] ideoque ad eos audiendos parati atque confidenti cum eisdem consuetudine, integrum opus pastorale totius dioecesis promovere studeant.

Solliciti sint eorum condicionum spiritualium, intellectualium et materialium ut hi sancte pieque vivere atque ministerium suum fideliter ac fructuose adimplere valeant. Quare institutiones foveant et peculiares conventus instaurent, in quibus sacerdotes aliquoties congregentur tum ad longiora peragenda exercitia spiritualia in vitae suae renovationem tum ad altiorem acquirendam cognitionem ecclesiasticarum disciplinarum, praesertim Sacrae Scripturae et theologiae, socialium maioris momenti quaestionum, necnon novarum actionis pastoralis rationum.

Operosa misericordia prosequantur sacerdotes qui in periculo quoquo modo versantur aut in quibusdam defecerunt.

17. [*Peculiares apostolatus formae*]. Variae foveantur apostolatus rationes atque in universa dioecesi, vel in eiusdem peculiaribus regionibus, omnium operum apostolatus, sub moderamine Episcopi, coordinatio atque intima coniunctio, qua quidem omnia incepta atque instituta, catechetica, missionalia, caritativa, socialia, familiaria, scholastica atque quaelibet alia finem pastoralem persequentia, ad concor-

42] *Textus in schemate propositus*

dem redigantur actionem, qua simul clarius dioecesis unitas eluceat.

Sedulo urgeatur officium quo tenentur fideles ad varia opera laicorum apostolatus et actionis catholicae participanda vel iuvanda. Associationes quoque promoveantur vel foveantur quae finem supernaturalem directe aut indirecte prosequuntur, ad perfectiorem scilicet vitam provehendam, aut ad doctrinam christianam vel incrementum cultus publici promovendum, aut fines sociales persequendos aut ad pietatis vel caritatis opera exercenda.

Apostolatus formae rite accommodentur necessitatibus hodiernis, attentis hominum
43] condicionibus, non solum spiritualibus et moralibus, sed etiam socialibus, demographicis et oeconomicis. Ad quod efficaciter et fructuose assequendum, magnopere conferunt investigationes sociales et religiosae, per officia sociologiae pastoralis, quae enixe commendantur.

18. [*Quorumdam fidelium coetuum singularis sollicitudo*]. Peculiaris sollicitudo habeatur fidelium, qui ob vitae condicionem communi ordinaria parochorum cura pastorali non satis frui valent aut eadem penitus carent, uti sunt quamplurimi migrantes, maritimi sicut et aëronavigantes, nomades aliique id genus. Aptae methodi pastorales promoveantur ad vitam spiritualem fovendam eorum qui relaxationis causa ad tempus alias regiones petunt.

Episcoporum Conferentiae, praesertim Nationales, urgentioribus quaestionibus ad praedictos spectantibus sedulo studeant, et aptis

Textus iuxta modos recognitus

dem redigantur actionem, quia simul clarius dioecesis unitas eluceat.

Sedulo urgeatur officium quo tenentur fideles ad apostolatum pro sua quisque condicione et aptitudine exercendum, atque ipsis commendetur ut varia opera laicorum apostolatus, et praesertim Actionem Catholicam, participent aut iuvent. Associationes quoque promoveantur vel foveantur quae finem supernaturalem directe aut indirecte prosequuntur, ad perfectiorem scilicet vitam *assequendam, aut ad Christi Evangelium omnibus annuntiandum,* aut ad doctrinam christianam vel incrementum cultus publici promovendum, aut *ad* fines sociales persequendos aut ad pietatis vel caritatis opera exercenda.

Apostolatus formae rite accommodentur necessitatibus hodiernis, attentis hominum condicionibus, non solum spiritualibus et moralibus, sed etiam socialibus, demographicis et oeconomicis. Ad quod efficaciter et fructuose assequendum, magnopere conferunt investigationes sociales et religiosae, per officia sociologiae pastoralis, quae enixe commendantur.

18. [*Quorumdam fidelium coetuum singularis sollicitudo*]. Peculiaris sollicitudo habeatur fidelium, qui ob vitae condicionem communi ordinaria parochorum cura pastorali non satis frui valent aut eadem penitus carent, uti sunt quamplurimi migrantes, *exsules et profugi,* maritimi sicut et aëronavigantes, nomades aliique id genus.[13] Aptae methodi pastorales promoveantur ad vitam spiritualem fovendam eorum qui relaxationis causa ad tempus alias regiones petunt.[14]

Episcoporum Conferentiae, praesertim Nationales, urgentioribus quaestionibus ad praedictos spectantibus sedulo studeant, et aptis

Textus in schemate propositus

instrumentis ac institutionibus spirituali eorum curae, concordi voluntate viribusque unitis consulant atque faveant, attentis in primis normis ab Apostolica Sede statutis vel statuendis, temporum, locorum et personarum condicionibus apte accommodatis.

19. (olim n. 18 bis). [*Episcoporum libertas eorumque cum publicis potestatibus rationes*].

In suo apostolico munere obeundo, quod animarum salutem intendit, Episcopi per se plena ac perfecta gaudent libertate atque independentia a quacumque civili potestate. Quare non licet eorum muneris ecclesiastici exercitium directe vel indirecte impedire neve eos prohibere quominus cum Apostolica Sede aliisque Auctoritatibus ecclesiasticis et cum suis subditis libere communicent.

Profecto Sacri Pastores, dum in spiritualem sui gregis curam incumbunt, reapse sociali quoque et civili profectui ac prosperitati consulunt, actuosam in hunc finem cum publicis auctoritatibus, pro sui officii ratione, operam consociantes atque iustis legibus oboedientiam et legitime constitutis potestatibus reverentiam, ut decet, suadentes.

20. (olim n. 18 ter). [*Libertas in Episcoporum nominatione*].

Cum apostolicum Episcoporum officium sit a Christo Domino institutum atque spiritualem et supernaturalem finem prosequatur, Sacrosancta Oecumenica Synodus declarat ius nominandi et instituendi Episcopos esse competenti Auctoritati ecclesiasticae proprium, peculiare et per se exclusivum.

Quapropter ad Ecclesiae libertatem rite tuendam et ad christifidelium bonum aptius et

Textus iuxta modos recognitus

instrumentis ac institutionibus spirituali eorum curae, concordi voluntate viribusque unitis consulant atque faveant, attentis in primis normis ab Apostolica Sede statutis [15] vel statuendis, temporum, locorum et personarum condicionibus apte accommodatis.

19. (olim n. 18 bis). [*Episcoporum libertas eorumque cum publicis potestatibus rationes*].

In suo apostolico munere obeundo, quod animarum salutem intendit, Episcopi per se plena ac perfecta gaudent libertate atque independentia a quacumque civili potestate. Quare non licet eorum muneris ecclesiastici exercitium directe vel indirecte impedire neve eos prohibere quominus cum Apostolica Sede aliisque Auctoritatibus ecclesiasticis et cum suis subditis libere communicent.

Profecto Sacri Pastores, dum in spiritualem sui gregis curam incumbunt, reapse sociali quoque et civili profectui ac prosperitati consulunt, actuosam in hunc finem cum publicis auctoritatibus, pro sui officii ratione *et sicut Episcopos decet,* operam consociantes atque iustis legibus oboedientiam et legitime constitutis potestatibus reverentiam, suadentes.

20. (olim n. 18 ter). [*Libertas in Episcoporum nominatione*].

Cum apostolicum Episcoporum *munus* sit a Christo Domino institutum atque spiritualem et supernaturalem finem prosequatur, Sacrosancta Oecumenica Synodus declarat ius nominandi et instituendi Episcopos esse competenti Auctoritati ecclesiasticae proprium, peculiare et per se exclusivum.

Quapropter ad Ecclesiae libertatem rite tuendam et ad christifidelium bonum aptius et

Textus in schemate propositus

expeditius promovendum in votis est Sacrosancti Concilii ut in posterum nulla amplius civilibus Auctoritatibus concedantur iura aut privilegia electionis, nominationis, praesentationis vel designationis ad Episcopatus officium; civiles vero Auctoritates, quarum obsequentem erga Ecclesiam voluntatem Sacrosancta Synodus grato animo agnoscit plurimique facit, humanissime rogantur ut praedictis iuribus vel privilegiis, quibus in praesens pacto aut consuetudine fruantur, consiliis cum Apostolica Sede initis, sua sponte renuntiare velint.

21. (olim n. 19). [*Episcoporum a munere renuntiatio*]. Cum igitur pastorale Episcoporum munus tanti sit momenti tantaeque gravitatis, Episcopi dioecesani aliique in iure ipsis aequiparati, si, ob ingravescentem aetatem aliamve gravem causam, implendo suo officio minus apti evaserint, enixe rogantur ut, vel sua ipsi sponte vel a competenti Auctoritate invitati, renuntiationem ab officio exhibeant. Competens autem Auctoritas, si illam acceptaverit, et de congruenti renuntiantium sustentatione et de peculiaribus iuribus iisdem recognoscendis providebit.

II – Dioecesium Circumscriptio

22. (olim n. 20). [*Necessitas recognoscendi dioecesium circumscriptiones*]. Ad proprium dioecesis finem consequendum, oportet ut Ecclesiae natura in populo Dei ad ipsam dioecesim pertinente perspicue manifestetur; ut Episcopi munera sua pastoralia in iisdem efficaciter explere valeant; ut denique populi Dei saluti quam perfectissime fieri potest ministretur.

Id autem postulat sive congruentem finium

Textus iuxta modos recognitus

expeditius promovendum in votis est Sacrosancti Concilii ut in posterum nulla amplius civilibus Auctoritatibus concedantur iura aut privilegia electionis, nominationis, praesentationis vel designationis ad Episcopatus officium; civiles vero Auctoritates, quarum obsequentem erga Ecclesiam voluntatem Sacrosancta Synodus grato animo agnoscit plurimique facit, humanissime rogantur ut praedictis iuribus vel privilegiis, quibus in praesens pacto aut consuetudine fruantur, consiliis cum Apostolica Sede initis, sua sponte renuntiare velint.

21. (olim n. 19). [*Episcoporum a munere renuntiatio*]. Cum igitur pastorale Episcoporum munus tanti sit momenti tantaeque gravitatis, Episcopi dioecesani aliique in iure ipsis aequiparati, si, ob ingravescentem aetatem aliamve gravem causam, implendo suo officio minus apti evaserint, enixe rogantur ut, vel sua ipsi sponte vel a competenti Auctoritate invitati, renuntiationem ab officio exhibeant. Competens autem Auctoritas, si illam acceptaverit, et de congruenti renuntiantium sustentatione et de peculiaribus iuribus iisdem recognoscendis providebit.

II – Dioecesium Circumscriptio

22. (olim n. 20). [*Necessitas recognoscendi dioecesium circumscriptiones*]. Ad proprium dioecesis finem consequendum, oportet ut Ecclesiae natura in populo Dei ad ipsam dioecesim pertinente perspicue manifestetur; ut Episcopi munera sua pastoralia in iisdem efficaciter explere valeant; ut denique populi Dei saluti quam perfectissime fieri potest ministretur.

Id autem postulat sive congruentem finium

Textus in schemate propositus

territorialium dioecesium circumscriptionem, sive clericorum opumque distributionem rationi consentaneam atque apostolatus exigentiis accommodatam. Quae omnia non solum clericorum et christifidelium, quorum directe interest, verum etiam et totius catholicae Ecclesiae in bonum cedunt.

Itaque, ad dioecesium circumscriptiones quod attinet, mandat Sacrosancta Synodus ut, quatenus animarum bonum id exigat, quamprimum ad congruam recognitionem prudenter deveniatur, eas dividendo vel dismembrando vel uniendo, aut ipsarum fines mutando vel episcopalium sedium aptiorem locum determinando, aut denique, praesertim si de dioecesibus agatur quae ex maioribus urbibus constant, eas nova interna ordinatione disponendo.

23. (olim n. 21). [*Regulae servandae*]. In dioecesium circumscriptionibus recognoscendis in tuto ponatur praeprimis uniuscuiusque dioecesis unitas organica, quoad personas, officia, instituta, ad instar corporis apte viventis. Singulis vero in casibus, omnibus adiunctis accurate perpensis, prae oculis habeantur criteria generaliora quae sequuntur.

1) In circumscriptione dioecesana definienda ratio, quantum fieri poterit, habeatur varietatis compositionis populi Dei, quae multum conferre potest ad pastoralem curam aptius exercendam; simulque curetur ut huius populi conglobationes demographicae, cum civilibus officiis institutisque socialibus quae structuram ipsius organicam efficiunt, in unum quantum poterit serventur. Qua de causa uniuscuiusque dioecesis territorium nonnisi continuum pateat.

Attendatur etiam, si casus ferat, ad fines circumscriptionum civilium, atque ad peculia-

Textus iuxta modos recognitus [45

territorialium dioecesium circumscriptionem, sive clericorum opumque distributionem rationi consentaneam atque apostolatus exigentiis accommodatam. Quae omnia non solum clericorum et christifidelium, quorum directe interest, verum etiam et totius catholicae Ecclesiae in bonum cedunt.

Itaque, ad dioecesium circumscriptiones quod attinet, mandat Sacrosancta Synodus ut, quatenus animarum bonum id exigat, quamprimum ad congruam recognitionem prudenter deveniatur, eas dividendo vel dismembrando vel uniendo, aut ipsarum fines mutando vel episcopalium sedium aptiorem locum determinando, aut denique, praesertim si de dioecesibus agatur quae ex maioribus urbibus constant, eas nova interna ordinatione disponendo.

23. (olim n. 21). [*Regulae servandae*]. In dioecesium circumscriptionibus recognoscendis in tuto ponatur praeprimis uniuscuiusque dioecesis unitas organica, quoad personas, officia, instituta, ad instar corporis apte viventis. Singulis vero in casibus, omnibus adiunctis accurate perpensis, prae oculis habeantur criteria generaliora quae sequuntur.

1) In circumscriptione dioecesana defi-
nienda ratio, quantum fieri poterit, habeatur
varietatis compositionis populi Dei, quae mul- [46
tum conferre potest ad pastoralem curam aptius exercendam; simulque curetur ut huius populi conglobationes demographicae, cum civilibus officiis institutisque socialibus quae structuram ipsius organicam efficiunt, in unum, quantum *fieri* poterit, serventur. Qua de causa uniuscuiusque dioecesis territorium nonnisi continuum pateat.

Attendatur etiam, si casus ferat, ad fines circumscriptionum civilium, atque ad peculia-

6] *Textus in schemate propositus*

ria personarum locorumve adiuncta, v. g. psychologica, oeconomica, geographica, historica.

2) Amplitudo territorii dioecesani eiusve incolarum numerus talis sit generatim ut, ex una parte, ipse Episcopus, licet ab aliis adiutus, pontificalia exercere visitationesque pastorales congrue peragere valeat, omnia apostolatus opera in dioecesi rite moderari atque coordinare, sacerdotes suos praesertim cognoscere, necnon et religiosos et laicos rationem aliquam in dioecesanis inceptis habentes; ex altera vero parte, sufficiens ac idoneus praebeatur campus in quo sive Episcopus sive clerici, omnes suas vires in ministerium, prae oculis habitis universalis Ecclesiae necessitatibus, utiliter impendere possint.

3) Quo denique aptius salutis ministerium in dioecesi exerceri possit, pro regula habeatur ut unicuique dioecesi clerici, numero et idoneitate saltem sufficientes, praesto sint pro rite pascendo populo Dei; officia, instituta et opera ne desint quae Ecclesiae particularis propria sunt, quaeque pro eius apto regimine et apostolatu necessaria usu comprobantur; opes denique ad personas et instituta sustentanda aut iam adsint aut saltem prudenter praevideantur aliunde non defuturae.

Hunc quoque in finem, ubi sint fideles diversi Ritus, eorum spiritualibus necessitatibus Episcopus dioecesanus provideat sive per sacerdotes aut paroecias eiusdem Ritus, sive per
7] Vicarium Episcopalem aptis facultatibus instructum et, si casus ferat, etiam charactere episcopali ornatum, sive per seipsum diversorum Rituum Ordinarii munere fungentem. Quod si haec omnia, ob rationes peculiares, iudicio Apostolicae Sedis, fieri non possint, Hierarchia propria pro diversitate Rituum constituatur.

Textus iuxta modos recognitus

ria personarum locorumve adiuncta, v. g. psychologica, oeconomica, geographica, historica.

2) Amplitudo territorii dioecesani eiusve incolarum numerus talis sit generatim ut, ex una parte, ipse Episcopus, licet ab aliis adiutus, pontificalia exercere visitationesque pastorales congrue peragere valeat, omnia apostolatus opera in dioecesi rite moderari atque coordinare, sacerdotes suos praesertim cognoscere, necnon et religiosos et laicos rationem aliquam in dioecesanis inceptis habentes; ex altera vero parte, sufficiens ac idoneus praebeatur campus in quo sive Episcopus sive clerici, omnes suas vires in ministerium, prae oculis habitis universalis Ecclesiae necessitatibus, utiliter impendere possint.

3) Quo denique aptius salutis ministerium in dioecesi exerceri possit, pro regula habeatur ut unicuique dioecesi clerici, numero et idoneitate saltem sufficientes, praesto sint pro rite pascendo populo Dei; officia, instituta et opera ne desint quae Ecclesiae particularis propria sunt, quaeque pro eius apto regimine et apostolatu necessaria usu comprobantur; opes denique ad personas et instituta sustentanda aut iam adsint aut saltem prudenter praevideantur aliunde non defuturae.

Hunc quoque in finem, ubi sint fideles diversi Ritus, eorum spiritualibus necessitatibus Episcopus dioecesanus provideat sive per sacerdotes aut paroecias eiusdem Ritus, sive per Vicarium Episcopalem [16] aptis facultatibus instructum et, si casus ferat, etiam charactere episcopali ornatum, sive per seipsum diversorum Rituum Ordinarii munere fungentem. Quod si haec omnia, ob rationes peculiares, iudicio Apostolicae Sedis, fieri non possint, Hierarchia propria pro diversitate Rituum constituatur.[17]

Textus in schemate propositus

Item, in similibus circumstantiis, diversi sermonis fidelibus provideatur sive per sacerdotes aut paroecias eiusdem sermonis, sive per Vicarium Episcopalem sermonem bene callentem et etiam, si casus ferat, charactere episcopali ornatum, sive denique alia opportuniore ratione.

24. (olim n. 22). [*Conferentiae Episcopalis votum exquirendum*]. Ad dioecesium immutationes aut innovationes ad normam nn. 22-23 inducendas quod attinet, salva disciplina Ecclesiarum Orientalium, expedit ut competentes Conferentiae Episcopales his negotiis pro suo quaeque territorio studeant — ope etiam adhibita peculiaris Commissionis Episcopalis, si id opportunum videatur, at semper auditis praesertim Episcopis Provinciarum vel Regionum quarum interest — et deinde sua consilia et vota Apstolicae Sedi proponant.

III – Episcopi Dioecesani in munere pastorali Cooperatores

1) *Episcopi Coadiutores et Auxiliares*

25. (olim n. 23). [*Normae de constituendis Auxiliaribus et Coadiutoribus*]. In regendis dioecesibus, pastorali Episcoporum muneri ita provideatur, ut bonum dominici gregis semper sit suprema ratio. Quod bonum ut debite procuretur, haud raro Episcopi Auxiliares constituendi sunt, eo quod Episcopus dioecesanus, vel ob nimiam dioecesis amplitudinem aut nimium incolarum numerum, vel ob peculiaria apostolatus adiuncta aut alias diversae naturae causas, nequit per semetipsum omnia episcopalia munia, sicut animarum exigit bonum, adimplere. Immo et aliquando pecu-

Textus iuxta modos recognitus

Item, in similibus circumstantiis, diversi sermonis fidelibus provideatur sive per sacerdotes aut paroecias eiusdem sermonis, sive per Vicarium Episcopalem sermonem bene callentem et etiam, si casus ferat, charactere episcopali ornatum, sive denique alia opportuniore ratione.

24. (olim n. 22). [*Conferentiae Episcopalis votum exquirendum*]. Ad dioecesium immutationes aut innovationes ad normam nn. 22-23 inducendas quod attinet, salva disciplina Ecclesiarum Orientalium, expedit ut competentes Conferentiae Episcopales *haec negotia pro suo quaeque territorio examini subiciant* — ope etiam adhibita peculiaris Commissionis Episcopalis, si id opportunum videatur, at semper auditis praesertim Episcopis Provinciarum vel Regionum quarum interest — et deinde sua consilia et vota Apostolicae Sedi proponant.

III – Episcopi Dioecesani in munere pastorali Cooperatores

1) *Episcopi Coadiutores et Auxiliares*

25. (olim n. 23). [*Normae de constituendis Auxiliaribus et Coadiutoribus*]. In regendis dioecesibus, pastorali Episcoporum muneri ita provideatur, ut bonum dominici gregis semper sit suprema ratio. Quod bonum ut debite procuretur, haud raro Episcopi Auxiliares constituendi sunt, eo quod Episcopus dioecesanus, vel ob nimiam dioecesis amplitudinem aut nimium incolarum numerum, vel ob peculiaria apostolatus adiuncta aut alias diversae naturae causas, nequit per semetipsum omnia episcopalia munia, sicut animarum exigit bonum, adimplere. Immo et aliquando pecu-

8]

Textus in schemate propositus

liaris necessitas postulat ut in ipsius Episcopi dioecesani adiutorium constituatur Episcopus Coadiutor. Qui Episcopi Coadiutores et Auxiliares ita congruentibus facultatibus instruendi sunt, ut, salva semper unitate dioecesani regiminis necnon Episcopi dioecesani auctoritate, eorum actio efficacior reddatur et dignitas, Episcoporum propria, magis in tuto ponatur.

Iamvero Episcopi Coadiutores et Auxiliares, eo quod in partem sollicitudinis Episcopi dioecesani vocati sunt, ita munus suum exerceant, ut in omnibus negotiis unanima consensione cum ipso procedant. Praeterea obsequium et reverentiam semper exhibeant Episcopo dioecesano, qui et ipse Episcopos Coadiutores vel Auxiliares fraterne diligat atque existimatione prosequatur.

26. (olim n. 24). [*Episcoporum Auxiliarium et Coadiutorum facultates*]. Bono animarum id exigente, ne renuat Episcopus dioecesanus a competenti Auctoritate unum pluresve Auxiliares expostulare, qui nempe sine iure successionis pro dioecesi constituuntur.

Quodsi in Litteris nominationis provisum non fuerit, Episcopus dioecesanus Auxiliarem vel Auxiliares suos constituat Vicarios Generales vel saltem Vicarios Episcopales, ab ipso dumtaxat dependentes, quos Episcopus dioecesanus, in perpendendis causis maioris momenti praesertim indolis pastoralis, consulere velit.

Nisi aliud a competenti Auctoritate statutum fuerit, cum Episcopi dioecesani munere non expirant potestates et facultates quibus Episcopi Auxiliares a iure instructi sunt. Optandum quoque est ut, sede vacante, munus dioecesim regendi, nisi aliud graves rationes

Textus iuxta modos recognitus

liaris necessitas postulat ut in ipsius Episcopi dioecesani adiutorium constituatur Episcopus Coadiutor. Qui Episcopi Coadiutores et Auxiliares ita congruentibus facultatibus instruendi sunt, ut, salva semper unitate dioecesani regiminis necnon Episcopi dioecesani auctoritate, eorum actio efficacior reddatur et dignitas, Episcoporum propria, magis in tuto ponatur.

Iamvero Episcopi Coadiutores et Auxiliares, eo quod in partem sollicitudinis Episcopi dioecesani vocati sunt, ita munus suum exerceant, ut in omnibus negotiis unanima consensione cum ipso procedant. Praeterea obsequium et reverentiam semper exhibeant Episcopo dioecesano, qui et ipse Episcopos Coadiutores vel Auxiliares fraterne diligat atque existimatione prosequatur.

26. (olim n. 24). [*Episcoporum Auxiliarium et Coadiutorum facultates*]. Bono animarum id exigente, ne renuat Episcopus dioecesanus a competenti Auctoritate unum pluresve Auxiliares expostulare, qui nempe sine iure successionis pro dioecesi constituuntur.

Quodsi in Litteris nominationis provisum non fuerit, Episcopus dioecesanus Auxiliarem vel Auxiliares suos constituat Vicarios Generales vel saltem Vicarios Episcopales,[18] *a sua auctoritate* dumtaxat dependentes quos *ipse,* in perpendendis causis maioris momenti praesertim indolis pastoralis, consulere velit.

Nisi aliud a competenti Auctoritate statutum fuerit, cum Episcopi dioecesani munere non exspirant potestates et facultates quibus Episcopi Auxiliares a iure instructi sunt. Optandum quoque est ut, sede vacante, munus dioecesim regendi, nisi aliud graves rationes

Textus in schemate propositus

suadeant, committatur Episcopo Auxiliari vel, ubi plures sunt, uni ex Auxiliaribus.

Episcopus Coadiutor, qui nempe cum iure successionis nominatur, ab Episcopo dioecesano Vicarius Generalis semper constituatur. Eidem autem pleniores facultates in casibus particularibus a competenti Auctoritate concedi poterunt.

Ut quam maxime praesenti ac futuro dioecesis bono faveatur, Episcopus Coadiutus et Coadiutor in rebus maioris momenti mutuo se consulere ne omittant.

2) *Curia atque Consilia Dioecesana*

27. (olim n. 25). [*Curiae dioecesanae ordinatio et Consilii pastoralis institutio*]. Eminens in Curia dioecesana est officium Vicarii Generalis. Quoties autem rectum dioecesis regimen id requirat, constitui possunt ab Episcopo unus aut plures Vicarii Episcopales, qui nempe ipso iure, in determinata dioecesis parte aut in certo negotiorum genere aut quoad fideles determinati Ritus, ea gaudent potestate, quam ius commune Vicario Generali tribuit.

Inter Episcopi cooperatores in regimine dioecesis, illi presbyteri quoque enumerantur qui eius senatum consiliumve constituunt, ut sunt capitulum cathedrale, consultorum coetus vel alia consilia, secundum diversorum locorum circumstantias vel indolem.

Sacerdotes et laici, qui ad Curiam dioecesanam pertinent, sciant se pastorali Episcopi ministerio adiutricem operam praestare.

Curia dioecesana ita ordinetur ut aptum instrumentum Episcopo fiat, non tantum ad

Textus iuxta modos recognitus

suadeant, committatur Episcopo Auxiliari vel, ubi plures sunt, uni ex Auxiliaribus.

Episcopus Coadiutor, qui nempe cum iure successionis nominatur, ab Episcopo dioecesano Vicarius Generalis semper constituatur. Eidem autem pleniores facultates in casibus particularibus a competenti Auctoritate concedi poterunt.

Ut quam maxime praesenti ac futuro dioecesis bono faveatur, Episcopus Coadiutus et Coadiutor in rebus maioris momenti mutuo se consulere ne omittant.

2) *Curia atque Consilia Dioecesana*

27. (olim n. 25). [*Curiae dioecesanae ordinatio et Consilii pastoralis institutio*]. Eminens in Curia dioecesana est officium Vicarii Generalis. Quoties autem rectum dioecesis regimen id requirat, constitui possunt ab Episcopo unus aut plures Vicarii Episcopales, qui nempe ipso iure, in determinata dioecesis parte aut in certo negotiorum genere aut quoad fideles determinati Ritus, ea gaudent potestate, quam ius commune Vicario Generali tribuit.

Inter Episcopi cooperatores in regimine dioecesis, illi presbyteri quoque enumerantur qui eius senatum consiliumve constituunt, ut sunt capitulum cathedrale, consultorum coetus vel alia consilia, secundum diversorum locorum circumstantias vel indolem. *Haec instituta, praesertim capitula cathedralia, novae ordinationi, quatenus opus sit, necessitatibus hodiernis aptatae, subiciantur.*

Sacerdotes et laici, qui ad Curiam dioecesanam pertinent, sciant se pastorali Episcopi ministerio adiutricem operam praestare.

Curia dioecesana ita ordinetur ut aptum instrumentum Episcopo fiat, non tantum ad

Textus in schemate propositus

dioecesim administrandam, sed etiam ad opera apostolatus exercenda.

Valde optandum est ut in unaquaque dioecesi peculiare instituatur Consilium pastorale, cui Episcopus dioecesanus ipse praesit et in quo clerici, religiosi et laici, specialiter delecti, partes habeant. Huius Consilii erit, ea quae ad pastoralia opera spectant investigare, perpendere atque de eis practicas expromere conclusiones.

3) *Clerus dioecesanus*

28. (olim n. 26). [*Sacerdotes dioecesani*]. In animarum cura procuranda primas partes habent sacerdotes dioecesani, qui, providi cooperatores Ordinis episcopalis effecti, unum sacerdotium Christi cum Episcopo participant et exercent atque Ecclesiae particulari incardinati vel addicti, eiusdem servitio plene sese devovent ad unam dominici gregis portionem pascendam; quare unum constituunt presbyterium atque unam familiam, cuius pater est Episcopus. Qui, ut ministeria sacra inter sacerdotes suos aptius et aequius disponere valeat, necessaria libertate gaudere debet in officiis vel beneficiis conferendis, suppressis proinde iuribus seu privilegiis, quae eamdem libertatem quoquo modo coarctent.

Sacerdotum dioecesanorum necessitudines cum Episcopo vinculis potissimum supernaturalis caritatis inniti debent, ita quidem ut eorum voluntatis consociatio cum Episcopi voluntate pastoralem eorumdem actionem reddat uberiorem. Quare, ut animarum servitium magis magisque promoveatur, Episcopus cum suis sacerdotibus de re praesertim pastorali colloquium commune quoque instituat, non tantum

Textus iuxta modos recognitus

dioecesim administrandam, sed etiam ad opera apostolatus exercenda.

Valde optandum est ut in unaquaque dioecesi peculiare instituatur Consilium pastorale, cui Episcopus dioecesanus ipse praesit et in quo clerici, religiosi et laici, specialiter delecti, partes habeant. Huius Consilii erit, ea quae ad pastoralia opera spectant investigare, perpendere atque de eis practicas expromere conclusiones.

3) *Clerus dioecesanus*

28. (olim n. 26). [*Sacerdotes dioecesani*]. *Omnes quidem presbyteri sive dioecesani sive religiosi, unum sacerdotium Christi cum Episcopo participant et exercent, ideoque Ordinis episcopalis providi cooperatores constituuntur. In animarum autem cura procuranda primas partes habent sacerdotes dioecesani, quippe qui, Ecclesiae particulari incardinati vel addicti,* eiusdem servitio plene sese devoveant ad unam dominici gregis portionem pascendam; quare unum constituunt presbyterium atque unam familiam, cuius pater est Episcopus. Qui, ut ministeria sacra inter sacerdotes suos aptius et aequius disponere valeat, necessaria libertate gaudere debet in officiis vel beneficiis conferendis, suppressis proinde iuribus seu privilegiis, quae eamdem libertatem quoquo modo coarctent.

Necessitudines Episcopum inter et sacerdotes dioecesanos vinculis potissimum supernaturalis caritatis inniti debent, ita quidem ut *sacerdotum* voluntatis consociatio cum Episcopi voluntate pastoralem eorumdem actionem reddat uberiorem. Quare, ut animarum servitium magis magisque promoveatur, Episcopus *sacerdotes ad colloquium, commune quoque, de re praesertim pastorali, vocare velit,* non tantum

Textus in schemate propositus

data occasione, sed etiam, quantum fieri possit, statis temporibus.

Praeterea, omnes sacerdotes dioecesani uniti inter se sint ideoque boni spiritualis universae dioecesis sollicitudine urgeantur; insuper, memores bona, quae occasione officii ecclesiastici sibi comparant, cum munere sacro cohaerere, necessitatibus materialibus quoque dioecesis, iuxta Episcopi ordinationem, pro viribus liberaliter subveniant.

29. (olim n. 27). [*Sacerdotes operibus supraparoecialibus addicti*]. Proximiores Episcopi cooperatores sunt illi etiam sacerdotes, quibus apostolatus opera indolis supraparoecialis ab ipso committuntur, sive quoad determinatum dioecesis territorium, sive quoad speciales fidelium coetus, sive quoad peculiare actionis genus.

Eximiam quoque adiutricem operam praestant sacerdotes, quibus ab Episcopo diversa munera apostolatus, sive in scholis sive in aliis institutis aut associationibus, concreduntur.

30. (olim. n. 28). [*Parochi*]. Praecipua autem ratione Episcopi cooperatores sunt parochi, quibus, tamquam pastoribus propriis, animarum cura committitur in determinata dioecesis parte sub illius auctoritate.

1) In hac autem cura gerenda parochi, cum suis adiutoribus ita munus docendi, sanctificandi et regendi adimpleant, ut fideles atque communitates paroeciales, tum dioecesis tum totius Ecclesiae universalis membra revera se

Textus iuxta modos recognitus

data occasione, sed etiam, quantum fieri possit, statis temporibus.

Praeterea, omnes sacerdotes dioecesani uniti inter se sint ideoque boni spiritualis universae dioecesis sollicitudine urgeantur; insuper, memores bona, quae occasione officii ecclesiastici sibi comparant, cum munere sacro cohaerere, necessitatibus materialibus quoque dioecesis, iuxta Episcopi ordinationem, pro viribus liberaliter subveniant.

29. (olim n. 27). [*Sacerdotes operibus supraparoecialibus addicti*]. Proximiores Episcopi cooperatores sunt illi etiam sacerdotes, quibus *munus pastorale aut* apostolatus opera indolis supraparoecialis ab ipso committuntur, sive quoad determinatum dioecesis territorium, sive quoad speciales fidelium coetus, sive quoad peculiare actionis genus.

Eximiam quoque adiutricem operam praestant sacerdotes, quibus ab Episcopo diversa munera apostolatus, sive in scholis sive in aliis institutis aut associationibus, concreduntur. *Etiam illi sacerdotes, qui operibus supradioecesanis sunt addicti, cum praeclara apostolatus opera exerceant, peculiari sollicitudini commendantur praesertim Episcopi in cuius dioecesi commorantur.*

30. (olim n. 28). [*Parochi*]. Praecipua autem ratione Episcopi cooperatores sunt parochi, quibus, tamquam pastoribus propriis, animarum cura committitur in determinata dioecesis parte sub illius auctoritate.

1) In hac autem cura gerenda parochi, cum suis adiutoribus ita munus docendi, sanctificandi et regendi adimpleant, ut fideles atque communitates paroeciales, tum dioecesis tum totius Ecclesiae universalis membra revera se

1] *Textus in schemate propositus*	*Textus iuxta modos recognitus*
sentiant. Quapropter cum aliis parochis collaborent necnon praesertim cum sacerdotibus operibus supraparoecialibus addictis, ut cura pastoralis in dioecesi unitate non careat atque efficacior reddatur.	sentiant. Quapropter cum aliis parochis collaborent necnon cum sacerdotibus, *qui munus pastorale in territorio exercent* (*uti sunt e. g. Vicarii Foranei, Decani*) *vel* operibus *indolis supraparoecialis sunt addicti,* ut cura pastoralis in dioecesi unitate non careat atque efficacior reddatur.
Praeterea cura animarum spiritu missionario semper informetur, ita ut ad omnes in paroecia degentes, debito modo, se extendat. Quodsi parochi quosdam personarum coetus per semetipsos attingere nequeant, alios, sacerdotes vel laicos, in proprium adiutorium vocent, qui sibi auxilium praestent in iis quae ad apostolatum spectant. [2]	Praeterea cura animarum spiritu missionario semper informetur, ita ut ad omnes in paroecia degentes, debito modo, se extendat. Quodsi parochi quosdam personarum coetus attingere nequeant, alios, *etiam laicos,* in proprium adiutorium vocent, qui sibi auxilium praestent in iis quae ad apostolatum spectant.
Ad eamdem vero animarum curam efficaciorem reddendam, vita communis sacerdotum, praesertim eidem paroeciae addictorum, enixe commendatur, quae, dum actionem apostolicam fovet, caritatis et unitatis exemplum fidelibus praebet.	Ad eamdem vero animarum curam efficaciorem reddendam, vita communis sacerdotum, praesertim eidem paroeciae addictorum, enixe commendatur, quae, dum actionem apostolicam fovet, caritatis et unitatis exemplum fidelibus praebet.
2) In exsequendo munere magisterii, parochorum est: verbum Dei praedicare omnibus christifidelibus, ut hi in fide, spe et caritate radicati, in Christo crescant et communitas christiana illud testimonium caritatis reddat, quod Dominus commendavit; itemque catechetica instructione fideles ad plenam mysterii salutis cognitionem ducere, unicuique aetati accommodatam. Ad hanc autem instructionem tradendam non solum religiosorum auxilium quaerant, sed etiam laicorum cooperationem, erecta, si expediat, Confraternitate Doctrinae Christianae.	2) In exsequendo munere magisterii, parochorum est: verbum Dei praedicare omnibus christifidelibus, ut hi in fide, spe et caritate radicati, in Christo crescant et communitas christiana illud testimonium caritatis reddat, quod Dominus commendavit; [19] itemque catechetica instructione fideles ad plenam mysterii salutis cognitionem ducere, unicuique aetati accommodatam. Ad hanc autem instructionem tradendam non solum religiosorum auxilium quaerant, sed etiam laicorum cooperationem, erecta *quoque* Confraternitate Doctrinae Christianae.
In perficiendo opere sanctificationis, curent parochi ut celebratio Eucharistici Sacrificii centrum sit et culmen totius vitae communitatis christianae; itemque adlaborent ut fideles spirituali pabulo pascantur per piam et de-	In perficiendo opere sanctificationis, curent parochi ut celebratio Eucharistici Sacrificii centrum sit et culmen totius vitae communitatis christianae; itemque adlaborent ut fideles spirituali pabulo pascantur per devotam *et*

Textus in schemate propositus

votam Sacramentorum receptionem atque per consciam et actuosam in Liturgia participationem. Meminerint etiam parochi quam maxime sacramentum Poenitentiae ad vitam christianam fovendam conferre; quare faciles se praebeant ad fidelium confessiones audiendas, advocatis ad hoc, si opus fuerit, aliis etiam sacerdotibus, qui varias linguas calleant.

In officio pastoris adimplendo, imprimis curent parochi proprium gregem cognoscere. Cum autem omnium ovium sint ministri, vitae christianae incrementum foveant tum in singulis fidelibus, tum in familiis, tum in associationibus praesertim apostolatui addictis, tum in universa communitate paroeciali. Domos igitur et scholas visitent, prout pastorale munus id exigat; adulescentibus et iuvenibus studiose prospiciant; pauperes et infirmos paterna caritate prosequantur; peculiarem denique curam de opificibus habeant atque adlaborent ut fideles operibus apostolatus auxilium praestent.

3) Vicarii paroeciales tamquam parochi cooperatores, praestantem et actuosam operam quotidie impendunt in ministerio pastorali sub parochi auctoritate exercendo. Quare inter parochum eiusque vicarios fraterna habeatur conversatio, mutua caritas et reverentia semper vigeat iidemque consiliis, auxilio et exemplo sese invicem adiuvent, paroeciali curae concordi voluntate communique studio providentes.

31. (olim n. 29). [*Parochorum nominatio, translatio, amotio et renuntiatio*]. In iudicio efformando de sacerdotis idoneitate ad aliquam paroeciam regendam, Episcopus rationem habeat, non solum de illius doctrina, sed praesertim de pietate, zelo apostolico, ceterisque dotibus ac qualitatibus, quae ad curam animarum rite exercendam requiruntur.

Textus iuxta modos recognitus

frequentem Sacramentorum receptionem atque per consciam et actuosam in Liturgia participationem. Meminerint etiam parochi quam maxime sacramentum Poenitentiae ad vitam christianam fovendam conferre; quare faciles se praebeant ad fidelium confessiones audiendas, advocatis ad hoc, si opus fuerit, aliis etiam sacerdotibus, qui varias linguas calleant.

In officio pastoris adimplendo, imprimis curent parochi proprium gregem cognoscere. Cum autem omnium ovium sint ministri, vitae christianae incrementum foveant tum in singulis fidelibus, tum in familiis, tum in associationibus praesertim apostolatui addictis, tum in universa communitate paroeciali. Domos igitur et scholas visitent, prout pastorale munus id exigat; adulescentibus et iuvenibus studiose prospiciant; pauperes et infirmos paterna caritate prosequantur; peculiarem denique curam de opificibus habeant atque adlaborent ut fideles operibus apostolatus auxilium praestent.

3) Vicarii paroeciales tamquam parochi cooperatores, praestantem et actuosam operam quotidie impendunt in ministerio pastorali sub parochi auctoritate exercendo. Quare inter parochum eiusque vicarios fraterna habeatur conversatio, mutua caritas et reverentia semper vigeat iidemque consiliis, auxilio et exemplo sese invicem adiuvent, paroeciali curae concordi voluntate communique studio providentes.

31. (olim n. 29). [*Parochorum nominatio, translatio, amotio et renuntiatio*]. In iudicio efformando de sacerdotis idoneitate ad aliquam paroeciam regendam, Episcopus rationem habeat, non solum de illius doctrina, sed *etiam* de pietate, zelo apostolico, ceterisque dotibus ac qualitatibus, quae ad curam animarum rite exercendam requiruntur.

53] *Textus in schemate propositus*

Praeterea cum muneris paroecialis tota ratio sit bonum animarum, quo facilius et aptius Episcopus ad provisionem paroeciarum procedere valeat, supprimantur, salvo iure Religiosorum, quaelibet iura praesentationis, nominationis vel reservationis, necnon, ubi exsistat, lex concursus, sive generalis sive particularis.

Parochi vero in sua quisque paroecia ea gaudeant stabilitate in officio, quam animarum bonum requirat. Quare, abrogata distinctione inter parochos amovibiles et inamovibiles, recognoscatur et simplicior reddatur modus procedendi in translatione et amotione parochorum, quo Episcopus, servata quidem naturali et canonica aequitate, aptius necessitatibus boni animarum providere possit.

Parochi autem, qui ob ingravescentem aetatem, ab officio rite et fructuose adimplendo impediuntur, enixe rogantur ut sua ipsi sponte
54] officii renuntiationem faciant. Episcopus renuntiantibus congruam sustentationem provideat.

32. (olim n. 30). [*Paroeciarum erectio et innovationes*]. Eadem denique salus animarum causa sit, qua determinentur aut recognoscantur paroeciarum erectiones aut suppressiones, aliaeve huiusmodi innovationes, quas quidem Episcopus, propria auctoritate peragere poterit.

4) *Religiosi*

33. (olim n. 31). [*Religiosi et apostolatus opera*]. Omnibus Religiosis, quibus in iis quae sequuntur sodales accensentur ceterorum Institutorum consilia evangelica profitentes, iuxta propriam cuiusque vocationem, officium incumbit impense diligenterque adlaborandi ad aedificationem et incrementum totius mystici Cor-

Textus iuxta modos recognitus

Praeterea cum muneris paroecialis tota ratio sit bonum animarum, quo facilius et aptius Episcopus ad provisionem paroeciarum procedere valeat, supprimantur, salvo iure Religiosorum, quaelibet iura praesentationis, nominationis vel reservationis, necnon, ubi exsistat, lex concursus, sive generalis sive particularis.

Parochi vero in sua quisque paroecia ea gaudeant stabilitate in officio, quam animarum bonum requirat. Quare, abrogata distinctione inter parochos amovibiles et inamovibiles, recognoscatur et simplicior reddatur modus procedendi in translatione et amotione parochorum, quo Episcopus, servata quidem naturali et canonica aequitate, aptius necessitatibus boni animarum providere possit.

Parochi autem, qui ob ingravescentem aetatem *aliamve gravem causam,* ab officio rite et fructuose adimplendo impediuntur, enixe rogantur ut sua ipsi sponte, *aut ab Episcopo invitati,* officii renuntiationem faciant. Episcopus renuntiantibus congruam sustentationem provideat.

32. (olim n. 30). [*Paroeciarum erectio et innovationes*]. Eadem denique salus animarum causa sit, qua determinentur aut recognoscantur paroeciarum erectiones aut suppressiones, aliaeve huiusmodi innovationes, quas quidem Episcopus, propria auctoritate peragere poterit.

4) *Religiosi*

33. (olim n. 31). [*Religiosi et apostolatus opera*]. Omnibus Religiosis, quibus in iis quae sequuntur sodales accensentur ceterorum Institutorum consilia evangelica profitentes, iuxta propriam cuiusque vocationem, officium incumbit impense diligenterque adlaborandi ad aedificationem et incrementum totius mystici Cor-

Textus in schemate propositus

poris Christi et in bonum Ecclesiarum particularium.

Hos vero fines promovere tenentur imprimis oratione, expiationis operibus et propriae vitae exemplo, in quorum aestimatione et studio ut perseverent Sacrosancta haec Synodus eos magnopere hortatur. At, salva indole Religionum quae ex instituto vitam contemplativam profitentur, ad externa quoque apostolatus opera impensius accedant.

34. (olim n. 32). [*Religiosi cooperatores Episcopi in apostolatu*]. Religiosi sacerdotes, qui in presbyteratus officium consecrantur ut sint et ipsi providi cooperatores Ordinis episcopalis, hodie adhuc maiori auxilio Episcopis esse valent, pro ingravescente animarum necessitate. Ideo vera quadam ratione ad clerum dioecesis pertinere dicendi sunt, quatenus in cura animarum atque apostolatus operibus exercendis partem habent sub sacrorum Praesulum auctoritate.

Etiam alii sodales, sive viri sint sive mulieres, qui et ipsi peculiari ratione ad familiam dioecesanam pertinent, magnum auxilium sacrae Hierarchiae afferunt, atque in dies, auctis apostolatus necessitatibus, magis magisque afferre possunt ac debent.

35. (olim n. 33). [*Principia de apostolatu Religiosorum in dioecesibus*]. Ad hoc autem ut apostolatus opera in singulis dioecesibus concorditer semper exerceantur atque unitas dioecesanae disciplinae sarta tecta servetur, haec principia fundamentalia statuuntur:

1) Episcopos, utpote Apostolorum successores, Religiosi omnes filiali semper obsequio ac reverentia prosequantur. Praeterea quoties ad apostolatus opera legitime vocan-

Textus iuxta modos recognitus

poris Christi et in bonum Ecclesiarum particularium.

Hos vero fines promovere tenentur imprimis oratione, *poenitentiae* operibus et propriae vitae exemplo, in quorum aestimatione et studio ut *iugiter crescant,* Sacrosancta haec Synodus eos magnopere hortatur. At, *ratione habita indolis uniuscuiusque Religionis propriae,* ad externa quoque apostolatus opera impensius accedant.

34. (olim n. 32). [*Religiosi cooperatores Episcopi in apostolatu*]. Religiosi sacerdotes, qui in presbyteratus officium consecrantur ut sint et ipsi providi cooperatores Ordinis episcopalis, hodie adhuc maiori auxilio Episcopis esse valent, pro ingravescente animarum necessitate. Ideo vera quadam ratione ad clerum dioecesis pertinere dicendi sunt, quatenus in cura animarum atque apostolatus operibus exercendis partem habent sub sacrorum Praesulum auctoritate.

Etiam alii sodales, sive viri sint sive mulieres, qui et ipsi peculiari ratione ad familiam dioecesanam pertinent, magnum auxilium sacrae Hierarchiae afferunt, atque in dies, auctis apostolatus necessitatibus, magis magisque afferre possunt ac debent.

35. (olim n. 33). [*Principia de apostolatu Religiosorum in dioecesibus*]. Ad hoc autem ut apostolatus opera in singulis dioecesibus concorditer semper exerceantur atque unitas dioecesanae disciplinae sarta tecta servetur, haec principia fundamentalia statuuntur:

1) Episcopos, utpote Apostolorum successores, Religiosi omnes *devoto* semper obsequio ac reverentia prosequantur. Praeterea quoties ad apostolatus opera legitime vocan-

5] *Textus in schemate propositus*

tur ita munia sua exercere tenentur ut Episcopis auxiliatores adsint et subsint. Quin immo Religiosi Episcoporum postulationibus votisque prompte ac fideliter obsecundent ut ampliores partes in salutis humanae ministerium suscipiant, salva Instituti indole et secundum Constitutiones, quae, si necesse sit ad hunc finem congrue accommodentur.

Praesertim, attenta urgenti animarum necessitate atque cleri penuria, Instituta religiosa, quae vitae mere contemplativae non addicuntur, ab Episcopis advocari possunt ut in variis ministeriis pastoralibus operam adiutricem impendant; quam operam ut praestent, in paroeciis quoque suscipiendis etiam ad tempus, Superiores pro viribus faveant.

2) Religiosi autem, in externum apostolatum immissi, spiritu religionis propriae imbuti sint, atque fideles permaneant regulari observantiae et subiectioni erga proprios Superiores; quam obligationem ipsi Episcopi urgere ne omittant.

3) Exemptio, qua Religiosi ad Summum
6] Pontificem vel ad aliam ecclesiasticam Auctoritatem advocantur et ab Episcoporum iurisdictione subducuntur, ordinem Institutorum internum potissimum respicit, quo melius in iisdem omnia sint inter se apta et connexa atque incremento et perfectioni religiosae conversationis consulatur; necnon ut de illis disponere possit Summus Pontifex in bonum Ecclesiae universae, alia vero competens Auctoritas in bonum Ecclesiarum propriae iurisdictionis.

Haec autem exemptio non impedit quominus Religiosi in singulis dioecesibus Episcoporum iurisdictioni subsint ad normam iuris,

Textus iuxta modos recognitus

tur ita munia sua exercere tenentur ut Episcopis auxiliatores adsint et subsint.[20] Quin immo Religiosi Episcoporum postulationibus votisque prompte ac fideliter obsecundent ut ampliores partes in salutis humanae ministerium suscipiant, salva Instituti indole et secundum Constitutiones, quae, si necesse sit, ad hunc finem accommodentur, *inspectis huius Decreti Concilii principiis.*

Praesertim, *attentis urgentibus animarum necessitatibus atque cleri dioecesani penuria,* Instituta religiosa, quae vitae mere contemplativae non addicuntur, ab Episcopis advocari possunt ut in variis ministeriis pastoralibus operam adiutricem impendant, *inspecta tamen propria cuiusque Instituti indole*; quam operam ut praestent, in paroeciis quoque suscipiendis etiam ad tempus, Superiores pro viribus faveant.

2) Religiosi autem, in externum apostolatum immissi, spiritu religionis propriae imbuti sint, atque fideles permaneant regulari observantiae et subiectioni erga proprios Superiores; quam obligationem ipsi Episcopi urgere ne omittant.

3) Exemptio, qua Religiosi ad Summum Pontificem vel ad aliam ecclesiasticam Auctoritatem advocantur et ab Episcoporum iurisdictione subducuntur, ordinem Institutorum internum potissimum respicit, quo melius in iisdem omnia sint inter se apta et connexa atque incremento et perfectioni religiosae conversationis consulatur;[21] necnon ut de illis disponere possit Summus Pontifex in bonum Ecclesiae universae,[22] alia vero competens Auctoritas in bonum Ecclesiarum propriae iurisdictionis.

Haec autem exemptio non impedit quominus Religiosi in singulis dioecesibus Episcoporum iurisdictioni subsint ad normam iuris,

Textus in schemate propositus

prout horum pastorale munus perfungendum et animarum rite ordinanda curatio requirunt.

4) Omnes Religiosi, exempti et non exempti, Ordinariis locorum subduntur in iis quae ad publicum exercitium cultus divini, ad curam animarum, ad sacram praedicationem populo tradendam, ad christifidelium, praesertim puerorum, religiosam et moralem educationem, catecheticam institutionem et liturgicam efformationem, ad generalem scholarum catholicarum ordinationem et ad varia apostolatus opera necnon ad status clericalis decorem spectant. Pariter tenentur servare ea omnia quae Episcoporum Concilia aut Conferentiae ab omnibus servanda legitime edixerint.

5) Inter varia Instituta religiosa atque inter eadem et clerum dioecesanum, ordinata foveatur cooperatio. Arcta insuper habeatur omnium operum et actionum apostolicarum coordinatio, quae maxime pendet a supernaturali animorum et mentium habitu, in caritate radicato et fundato. Hanc autem coordinationem curare Apostolicae Sedi competit pro universa Ecclesia; sacris vero Pastoribus in sua cuiusque dioecesi; Patriarchalibus demum Synodis et Episcoporum Conferentiis in proprio territorio.

Episcopi vel Episcoporum Conferentiae et Superiores religiosi vel Conferentiae Superiorum Maiorum, pro operibus apostolatus quae a Religiosis exercentur, ne procedant nisi praeviis consiliis mutuo inter se collatis.

6) Ad fovendas concorditer et fructuose mutuas relationes inter Episcopos et Religio-

Textus iuxta modos recognitus

prout horum pastorale munus perfungendum et animarum rite ordinanda curatio requirunt.[23]

4) Omnes Religiosi, exempti et non exempti, *Ordinariorum locorum potestati subsunt* in iis quae ad publicum exercitium cultus divini, *salva quidem Rituum diversitate,* ad curam animarum, ad sacram praedicationem populo tradendam, ad christifidelium, praesertim puerorum, religiosam et moralem educationem, catecheticam institutionem et liturgicam efformationem *atque ad status clericalis decorem spectant necnon ad varia opera in iis quae sacri apostolatus exercitium respiciunt. Religiosorum quoque scholae catholicae Ordinariis locorum subsunt ad earum generalem ordinationem et vigilantiam quod attinet, firmo tamen iure Religiosorum quoad earumdem moderamen.* Pariter *Religiosi* tenentur servare ea omnia quae Episcoporum Concilia aut Conferentiae ab omnibus servanda legitime edixerint.

5) Inter varia Instituta religiosa atque inter eadem et clerum dioecesanum, ordinata foveatur cooperatio. Arcta insuper habeatur omnium operum et actionum apostolicarum coordinatio, quae maxime pendet a supernaturali animorum et mentium habitu, in caritate radicato et fundato. Hanc autem coordinationem curare Apostolicae Sedi competit pro universa Ecclesia; sacris vero Pastoribus in sua cuiusque dioecesi; Patriarchalibus demum Synodis et Episcoporum Conferentiis in proprio territorio.

Episcopi vel Episcoporum Conferentiae et Superiores religiosi vel Conferentiae Superiorum Maiorum, pro operibus apostolatus quae a Religiosis exercentur, praeviis consiliis mutuo inter se collatis *procedere velint.*

6) Ad fovendas concorditer et fructuose mutuas relationes inter Episcopos et Religio-

Textus in schemate propositus

sos, statis temporibus et quoties id opportunum videbitur, Episcopi et Superiores religiosi conveniant ad negotia tractanda, quae universim ad apostolatum in territorio pertinent.

Textus iuxta modos recognitus

sos, statis temporibus et quoties id opportunum videbitur, Episcopi et Superiores religiosi conven*ire velint* ad negotia tractanda, quae universim ad apostolatum in territorio pertinent.

NOTAE

[1] Cf. CONC. VAT. II, Decr. *de Ecclesiis Orientalibus Catholicis,* 21 nov. 1964, nn. 7-11: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 79-80.

[2] Cf. CONC. TRID., Sess. V, decr. *de reform.,* c. 2, MANSI 33, 30; Sess. XXIV, decr. *de reform.,* c. 4, MANSI 33, 159 [cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *de Ecclesia,* c. III, n. 25: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 29 ss.].

[3] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 apr. 1963, passim: *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 257-304.

[4] Cf. PAULUS VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam Suam,* 6 aug. 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 639.

[5] Cf. PAULUS VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam Suam,* 6 aug. 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 644-645.

[6] Cf. CONC. VAT. II, Decr. *de instrumentis communicationis socialis,* 4 dec. 1963: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 145-153.

[7] Cf. CONC. VAT II, Const. *de Sacra Liturgia,* 4 dec. 1963: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 97 ss.; PAULUS VI, Motu proprio *Sacram Liturgiam,* 25 ian. 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 139 ss.

[8] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: *A.A.S.,* 39 (1947), p. 251 ss.

[9] Cf. *Act.* 1, 14 et 2, 46.

[10] Cf. *Luc.* 22, 26-27.

[11] Cf. CONC. VAT. II, Decr. *de Oecumenismo,* 21 nov. 1964: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 90-107.

[12] Cf. *Io.* 15, 15.

[13] Nomine « migrantium » ii praesertim veniunt qui ob victum quaeritandi necessitatem variasque alias rationes vitae vel occupationis vel ob tristes suarum nationum condiciones vexationesque religionis causa obortas patrium locum, sive ad tempus sive in perpetuum, relinquunt.

Nomine « maritimorum » veniunt ii omnes qui nauticam vel piscatoriam artem exercentes sive gubernandi sive inserviendi causa in navibus vitam iugiter ducere coguntur ac proinde nonnisi raro et difficilius communi parochi cura frui valent, vel portibus addicuntur maritima itinera adparaturi.

Nomine « aëronavigantium » ii veniunt qui aëria itinera et commeatus aggrediuntur iique omnes, sive viri sive mulieres, qui in velivolis et in aërodromis operam praestant seu laborem.

Nomine « nomadum » ii veniunt qui varias orbis terrarum regiones continuo circumire solent, vel propter artem circensibus ludis exercendam vel propter insitam naturam et congenitam animi proclivitatem.

[14] Hic ii veniunt potissimum qui vulgo *touristes* vocantur, homines nempe qui, sive singuli sive turmatim, per annum, animi relaxationis vel rusticationis vel sanitatis curandae causa, suas domos ad tempus derelinquere solent, externas civitates aut montes aut marium lacuumque oras petituri. [58]

[15] Cf. S. Pius X, Motu proprio *Iampridem,* 19 mart. 1914: *A.A.S.,* 6 (1914), p. 174 ss.; Pius XII, Const. Ap. *Exsul Familia,* 1 aug. 1952: *A.A.S.,* 44 (1952), p. 652 ss.; *Leges Operis Apostolatus Maris,* auctoritate Pii XII conditae, 21 nov. 1957: *A.A.S.* (1958), p. 375, n. 2.

[16] Cf. n. 27.

[17] Cf. Conc. Vat. II, Decr. *de Ecclesiis Orientalibus Catholicis,* 21 nov. 1964, n. 4: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 77.

[18] Cf. n. 27.

[19] Cf. *Io.* 13, 35.

[20] Cf. Pius XII, *Allocutio,* 8 dec. 1950: *A.A.S.,* 43 (1951), p. 28: « Haud dubie ad iuris divini praescriptum sacerdos, sive saecularis sive religiosus est, ita munia exercere debet sua, ut Episcopo auxiliator adsit et subsit ». Cf. etiam Paulus VI, *Allocutio,* 23 maii 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 571: « Quod autem attinet ad sacri apostolatus exercitium in variis dioecesibus, religiosi sodales subsunt etiam Episcoporum iurisdictioni, quibus auxilium praebere tenentur, salva semper apostolatus natura ipsorum propria et vitae religiosae necessitatibus. Ex quo patet, quantopere conferat ad Ecclesiae bonum socia atque adiutrix religiosorum opera dioecesano clero praestita, cum vires unitae fortiores validioresque evadant ».

[21] Cf. Leo XIII, Const. Ap. *Romanos Pontifices,* 8 maii 1881: Acta Leonis XIII, vol. II (1882), p. 234.

[22] Cf. Paulus VI, *Allocutio,* 23 maii 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 570-571: « Religiosi enim sodales semper et ubique Romani Pontificis potestati, utpote supremo suo Moderatori, in primis subiciuntur. Instituta religiosa igitur praesto sunt Romano Pontifici in iis operibus, quae ad bonum Ecclesiae universae pertinent ».

[23] Cf. Pius XII, *Allocutio,* 8 dec. 1950: *l. c.* « Sed et Religiosorum Ordinum exemptio neque principiis constitutionis divinitus Ecclesiae datae obsistit neque ullo modo repugnat legi, qua sacerdos Episcopo parere debet. Etenim ad normam iuris canonici religiosi exempti Episcopi loci potestati subsunt, prout episcopale munus perfungendum et animorum rite ordinanda curatio requirunt ».

[59] MODI PROPOSITI ET EXAMINATI

RELATIO GENERALIS DE CAPITE II

Venerabiles Patres,

Commissio de Episcopis et dioecesium regimine textum recognitum Capitis II schematis « De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia » vestrae suffragationi humiliter proponit. Certe Vos, de momento argumentorum quae in hoc Capite pertractantur vere conscii, textum voluistis apprime confectum: hac de causa, nongenti circiter Patres suos modos in praecedenti suffragatione exhibuerunt.

Commissio nostra omnes illos modos, nullo quidem excepto, attente consideravit atque textum, praesertim in gravioribus argumentis, non parum immutavit, ita ut plena fiducia nunc sperare possit textum recognitum unanima consensione a vobis acceptatum iri.

Breviter praecipuas mutationes exponam; ampliores explicationes, quoad singulos modos, in relatione de singulis numeris exponuntur.

Art. 1 – *Episcopi dioecesani*

Petentibus nonnullis Patribus, in num. 11 et 12 dioecesis notio et Episcoporum munus docendi accuratioribus verbis proponuntur; in num. autem 13 de doctrina christiana, a fidelibus *propaganda,* atque de *salutis* colloquio — iuxta ipsa verba Pauli VI in Litt. Encycl. *Ecclesiam suam* — expresse sermo fit. In num. 14 *Magisterium* ecclesiasticum, una cum vita Ecclesiae, memoratur atque in num. 15 nova redactio propositionis de speciali cura quoad vocationes *missionarias* adhibenda inseritur.

In num. 16 duae novae propositiones adduntur, quarum prima est de necessitate pro Episcopo « *integram sui gregis familiam congregare et efformare* », altera vero de partibus sibi congruentibus, quas fideles in rebus Ecclesiae habent deque eorumdem iure et officio active adlaborandi ad aedificationem mystici Corporis Christi. In num. 17, qui de peculiaribus apostolatus formis agit, clariore modo exponitur fidelium obligatio *apostolatum* exercendi; quaeque obligatio rectissime distinguitur a commendatione ut *opera* apostolatus, et praesertim Actionem Catholicam, participent vel adiuvent. Num. 18 ampliorem enumerationem

diversorum fidelium coetuum, qui singulari sollicitudine Episcopi egent, [59]
continet, quum memorentur etiam *exsules et profugi.*

In num. autem 19, in quo de Episcoporum libertate in munere obeundo agitur, nova verba addita sunt, ex iurisprudentia Sanctae Sedis [60]
desumpta, ut melius eluceat quo modo et qua mensura illi actuosam cum publicis Auctoritatibus operam consociare debeant: nempe « pro sua officii ratione *et sicut Episcopos decet* ». Tandem num. 21, qui implexam quaestionem de Episcoporum renuntiatione a munere aggreditur, immutatus manet, iuxta Commissionis iudicium. Revera, peracta speciali suffragatione de hac re die 5 mensis novembris anni praeteriti, textus propositus nonnisi 57 vota contraria, inter 2044 Patres, obtinuit. Immo et modi, nunc a Patribus propositi, nova argumenta nequaquam attulerunt: e contra, in diversas immo et in easdem oppositas sententias Patres abierunt, sicut in disceptatione perdurante II Sessione Concilii habita. Ex quo clare evincitur textum schematis viam mediam proponere, quum de argumento agatur tam ferventi discussioni subiecto, cuius debitam rationem textus redactio iam habuerit.

Art. II – *Dioecesium circumscriptio*

Paucissimas animadversiones circa hunc articulum Patres attulerunt; quare textus fere in omnibus immutatus manet. In num. 24 autem, quo clarior schematis sensus appareat, iam non dicitur, observantibus quibusdam Patribus, « Conferentiae Episcopales his negotiis (de circumscriptione nempe dioecesium) *studeant* », quum haec vox aequivocatione quadam laborare possit; sed potius commendatur ut ea negotia « *examini subiciant* ».

Art. III – *Episcopi dioecesani in munere pastorali cooperatores*

Fatendum quidem est maiores numero observationes, a Patribus allatas, hanc capitis II partem respicere. De quo mirandum non est: ibi enim graviores pertractantur quaestiones, quae maximum momentum, tum in ordine iuridico tum in ordine pastorali, habent.

Ut clarius appareat in num. 26 *Episcopos Auxiliares* sub Episcopi dioecesani potestate semper esse debere, loco verborum « ab ipso dumtaxat dependentes », nunc affirmatur: « *a sua auctoritate* dumtaxat dependentes ». Hoc namque modo concordantur sententiae, tum eorum qui voluerunt Auxiliarium auctas facultates, tum illorum Patrum qui unam auctoritatem Episcopi dioecesani clare affirmandam postulaverunt.

In num. 27, textum de nova figura *Vicarii Episcopalis* immutatum servari debere censuit Commissio, non obstantibus nonnullorum Patrum

[60] animadversionibus, contra multos alios, qui aliter putaverunt. Revera non praescribitur in textu ut *necessario* Vicarii Episcopales in unaquaque dioecesi constituantur; sed *liberae* Episcopi determinationi id relinquitur, iuxta peculiares locorum necessitates. Immo et firma manet facultas ut unus vel plures Vicarii Generales constituantur. Nostro ergo textu
[61] admisso, media augentur iuridica ut Episcopi, meliore quo fieri possit modo, regimen pastorale dioecesis exercere valeant. Ex alia parte, novus textus in eumdem numerum introducitur: commendatur sane ut illa instituta, in senatum Episcopi condita, praesertim *Capitula cathedralia,* « *novae ordinationi, quatenus opus sit, necessitatibus hodiernis aptatae, subiciantur* ».

Petentibus multis Patribus, duae innovationes in num. 28 introductae sunt. Prima respicit ipsum modum exponendi: sane primo proponitur in novo textu id quod commune est omnibus presbyteris, dioecesani sint vel religiosi, atque, secundo loco, quod est proprium *sacerdotum dioecesanorum* explicatur, qui nempe, « Ecclesiae particulari incardinati vel addicti, eiusdem servitio plene sese devovent ». Secunda textus mutatio haec est: post affirmatas Episcopum inter et sacerdotes dioecesanos necessitudines, vinculis caritatis potissimum innixas, textus emendatus commendat ut illos Episcopus *vocare velit* ad colloquium, commune quoque, de re praesertim pastorali. Tollitur ergo verbum *instituat,* ne plures Patres deinceps anxii sint, quasi de quadam iuridica institutione in casu agatur.

Nova propositio continetur in num. 29, quum nulla mentio in textu priore facta fuerit de sacerdotibus operibus supradioecesanis addictis. Postulantibus nonnullis Patribus, affirmatur in textu recognito illos praeclara opera exercere atque peculiari sollicitudini commendatum iri, praesertim Episcopi in cuius dioecesi commorantur.

Praeter alias minoris momenti emendationes, in num. 30, 2) tolluntur verba *si expediat,* quae per vocem *quoque* substituuntur, quando de Confraternitate Doctrinae Christianae sermo fit: id enim petierunt plus quam centum Patres.

Attentis etiam 50 Patrum optatis, textus *de parochorum renuntiatione a munere* ita emendatus est, ut num. 31 plene respondeat iis quae in nostro schemate iam continentur circa Episcoporum renuntiationem: praeter « ingravescentem aetatem » ergo, memoratur etiam *alia gravis causa;* neque expectare debebit Episcopus ut parochi « ipsi sua sponte » officii renuntiationem faciant, quia in textu emendato asseritur ipsos quoque *eos ad renuntiandum invitare posse.*

Quoad num. 33-35, qui *de Religiosis* agunt opera apostolatus in dioecesi exercentibus, facilis non fuit Commissionis labor ad coordi-

nandos omnes modos a Patribus propositos: multa enim fuit eorum varietas. [61]

In num. 33 affirmatam relinquimus pro Religiosis necessitatem fines Ecclesiae promovendi « oratione, *poenitentiae* (loco *expiationis*) operibus et propriae vitae exemplo »: agitur enim de mediis quae, peculiari ratione, Religiosis competunt. Attamen iam non amplius dicitur in textu eos debere in iisdem mediis *perseverare,* sed valde exoptatur ut in eis *iugiter crescant*: quod quidem verius est.

Principium autem in eodem num. 33 enuntiatum, nempe de necessitate ut Religiosi « ad externa quoque apostolatus opera impensius accedant », speciali considerationi Commissio subiecit, inspectis 80 Patrum animadversionibus. Textus nunc propositus sic se habet: « At, *ratione habita indolis uniuscuiusque Religionis propriae,* ad externa quoque apostolatus opera impensius accedant ». Speramus textum ita recognitum Patribus satisfacere posse: ex una parte enim asseritur principium generale, de necessitate qua Religiosi ad apostolatus opera, externa quoque, impensius accedere debeant; ex alia vero, limitatio apponitur, omnia Instituta religiosa attingens, quaeque tantum « in eorum indole propria » inveniri potest. Ut pronum est, limitatio haec etiam Religiosos vitam contemplativam profitentes complectitur. [62]

Num. 34 Commissio censuit immutatum servandum esse, non obstante 20 Patrum animadversione, quibus textus non placuit ob assertam — uti dixerunt — quamdam veluti *discriminationem* sacerdotes dioecesanos inter et religiosos. Sane principia ibi exposita circa Religiosos, utpote Episcopi dioecesani cooperatores in apostolatu, optime cohaerent cum doctrina quae in num. 28 continetur de omnibus presbyteris, dioecesani sint vel religiosi. Textus namque recognitus omnes affirmat esse cooperatores Ordinis episcopalis, quatenus unum sacerdotium Christi participant.

Multi modi a Commissione considerati sunt circa num. 35. Sane 135 Patres postulaverunt ut principium in 1) circa necessitatem Constitutiones Religiosorum accommodandi, ut hi ampliores partes in salutis humanae ministerium suscipere queant, firmiore modo exprimeretur. Commissio sequenti modo textum mutavit: « quae (Constitutiones), si necesse sit, ad hunc finem accommodentur, *inspectis huius Decreti principiis* ». Hoc sane modo: *a*) clare constat voluntas Concilii de reformandis Constitutionibus; *b*) exprimitur ambitus huius praescriptionis, quum nostrum schema tantum de Religiosis, quatenus operibus apostolatus addictis, loquatur (ideo dicitur: « inspectis huius Decreti principiis »); *c*) excipiuntur casus, in quibus accommodationem introducere inutile est, quum sufficienter Constitutiones provideant.

[62] In eodem 1) prior textus principium proponebat de facultate Episcoporum advocandi Religiosos ad varia ministeria pastoralia, exceptis quidem sodalibus illis, qui vitae mere contemplativae addicuntur. Iamvero 283 Patres, ex una parte, et 84, ex alia, diversas propugnaverunt sententias. Commissio volens, quatenus possibile sit, omnibus satisfacere, textui sequentia verba adiecit: « *inspecta tamen propria cuiusque Instituti indole* ». Hac quidem ratione, servatur exceptio quoad Instituta religiosa, quae vitae *mere* contemplativae addicuntur, quum haec ad ministeria pastoralia revera advocari non possint; atque simul indoles propria cuiusque Instituti servanda commendatur, quoties de operibus apostolatus agitur.

[63] Circa subiectionem Religiosorum erga Episcopum, non obstante exemptione, innumeros modos Commissioni Patres attulerunt. Plures, 570, postulaverunt ut verbum *subduntur* nostri textus in 4) substitueretur per vocem *subsunt,* quia hoc, ut aiebant, verius est. Re tamen mature perpensa, censuimus includenda esse verba, iam a Leone XIII, in Litt. Enc. « Romanos Pontifices » 8 maii 1881, et a Pio XII in Alloc. 8 dec. 1950, adhibita: in casibus nempe in eodem numero enuntiatis, Religiosi omnes, exempti et non exempti, *Ordinariorum locorum potestati subsunt.* Quo quidem modo, et accuratior redactio obtinetur et melior textus compositio.

Iamvero, quoad casus, in quibus Religiosi omnes Episcoporum potestati subduntur, variae emendationes a Patribus propositae sunt. Prima, a 255 proposita et a Commissione libenter admissa, est de publico exercitio cultus divini, ut propria Ordinariorum locorum potestas clare determinetur, iuxta diversos in Ecclesia Ritus. Quare in textu recognito sequentia verba addita sunt: « *salva quidem Rituum diversitate* ».

Secunda animadversio scholas catholicas et varia apostolatus opera respicit, circa quae duplex modorum genus propositum est, a 273 Patribus primum et a 297 alterum. Commissio, mature perpensis omnibus rationibus allatis, ad sequentes conclusiones tandem pervenit: *a*) in iis quae attinent ad publicum exercitium cultus divini, ad curam animarum, ad sacram praedicationem populo tradendam, ad christifidelium, praesertim puerorum, religiosam et moralem educationem, catecheticam institutionem et liturgicam efformationem atque ad status clericalis decorem spectant, clare et dilucide constare debet omnium Religiosorum subiectio erga Episcopos; *b*) quod attinet ad apostolatus opera, quum haec tam diversae naturae revera sint, subiectio illa attingere debet, *quae sacri apostolatus exercitium respiciunt*: quae quidem verba ea sunt quae Summus Pontifex Paulus VI adhibuit in Alloc. diei 23 maii anni 1964; *c*) circa Religiosorum scholas catholicas, subiectio ad earum

generalem ordinationem ac vigilantiam extendi debet; attamen legitima [63]
Religiosorum autonomia circa scholas manere debet quoad earumdem moderamen, quia de iure proprio agitur. Iuxta haec quidem principia, novus textus recognitus vestrae suffragationi proponitur.

Tandem 35 Patres postulaverunt ut ultimae lineae in 5) necnon et integer 6) supprimerentur, quae in fine capitis II de relationibus Episcopos inter et Religiosos agunt, quoad apostolatus opera. Sane in hac materia haec duo certa sunt: ex una parte, totum sacri apostolatus exercitium in dioecesi Episcopi auctoritati subesse; ex alia, conveniens libertas Religiosis concedenda est, ne animarum salus inde detrimentum capiat. Haec sane principia, in praxim deducta, cooperationem atque concordiam supponunt et exigunt inter Episcopos et Religiosos. Quare Commissio, his omnibus attente perpensis, modum prouti iacet, non admisit. Attamen, consideratis Patrum rationibus, textum ita mutavit
ut clare appareat non agi de novo quodam instituto iuridico condendo, [64]
sed de commendatione colloquii opportune instituendi inter Episcopos et Superiores religiosos, non tantum quoad opera apostolatus a Religiosis exercenda, sed etiam ad negotia tractanda, quae ad apostolatum in territorio pertinent.

Praeterea Commissio putavit neque supprimendam esse mentionem in textu 5) *de Conferentiis Superiorum Maiorum,* uti sex Patres postulaverunt. Revera, huiusmodi Conferentiae in pluribus nationibus exsistunt, probante Sancta Sede; quare a Conferentiis Episcoporum ignorari nec possunt nec debent.

Venerabiles Patres,

Uti videtis, Commissio textum recognovit, adsentiendo modis propositis, quo melius fieri potuit. Fortasse alicui Patri schematis redactio recognita minus placere potest, quia ipsius mentem in ea expressam non inveniat. Petimus ut singuli Patres opiniones reliquorum meminerint atque considerent. Commissioni imprimis cordi fuit sententiis maioris Patrum partis satisfacere, quin tamen pauciores praetermitteret: quam maxime siquidem, et ad stateram fere, perpendit rationes et argumenta in animadversionibus proposita. In hoc ipso textu sufficienter respondetur omnibus modis, quos Commissio penitus maxima cura et diligentia expendit.

Vestram optamus favorabilem sententiam, quae laborem nostrum plene confirmet atque adprobet.

† Narcissus Jubany
Episcopus Gerundensis

[65] RELATIO
DE SINGULIS NUMERIS CAPITIS II

I – EPISCOPI DIOECESANI

AD NUM. 11 [*Dioecesis notio et Episcoporum munus in dioecesi*].

1 — Pag. 29, lin. 2 [pag. 37, lin. 3]: Quaeritur ut dicatur: « *cum cooperatione sacerdotum saecularium et religiosorum* », ut extensio presbyterii clarius appareat (*1 Pater*).

R. — Non admittitur, quia presbyterium comprehendit omnes sacerdotes, etiam religiosos.

2 — Pag. 29, linn. 2-3 [pag. 37, linn. 2-3]: Quaeritur ut dicatur: « Dioecesis, Populi Dei portio, ad instar Corporis Christi Mystici contemplandam se monstrat, quae ... » (*1 Pater*).

R. — Non admittitur, quia idea iam asseritur in verbis « Populi Dei ».

3 — Pag. 29, lin. 4 [pag. 37, lin. 4]: Quaeritur ut addantur verba « *sed etiam cum aliis adiutoribus, laicis non exceptis* » (*1 Pater*).

R. — Non admittitur, quia, cum dioecesis sit portio Populi Dei, quae *pascenda* committitur, addi non potest: « etiam aliis adiutoribus, laicis non exceptis » quia laici non pascunt populum Dei.

4 — Pag. 29, lin. 6 [pag. 37, linn. 5-6]: Quaeritur ut dicatur « per Evangelii praedicationem et *Sacramentorum* administrationem in Spiritu Sancto congregata » (*2 Patres*).

R. — Non admittitur, quia praesertim Eucharistia est causa unionis.

5 — Pag. 29, lin. 7 [pag. 37, lin. 7]: Quaeritur ut tollantur verba « *pleneque* », quia Ecclesia Christi non plene invenitur in Ecclesia particulari (*1 Pater*).

R. — Admittitur, quia conformius est textui Const. dogm. « De Ecclesia ».

6 — Pag. 29, lin. 8 [pag. 37, lin. 8]: Proponitur ut retineatur verbum « *imaginem* » prioris textus, quia verba schematis emendati sunt periculi plena (*1 Pater*).

R. — Provisum est, tollendo verba *pleneque*.

[66] 7 — Pag. 29, lin. 11 [pag. 37, lin. 11]: Quaeritur ut supprimatur verbum « *specialis* » quia non est necessarium (*16 Patres*).

R. — Admittitur.

8 — Pag. 29, lin. 16 [pag. 37, lin. 15 ss.]: Proponitur ut tres lineae quae sequuntur mutentur, ut nexus magis appareat cum praecedentibus (*1 Pater*). [66]

R. — Nexus sufficienter manifestatur textu recognito, praesertim per verbum « Ipsi ».

9 — Pag. 29, linn. 16-18 [pag. 37, linn. 16-18]: Quaeritur ut deleatur textus, quia videtur iniuriosus nec congruit cum praecedentibus (*4 Patres*).

R. — Textus schematis est universalis et valet pro tota Ecclesia; ideo ita emendatur ut, sublatis verbis *Ecclesiarum Orientalium,* Patriarchas et alias Auctoritates hierarchicas complectatur, ut sunt Metropolitae.

10 — Pag. 29, lin. 17 [pag. 37, lin. 17]: Quaeritur ut deleantur verba « *Ecclesiarum Orientalium* » (*8 Patres*).

R. — Admittitur, prout explicatum est in numero superiore.

11 — Pag. 29, lin. 20 [pag. 37, lin. 19]: Quaeritur ut addatur: « ut Christi testes ac *apostoli* » (*1 Pater*).

R. — Non admittitur, quia alluditur ad textum « Et eritis mihi testes ... » (*Act.,* 1, 8).

12 — Pag. 29, linn. 23-24 [pag. 37, linn. 22-23]: Quaeritur ut dicatur « a via veritatis *vel communionis* quoquo modo deflexerunt » (*13 Patres*).

R. — Non admittitur, quia id iam implicite continetur in textu.

13 — Pag. 29, lin. 25 [pag. 37, lin. 24]: Quaeritur ut expungatur verbum « *plane* » quia inutile (*1 Pater*).

R. — Admittitur.

AD NUM. 12 [*Episcoporum munus docendi*].

14 — Pag. 30, lin. 11 [pag. 38, lin. 12]: Quaeritur ut supprimatur verbum « *posse* », quia res terrestres per se conferunt ad aedificationem Corporis Christi (*1 Pater*).

R. — Non admittitur, quia non necessario conferunt.

15 — Pag. 30, linn. 12-13 [pag. 38, linn. 13-14]: Quaeritur ut tollatur verbum « iuxta doctrinam *socialem* », quia expressio « doctrina socialis » in controversia est et explicatione indiget (*17 Patres*). [67]

R. — Admittitur, quia non omnia enumerata pertinent ad doctrinam socialem.

[67] 16 — Pag. 30, linn. 19-20 [pag. 38, linn. 19-20]: Quaeritur ut dicatur: « rationes *seu criteria* denique exponant *sub quibus* solvendae sunt de bonorum recta distributione, incremento ac possessione ... », quia Episcopi nec dant nec ex missione sua dare possunt solutiones technicas de his rebus (*15 Patres*).

R. — Non admittitur, quia manifeste non agitur de solutionibus technicis, ut apparet ex verbis: iuxta doctrinam Ecclesiae.

AD NUM. 13 [*Doctrinae christianae proponendae rationes*].

17 — Pag. 30, linn. 25-30 [pag. 38, linn. 26-30]: Quaeritur ut dicatur iterum lin. 29 « *doctrinam christianam* » et mutetur textus ita ut sit: « *Doctrinam christianam proponant ac tueantur* ratione temporum necessitatibus aptata ... » (*1 Pater*).

R. — Prima emendatio admittitur, et dicitur *eandem* doctrinam; altera autem non admittitur, quia proponere et tueri sunt duo conceptus diversi, cum quibus non cohaerent quae sequuntur et de sola propositione doctrinae valent.

18 — Pag. 30, lin. 30 [pag. 38, linn. 30-31]: Quaeritur ut dicatur: ad eam defendendam *et propagandam* ipsos fideles docentes (*41 Patres*).

R. — Admittitur.

19 — Pag. 30, lin. 37 [pag. 38, lin. 37]: Quaeritur ut dicatur: « Cum Ecclesiae sit cum humana societate in qua vivit ad colloquium *salutis* venire »; de eodem agitur in Litt. Encyclicis « Ecclesiam Suam » (*34 Patres*).

R. — Admittitur emendatio, sed ita ut lin. 40 [lin. 41] adiungatur « *salutis* colloquia ».

[68] AD NUM. 14 [*Catechetica institutio*].

20 — Pag. 31, linn. 29-30 [pag. 39, linn. 30-31]: Quaeritur ut dicatur: « *et Magisterio Ecclesiae* », cum Magisterium sit fons ordinarius institutionis christifidelium (*1 Pater*).

R. — Admittitur, ita ut textus sit: *Magisterio vitaque Ecclesiae.*

21 — Pag. 31, linn. 31 s. [pag. 39, linn. 32 s.]: Obiicitur quod ruri non possunt haberi qui leges paedagogicas noscunt.

R. — Optimum in textu proponitur, quod, iuxta varia adiuncta verificari debet; ideo non admittitur obiectio.

AD NUM. 15 [*Episcoporum munus sanctificandi*]. [68]

22 — Pag. 32, linn. 4-5 [pag. 40, linn. 4-5]: Quaeritur ut dicatur « Episcopi *plenitudine* Sacramenti Ordinis *gaudent* », ut concordet textus cum Const. dogm. « De Ecclesia » (*25 Patres*).

R. — Admittitur.

23 — Pag. 32, linn. 5-6 [pag. 40, linn. 5-6]: Quaeritur ut dicatur: « *in sua potestate exercenda* », cum exercitium tantum potestatis sacerdotum ab Episcopis pendeat (*8 Patres*).

R. — Admittitur, quia conformitas servanda est cum textu Const. dogm. « De Ecclesia », n. 28.

24 — Pag. 32, lin. 14 [pag. 40, lin. 14]: Quaeritur ut dicatur « *commissae* », loco « commissa » (*1 Pater*).

R. — Non admittitur, quia agitur de *Ecclesia sibi commissa.*

25 — Pag. 32, lin. 24 [pag. 40, lin. 24]: Quaeritur ut dicatur post « ... in gratia crescant » « *ac hostias et preces offerant pro salute mundi* », nulla addita ratione (*1 Pater*).

R. — Non admittitur, quia esset repetitio.

26 — Pag. 32, linn. 33-35 [pag. 40, linn. 33-35]: Quaeritur ut dicatur: « Idcirco vocationes sacerdotales ac religiosas quam maxime foveant, *speciali cura ad vocationes missionarias adhibita* », quia vocationes sacerdotales oppositae non sunt vocationibus missionariis vel religiosis (*31 Patres*).

R. — Admittitur, ita tamen ut textus sit: « Idcirco vocationes sacerdotales ac religiosas quam maxime foveant, *speciali cura vocationum missionalium adhibita* ».

AD NUM. 16 [*Episcoporum munus regendi ac pascendi*]. [69]

27 — Pag. 32, lin. 37 et sqq. [pag. 40, lin. 37 sqq.]: Quaeritur ut affirmetur officium Episcopi tuendi disciplinam canonicam (*1 Pater*).

R. — Non admittitur, quia iam in textu affirmatur auctoritas Episcopi servanda.

28 — Pag. 33, lin. 1 [pag. 40, linn. 40-41]: Quaeritur ut deleantur verba « *veri patres* », quae paternalismum sapiunt (*16 Patres*).

R. — Non admittitur, quia a Romanis Pontificibus haud raro Episcopi patres vocantur.

29 — Pag. 33, linn. 2-4 [pag. 41, lin. 1]: Quaeritur ut deleantur verba « *quorum auctoritati etc.* », quia schema agit de Episcopis, non de subditis (*1 Pater*).

[69] R. — Non admittitur, quia ipsi Episcopi auctoritate gaudent et quia alii Patres rogarunt ut de auctoritate quaestio esset.

30 — Pag. 33, lin. 10 [pag. 41, lin. 12]: Quaeritur ut inseratur textus magis extensus affirmans necessitatem ut Episcopi vitam suam ordinent modo novis adiunctis accommodato, et ut exemplum praebeant vitae austeritatis etc. (*1 Pater*).

R. — Non admittitur, quia videtur sufficienter provisum in n. 15.

31 — Pag. 33, lin. 18 [pag. 41, lin. 20]: Quaeritur ut post verba « tum incolas et peregrinos » addatur textus, quo affirmetur necessaria Episcoporum sollicitudo ut fideles in rebus Ecclesiae partes congruentes habeant atque ipsis agnoscatur ius active cooperandi ad aedificationem ipsius Ecclesiae (*19 Patres*).

R. — Admittitur et additur novus textus post verba supradicta.

32 — Pag. 33, lin 19 [pag. 41, lin. 26]: Quaeritur ut deleatur verbum « *peculiari* » (lin. 19) et ut pro verbo « *tandem* » (lin. 23) substituatur verbum « *etiam* » (*1 Pater*).

R. — Admittitur, quia magis logicum videtur.

33 — Pag. 33, lin. 21 [pag. 41, lin. 28]: Quaeritur ut dicatur loco « magna cum *humanitate* », « magna cum *caritate* se gerant *in veritate* », ut causa appareat supernaturalis (*39 Patres*).

R. — Pro parte admittitur, ita ut textus sit: magna cum humanitate *et caritate* se gerant ».

[70] 34 — Pag. 33, lin. 28 [pag. 41, lin. 35]: Quaeritur ut loco « *paterna* semper caritate amplectantur ... » dicatur « *pastorali* semper caritate cum eis conversentur, eosdem ut cooperatores et amicos habentes, quibus omni cum fiducia *propriam responsabilitatem concedere debent* etc. » (*20 Patres*).

R. — Admittitur ut loco « paterna caritate » dicatur « *peculiari* caritate »; quoad cetera proposita, provisum est in novo textu addito p. 41, linn. 37-40.

35 — Pag. 34, lin. 4 [pag. 42, lin. 11]: Quaeritur ut addatur in fine: « *Conferentiae Episcoporum uniuscuiusque nationis est determinare tempus et modum, quibus sacerdotum necessitatibus satisfieri debet, collatis viribus Episcoporum omnium* » (*1 Pater*).

R. — Non admittitur, quia haec ad Directorium pertinere videntur, non ad ipsum Decretum Conciliare.

36 — Pag. 34, lin. 5 [pag. 42, lin. 12]: Quaeritur ut ante verba « operosa misericordia ... », addantur verba: « *Quia tandem sunt homines perversi et indurati, ipsa gregis pax et securitas exigit*

ut in eos utatur Episcopus, etsi invitus, poenis ecclesiasticis » (*13 Patres*). [70]

R. — Non admittitur, quia nimis durum videtur hoc in Decreto affirmari et quia poenae ecclesiasticae in Codice I. C. praevidentur.

37 — Pag. 34, lin. 7 [pag. 42, lin. 14]: Quaeritur ut aliquid dicatur de condicionibus materialibus sacerdotum, ut pauperes adiuvari possint (*1 Pater*).

R. — Non admittitur in hoc loco, quia iam provisum est pag. 41, lin. 42.

AD NUM. 17 [*Peculiares apostolatus formae*].

38 — Pag. 34, lin. 19 [pag. 42, lin. 26]: Quaeritur ut dicatur: « *Sedulo urgeatur officium quo tenentur fideles ad apostolatum unusquisque pro sua condicione et aptitudine exercendum atque Episcopi eos exhortentur ut operibus apostolicis et actioni catholicae participent* » (*1 Pater*).

R. — Admittitur, ob rationes in Relatione expositas (cf. pag. 59).

39 — Pag. 34, lin. 21 [pag. 42, lin. 28]: Quaeritur ut omittantur verba « *et actionis catholicae* », quia de notione actionis catholicae adhuc disputatur (*1 Pater*).

R. — Non admittitur, quia Actio Catholica valde commendata est a Summis Pontificibus. [71]

40 — Pag. 34, lin. 21 [pag. 42, lin. 28]: Quaeritur ut verba *actio catholica* litteris maiusculis scribantur, quia multi id postulaverunt (*2 Patres*).

R. — Admittitur modus.

41 — Pag. 34, lin. 25 [pag. 42, lin. 32]: Quaeritur ut post verba « ad perfectiorem scilicet vitam provehendam » dicatur « *aut ad Christum omnibus qui longe absunt annuntiandum* » (*22 Patres*).

R. — Admittitur, ita ut novus textus additus sit: « *aut ad Christi Evangelium omnibus annuntiandum* ».

42 — Pag. 34, lin. 25 [pag. 42, lin. 32]: Quaeritur ut loco verbi « provehendam » adhibeatur verbum « *obtinendam* », quia verbum « provehere » continet ideam augmenti et tunc superfluum esset illud dicere (*1 Pater*).

R. — Admittitur, ita ut textus fiat « scilicet vitam *assequendam* ».

43 — Pag. 34, lin. 26 [pag. 42, lin. 33]: Quaeritur ut loco verborum « incrementum cultus publici » admittantur verba « *vitam*

[71] *liturgicam* », ut adaptetur textus Constitutioni de S. Liturgia (*1 Pater*).

R. — Non admittitur, quia latius patet cultus publicus quam Liturgia.

44 — Pag. 34, lin. 35 [pag. 43, lin. 4]: Quaeritur ut loco verborum « *magnopere conferunt* » dicatur « magnopere *conferre possunt, ... si cum debita prudentia cumque scientifico rigore fiant* » investigationes sociales (*1 Pater*).

R. — Non admittitur, quia supponi debet ut recte fiant investigationes sociales, et quia evidenter haec conditio supponitur.

45 — Pag. 34, linn. 35-37 [pag. 43, linn. 4-6]: Rogatur ut deleantur haec verba, quia iam in n. 16 commendantur investigationes sociales (*1 Pater*).

R. — Non admittitur, quia, dum in n. 16 quaestio est de ipsis investigationibus socialibus, in hoc n. 17 agitur praesertim de officiis sociologiae pastoralis, quae enixe commendantur.

46 — Pag. 34, lin. 37 [pag. 43, lin. 6]: Quaeritur ut etiam sermo fiat de illis institutis quae « valetudinaria » dicuntur (*1 Pater*).

R. — Non admittitur, quia implicite includuntur in textu.

[72] AD NUM. 18 [*Quorumdam fidelium coetuum singularis sollicitudo*].

47 — Pag. 35, lin. 3 [pag. 43, lin. 12]: Quaeritur ut addantur verba « *expulsi et profugi* », quia sunt coetus eorum qui persecutionem patiuntur propter iustitiam (*5 Patres*).

R. — Admittitur et adduntur verba « *exsules et profugi* ».

48 — Pag. 35, lin. 4 [pag. 43, lin. 13]: Quaeritur ut definitio tradatur « nomadum » (*1 Pater*).

R. — Non admittitur, quia agitur de omni genere nomadum.

49 — Pag. 35, linn. 5-8 [pag. 43, linn. 14-17]: Quaeritur ut mentio fiat in textu fidelium degentium in suburbio civitatum, quia peculiari sollicitudine indigent (*1 Pater*).

R. — Non admittitur, quia illi fideles sunt ordinarii fideles quorum certo cura peculiaris habenda est, sed non constituunt singularem coetum.

50 — Pag. 35, lin. 5 [pag. 43, linn. 14 s.]: Quaeritur ut mentio etiam fiat de operariis, praesertim de iis qui in opificiis laborant (*1 Pater*).

R. — Non admittitur, quia illi pertinent ad gregem ordinarium, et non sunt peculiaris coetus; in numero agitur de quibusdam fidelium specialibus coetibus.

AD NUM. 19 [*Episcoporum libertas eorumque cum publicis potestatibus rationes*]. [72]

51 — Pag. 35, lin. 22 (pag. 43, lin. 31]: Quaeritur ut post verbum « Episcopi » addantur verba « *salvis semper iuribus aliorum* », quia textus uti est constituit argumentum pro charactere auctoritativo absoluto Ecclesiae (*15 Patres*).

R. — Non admittitur, quia idea iam exprimitur per verba « Episcopi *per se* ».

52 — Pag. 35, linn. 25-27 [pag. 43, linn. 33-35]: Quaeritur ut dicatur: « Quare non licet eorum muneris ecclesiastici exercitium directe vel indirecte impedire, *aut suasionibus et suggestionibus ad Episcopos factis in illud sese ingerere* neve hos prohibere ... » (*2 Patres*).

R. — Non admittitur additio, quia haec idea includitur in verbis « *indirecte impedire* ».

53 — Pag. 35, lin. 33 [pag. 44, lin. 2]: Quaeritur ut verba quae sequuntur post verbum « consulunt » omittantur, quia hodie saepe habentur gubernia, leges et ordo vere nequissima, pro quibus textus posset esse praetextus exigendi ab Episcopis ut sustineant omnia quae legibus iubentur (*1 Pater*). [73]

R. — Admittitur pro parte modus, ita quidem ut non deleatur textus, sed ut post verba « pro sui officii ratione » addantur verba « *et sicut Episcopos decet* ».

54 — Pag. 35, lin. 37 [pag. 44, lin. 6]: Quaeritur ut addantur verba: « *Munera tamen in regimine politico ne recipiant* » (*1 Pater*).

R. — Non admittitur, quia videtur res nimis particularis ut in Decreto Conciliari tractetur.

55 — Pag. 35, lin. 37 [pag. 44, lin. 6]: Quaeritur ut dicatur: « Episcopi in quaestionibus mere politicis ne se involvant » (*1 Pater*).

R. — Non admittitur, quia patet id servandum esse.

AD NUM. 20 [*Libertas in Episcoporum nominatione*].

56 — Pag. 36, linn. 1-2 [pag. 44, lin. 10]: Quaeritur ut post verba « a Christo Domino institutum » addantur verba « *et ab Apostolis eorumque successoribus semper transmissum* » (*1 Pater*).

R. — Non admittitur, quia ex tota doctrina christiana illud manifeste apparet.

[73] 57 — Pag. 36, lin. 6 [pag. 44, lin. 15]: Quaeritur ut post verba « per se exclusivum » addantur haec alia « *ne dignitas episcopalis conferatur nisi propter opus et onus directe episcopale* » (*1 Pater*).

R. — Non admittitur, quia nulla allegatur ratio, et quia additio non est ad rem.

58 — Pag. 36, lin. 6 [pag. 44, lin. 15]: Quaeritur ut post verba « per se exclusivum » addantur haec: « *Plene congruit etiam naturae communitatis politicae eiusque ordinationi ad bonum commune, ut Episcopi iuxta libertatem et autonomiam communitati religiosae propriam nominentur et agant* », quia ita datur ratio quae valet etiam pro societate politica non catholica (*2 Patres*).

R. — Non admittitur, quia Commissioni visum est hanc additionem non esse necessariam nec esse faciendam.

[74] 59 — Pag. 36, lin. 20 [pag. 44, lin. 29]: Quaeritur ut audiantur laici quando agitur de nominandis Episcopis (*1 Pater*).

R. — Non admittitur, quia de hac quaestione non agitur in hoc numero, ita ut additio petita non sit ad rem.

AD NUM. 21 [*Episcoporum a munere renuntiatio*].

60 — Pag. 36, linn. 21-34 [pag. 44, linn. 30 sq.]: Ante renuntiationem investigetur et demonstretur imperitia vel infirmitas Episcopi ne graves iniustitiae fiant (*1 Pater*).

R. — Res est practica, quae in Decreto Conciliari inseri non potest.

61 — Pag. 36, linn. 21-34 [pag. 44, linn. 30 ss.]: De renuntiatione agatur ubi de idoneitate ad Episcopatum: ibi determinetur aetas minima et maxima (*1 Pater*).

R. — Textus in loco apto inseritur; quoad aetatem determinandam, Relatio prior[1] conferatur.

62 — Pag. 36, linn. 21-34 [pag. 44, linn. 30 ss.]: Post 75 annum semper et ex officio fieri debet investigatio secreta circa habilitatem Episcoporum (*1 Pater*).

R. — Non admittitur modus, quia non congruit Decreto Conciliari.

63 — Pag. 36, linn. 21-34 [pag. 44, linn. 30 ss.]: Determinetur aetas 75 annorum ad renuntiandum (*8 Patres*).

R. — Ob causas in Relatione priore[2] explicatas, modus non admittitur.

---

[1] Cf. Fasciculus: *Textus emendatus et Relationes,* a. 1964, pp. 53-54.

[2] *Ibidem.*

64 — Pag. 36, linn. 21-34 [pag. 44, lin. 30]: Sermo non sit de renuntiatione (*1 Pater*). [74]

R. — Modus non admittitur, quia maior Patrum pars contrarium sentit.

65 — Pag. 36, lin. 22 [pag. 44, lin. 31]: Sic incipiatur: « Quamquam onus episcopale *per se ad* dies vitae imponatur, tamen... » (*1 Pater*).

R. — Verba quae proponuntur non necessaria sunt ad textum.

66 — Pag. 36, lin. 24 [pag. 44, lin. 33]: Post verbum « gravitatis » dicatur « Episcopis dioecesanis aliisque in iure ipsis aequiparatis, anno 65 vel quolibet tempore postea, suo officio implendo renuntiare *licet;* anno autem 75 tali officio renuntiare tenentur, nisi per explicitam Summi Pontificis voluntatem in [75] munere suo fungendo tempus protrahatur (*45 Patres*).

R. — Non admittitur modus, ob causas in Relatione priore[1] allatas. Praeterea de hoc argumento Patrum sententiae oppositae fuerunt iam in II Sessione. E. g. 55 Patres censuerunt textum manere debere prouti iacet; 11 petierunt ut de hac quaestione sermo non fieret; 35 voluerunt ut aetas determinaretur, qua Episcopi emeriti declarari deberent; 90 postulaverunt ut ingravescente aetate, Episcopus Coadiutor aut Auxiliaris vel Administrator Apostolicus imponeretur. Inter tantam sententiarum varietatem schema viam mediam invenire conatum est.

67 — Pag. 36, linn. 25 ss. [pag. 44, lin. 35]: Post « gravem causam » addatur « iudicio Conferentiae episcopalis vel eius defectu alicuius Auctoritatis a Sede Apostolica designatae ». Post « exhibeant » haec verba addantur « eis reluctantibus recursus habeatur ad Sedem Apostolicam quae aliter providebit » (*4 Patres*).

R. — Textus schematis normam *generalem* includit: quare sufficiens est mentio de « competenti Auctoritate ». Praeterea, recursus ad Sanctam Sedem omnibus patet, de quacumque causa agatur.

68 — Pag. 36, lin. 26 [pag. 44, lin. 34]: Post verba « ingravescentem aetatem » addatur « infirmitatem » (*1 Pater*).

R. — Infirmitas iam implicite continetur in verbis « aliamve gravem causam ».

69 — Pag. 36, lin. 26 [pag. 44, lin. 35]: Deleantur verba « aliamve gravem causam » (*1 Pater*).

R. — Non admittitur emendatio, quia, praeter aetatem, aliae causae exsistere possunt, v. g. infirma valetudo.

---

[1] Cf. Fasciculus: *Textus emendatus et Relationes,* a. 1964, pp. 53-54.

[75] 70 — Pag. 36, lin. 27 [pag. 44, lin. 36]: Post verbum « evaserint » addatur: « Episcopum Auxiliarem vel Coadiutorem petant a competenti Auctoritate vel sua ipsi sponte renuntiationem ab officio exhibeant » (*1 Pater*).

R. — Modus, quo dioecesi providendum sit ante Episcopi renuntiationem, relinquendus est competenti Auctoritati.

71 — Pag. 36, linn. 27-29 [pag. 44, linn. 36-38]: Dicatur: « vel sua ipsi sponte cessare debent ab officio, vel a competenti Auctoritate *urgeri debet* cessatio » (*1 Pater*).

R. — Sufficientia sunt ea quae in textu dicuntur.

[76] 72 — Pag. 36, linn. 29 ss. [pag. 44, linn. 30 ss.]: Renuntiatio fiat ab exercitio muneris; competens Auctoritas det Coadiutorem; Coadiutus, titularis remaneat suae dioecesis (*1 Pater*).

R. — Eadem est responsio ac pro modo n. 70.

73 — Pag. 36, linn. 32-33 [pag. 45, lin. 1]: « In recognoscendis iuribus renuntiantis, tuta omnia et praestantia Episcopi dioecesani iura sint et permaneant. Insuper dioecesim relinquat videtur omnino oportere » (*1 Pater*).

R. — De iuribus iam providetur in textu; locus commorationis renuntiantis est quaestio particularis, a competenti Auctoritate solvenda.

III – Episcopi Dioecesani in munere pastorali Cooperatores

1) *Episcopi Coadiutores et Auxiliares*

AD NUM. 25 [*Normae de constituendis Auxiliaribus et Coadiutoribus*].

74 — Pag. 39, linn. 20-23 [pag. 47, linn. 31-32]: Loco textus schematis, dicatur: « Bonum dominici gregis semper sit suprema ratio » (*1 Pater*).

R. — Magis logicus est textus, uti iacet.

75 — Pag. 39, linn. 25-26 [pag. 47, linn. 34 ss.]: « Episcopi facultatem habeant *proponendi* Sanctae Sedi Auxiliares vel Coadiutores quorum auxilio indigent » (*1 Pater*).

R. — Saltem pro Auxiliaribus, iam providetur in textu per verba « ne renuat Episcopus dioecesanus ... unum pluresve Auxiliares expo-

stulare » (cf. n. 26): ceterum personarum propositio res est quae ad Episcopi nominationem pertinet. [76]

76 — Pag. 40, lin. 13 [pag. 48, lin. 21]: Post verba « existimatione prosequatur », addatur: « vita communitaria inter Episcopos Coadiutores et Auxiliares cum Episcopo dioecesano commendatur quae dum unitatem actionis fovet, caritatis et unitatis exemplum sacerdotibus praebet » (*2 Patres*).

R. — Emendatio rem particularem proponit, quae cum Decreto Conciliari non congruit.

AD NUM. 26 [*Episcoporum Auxiliarium et Coadiutorum facultates*]. [77]

77 — Pag. 40, linn. 20-27 [pag. 48, linn. 28-35]: « Auxiliaribus talis sit potestas, quae sub Episcopo dioecesano exerceatur et eidem personaliter reservata non fuerit » (*65 Patres*).

R. — Textus schematis facultatem relinquit Episcopo dioecesano ut Auxiliarem suum constituat *vel* Vicarium Generalem *vel* Vicarium Episcopalem. Iamvero, de natura Vicarii Episcopalis est ut potestatem habeat in determinato territorio aut in certo negotiorum genere aut quoad fideles determinati Ritus; pertinet vero ad Episcopum dioecesanum, iuxta Codicem Iuris Canonici, sibi reservare aliquas causas quando Vicarium Generalem constituit. Ergo per textum schematis Patrum petitioni satisfit.

78 — Pag. 40, linn. 20-27 [pag. 48, linn. 28-35]: Dicatur « Quodsi in litteris nominationis aliud provisum non fuerit, Episcopi Auxiliares, vi muneris, eas habent facultates quas ius commune Vicario Generali tribuit. Episcopus dioecesanus Auxiliarem vel Auxiliares suos constituere potest Episcopos Vicarios, ab ipso dumtaxat dependentes, quos idem Episcopus dioecesanus ... consulat » (*51 Patres*).

R. — En duae observationes circa modum propositum: 1) emendatio vult ut Auxiliares, ipso iure, omnibus facultatibus gaudeant Vicarii Generalis, quin *tale* officium habeant, quod difficulter intelligitur; 2) non satis apparet quid addere possit nominatio « Episcopi Vicarii » in favorem Auxiliaris, si hic ab Episcopo dioecesano renuntietur Vicarius Generalis, qui potestatem ordinariam vicariam iam habet. E contra textus schematis necessariam libertatem concedit Episcopo dioecesano ad regimen pastorale rite constituendum, etiam per Auxiliares, eos nempe renuntiando aut Vicarios Generales aut Vicarios Episcopales. Hoc sane modo

[77] providetur et unitati regiminis dioecesani et Episcoporum Auxiliarium dignitati, prouti in Relatione altera [1] explicatum fuit. Quare non admittitur modus propositus.

79 — Pag. 40, linn. 20-27 [pag. 48, linn. 28-35]: Clariore modo dicatur utrum Vicarius Generalis cesset, si Episcopus Auxiliaris eodem munere decoretur, atque quid sibi velit propositio « ab ipso dependentes » (*1 Pater*).

R. — Res, quia particularis determinatio est, Codicis I. C. recognitioni amandatur.

[78] 80 — Pag. 40, linn. 20 ss. [pag. 48, linn. 28 ss.]: Deleatur « quodsi in litteris nominationis provisum non fuerit » (*1 Pater*).

R. — Nulla est ratio talis suppressionis; sufficiens libertas Auctoritati competenti remittenda est ut, in casibus prorsus extraordinariis, iuxta peculiares necessitates in dioecesi, providere possit.

81 — Pag. 40, linn. 20-27 [pag. 48, linn. 28-35]: « Tota paragraphus de Vicariis Episcopalibus delenda est itemque linn. 36-41 [pag. 49, linn. 3-8] de Coadiutore » (*1 Pater*).

R. — Confer responsionem ad modos de n. 27 propositos (cf. pag. 80), necnon Relationem ad art. 3 Capitis II (cf. pag. 60): sane maior Patrum pars contrarium postulavit.[2]

82 — Pag. 40, linn. 20-23 [pag. 48, linn. 28 ss.]: Scribatur « Quodsi in litteris nominationis aliud provisum non fuerit, Episcopi Auxiliares, vi muneris eas habent facultates, quas ius commune Vicario Generali tribuit » (*1 Pater*).

R. — Cf. responsionem ad modum n. 78.

83 — Pag. 40, linn. 20 ss. [pag. 48, linn. 28 ss.]: Alio modo redigatur: « Quodsi in litteris nominationis provisum non fuerit, opportunum videtur ut Episcopus dioecesanus secundum prudens suum iudicium Auxiliari vel Auxiliaribus eas facultates vel partem earum (etiam sub conditionibus determinandis) conferat, quae iure Vicario Generali competunt vel de mandato speciali ei dari possunt » (*1 Pater*).

R. — Textus schematis clarior est et sufficienter providet de regimine dioecesis. Praeterea, in II Sessione Concilii fere unanima fuit Patrum sententia ut Auxiliarium facultates augerentur ac *in iure* determinarentur.

---

[1] Cf. Fasciculus: *Textus emendatus et Relationes,* a. 1964, pp. 68-69.

[2] Cf. etiam Fasciculus: *Textus emendatus et Relationes,* a. 1964, p. 69.

84 — Pag. 40, lin. 23 [pag. 48, linn. 31-32]: Loco « ab ipso dumtaxat dependentes » dicatur: « ad nutum dumtaxat et ab ipso dependentes » (*1 Pater*). [78]

R. — Pro parte admittitur modus, ita ut dicatur in textu recognito « a sua auctoritate dumtaxat dependentes ».

85 — Pag. 40, lin. 23 [pag. 48, lin. 31]: Deleatur « vel saltem Vicarios Episcopales » (*1 Pater*).

R. — Rationes validae non adducuntur ad hanc suppressionem; praeterea textus, prout in schemate iacet, a 100 circiter Patribus propositus fuit in II Sessione.

86 — Pag. 40, lin. 31 [pag. 48, linn. 39-40]: Loco « optandum quoque est etc. » dicatur: « Sede ergo vacante, munus dioecesim regendi, ipso facto committatur Episcopo Auxiliari vel seniori in Episcopatu » (*4 Patres*). [79]

R. — Textus schematis viam mediam continet inter varias Patrum oppositas sententias, uti explicatum fuit in Relatione altera.[1]

87 — Pag. 40, lin. 36 [pag. 49, linn. 3 ss.]: Ne constituatur Coadiutor cum iure successionis (*1 Pater*).

R. — Rationes propter quas Commissioni visum est figuram Coadiutoris supprimendam non esse, fuse explicatae fuerunt in Relatione, simul ac diversissimae Patrum opiniones.

88 — Pag. 40, linn. 26-41 [pag. 48-49]: Auferantur verba quae respiciunt Episcopum Coadiutorem (*1 Pater*).

R. — Etsi plures Patres petierunt ut figura Episcopi Coadiutoris tolleretur, multi alii contrarium sentierunt, prout in Relatione altera [2] explicatum fuit.

89 — Pag. 40, linn. 36 ss. [pag. 49, linn. 3-8]: Textus ita compleatur « Episcopus Coadiutor ... Vicarius Generalis constituendus est » (*1 Pater*).

R. — Idem affirmat textus schematis.

90 — Pag. 40, linn. 37 ss. [pag. 49, linn. 4-5]: Loco « ab Episcopo dioecesano Vicarius Generalis semper constituatur » dicatur « integrum onus regendi dioecesim suscipiat, ut dictum est ubi de renuntiatione n. 21 » (*1 Pater*).

R. — Textus schematis, quantum fieri potest, diversis Patrum sententiis satisfacere cupit: contra modum propositum adfuerunt multa Patrum vota, quae aliter sentiebant.

---

[1] Cf. Fasciculus: *Textus emendatus et Relationes,* a. 1964, pp. 68-69.

[2] *Ibidem,* pp. 67-69.

[79] 2) *Curia atque Consilia Dioecesana*

AD NUM. 27 [*Curiae dioecesanae ordinatio et Consilii pastoralis institutio*].

91 — Pag. 41, linn. 5 ss. [pag. 49, linn. 14 ss.]: Primum definiatur Curia dioecesana: postea describantur officia; appareat quoque gubernationem Episcopi esse *semper* pastoralem (*1 Pater*).

R. — Primum potius ad Codicem Iuris Canonici pertinet; secundum per se patet.

[80] 92 — Pag. 41, linn. 6-7 [pag. 49, linn. 15-16]: Post verba « Vicarii Generalis » addatur: « uni Episcopo sit potestas *ordinaria,* salvis casibus particularibus in quibus haec ordinaria potestas Vicario Gen. ab ipso Ep. subdelegetur » (*1 Pater*).

R. — Modus propositus toto caelo differt a doctrina iuridica de potestate Episcopi et Vicarii Generalis, quare admittendus non est, neque argumenta valida afferuntur ad tantam mutationem acceptandam.

93 — Pag. 41, linn. 8-14 [pag. 49, linn. 16-22]: Deleatur mentio Vicariorum Episcopalium (*35 Patres*).

R. — Non admittitur modus, quia longe maior pars Patrum contrarium petiit, prout explicatum fuit tum in Relatione generali super totum schema tum in aliis Relationibus, in praecedenti Sessione Concilii perlectis.

94 — Pag. 41, lin. 9 [pag. 49, linn. 17-18]: Loco « unus aut plures », dicatur: « aut plures Vicarii Generales aut unus vel plures » (*1 Pater*).

R. — Textus schematis mutandus non videtur. Revera possibilitas constituendi plures Vicarios Generales integra manet pro Episcopo, uti explicatur in Relatione (cf. pag. 60).

95 — Pag. 41, linn. 10-14 [pag. 49, linn. 18 ss.]: Loco « Vicarii Episcopales ... tribuit » dicatur « quibus ... ab ipso Ordinario potestas tribuatur » (*1 Pater*).

R. — Si modus admitteretur, Vicarii non gauderent potestate *ordinaria,* sed *delegata*: immo et diverso nomine decorari deberent. Quod certe est contrarium Patrum desideratis.

96 — Pag. 41, linn. 13-14 [pag. 49, linn. 21 ss.]: Loco « quam ius commune Vicario Gen. tribuit » dicatur « quam Episcopus dioecesanus eis pro adimplendo eorum munere tribuit » (*1 Pater*).

R. — Idem dicendum est ac in praecedenti modo.

97 — Pag. 41, lin. 13 [pag. 49, lin. 21]: Post verbum « Ritus » addatur « et linguae » (*1 Pater*). [80]

R. — Non necessarium videtur.

98 — Pag. 41, lin. 20 [pag. 49, linn. 28 ss.]: Addatur: « Haec consilia, praesertim Capitula cathedralia, novae ordinationi, necessitatibus aptatae subiciantur » (*6 Patres*).

R. — Admittitur modus.

99 — Pag. 41, lin. 21 [pag. 49, lin. 32]: Loco « sacerdotes et laici » ponatur « omnes et singuli cooperatores » (*1 Pater*). [81]

R. — Clarior est textus schematis: e contra, verba proposita ambiguitate laborant.

100 — Pag. 41, lin. 21 [pag. 49, lin. 32]: Omittantur verba « et laici » (*1 Pater*).

Lin. 27 [pag. 49, lin. 39]: Loco « optandum est » dicatur « ubi expedire videtur » (*10 Patres*).

R. — Laici omittendi non sunt, uti apparet ex ipsorum condicione in apostolatu Ecclesiae; alia verba proposita non admittuntur quia institutio *Consilii pastoralis* revera commendanda est.

101 — Pag. 41, lin. 23 [pag. 49, lin. 34]: Post verbum « praestare » addatur « debere » (*1 Pater*).

R. — Sensus verborum schematis est laborem in Curia dioecesana indolem vere pastoralem induere.

102 — Pag. 41, linn. 24-26 [pag. 49, linn. 35-38]: Loco « non tantum ad dioecesim administrandam, sed etiam ad opera apostolatus exercenda » scribatur « et ad dioecesim administrandam et ad opera apostolatus exercenda » (*1 Pater*).

R. — Clariore modo textus schematis eadem affirmat.

103 — Pag. 41, linn. 27-34 [pag. 49, linn. 39 ss.]: « Partes laicorum in Consilio pastorali sint consultivae » (*1 Pater*).

R. — Iuxta textum schematis, hoc Episcopi dioecesani determinationi relinquitur.

104 — Pag. 41, lin. 34 [pag. 49, linn. 39 ss.]: « Consilium sit obligatorium et consultandum statis temporibus » (*1 Pater*).

R. — Hoc pendet a voluntate Episcopi: neque imponi potest in Decreto Conciliari, ob tot diversas locorum circumstantias.

[81] 3) *Clerus dioecesanus*

AD NUM. 28 [*Sacerdotes dioecesani*].

105 — Pag. 41, lin. 37 [pag. 50, linn. 8 ss.]: et pag. 42, lin. 1 [pag. 50, linn. 8 ss.]: *Omnes* sacerdotes, curam animarum habentes, sunt cooperatores Ordinis episcopalis (*23 Patres*).

[82] R. — Verum quidem est. Attamen, ob eorum plenam incorporationem Ecclesiae particulari, incardinationis causa, certum est sacerdotes dioecesanos *primas partes* habere in *cura animarum*. Textus autem ita emendatus est ut meliorem redactionem praebeat.

106 — Pag. 41, lin. 36 [pag. 50, linn. 8 ss.]: Videtur falsum « primas partes habere sacerdotes dioecesanos », quia omnes sacerdotes aliquo modo sunt cooperatores Episcopi (*23 Patres*).

R. — Cf. superiorem responsionem.

107 — Pag. 42, linn. 1-2 [pag. 50, lin. 8 ss.]: « Omnes sacerdotes, et non dumtaxat dioecesani, participant cum Episcopo unum sacerdotium Christi » (*23 Patres*).

R. — Textus recognitus primo affirmat omnes sacerdotes, dioecesani sint vel religiosi, cooperatores esse Ordinis episcopalis, ob eandem participationem in unico Christi sacerdotio; postea ea quae sunt propria sacerdotum dioecesanorum explicat.

108 — Pag. 41, lin. 37 [pag. 50, lin. 9]: Auferatur verbum « dioecesani » (*1 Pater*).

R. — Provisum in textu recognito.

109 — Pag. 41 et 42 [pag. 50-51]: Relate ad totum numerum 28: « Norma debet dari de bona distributione servitii seu operis sacerdotalis » (*1 Pater*).

R. — Distributio servitii seu operis sacerdotalis in dioecesi est res practica ab Episcopo determinanda iuxta peculiares loci condiciones; de illa ergo Decretum Conciliare pertractare non debet.

110 — Pag. 41-42 [pag. 50-51]: Terminologia « clerus dioecesanus » inadaequata videtur (*1 Pater*).

R. — Negandum omnino est: cf. responsionem datam ad n. 114.

111 — Pag. 42, lin. 4 [pag. 50, lin. 13 ss.]: « Eiusdem servitio plene sese devovent » valet etiam pro Religiosis (*23 Patres*).

R. — Non eodem gradu neque eadem ratione ac pro sacerdotibus dioecesanis.

112 — Pag. 42, lin. 6 [pag. 50, lin. 15]: « Unum constituunt presbyterium: idem pro Religiosis » (*23 Patres*). [82]

R. — Aliquo quodam sensu verum est: attamen descriptio sacerdotum dioecesanorum quae in textu continetur, in omnibus suis elementis simul sumptis, nullo excepto, considerari debet. [83]

113 — Pag. 42, lin. 12 [pag. 50, lin. 20]: Deleantur verba « vel beneficiis » (*2 Patres*).

R. — Deleri non debent, quia beneficia exsistunt de iure et de facto.

114 — Pag. 42 post. lin. 12 [pag. 50, lin. 22]: Addatur: « sacerdotes dioecesani hic intelliguntur omnes sacerdotes, sive ad clerum saecularem pertineant sive religiosi sint, qui apostolatui dioecesano sunt addicti » (*1 Pater*).

R. — Textus recognitus meliorem de hac re explicationem affert. Praeterea sacerdotes « dioecesani » illi sunt qui Ecclesiae particularis servitio plene sese devovent; religiosi autem potius dicuntur pertinere ad clerum « dioecesis » (Cf. n. 34).

115 — Pag. 42, linn. 15 ss. [pag. 50, linn. 23 ss.]: Textus recognoscatur ita ut « officium caritatis » pro subiecto habeat in hoc loco Episcopum (*1 Pater*).

R. — Textus ita emendatus est, ut vinculum caritatis omnes afficiat, Episcopum simul et suos sacerdotes.

116 — Pag. 42, linn. 18-19 [pag. 50, linn. 26 s.]: Loco « cum Episcopi voluntate ... uberiorem » dicatur « eorumdem actionem reddat apostolicam » (*2 Patres*).

R. — Magis congruens est textus schematis: agitur enim, non ut sacerdotum actio reddatur apostolica, sed cum talis iam sit, ut « uberior » fiat.

117 — Pag. 42, linn. 19-24 [pag. 50, linn. 30 ss.]: « Colloquium instituatur cum omnibus sacerdotibus curam animarum exercentibus » (*23 Patres*).

R. — Bonum est ut Episcopo peculiare colloquium commendetur cum sacerdotibus dioecesanis; cum Religiosis tale colloquium haberi potest, sive per Consilium pastorale, sive per speciales conventus, ratione paroeciarum vel diversorum apostolatus operum.

118 — Pag. 42, linn. 19-24 [pag. 50, linn. 28 ss.]: Mutetur: « Quare, ut animarum servitium magis magisque promoveatur, instituatur senatus dioecesanus, compositus ex sacerdotibus doctrina et prudentia praestantibus, qui Episcopo adsistant in gravioribus [84]

[84] negotiis et in planificatione actionis pastoralis totius dioeceseos » (*21 Patres*).

R. — Sufficit institutio Consilii pastoralis, quae in n. 27 habetur. Praeterea Episcopo potestas non deest ut Consilium in modo proposito, si id expedire videatur, constituat; inopportunum est in Decreto Conciliari plura constitui Consilia.

119 — Pag. 42, linn. 20-21 [pag. 50, linn. 29 s.]: Loco « cum suis sacerdotibus » dicatur « saltem cum Vicariis foraneis » (*1 Pater*).

R. — Implicite continetur in textu: colloquii modus iudicio Episcopi omnino relinquendus est.

120 — Pag. 32, lin. 21 [pag. 50, lin. 30]: Post verbum « sacerdotibus » addatur « doctrina ac prudentia praestantibus » (*59 Patres*).

R. — Non admittitur, quia Episcopus colloquium habere debet cum omnibus sacerdotibus, nullo excepto: omnes enim animarum curae una cum Episcopo addicuntur in bonum Ecclesiae particularis.

121 — Pag. 42, linn. 21-22 [pag. 50, linn. 30 s.]: Post « colloquium » addatur « etiam commune frequenter habere satagat » (*15 Patres*).

R. — Modus, quoad essentialia, admittitur: ideo textus emendatur, verbum « instituat » substituendo per verba « vocare velit ».

122 — Pag. 42, lin. 24 [pag. 50, lin. 33]: Addatur: « statis et frequentibus temporibus » (*1 Pater*).

R. — Colloquii frequentia cum suis sacerdotibus Episcopi arbitrio relinquenda est, iuxta peculiares dioecesis condiciones.

123 — Pag. 42, linn. 25 ss. [pag. 50, linn. 36 ss.]: Est consilium quod pro omnibus valet sacerdotibus (*23 Patres*).

R. — Affirmandum: sed specialis commendatio facienda est pro sacerdotibus dioecesanis, quia religiosi proprios habent Superiores.

124 — Pag. 42, linn. 25-32 [pag. 50, linn. 36 ss.]: Remittatur ad schema « De institutione sacerdotali »: (nunc schema est « De ministerio et vita presbyterorum ») itemque:
Pag 43, linn. 9-42 [pag. 51-52];
Pag. 44, linn. 1-38 [pag. 51-53];
[85] Pag. 45, linn. 34-39 [pag. 54];
Pag. 46, linn. 12-28 [pag. 54-55] (*1 Pater*).

R. — Etsi plura dicantur in schemate « De institutione sacerdotali » (quod nunc schema est « De ministerio et vita presbyterorum »)

congruum omnino est ut hic aliqua principia generalia enumerentur quae sacerdotes dioecesanos respiciant, quatenus Episcopi cooperatores in cura animarum. [85]

125 — Pag. 42, linn. 27-32 [pag. 50, linn. 38 ss.): Post « insuper » mutentur verba sequenti modo « insuper praesto sint, utpote fratres et in spiritu paupertatis efformati, ad communicanda bona materialia, non solum suae paroeciae in favorem aliarum in egestate laborantium, sed etiam propria, pro viribus, in adiutorium aliorum sacerdotum, ea sc. quae occasione officii vel alius laboris sacerdotalis sibi comparant, iuxta Episcopi proprii vota vel ordinationem » (*1 Pater*).

R. — Modus non admittitur, etsi multa bona contineat: haec enim potius ad schema « De institutione sacerdotali » pertinent, quod nunc appellatur « De ministerio et vita presbyterorum ». Sufficit in nostro schemate principium generale in textu enuntiatum.

126 — Pag. 42, lin. 33 [pag. 51, lin. 2]: Addatur « ex parte sua dioecesis provideat ut sacerdotes, praecipue senes et infirmi, sufficientia habeant ut possint vivere » (*1 Pater*).

R. — Propositio haec, optima quidem, ad schema « De institutione sacerdotali » (nunc « De ministerio et vita presbyterorum ») remittitur.

AD NUM. 29 [*Sacerdotes operibus supraparoecialibus addicti*].

127 — Pag. 42, lin. 34 [pag. 51, lin. 4]: Deleatur verbum « proximiores » et tantum dicatur « Episcopi cooperatores sunt illi ... » (*1 Pater*).

R. — Non admittitur modus, quia non agitur de proximitate geographica cum Episcopo, sed de proximitate *morali*. Sane, nostris temporibus paroecia, in cura animarum tradenda, sibi sufficiens amplius concipi non potest; hac de causa vere proximiores sunt Episcopo illi sacerdotes qui, sive munus pastorale exercent (v. g. Vicarii foranei), sive operibus addicuntur indolis supraparoecialis; quaeque omnia, munera sint vel opera, operibus [86]
paroeciarum actionem pastoralem complent atque perficiunt.

128 — Pag. 42-43 [pag. 51, linn. 4 ss.]: Addatur: « Sacerdotes vero quibus apostolatus opera indolis supradioecesanae committuntur, se sciant cooperatores Ordinis episcopalis magis significari » (*15 Patres*).

[86] R. — Admissa emendatione, nova propositio textui additur, in qua constat et praeclarum opus ab his sacerdotibus peractum et eorum commendata sollicitudo praesertim Episcopo, in cuius territorio commorantur.

AD NUM. 30 [*Parochi*].

129 — Pag. 43-44 [pag. 52-53]: Supprimendae sunt paraghaphi 2 et 3, quippe quae melius in schemate « De institutione sacerdotali » inserendae videantur atque de munere Episcoporum non agant (*93 Patres*).

R. — In schemate citato principia enumerantur quae sacerdotes *qua tales* respiciunt; in nostro autem « *de parochis* » *agitur qua Episcopi cooperatoribus*. Ergo, ex una parte, textus noster inutilis nequaquam dici potest; ex alia, parochos considerat *sub speciali quodam respectu,* ratione nempe curae animabus tradendae. Ergo textus schematis manere debet.

130 — Pag. 43, lin. 10 [pag. 51, lin. 26]: Loco « cum suis adiutoribus ita munus sanctificandi etc. » legatur « cum suis vicariis et cum aliis adiutoribus ita munus etc. » (*1 Pater*).

R. — Verbum « adiutores » sufficere videtur, siquidem vicarii inter parochi adiutores revera connumerantur: praeterea de illis expressa mentio in eodem numero fit.

131 — Pag. 43, lin. 14 [pag. 51, lin. 30]: Post verbum « sentiant » addantur haec aut similia: « Vicariatus foranei, varias paroecias complectentes, recognoscantur ad hoc ut fraternae unionis parochorum et coordinationis laborum pastoralium fructus melius in die compleantur » (*1 Pater*).

R. — In n. 29, inter proximiores Episcopi cooperatores, recensentur illi sacerdotes qui sive operibus addicuntur sive munus pastorale exercent indolis supraparoecialis: inter hos autem recensentur vicarii foranei. Sufficiens est ergo in schemate de
[87] ipsis mentio; alia particularia praescribere de hac re in Decreto Conciliari opportunum non videtur, ob diversissimas locorum ac dioecesium condiciones. Unusquisque ergo Episcopus pro sua dioecesi provideat.

132 — Pag. 43, lin. 15 [pag. 51, lin. 31]: Deleatur « praesertim ». Ratio est ne parochorum et Vicariorum susceptibilitas erga hos sacerdotes quodam modo excitetur (*1 Pater*).

R. — Admittitur emendatio et verbum supprimitur.

133 — Pag. 43, lin. 18 [pag. 51, lin. 34]: Post verbum « reddatur » addatur: « ad hoc maxime iuvabit opportuna renovatio instituti Vicarii foranei » (*1 Pater*). [87]

R. — Pro parte admittitur, ita ut clarior mentio fiat de illis sacerdotibus qui munus pastorale indolis supraparoecialis exercent.

134 — Pag. 43, lin. 29 [pag. 52, linn. 6 s.]: Pro « enixe commendatur » dicatur « pro viribus ex forma saltem intermissa instituatur » (*1 Pater*).

R. — Textus schematis melior videtur, quia commendationem enuntiat, quin ad particularia descendat.

135 — Pag. 43, linn. 30-33 [pag. 52, lin. 7 s.]: Loco « quae dum actionem apostolicam fovet, caritatis et unitatis exemplum fidelibus praebet » legatur « quae talis sit, ut tum actionem apostolicam foveat, tum caritatis et unitatis exemplum fidelibus praebeat » (*2 Patres*).

R. — In textu Conciliari sufficit ut vita communis commendetur, quae, *quia de sacerdotibus agitur,* erit semper exemplum caritatis et unitatis.

136 — Pag. 44, linn. 1-3 [pag. 52, lin. 21]: Ex textu expungantur verba « si expediat » et in fine addantur verba « iamdiu ab Ecclesia mandata Ecclesiaeque valde necessaria » (*111 Patres*).

R. — Emendatio partim admittitur, uti explicatur in modo subsequenti; verba autem quae proponuntur admissa non sunt, utpote non necessaria.

137 — Pag. 44, lin. 2 [pag. 52, lin. 21]: Expungantur verba « si expediat ». Ratio est quia Confraternitas doctrinae christianae est necessaria, prout a Summis Pontificibus et a iure canonico statutum est (*2 Patres*).

R. — Admittitur emendatio, et verba « si expediat » substituuntur [88]
per vocem « quoque ».

138 — Pag. 44, linn. 8-9 [pag. 52, linn. 27-28]: Non dicatur « per piam et devotam Sacramentorum receptionem » sed « per piam et frequentem Sacramentorum receptionem » (*1 Pater*).

R. — Admittitur emendatio, ita ut dicatur « per devotam et frequentem Sacramentorum receptionem »; hac ratione textus completur.

139 — Pag. 44, lin. 11 [pag. 52, lin. 29]: Post verba « actuosam participationem » addatur: « efficax adiumentum parochi sortiri queunt ab institutione Confraternitatis Ss. Sacramenti, quae vi can. 711 § 2 in quibuslibet paroeciis institui debet » (*1 Pater*).

[88] R. — Necessaria non videtur confraternitatis citatio quia satis dicuntur in verbis « per consciam et actuosam in liturgia participationem ».

140 — Pag. 44, lin. 22 [pag. 52, lin. 41]: Legatur « praesertim apostolatui et pietati addictis » (*1 Pater*).

R. — Sufficiens enumeratio habetur in textu.

141 — Pag. 44, lin. 29 [pag. 53, lin. 6]: Addatur « praecipue per Catholicam Actionem et societates S. Vincentii de Paulo » (*1 Pater*).

R. — De Actione Catholica alibi sermo fit in schemate ob eius momentum in Ecclesia. De ceteris autem associationibus citatio fieri non potest *in concreto,* etsi optimae sint: sufficit generalis commendatio.

142 — Pag. 44, lin. 30 [pag. 53, lin. 8]: Loco « tamquam parochi cooperatores » legatur « in auxilium parochi dati » (*1 Pater*).

R. — In textu sufficienter apparet in casu agi de illis vicariis qui in iure Codicis *cooperatores* appellantur: ceteri vicarii paroeciales potius officio parochi assimilantur.

143 — Pag. 44, linn. 30-31 [pag. 53, lin. 8]: Post verba « Vicarii paroeciales tanquam parochi cooperatores » dicatur « sollicitudinem et curam animarum cum eo participes » (*1 Pater*).

R. — Eadem affirmatio, etsi diversis verbis expressa, continetur in textu schematis.

[89] 144 — Pag. 44, lin. 31 [pag. 53, lin. 8]: Post verbum « actuosam » addantur verba « quam possint ». Ratio est: Vicarii cooperatores non necessario praestantem et actuosam operam quotidie impendunt sed ad hoc exhortandi sunt (*2 Patres*).

R. — Sufficienter provisum in textu.

145 — Pag. 44, lin. 34 [pag. 53, linn. 11-12]: Loco: « fraterna conversatio » dicatur « familiae vita ». Quia verbum « familiae » melius exprimit relationes inter parochos et eius vicarios (*1 Pater*).

R. — Cura animarum, sive a parocho sive a vicariis exercenda potius *fraternam* conversationem secumfert, prouti iam dicitur in textu.

146 — Pag. 44, lin. 38 [pag. 53, lin. 15]: Addatur « Curent parochi ut vicarii paroeciales bene instruantur in his quae pertinent ad regimen paroeciale nam et ipsi forsan parochi erunt » (*1 Pater*).

R. — Quaestio haec potius pertinet ad schema « De institutione sacerdotali », quod nunc est « De ministerio et vita presbyterorum ». [89]

147 — Pag. 44, lin. 38 in paragrafo 3 [pag. 53, lin. 15]: Ubi agitur de vicariis paroecialibus addatur: « ... servata inter utrumque quadam aequitate etiam in re oeconomica » (*2 Patres*).

R. — Res est particularis, quae ad normas dioecesanas ab Episcopo statuendas praeprimis spectat.

AD NUM. 31 [*Parochorum nominatio, translatio, amotio et renuntiatio*].

148 — Pag. 45, linn. 22-27 [pag. 53, linn. 40 ss.]: Textus ita redigatur ut cum iis, de Episcopis in nn. 21, 25 et 26 dictis, analogia servetur, tum quoad parochi renuntiationem, tum quoad Vicariorum, Coadiutoris vel Auxiliarium nominationem (*49 Patres*).

R. — Textus de renuntiatione parochorum ita emendatus est, ut in omnibus concordet cum iis, quae de Episcoporum a munere renuntiatione in n. 21 statuuntur. Hoc sane modo, observationi propositae satisfit.

149 — Pag. 45, lin. 2 [pag. 52, lin. 20]: Vox « praesertim » mutetur in « etiam ». Quia doctrina est prima inter conditiones, quae ad animarum curam rite exercendam requiruntur (*5 Patres*).

R. — Admittitur modus.

150 — Pag. 45, lin. 5 [pag. 53, lin. 23]: Addantur verba: « praesertim in illa paroecia cui praeficitur » (*1 Pater*). [90]

R. — Iam implicite continetur in textu.

151 — Pag. 45, lin. 9 [pag. 53, lin. 27]: Deleantur verba: « salvo iure Religiosorum » (*8 Patres*).

R. — Necessaria sunt haec verba, quia Religiosi in munere parochorum obeundo amovibiles sunt, sive ad nutum Ordinarii loci, sive ad nutum Superiorum; ius ergo speciale in casu applicatur.

152 — Pag. 45, linn. 9-12 [pag. 53, linn. 28 ss.]: Loco « quaelibet iura praesentationis, nominationis vel reservationis » ponatur « quaelibet iura reservationis atque, quantum fieri potest, iura praesentationis vel nominationis » (*1 Pater*).

R. — Agitur praecise de supprimendis iuribus et privilegiis, quae Episcopi libertatem quoad paroeciarum provisionem tollunt. Si talia privilegia in Concordatis fundantur, Sancta Sedes provi-

[90] debit; si in contractu privato, bonum commune praevalere debet. Ergo modus admittendus non est.

153 — Pag. 45, lin. 11 [pag. 53, linn. 29-30]: Auferantur verba « necnon, ubi exsistat, lex concursus » (*1 Pater*).

R. — Sufficit examen a Codice I. C. praescriptum.

154 — Pag. 45, lin. 12 [pag. 53, lin. 30]: Adiungatur: « Sed scientiae suae specimen scripto et oretenus per examen exhibere tenentur » (*1 Pater*).

R. — Sufficienter providetur in textu schematis: modus autem quo constare debeat sacerdotis scientia, particulari legislationi Codicis I. C. relinquitur.

155 — Pag. 45, linn. 13-21 [pag. 53, lin. 31 ss.]: Tota paragraphus hoc modo substituatur: « Parochi stabilitate gaudeant: hoc enim multum confert ad bonum animarum. Quod si in aliquo particulari casu ipsum bonum animarum postulet parochi translationem vel amotionem, haec fiat servata naturali et canonica aequitate » (*1 Pater*).

R. — Textus schematis melior est, quia multa dicit, quae non comprehenduntur in modo proposito.

[91] 156 — Pag. 45, linn. 14-21 [pag. 53, linn. 31 ss.]: Ita emendetur « Inamovibilitas penitus tollenda est, uti lex concursus, addita tamen tantum commendatione ut stabilitas in officio parochi, in quantum fieri possit, servetur attenta salute animarum » (*1 Pater*).

R. — Textus stabilitatem in officio paroeciali ab animarum bono mensurandam statuit; quod quidem sufficiens videtur.

157 — Pag. 45, linn. 15-21 [pag. 53, linn. 31 ss.]: Modus procedendi, quia necessitas est urgens, iam in hoc Decreto clarius provideatur (*1 Pater*).

R. — Non ita videtur: Decretum Conciliare ad *modum* processus conficiendi descendere non potest.

158 — Pag. 45, lin. 19 [pag. 53, lin. 37]: Post verba « quo Episcopus » addatur: « manente obligatione audiendi parochum necnon duos parochos consultores » (*2 Patres*).

R. — Quia emendatio proposita *modum* procedendi in amotione parochorum respicit, futuro Codici I. C. amandanda est.

159 — Pag. 45, linn. 19-20 [pag. 53, lin. 37]: Transferantur verba « servata quidem naturali et canonica aequitate » ita ut non referantur Episcopo sed iis qui novas normas translationis et

remotionis parochorum apparare debent. Itaque periodus sic legatur: « Quare, abrogata distinctione inter parochos amovibiles et inamovibiles, recognoscatur ac, servata quidem naturali et canonica aequitate, simplicior reddatur modus procedendi in translatione et amotione parochorum, quo Episcopus aptius necessitatibus boni animarum providere possit » (*1 Pater*). [91]

R. — Emendatio admitti non potest, quia naturalis et canonica aequitas praecise ab Episcopo servanda est, quando determinatum parochum a munere removet.

160 — Pag. 45, lin. 22 [pag. 53, lin. 40]: Post verba « ingravescentem aetatem » addatur « aliamve gravem causam » (*2 Patres*).

R. — Admittitur, ut plena habeatur concordia cum n. 21.

161 — Pag. 45, lin. 23 [pag. 53, lin. 40]: Post verba « ob ingravescentem aetatem » addantur « vel infirmitatem » (*1 Pater*).

R. — Sufficit addere « aliamve gravem causam »: sub hac enim infirmitas quoque invenitur.

162 — Pag. 45, linn. 23-27 [pag. 53, linn. 40 ss.]: Textus ita reformetur: « parochi autem, qui ob ingravescentem aetatem vel aliam causam ab officio rite et fructuose adimplendo impediuntur, ab eodem exonerentur iisque ab Episcopo congrua sustentatio provideatur » (*1 Pater*). [92]

R. — Humaniore modo res a schemate pertractatur: ingravescente aetate, *ipse parochus* renuntiationem faciat. « Afflicto afflictio non est addenda ».

163 — Pag. 45, lin. 25 [pag. 54, lin. 1]: Post verba « officii renuntiationem faciant » addantur « expleta autem aetate 70 annorum, parochi renuntiare debent, salva libertate acceptandi competentis auctoritatis ... » (*2 Patres*).

R. — Non admittitur modus, quia eadem ratio valet pro parochis ac pro Episcopis: schema eamdem praescriptionem continere debet, quia eadem habetur ratio, cura scilicet animarum.

4) *Religiosi*

AD NUM. 33 [*Religiosi et apostolatus opera*].

164 — Pag. 46, linn. 5-6 [pag. 54, linn. 21 ss.]: Quae dicuntur necessaria pro Religiosis de « oratione, expiationis operibus et

[92] propriae vitae exemplo », affirmentur etiam de sacerdotibus dioecesanis: secus textus supprimatur (*23 Patres*).

R. — Pro parte admittitur, ut in Relatione explicatur (cf. pag. 61).

165 — Pag. 46, lin. 7 [pag. 54, lin. 23]: Dicatur « ut iugiter crescant » pro « perseverent » (*6 Patres*).

R. — Admittitur.

166 — Pag. 46, linn. 8-10 ([pag. 54, lin. 24]: Loco « salva indole Religionum quae ex instituto vitam contemplativam profitentur » dicatur: « salva cuiusque Religionis indole » (*5 Patres*).

Vel: « secundum indolem uniuscuiusque Religionis » aut « singularum Religionum » (*75 Patres*).

Vel: addatur ad lin. 11 [pag. 54, lin. 27]: « secundum specificationem apostolatus in fundatione et Constitutionibus eius determinatam » (*1 Pater*).

R. — De his omnibus animadversionibus debita consideratio fit atque eo modo admittuntur, quo in Relatione explicatur (cf. pag. 62).

[93] AD NUM. 34 [*Religiosi cooperatores Episcopi in apostolatu*].

167 — Pag. 46, linn. 13-28 [pag. 54-55]: Textus non placet, quia quoddam veluti discrimen induit inter sacerdotes dioecesanos et religiosos (*23 Patres*).

R. — Revera haec Patrum observatio non « modum » sed votum negativum significat. Ceterum in Relatione sufficiens explicatio de hac re datur (cf. pag. 62).

168 — Pag. 46, lin. 21 [pag. 54, lin. 37]: Affirmetur Religiosos « aequam » partem habere ac sacerdotes dioecesani in cura animarum et operibus apostolatus (*1 Pater*).

R. — Non admittitur, quia non est verum.

169 — Pag. 46, lin. 28 [pag. 55, lin. 6]: Deleatur verbum « *debent* », quia est iniuriosum pro Religiosis (*1 Pater*).

R. — Non admittitur: ex una parte, verissimum est id quod in textu affirmatur; ex altera, nullo modo iniuria adest.

AD NUM. 35 [*Principia de apostolatu Religiosorum in dioecesibus*].

170 — Pag. 46, lin. 36 [pag. 55, lin. 14]: Supprimatur « filiali », quia paternalismum redolet (*11 Patres*).

R. — Admissa emendatione, inseritur vox « devoto ».

171 — Pag. 46, lin. 38 [pag. 55, lin. 16]: Deleatur verbum « legitime » (*13 Patres*). [93]

R. — Non admittitur, quia aliquid necessarium exprimit: nempe significatur Religiosos advocari ab Episcopo non posse, nisi per legitimos Superiores et servatis de iure servandis.

172 — Pag. 47, linn. 5-6 [pag. 55, linn. 23-24]: Dicatur: « Quae ad principia in hoc Decreto contenta, adamussim et quam citius accommodentur » (*143 Patres*).

R. — Partim admittitur, ut dicitur in Relatione (cf. pag. 62). Sed adverbia « adamussim » et « quam citius » non includuntur, quia principium de Constitutionum accommodatione materiam ampliorem complectitur, quam illam de qua nostrum schema agit. Festinatio ergo accommodationis ad schema *de Religiosis* remittitur.

173 — Pag. 47, linn. 8-10 [pag. 55, linn. 27 ss.]: Loco « Instituta Religiosa, quae vitae mere contemplativae non addicuntur » dicatur: « salva indole uniuscuiusque Religionis » (*84 Patres*). [94]

Vel: « Religiones, exceptis illis quae ex instituto vitam contemplativam profitentur » (*283 Patres*).

R. — Hi duo modi pro parte admittuntur iuxta ea quae amplissime in Relatione continentur (cf. pag. 62).

174 — Pag. 47, lin. 10 [pag. 55, lin. 29]: Addatur « servatis servandis » vel « secundum normas » vel « ad normam iuris canonici » (*2 Patres*).

R. — Haec verba necessaria non sunt, quia iam intelleguntur in textu.

175 — Pag. 47, lin. 14 [pag. 55, lin. 33]: Addatur « Ad quas etiam paroecias suscipiendas Religiosi tenentur, si agatur de dioecesibus in quibus iidem maxima pars cleri sint » (*1 Pater*).

R. — Modus hic quaestionem nimis particularem attingit, quae Decreto Conciliari non congruit.

176 — Pag. 47, lin. 14 [pag. 55, lin. 33]: Sequens nova paragraphus addatur: « Religiosi ut antea, nisi a iure communi aliud constitutum sit, oboediant soli proprio Superiori, ideoque legitima Episcoporum vel Conferentiarum Episcoporum mandata, nonnisi Superioribus, generatim maioribus, et per Superiorem singulis Religiosis dentur » (*1 Pater*).

R. — Non admittitur quia non necessarium videtur.

[94] 177 — Pag. 47, linn. 15-20 [pag. 55, linn. 35-40]: Ordo propositionum ita immutetur, ut prius de observantia et subiectione Religiosorum erga proprios Superiores agatur et dein de spiritu Religionis, quo imbuti sint oportet (*2 Patres*).

R. — Textus schematis est magis logicus et congruens.

178 — Pag. 47, lin. 25 [pag. 56, lin. 4]: Auferatur verbum « potissimum » (*1 Pater*).

R. — Vox illa ad hoc necessaria est, ut principium de exemptione recte enuntietur.

179 — Pag. 47, lin. 25 [pag. 56, lin. 4]: Vox « potissimum » per verbum « unice » mutetur (*1 Pater*).

R. — Nequaquam: secus enim doctrinam falsam exprimeret.

[95] 180 — Pag. 47, lin. 32 [pag. 56, lin. 11]: Addatur: « Uti est exempli gratia Patriarcha quoad omnes Religiosos proprii Ritus » (*1 Pater*).

R. — Textus dicit simpliciter « competens Auctoritas » ne descendere debeat ad casus particulares, qui, cum Decreto Conciliari, utpote exempla, non congruunt.

181 — Pag. 47, linn. 33-37 [pag. 56, linn. 17 ss.]: Paragraphus haec substituatur per verba Pauli VI in Allocutione 23 maii 1964: « Haec autem exemptio non impedit quominus *in sacri apostolatus exercitio in variis dioecesibus religiosi sodales subsint etiam Episcoporum iurisdictioni, quibus auxilium praebere tenentur, salva semper apostolatus natura ipsorum propria et vitae religiosae necessitatibus* » (*1 Pater*).

R. — Verba schematis desumpta sunt ex Allocutione Pii XII 8 decembris 1950 et doctrinam in textu necessariam clarissimis verbis exponunt.

182 — Pag. 47, lin. 35 [pag. 56, lin. 14]: Supprimantur verba « ad normam iuris » (*25 Patres*).

R. — Non necessaria est haec suppressio, si verba recte intellegantur, prout dictum fuit in Relatione altera.[1] Revera exsistere debet aliqua norma iuris: agitur tamen non de iure *condito*, sed de iure *condendo*.

183 — Pag. 47, linn. 33-37 [pag. 56, linn. 12-16]: Nova ordinatione ita emendetur textus, ut primo affirmetur Religiosorum subiectio erga Episcopos, dein exemptio (*8 Patres*).

---

[1] Cf. Fasciculus: *Textus emendatus et Relationes*, a. 1964, p. 72.

R. — E contra, inspectis principiis quae in praecedentibus et sequentibus lineis exponuntur, magis logice proceditur ab exemptione ad assertam subiectionem erga Episcopi potestatem. [95]

184 — Pag. 47, lin. 39 [pag. 56, lin. 18]: Loco « subduntur » dicatur « subsunt » (*570 Patres*).

R. — Admittitur emendatio, ut in Relatione explicatur (cf. pag. 63).

185 — Pag. 47, lin. 40 [pag. 56, lin. 19]: Addatur « salva tamen diversitate Rituum » (*225 Patres*).

R. — Admittitur.

186 — Pag. 48, lin. 4 [pag. 56, lin. 24]: Dicatur « scholarum catholicarum ordinationem, salva tamen eorum legitima autonomia » (*273 Patres*).

R. — Admittitur, modo in Relatione explicato (cf. pag. 63).

187 — Pag. 48, lin. 6 [pag. 56, lin. 29]: Addatur « abrogatis omnibus contrariis privilegiis » (*1 Pater*).

R. — Sufficit enuntiatio principii generalis, quae in textu invenitur. [96]

188 — Pag. 48, lin. 6 [pag. 56, lin. 27]: Addatur « ad visitationem ecclesiarum publicarum » (*1 Pater*).

R. — Implicite iam continetur in clausula « publicum exercitium cultus divini ».

189 — Pag. 48, lin. 8 [pag. 56, lin. 29]: Addatur: « circa praedicta capita » (*1 Pater*).

R. — Sufficit verbum « legitime »: hoc enim, modum et materiam simul complectitur, quibus Episcoporum Consilia aut Conferentiae decreta ab omnibus servanda edunt.

190 — Pag. 48, lin. 8 [pag. 56, lin. 29]: Addatur: « ad quaestiones in dioecesi ordinandas » (*2 Patres*).

R. — Eadem responsio ac in praecedenti observatione.

191 — Pag. 48, linn. 21-31 [pag. 57, linn. 5-15]: Supprimatur textus, quia, ex una parte non congruit cum principio de Episcopi auctoritate, ex alia principia periculosa introducit novumque institutum iuridicum in Ecclesia inauditum (*35 Patres*).

R. — In Relatione explicatur sensus propositionis (cf. pag. 63).

192 — Pag. 48, linn. 21-31 [pag. 57, linn. 5-15]: Clarius doctrina exponatur (*1 Pater*).

R. — Non est modus, quia nullus novus textus a Patre proponitur.

193 — Pag. 48, linn. 21-25 [pag. 57, linn. 5-9]: Supprimatur textus (*1 Pater*).

R. — Sufficiens responsio in Relatione continetur (cf. pp. 63-64).

194 — Pag. 48, lin. 21 [pag. 57, lin. 5]: Incipiat textus per verba « optatur ut » atque in lin. 24 [lin. 8]: verba « ne » et « nisi » supprimantur ut redactio sensu positivo appareat (*1 Pater*).

R. — Admittitur secundum; attamen reicitur primum, quia de re agitur, non tantum commendanda, sed urgenda.

195 — Pag. 48, lin. 22 [pag. 57, lin. 7]: Supprimantur vel melius explicentur verba: « vel Conferentiae Superiorum maiorum » (*6 Patres*).

R. — Non admittitur ob rationes in Relatione allatas (cf. pag. 64).

196 — Pag. 48, lin. 25 [pag. 57, lin. 9]: Addatur « discussiones inexplicabiles Sanctae Sedi vel Auctoritati competenti ut decidat proponantur » (*1 Pater*).

R. — Non admittitur utpote non necessarium.

QUAESITA PARTICULARIA

1. *An placeat ut textus numeri 16* (in hoc fasciculo, pag. 40, lineis 37 ss.; pag. 41, lineis 18-25) *ita immutetur ut*

loco	*legatur*
In exercendo suo munere patris ac pastoris, sint Episcopi in medio suorum sicut qui ministrant, boni pastores qui cognoscunt suas oves quosque et ipsae cognoscunt, veri patres qui spiritu dilectionis et sollicitudinis erga omnes praestant, quorumque auctoritati divinitus quidem collatae omnes grato animo sese subiiciunt.	In exercendo suo munere patris ac pastoris, sint Episcopi in medio suorum sicut qui ministrant, boni pastores qui cognoscunt suas oves quosque et ipsae cognoscunt, veri patres qui spiritu dilectionis et sollicitudinis erga omnes praestant, quorumque auctoritati divinitus quidem collatae, omnes grato animo sese subiciunt. *Integram sui gregis familiam ita congregent atque efforment ut omnes, officiorum suorum conscii, in communione caritatis vivant et operentur.*
Erga omnes sollicitos se praebeant cuius-	Erga omnes sollicitos se praebeant cuius-

loco	*legatur*
cumque sunt aetatis, condicionis vel nationis, tum incolas, tum advenas et peregrinos.	cumque sunt aetatis, condicionis vel nationis, tum incolas, tum advenas et peregrinos. *In hac pastorali sollicitudine exercenda fidelibus suis in rebus Ecclesiae partes ipsis congruentes servent, eorumdem officium et ius quoque agnoscentes active adlaborandi ad aedificationem mystici Corporis Christi.*

2. *An placeat ut textus numeri 17* (in hoc fasculo, pag. 42, lineis 26 ss.) *ita immutetur ut*

loco	*legatur*
Sedulo urgeatur officium quo tenentur fideles ad varia opera laicorum apostolatus et actionis catholicae participanda vel iuvanda. Associationes quoque promoveantur vel foveantur quae finem supernaturalem directe aut indirecte prosequuntur, ad perfectiorem scilicet vitam provehendam, aut ad doctrinam christianam vel incrementum cultus publici promovendum, aut fines sociales persequendos, aut ad pietatis vel caritatis opera exercenda.	Sedulo urgeatur officium quo tenentur fideles *ad apostolatum pro sua quisque condicione et aptitudine exercendum, atque ipsis commendetur ut varia opera laicorum apostolatus, et praesertim Actionem Catholicam, participent atque iuvent.* Associationes quoque promoveantur vel foveantur quae finem supernaturalem directe aut indirecte prosequuntur, ad perfectiorem scilicet vitam *assequendam, aut ad Christi Evangelium omnibus annuntiandum,* aut ad doctrinam christianam vel incrementum cultus publici promovendum, aut ad fines sociales persequendos, aut ad pietatis vel caritatis opera exercenda.

3. *An placeat ut textus numeri 27* (in hoc fasciculo, pag. 49, lineis 23 ss.) *ita immutetur ut*

loco	*legatur*
Inter Episcopi cooperatores in regimine dioecesis, illi presbyteri quoque enumerantur, qui eius senatum consiliumve constituunt, ut sunt capitulum cathedrale, consultorum coetus	Inter Episcopi cooperatores in regimine dioecesis, illi presbyteri quoque enumerantur qui eius senatum consiliumve constituunt, ut sunt capitulum cathedrale, consultorum coetus

8] *loco*

vel alia consilia, secundum diversorum locorum circumstantias vel indolem.

legatur

vel alia consilia, secundum diversorum locorum circumstantias vel indolem. *Haec instituta, praesertim capitula cathedralia, novae ordinationi, quatenus opus sit, necessitatibus hodiernis aptatae subiciantur.*

4. *An placeat ut textus numeri* 28 (in hoc fasciculo, pag. 50, lineis 8 ss.) *ita immutetur ut*

loco

In animarum cura procuranda primas partes habent sacerdotes dioecesani, qui, providi cooperatores Ordinis episcopalis effecti, unum sacerdotium Christi cum Episcopo participant et exercent atque Ecclesiae particulari incardinati vel addicti, eiusdem servitio plene sese devovent ad unam dominici gregis portionem pascendam; quare unum constituunt presbyterium atque unam familiam, cuius pater est Episcopus.

legatur

Omnes quidem presbyteri, sive dioecesani sive religiosi, unum sacerdotium Christi cum Episcopo participant et exercent, ideoque Ordinis episcopalis providi cooperatores constituuntur.

In animarum autem cura procuranda primas partes habent sacerdotes dioecesani, quippe qui, Ecclesiae particulari incardinati vel addicti, eiusdem servitio plene sese devoveant ad unam dominici gregis portionem pascendam; quare unum constituunt presbyterium atque unam familiam, cuius pater est Episcopus.

9] 5. *An placeat ut textus numeri* 29 (in hoc fasciculo, pag. 51, lineis 11 ss.) *ita immutetur ut*

loco

Eximiam quoque adiutricem operam praestant sacerdotes, quibus ab Episcopo diversa munera apostolatus, sive in scholis sive in aliis institutis aut associationibus, concreduntur.

legatur

Eximiam quoque adiutricem operam praestant sacerdotes, quibus ab Episcopo diversa munera apostolatus, sive in scholis sive in aliis institutis aut associationibus, concreduntur. *Etiam illi sacerdotes, qui operibus supradioecesanis sunt addicti, quum praeclara apostolatus opera exerceant, peculiari sollicitudini commendantur praesertim Episcopi in cuius dioecesi commorantur.*

6. *An placeat ut textus numeri 33* (in hoc fasciculo, pag. 54, lineis 20 ss.) et *numeri 35* (in hoc fasciculo, pag. 55, lineis 26 ss.) *ita immutetur ut* [

loco

33. Hos vero fines promovere tenentur imprimis oratione, expiationis operibus et propriae vitae exemplo, in quorum aestimatione et studio ut perseverent Sacrosancta haec Synodus eos magnopere hortatur. At, salva indole Religionum quae ex instituto vitam contemplativam profitentur, ad externa quoque apostolatus opera impensius accedant.

35. Praesertim, attenta urgenti animarum necessitate atque cleri penuria, Instituta religiosa, quae vitae mere contemplativae non addicuntur, ab Episcopis advocari possunt ut in variis ministeriis pastoralibus operam adiutricem impendant; quam operam ut praestent, in paroeciis quoque suscipiendis etiam ad tempus, Superiores pro viribus faveant.

legatur

Hos vero fines promovere tenentur imprimis oratione, *poenitentiae* operibus et propriae vitae exemplo, in quorum aestimatione et studio ut *iugiter crescant,* Sacrosancta haec Synodus eos magnopere hortatur. At, *ratione habita indolis uniuscuiusque Religionis propriae,* ad externa quoque apostolatus opera impensius accedant.

Praesertim, attent*is* urgent*ibus* animarum necessitat*ibus* atque cleri *dioecesani* penuria, Instituta religiosa, quae vitae mere contemplativae non addicuntur, ab Episcopis advocari possunt ut in variis ministeriis pastoralibus operam adiutricem impendant, *inspecta tamen propria cuiusque Instituti indole*; quam operam ut praestent, in paroeciis quoque suscipiendis etiam ad tempus, Superiores pro viribus faveant.

7. *An placeat ut textus numeri 35* (in hoc fasciculo, pag. 56, lineis 17 ss.) *ita immutetur ut* [1

loco

4) Omnes Religiosi, exempti et non exempti, Ordinariis locorum subduntur in iis quae ad publicum exercitium cultus divini, ad curam animarum, ad sacram praedicationem populo tradendam, ad christifidelium, praesertim puerorum, religiosam et moralem educationem, catecheticam institutionem et liturgicam efformationem, ad generalem scholarum catholicarum ordinationem et ad varia apostolatus opera necnon ad status clericalis decorem spectant. Pa-

legatur

Omnes Religiosi, exempti et non exempti, Ordinari*orum* locorum *potestati subsunt* in iis quae ad publicum exercitium cultus divini, *salva quidem Rituum diversitate,* ad curam animarum, ad sacram praedicationem populo tradendam, ad christifidelium, praesertim puerorum, religiosam et moralem educationem, catecheticam institutionem et liturgicam efformationem atque ad status clericalis decorem spectant *necnon ad varia opera in iis quae sacri*

.00] *loco*

riter tenentur servare ea omnia quae Episcoporum Concilia aut Conferentiae ab omnibus servanda legitime edixerint.

legatur

apostolatus exercitium respiciunt. Religiosorum quoque scholae catholicae Ordinariis locorum subsunt ad earum generalem ordinationem et vigilantiam quod attinet, firmo iure Religiosorum quoad earumdem moderamen. Pariter *Religiosi* tenentur servare ea omnia quae Episcoporum Concilia aut Conferentiae ab omnibus servanda legitime edixerint.

QUAESITUM GENERALE

An placeat expensio facta a Commissione Conciliari circa modos reliquos Caput II respicientes.

PARS ALTERA [101]

CAPUT III

TEXTUS EMENDATUS

MODI A PATRIBUS PROPOSITI
A COMMISSIONE CONCILIARI
DE EPISCOPIS ET DIOECESIUM REGIMINE
EXAMINATI

CAPUT III [103]

DE EPISCOPIS
IN COMMUNE PLURIUM ECCLESIARUM
BONUM COOPERANTIBUS

SUFFRAGATIONES

Die 6 novembris anni 1964 factae sunt suffragationes de Capite III.

Decima sexta suffragatio, de num. 36-37

Praesentes votantes	2.014
Placet	2.000
Non placet	11
Vota nulla	3

Decima septima suffragatio, de num. 38

Praesentes votantes	2.021
Placet	1.948
Non placet	71
Vota nulla	2

Decima octava suffragatio, de num. 39-41

Praesentes votantes	2.025
Placet	1.998
Non placet	27

[103] *Decima nona* suffragatio, de num. 42-43

Praesentes votantes	2.065
Placet	2.053
Non placet	11
Vota nulla	1

[104] *Vigesima* suffragatio, de num. 44

Praesentes votantes	2.074
Placet	2.049
Non placet	15
Vota nulla	10

Vigesima prima suffragatio, super integro capite tertio

Praesentes votantes	2.070
Placet	1.582
Non placet	15
Placet iuxta modum	469
Vota nulla	4

Integrum caput ergo cum omnibus suis partibus a Congregatione Generali est approbatum.

CAPUT III

DE EPISCOPIS IN COMMUNE PLURIUM ECCLESIARUM BONUM COOPERANTIBUS

Textus in schemate propositus

I – SYNODI, CONCILIA ET PRAESERTIM EPISCOPORUM CONFERENTIAE

36. (olim n. 34). [*Synodi et Concilia particularia*]. Inde a prioribus Ecclesiae saeculis Episcopi, peculiaribus quidem Ecclesiis praepositi, communione fraternae caritatis atque studio permoti universalis missionis Apostolis traditae, vires ac voluntates suas consociaverunt ad bonum tum commune tum singularum Ecclesiarum provehendum. Hac ratione sive Synodi, sive Concilia provincialia, sive demum Concilia plenaria constituta fuerunt in quibus Episcopi aequalem pro variis Ecclesiis statuerunt rationem servandam tum in fidei veritatibus docendis tum in disciplina ecclesiastica ordinanda.

Exoptat haec Sancta Oecumenica Synodus ut veneranda Synodorum et Conciliorum instituta novo vigeant robore, quo aptius et efficacius fidei incremento disciplinaeque conservationi in variis Ecclesiis, pro temporum adiunctis, provideatur.

37. (olim n. 35). [*Conferentiarum Episcoporum momentum*]. Hodiernis potissimum temporibus Episcopi haud raro munus suum apte ac fructuose adimplere non valent nisi cum aliis Episcopis arctiorem in dies suam concordem atque coniunctiorem operam efficiant. Cum autem Episcoporum Conferentiae — plu-

Textus iuxta modos emendatus

I – SYNODI, CONCILIA ET PRAESERTIM EPISCOPORUM CONFERENTIAE

36. (olim n. 34). [*Synodi et Concilia particularia*]. Inde a prioribus Ecclesiae saeculis Episcopi, peculiaribus quidem Ecclesiis praepositi, communione fraternae caritatis atque studio permoti universalis missionis Apostolis traditae, vires ac voluntates suas consociaverunt ad bonum tum commune tum singularum Ecclesiarum provehendum. Hac ratione sive Synodi, sive Concilia provincialia, sive demum Concilia plenaria constituta fuerunt in quibus Episcopi aequalem pro variis Ecclesiis statuerunt rationem servandam tum in fidei veritatibus docendis tum in disciplina ecclesiastica ordinanda.

Exoptat haec Sancta Oecumenica Synodus ut veneranda Synodorum et Conciliorum instituta novo vigeant robore, quo aptius et efficacius fidei incremento disciplinaeque conservationi in variis Ecclesiis, pro temporum adiunctis, provideatur.

37. (olim n. 35). [*Conferentiarum Episcoporum momentum*]. Hodiernis potissimum temporibus Episcopi haud raro munus suum apte ac fructuose adimplere non valent nisi cum aliis Episcopis arctiorem in dies suam concordem atque coniunctiorem operam efficiant.[1] Cum autem Episcoporum Conferentiae — plu-

Textus in schemate propositus

ribus in nationibus iam constitutae — praeclara ediderint uberioris apostolatus argumenta, Sacrosancta haec Synodus summopere expedire censet, ut ubique terrarum eiusdem nationis seu regionis Episcopi in unum coetum confluant, ut statis temporibus simul convenientes, communicatis prudentiae et experientiae luminibus, collatisque consiliis sancta fiat ad commune Ecclesiarum bonum virium conspiratio.

Propterea de Episcoporum Conferentiis haec quae sequuntur statuit.

38. (olim n. 36). [*Conferentiarum notio, structura, competentia et cooperatio*].

1) Est Episcoporum Conferentia veluti coetus in quo sacrorum Antistites cuiusdam nationis vel territorii munus suum coniunctim exercent ad maius bonum, quod hominibus praebet Ecclesia, provehendum, praesertim per apostolatus formas et rationes, occurrentibus aetatis adiunctis apte compositas.

2) Omnes Ordinarii locorum cuiuscumque ritus, Vicariis Generalibus exceptis, Coadiutores, Auxiliares aliique Episcopi titulares peculiari munere vel ab Apostolica Sede vel ab Episcoporum Conferentiis demandato fungentes ad Episcoporum Conferentiam pertinent.

Ordinariis locorum necnon Coadiutoribus competit suffragium deliberativum. Auxiliaribus aliisque Episcopis, quibus ius est Conferentiae interesse, suffragium deliberativum aut consultivum decernent statuta Conferentiae.

3) Quaelibet Conferentia Episcoporum sua conficiat statuta, ab Apostolica Sede reco-

Textus iuxta modos emendatus

ribus in nationibus iam constitutae — praeclara ediderint uberioris apostolatus argumenta, Sacrosancta haec Synodus summopere expedire censet, ut ubique terrarum eiusdem nationis seu regionis Episcopi in unum coetum confluant, statis temporibus simul convenientes, ut communicatis prudentiae et experientiae luminibus, collatisque consiliis sancta fiat ad commune Ecclesiarum bonum virium conspiratio.

Propterea de Episcoporum Conferentiis haec quae sequuntur statuit.

38. (olim n. 36). [*Conferentiarum notio, structura, competentia et cooperatio*].

1) Est Episcoporum Conferentia veluti coetus in quo sacrorum Antistites cuiusdam nationis vel territorii munus suum *pastorale* coniunctim exercent ad maius bonum, quod hominibus praebet Ecclesia, provehendum, praesertim per apostolatus formas et rationes, occurrentibus aetatis adiunctis apte compositas.

2) Omnes Ordinarii locorum cuiuscumque ritus, Vicariis Generalibus exceptis, Coadiutores, Auxiliares aliique Episcopi titulares peculiari munere vel ab Apostolica Sede vel ab Episcoporum Conferentiis demandato fungentes ad Episcoporum Conferentiam pertinent. *Ceteri Episcopi titulares necnon, ob singulare quod obeunt in territorio officium, Legati Romani Pontificis non sunt de iure membra Conferentiae.*

Ordinariis locorum necnon Coadiutoribus competit suffragium deliberativum. Auxiliaribus aliisque Episcopis, quibus ius est Conferentiae interesse, suffragium deliberativum aut consultivum decernent statuta Conferentiae.

3) Quaelibet Conferentia Episcoporum sua conficiat statuta, ab Apostolica Sede reco-

Textus in schemate propositus

gnoscenda, in quibus — praeter alia media — officia provideantur quae fini consequendo efficacius consulant, e. g. Consilium permanens Episcoporum, Commissiones Episcopales, Secretariatus Generalis.

4) Decisiones Conferentiarum Episcoporum, dummodo legitime et per duas saltem ex tribus partibus suffragiorum Praesulum qui voto deliberativo fruentes, ad Conferentiam pertinent, prolatae fuerint et ab Apostolica Sede recognitae, vim habeant iuridice obligandi in casibus dumtaxat in quibus aut ius commune id praescripserit aut peculiare Apostolicae Sedis mandatum, motu proprio aut ad petitionem ipsarum Conferentiarum datum, id statuerit.

5) Ubi peculiaria adiuncta id postulent, Episcopi plurium nationum, Apostolica Sede approbante, unam poterunt Conferentiam constituere.

Foveantur insuper relationes inter Conferentias Episcopales diversarum nationum ad maius bonum promovendum ac tuendum.

6) Enixe commendatur ut Praesules Orientalium Ecclesiarum, in disciplina propriae Ecclesiae in Synodis promovenda et ad opera in bonum religionis efficacius fovenda, rationem etiam habeant boni communis totius territorii, ubi plures Ecclesiae diversorum rituum exstant, consiliis in conventibus interritualibus collatis, iuxta normas a competenti Auctoritate statuendas.

II - Provinciarum Ecclesiasticarum circumscriptio et regionum ecclesiasticarum erectio.

39. (olim n. 37). [*Principium de recognoscendis circumscriptionibus*]. Animarum bo-

Textus iuxta modos emendatus

gnoscenda, in quibus — praeter alia media — officia provideantur quae fini consequendo efficacius consulant, e. g. Consilium permanens Episcoporum, Commissiones Episcopales, Secretariatus Generalis.

4) Decisiones *Conferentiae* Episcoporum, dummodo legitime et per duas saltem ex tribus partibus suffragiorum Praesulum, qui voto deliberativo fruentes ad Conferentiam pertinent, prolatae fuerint et ab Apostolica Sede recognitae, vim habeant iuridice obligandi in casibus dumtaxat in quibus aut ius commune id praescripserit aut peculiare Apostolicae Sedis mandatum, motu proprio aut ad petitionem *ipsius Conferentiae* datum, id statuerit.

5) Ubi peculiaria adiuncta id postulent, Episcopi plurium nationum, Apostolica Sede approbante, unam poterunt Conferentiam constituere.

Foveantur insuper relationes inter Conferentias Episcopales diversarum nationum ad maius bonum promovendum ac tuendum.[2]

6) Enixe commendatur ut Praesules Orientalium Ecclesiarum, in disciplina propriae Ecclesiae in Synodis promovenda et ad opera in bonum religionis efficacius fovenda, rationem etiam habeant boni communis totius territorii, ubi plures Ecclesiae diversorum rituum exstant, consiliis in conventibus interritualibus collatis, iuxta normas a competenti Auctoritate statuendas.

II - Provinciarum Ecclesiasticarum circumscriptio et regionum ecclesiasticarum erectio.

39. (olim n. 37). [*Principium de recognoscendis circumscriptionibus*]. Animarum bo-

Textus in schemate propositus

num non dioecesium tantum sed provinciarum quoque ecclesiasticarum aptam expostulat circumscriptionem, immo et regionum ecclesiasticarum suadet erectionem, ita ut apostolatus necessitatibus iuxta socialia et localia adiuncta melius provideatur, atque faciliores fructuosioresque reddantur Episcoporum relationes sive inter se sive cum Metropolitis et cum ceteris eiusdem nationis Episcopis, necnon et Episcoporum cum civilibus Auctoritatibus.

40. (olim n. 38). [*Normae servandae*]. Itaque, ad memoratos fines consequendos, Sacrosancta Synodus haec statuenda decernit:

1) Provinciarum ecclesiasticarum circumscriptiones opportune recognoscantur et iura ac privilegia Metropolitarum novis aptisque normis definiantur.

2) Pro regula habeatur ut omnes dioeceses, aliaeque territoriales circumscriptiones quae iure dioecesibus aequiparantur, alicui provinciae ecclesiasticae adscribantur. Proinde dioeceses quae nunc Apostolicae Sedi immediate sunt subiectae quaeque nulli alii uniantur, aut in novam provinciam ecclesiasticam, si id fieri possit, sunt simul componendae aut illi provinciae aggregandae, quae vicinior seu opportunior sit, et iuri metropolitico Archiepiscopi sunt subiciendae ad normam iuris communis.

3) Ubi utilitas id suadet, provinciae ecclesiasticae in regiones ecclesiasticas componantur, quarum ordinatio iure est statuenda.

41. (olim n. 39). [*Conferentiarum Episcopalium votum exquirendum*]. Expedit ut competentes Episcoporum Conferentiae quaestioni de huiusmodi provinciarum circumscriptione aut regionum erectione studeant, iuxta normas

Textus iuxta modos emendatus

num non dioecesium tantum sed provinciarum quoque ecclesiasticarum aptam expostulat circumscriptionem, immo et regionum ecclesiasticarum suadet erectionem, ita ut apostolatus necessitatibus iuxta socialia et localia adiuncta melius provideatur, atque faciliores fructuosioresque reddantur Episcoporum relationes sive inter se sive cum Metropolitis et cum ceteris eiusdem nationis Episcopis, necnon et Episcoporum cum civilibus Auctoritatibus.

40. (olim n. 38). [*Normae servandae*]. Itaque, ad memoratos fines consequendos, Sacrosancta Synodus haec statuenda decernit:

1) Provinciarum Ecclesiasticarum circumscriptiones opportune recognoscantur et iura ac privilegia Metropolitarum novis aptisque normis definiantur.

2) Pro regula habeatur ut omnes dioeceses, aliaeque territoriales circumscriptiones quae iure dioecesibus aequiparantur, alicui provinciae ecclesiasticae adscribantur. Proinde dioeceses quae nunc Apostolicae Sedi immediate sint subiectae quaeque nulli alii uniantur, aut in novam provinciam ecclesiasticam, si id fieri possit, sunt simul componendae aut illi provinciae aggregandae, quae vicinior seu opportunior sit, et iuri metropolitico Archiepiscopi sunt subiciendae ad normam iuris communis.

3) Ubi utilitas id suadet, provinciae ecclesiasticae in regiones ecclesiasticas componantur, quarum ordinatio iure est statuenda.

41. (olim n. 39). [*Conferentiarum Episcopalium votum exquirendum*]. Expedit ut competentes Episcoporum Conferentiae quaestio*nem* de huiusmodi provinciarum circumscriptione aut regionum erectione *examini subiciant*,

Textus in schemate propositus

iam de dioecesium circumscriptione in nn. 23 et 24 statutas, et consilia ac vota sua Apostolicae Sedi proponant.

III – Episcopi munere interdioecesano fungentes

42. (olim n. 40). [*Peculiarium officiorum constitutio et cooperatio cum Episcopis*]. Cum necessitates pastorales magis magisque requirant ut quaedam pastoralia munia concorditer seu communiter regantur et promoveantur, expedit ut in servitium omnium vel plurium dioecesium alicuius determinatae regionis aut nationis nonnulla constituantur officia, quae etiam Episcopis committi possunt.

Commendat autem Sancta Synodus ut inter Praelatos seu Episcopos, his muneribus perfungentes, et Episcopos dioecesanos atque Conferentias Episcopales fraterna semper vigeat communio et animorum in sollicitudine pastorali conspiratio, cuius rationes etiam iure communi definiantur oportet.

43. (olim n. 41). [*Vicariatus Castrenses*]. Cum spirituali militum curae, ob peculiares eorumdem vitae condiciones, eximia debeatur sollicitudo, in unaquaque natione erigatur, pro posse, Vicariatus Castrensis, cuius Ordinarius necnon cappellani in concordi cum Episcopis dioecesanis cooperatione huic difficili operi impense se devoveant.

Quare Episcopi dioecesani Ordinario Castrensi concedant numero sufficienti sacerdotes huic gravi muneri aptos simulque faveant inceptis ad bonum spirituale militum provehendum.

Textus iuxta modos emendatus

iuxta normas iam de dioecesium circumscriptione in nn. 23 et 24 statutas, et consilia ac vota sua Apostolicae Sedi proponant.

III – Episcopi munere interdioecesano fungentes

42. (olim n. 40). [*Peculiarium officiorum constitutio et cooperatio cum Episcopis*]. Cum necessitates pastorales magis magisque requirant ut quaedam pastoralia munia concorditer regantur et promoveantur, expedit ut in servitium omnium vel plurium dioecesium alicuius determinatae regionis aut nationis nonnulla constituantur officia, quae etiam Episcopis committi possunt.

Commendat autem Sancta Synodus ut inter Praelatos seu Episcopos, his muneribus perfungentes, et Episcopos dioecesanos atque Conferentias Episcopales fraterna semper vigeat communio et animorum in sollicitudine pastorali conspiratio, cuius rationes etiam iure communi definiantur oportet.

43. (olim n. 41). [*Vicariatus Castrenses*]. Cum spirituali militum curae, ob peculiares eorumdem vitae condiciones, eximia debeatur sollicitudo, in unaquaque natione erigatur, pro *viribus,* Vicariatus Castrensis. *Tum Vicarius tum* cappellani in concordi cum Episcopis dioecesanis cooperatione huic difficili operi impense se devoveant.[3]

Quare Episcopi dioecesani *Vicario* Castrensi concedant numero sufficienti sacerdotes huic gravi muneri aptos simulque faveant inceptis ad bonum spirituale militum provehendum.[4]

Textus in schemate propositus

Mandatum generale

44. (olim n. 42). Mandat Sacrosancta Synodus, ut in recognoscendo Codice Iuris Canonici aptae definiantur leges, ad normam principiorum quae in hoc Decreto statuuntur, perpensis etiam animadversionibus quae vel a Commissionibus vel a Patribus Conciliaribus prolatae sunt.

Mandat insuper Sancta Synodus ut Directoria generalia de cura animarum conficiantur in usum tum Episcoporum tum parochorum, ut certae ipsis praebeantur rationes ad proprium munus pastorale facilius aptiusque obeundum.

Conficiantur etiam tum speciale Directorium de cura pastorali peculiarium fidelium coetuum pro diversis singularum nationum vel regionum adiunctis, tum Directorium de catechetica populi christiani institutione, in quo agatur de fundamentalibus eiusdem institutionis principiis et ordinatione deque elaboratione librorum ad rem pertinentium. In iis vero Directoriis conficiendis ratio item habeatur animadversionum quae sive a Commissionibus sive a Patribus Conciliaribus exhibitae sunt.

Textus iuxta modos emendatus

Mandatum generale

44. (olim n. 42). Mandat Sacrosancta Synodus, ut in recognoscendo Codice Iuris Canonici aptae definiantur leges, ad normam principiorum quae in hoc Decreto statuuntur, perpensis etiam animadversionibus quae vel a Commissionibus vel a Patribus Conciliaribus prolatae sunt.

Mandat insuper Sancta Synodus ut Directoria generalia de cura animarum conficiantur in usum tum Episcoporum tum parochorum, ut certae ipsis praebeantur rationes ad proprium munus pastorale facilius aptiusque obeundum.

Conficiantur etiam tum speciale Directorium de cura pastorali peculiarium fidelium coetuum pro diversis singularum nationum vel regionum adiunctis, tum Directorium de catechetica populi christiani institutione, in quo agatur de fundamentalibus eiusdem institutionis principiis et ordinatione deque elaboratione librorum ad rem pertinentium. In iis vero Directoriis conficiendis ratio item habeatur animadversionum quae sive a Commissionibus sive a Patribus Conciliaribus exhibitae sunt.[5]

NOTAE

[1] Sunt enim nonnulla negotia quae communem omnium Episcoporum agendi rationem expostulant, praesertim si totam attingant nationem; talia sunt v. g. negotia de re scholari, administrativa, de morali usu iurium civilium et his similia.

Praeterea aliquando declarationes publicae nomine omnium Episcoporum faciendae sunt, quarum aliae maximi momenti esse possunt, uti declarationes quae publicam opinionem valde commovere valeant fideliumve admirationem gignere, aut quae nimium a recepta communi agendi vel sentiendi ratione discrepent, aut quae cum declarationibus de eadem materia a finitimis Episcoporum Conferentiis forte latis pugnent, et his similia.

[2] Relationes inter Conferentias Episcopales diversarum Nationum opportunis et congruentibus mediis haberi poterunt per earumdem Conferentiarum Secretariatus et inter alia haec praesertim spectare poterunt:

a) communicare praecipuas agendi rationes praesertim in re et actione pastorali; [111]

b) transmittere scripta vel folia, quae decisiones Conferentiae referant vel acta seu documenta, quae ab Episcopis communi consilio edantur;

c) significare varia apostolatus incepta, a Conferentia Episcopali proposita vel commendata quaeque utilia esse possint in casibus similibus;

d) proponere graviores quaestiones, quae hodiernis temporibus et in particularibus adiunctis maximi momenti esse videantur;

e) indicare pericula vel errores in propria Natione serpentia, quae in alios etiam populos irrepere possint, ita ut apta et opportuna media adhibeantur ad illa praecavenda vel auferenda vel coarctanda, et his similia.

[3] Cf. S. C. CONSISTORIALIS: *Instructio de Vicariis Castrensibus*: 23 apr. 1951: *A.A.S.*, 43 (1951), pp. 562-565; *Formula servanda in relatione de statu Vicariatus Castrensis conficienda,* 20 oct. 1956: *A.A.S.*, 49 (1957), pp. 150-163; Decretum: *De Sacrorum Liminum Visitatione a Vicariis Castrensibus peragenda*: 28 febr. 1959: *A.A.S.*, 51 (1959), pp. 272-274; Decretum: *Facultas audiendi confessiones militum Cappellanis extenditur*: 27 nov. 1960: *A.A.S.*, 53 (1961), pp. 49-50.

S. C. DE RELIGIOSIS: *Instructio de Cappellanis militum religiosis*: 2 febr. 1955: *A.A.S.*, 47 (1955), pp. 93-97.

[4] Cf. S. C. CONSISTORIALIS: *Epistula* ad Em.mos PP. DD. Cardinales atque Exc.mos PP. DD. Archiepiscopos, Episcopos ceterosque Ordinarios Hispanicae Ditionis, 21 iun. 1951: *A.A.S.*, 43 (1951), p. 566: « Ideoque meminerint Episcopi animarum Pastores, tunc pastoralis ministerii opus impleri, si Vicario Castrensi libenter praesentare ac concedere velint nonnullos sibi subiectos sacerdotes, aptis quidem virtutibus exornatos, quibus ille rite exercere valeat spiritualem militum curam, quos inter unicuique Praesuli nonnullas oves de concredito sibi grege annumerare fas erit ».

[5] In his autem Directoriis conficiendis, in primis prae oculis haberi debent Directoria iam apparata a Commissione de Episcopis ac dioecesium regimine et a Commissione de disciplina Cleri et populi christiani.

MODI PROPOSITI ET EXAMINATI [113]

RELATIO GENERALIS DE CAPITE III

Quamvis caput III schematis cum omnibus suis partibus a Congregatione Generali diei 6 novembris 1964 approbatum fuerit, Commissio tamen Conciliaris de Episcopis et dioecesium regimine omnes modos cum rationibus adductis, attento etiam numero Patrum eos proponentium, diligenter collegit et accurate examinavit.

Omnibus bene perpensis, Commissio octo tantum emendationes admittendas esse censuit. Speciali consideratione dignus visus est mo-

[113] dus, n. 38, 2) schematis respiciens, tum ob eius momentum tum ob numerum Patrum modum illum proponentium.

Emendationes a Commissione admissae in fine Relationis indicantur.

Attamen de singulis modis a Patribus super caput III schematis sapienter propositis et a Commissione nostra expensis, singillatim et ordinate mentem ipsius Commissionis exponimus et Vestro benevolenti iudicio proponimus.

† Hermannus Schäufele
Archiepiscopus Friburgensis

[115]

RELATIO DE SINGULIS NUMERIS CAPITIS III

I – Synodi, Concilia et praesertim Episcoporum Conferentiae

AD NUM. 36 [*Synodi et Concilia particularia*].

1 — Pag. 85, linn. 1-14 [pag. 105, linn. 1-14]: Propositum est ut novus textus substitueretur quo mentio fieret de origine et functione primaevarum Ecclesiarum Patriarchalium quae a particularibus Ecclesiis veluti matrices fidei habitae essent, quaeque exemplar praebuissent Synodorum et Conciliorum provincialium, quorum immo origo fuissent.

Rationes: *a*) Novus textus cohaereret cum textu Constitutionis « De Ecclesia », c. III, n. 23, et Decreti « De Oecumenismo », n. 14; *b*) Synodi exortae sunt a natura collegiali Ecclesiae (*16 Patres*).

R. — Quae in nostro schemate edicuntur vera omnino sunt, licet non completa, nec memoratis Documentis Conciliaribus contradicunt vel opponuntur; tanquam eorum complementum accipi possunt. Propterea non mutanda.

2 — Pag. 85, lin. 3 [pag. 105, lin. 3]: Loco « peculiaribus » dicatur « *particularibus* ».

Ratio: Ut concordia fiat cum iis quae dicta sunt in Relatione generali pag. 11 et in pag. 58 (*2 Patres*).

R. — Non agitur hic de dioecesibus sed de Ecclesiis peculiaribus priorum saeculorum.

3 — Pag. 85, linn. 4-6 [pag. 105, linn. 4-6]: Loco verborum: « atque studio permoti universalis missionis Apostolis traditae, vires et voluntates ... » ponantur verba: « *Atque sollicitudine omnium Ecclesiarum permoti vires et voluntates* ». [115]

Ratio: Si communio fraternae caritatis atque sollicitudo omnium Ecclesiarum satis explicant virium et voluntatum conspirationem, non satis tamen ex his constat an Episcopi polleant universali illa missione Apostolis tradita, quae propria fuit omnium et singulorum Apostolorum (*3 Patres*).

R. — Phrasis « studio permoti universalis missionis Apostolis traditae » intellegi debet solummodo ad mentem doctrinae communis Ecclesiae in hac Synodo exposita; minime ad quaestiones controversas attinet. [116]

4 — Pag. 85, linn. 7-8 [pag. 105, linn. 7-8]: Loco « ... ad bonum tum commune tum singularum Ecclesiarum provehendum » dicatur: « *ad bonum tum singularum Ecclesiarum tum commune provehendum* ».

Ratio: Episcopi curam habent directe Ecclesiarum particularium et indirecte boni communis (*1 Pater*).

R. — Ratio non esset plene consentiens cum doctrina Constitutionis « De Ecclesia »; ceterum ordo rerum hic positus non afficit substantiam.

5 — Pag. 85-87 [pag. 105-107]: In variis articulis loco « natio » et « regio » ponantur voces « *territorium* » vel « *territorialis* ».

Rationes copiosae allatae sunt in disceptatione Constitutionis « De Sacra Liturgia ». Usus vocis « Auctoritatis territorialis » praevaluit (*2 Patres*).

R. — Vox « territorium » et « Auctoritas territorialis » admodum vaga visa est. In Motu proprio « Sacram Liturgiam » diei 25 mensis ianuarii 1964, n. X, hic conceptus determinatus fuit per adiectivum « nationales ». Cf. etiam Instructio ad exsecutionem Constitutionis « De Sacra Liturgia » ordinandam, n. 23, pag. 8.

AD NUM. 38 [*Conferentiarum notio, structura, competentia et cooperatio*].

Ad 1)

6 — Pag. 86 [pag. 106]: Servetur antiquus textus (*1 Pater*).

R. — Non admittitur quia maioritate requisita suffragiorum a Patribus textus approbatus est.

[116] 7 — Pag. 86, linn. 13-16 [pag. 106, linn. 13-17]: Loco praecedentis ponatur sequens textus: « ... *Antistites cuiusdam nationis vel territorii consilium capiunt ad munus suum melius exercendum et ad bonum quod hominibus praebet Ecclesia efficaciter provehendum* ».

Rationes: Episcopale munus exercet unusquisque Episcopus in territorio suo, non coniunctim cum aliis, sed singillatim. Concordia non inducit communitatem regiminis (*3 Patres*).

[117] R. — Pastorale Episcoporum munus respicit bonum, licet diverso aspectu, tum dioecesis unicuique commissae, tum universalis Ecclesiae. Hic, respectus habetur ad illam sollicitudinem omnium Ecclesiarum, ex quo onera dimanant in cap. I huius schematis adumbrata.

8 — Pag. 86, lin. 14 [pag. 106, lin. 15]: Proponitur ut post verba « munus suum » addatur « pastorale »; et in lin. 16 [pag. 106, linn. 17-18] amoveatur adverbium « praesertim » (*1 Pater*).

R. — Prior propositio admissa fuit. Alteram non admittendam esse censuit Commissio, quia pastorale munus etiam per alias operas adimpletur et apostolatus formae hic exempli gratia notatae sunt.

Ad 2)

9 — Pag. 86, linn. 19-25 [pag. 106, linn. 20-30]: Proponitur ut pro praecedenti textu substituatur sequens: « *Omnes Ordinarii locorum cuiusque ritus, Vicariis Generalibus exceptis, necnon Coadiutores de iure ad Episcoporum Conferentiam pertinent et cum suffragio deliberativo; ita tamen ut unicum tantum suffragium pro quacumque dioecesi dari possit, scilicet ab ipso Ordinario loci, si adsit, aut eo absente ab eius Coadiutore.*

« *Etsi de iure Auxiliares non pertinent ad Conferentiam Episcoporum, possunt, si sic decernant statuta eiusdem Conferentiae, in Conferentiam cooptari sed sine suffragio deliberativo* » (*1 Pater*).

R. — Quod attinet ad Auxiliares Episcopos non potest admitti, quia esset contra textum a Patribus approbatum. Quoad suffragium vero, dicendum est ipsum esse personale, non autem nomine dioecesis seu collegiale.

10 — Pag. 86, lin. 20 [pag. 106, lin. 21]: Post « Vicariis Generalibus » addatur: 1) « *et etiam Vicariis Capitularibus si non sint*

Episcopi » (*1 Pater*); 2) « *nisi sint Vicarii Patriarchales* », quia [117]
apud Orientales hi Vicarii semper habent iura Episcopi (*1 Pater*).

11 — Pag. 86, lin. 21 [pag. 106, linn. 21-22]: Post « Coadiutores » inseratur « *necnon si Episcoporum Conferentia id decreverit* ».

Ratio: ut unaquaeque Conferentia valeat suae efficacitati consulere (*1 Pater*).

12 — Pag. 86, linn. 19 ss. [pag. 106, linn. 20 ss.]: Statuatur ut: « *Omnes Ordinarii ... Auxiliares ceterique Episcopi universi territorii in communione cum Romano Pontifice ad Conferentiam* [118]
pertinent ».

Ratio: Omnes sunt membra Collegii Episcopalis; iisque ius est ut Concilio Oecumenico intersint, iuxta n. 4 huius Decreti (*56 Patres*).

13 — Pag. 86, linn. 22-23 [pag. 106, linn. 23-24]: Deletis verbis: « vel ab Apostolica Sede vel ab Episcoporum Conferentiis demandato » dicatur: « *Aliique Episcopi titulares munere pastorali in universo territorio fungentes ad Episcoporum Conferentiam pertinent* ».

Ratio: « Cum Conferentia Episcoporum habeat indolem pastoralem, admittendi sunt tantummodo qui peculiari munere vere pastorali fungantur » (*59 Patres*).

14 — Pag. 86, lin. 22 [pag. 106, lin. 23]: De admissione Episcoporum titularium Conferentiis decernet « in casibus peculiaribus » Apostolica Sedes (*1 Peter*).

15 — Pag. 86, lin. 25 [pag. 106, linn. 25-26]: Loco « pertinent » ponatur « *pertinere possunt secundum iudicium eiusdem Conferentiae* » (*112 Patres*).

16 — Pag. 86, lin. 23 [pag. 106, linn. 23-24]: Supprimantur verba: « Vel ab Episcoporum Conferentia demandato ».

Ratio: Non agnoscendum est Conferentiae ius demandandi aliquod peculiare munus Episcopo titulari, qui in officio adimplendo difficultates generare potest (*2 Patres*).

R. — Hae omnes propositiones sub nn. 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, videntur contra textum a Patribus approbatum maioritate requisita suffragiorum. Quod attinet ad propositionem sub n. 12 Commissio censuit non valere analogiam cum iuribus Collegialitatis Episcopalis.

17 — Pag. 86, lin. 23 [pag. 106, lin. 24]: Post verbum « demandato » addatur: « *exclusis Nuntiis et Delegatis Apostolicis* » (*9 Patres*)

[118] vel dicatur: « *De iure tamen ad Conferentiam non pertinent Nuntii et Delegati Apostolici qui, sicut ceteri Episcopi titulares ad eandem vocari possunt si Conferentia id decreverit* » (*151 Patres*).

R. — Quamvis hae additiones non sint omnino necessariae, quia Pontificii Administri inter Ordinarios loci non accensentur et singulari funguntur officio, tamen votum ex parte admissum est,
[119] id est, expresse declaratur eosdem non esse de iure membra Conferentiae.

18 — Pag. 86, lin. 25 [pag. 106, lin. 26]: Addatur: « *Statutis Conferentiae ita decernentibus, delegati Coetus Superiorum Religiosorum cooptari possunt in Conferentiam, cum suffragio consultivo.*

Ratio: Haec valent praesertim in locis missionum ubi maior pars cleri ad Religiosos pertinet. Cf. etiam cann. 282 et 286 CIC (*11 Patres*).

R. — Nil impedit quominus Conferentia id decernat.

19 — Pag. 86, linn. 26-27 [pag. 106, linn. 30-31]: Non detur coadiutoribus suffragium deliberativum (*1 Pater*).

R. — Non admittitur quia maioritate requisita suffragiorum a Patribus textus approbatus est.

20 — Pag. 86, linn. 26-31 [pag. 106, linn. 30-34]: Statuatur: « *Omnibus Episcopis, locum in Conferentia habentibus, suffragium deliberativum competit* ».

Ratio: Sunt enim eiusdem dignitatis (*62 Patres*).

R. — Non admittitur quia maioritate requisita suffragiorum a Patribus textus approbatus est.

Ad 3)

21 — Pag. 86, linn. 33-34 [pag. 106, linn. 36-37]: Loco « Ab Apostolica Sede recognoscenda » dicatur: « *Ab Apostolica Sede approbanda* ».

Ratio: Claritatis gratia (*2 Patres*).

R. — Non admittitur quia maioritate requisita suffragiorum a Patribus textus approbatus est.

Ad 4)

22 — Pag. 86, linn. 39-41, pag. 87, linn. 1-8 [pag. 107, linn. 1-11]: Propositio emendetur ratione sequenti: « *Decisiones Conferentiae Episcoporum numquam vim habeant iuridicam, nisi ab Apo-*

stolica Sede hoc statutum fuerit pro unaquaque materia et singulis vicibus » (2 *Patres*). [119]

R. — Non admittitur quia maioritate requisita suffragiorum a Patribus textus approbatus est.

23 — Pag. 86, lin. 41 [pag. 107, lin. 3]: Post verba « ... suffragiorum Praesulum ... » addatur: « *praesentium et voto deliberativo fruentium* ». [120]

Ratio: absonum est requirere suffragium absentium quia saepe difficile in territoriis magnae extensionis, ubi multi Praesules adesse nequeunt Conferentiae. Etiam in Concilio Oecumenico sufficit suffragium praesentium (*16 Patres*).

R. — Non admittitur quia maioritate requisita suffragiorum a Patribus textus approbatus est.

24 — Pag. 86, linn. 40-41 [pag. 107, linn. 2-3]: Loco « per duas saltem ex tribus partibus ... », dicatur « *per quattuor saltem ex quinque partibus* ».

Rationes: Id plenius consulit libertati Episcoporum in propria dioecesi. Non valet comparatio cum ordine statuto in Concilio Oecumenico ubi auctoritas Romani Pontificis ad universam Ecclesiam se extendit (*3 Patres*).

R. — Non admittitur quia maioritate requisita suffragiorum a Patribus textus approbatus est; attamen nil impedit quominus Conferentia quaedam id statuat, cum textus noster dicat: « saltem ».

25 — Pag. 87, linn. 1-8 [pag. 107, linn. 1-11]: Quoad vim iuridicam decisionum, propositum est: *a*): Loco: « Ius commune id praescripserit » dicatur: « *Ius commune aut statuta ipsius Conferentiae id praescripserit* » quia non est necesse multiplicare recursus ad Sanctam Sedem; casus possunt determinari semel pro semper in statutis, ab Apostolica Sede recognoscendis (*58 Patres*).

b) Addatur clausula: « *Per suffragia secreta* », ad tuendam Episcoporum libertatem (*3 Patres*).

c) Post « A Sancta Sede recognitae » addatur: « *nisi in negotiis minoris momenti determinatis a Sancta Sede* » (*1 Pater*).

d) Loco: « Ab Apostolica Sede recognitae » ponatur: « *Ab Apostolica Sede exsecutioni mandatae fuerint* » quia clare asserendum est auctoritatem Conferentiae non erui a Collegialitate sed eius totam vim iuridicam pendere ab una Apostolicae Sedis auctoritate (*2 Patres*).

e) Post verba: « dumtaxat in quibus » omittantur verba: « aut ius commune id praescripserit », et post verba « Motu pro-

[120] prio » omittatur phrasis: « ad petitionem ipsarum Conferentiarum datum », ob eandem rationem supra expositam (*1 Pater*).

f) Supprimantur verba: « Motu proprio aut ad petitionem ipsarum Conferentiarum datum » ut satius consulatur libertati Episcoporum (*1 Pater*).

[121] *g*) Deleatur: « aut ad petitionem ipsarum Conferentiarum » ut consulatur auctoritati et libertati Sanctae Sedis (*2 Patres*).

h) Addatur novus casus: « *Vel urgentissima causa boni communis* (de qua similiter decernat Conferentia per duas saltem ex tribus partibus suffragiorum) *exigat actionem vel declarationem communem antequam peti possit speciale mandatum Sanctae Sedis* » (*3 Patres*).

R. — Hi omnes modi videntur contra textum a Patribus approbatum maioritate requisita suffragiorum.

26 — Pag. 87, lin. 8 [pag. 109, lin. 11]: Addatur: « *Consulto tamen bono Praesulum non consentientium* ».

R. — Satis consultum est unanimitati obtinendae sive per numerum perexiguum argumentorum definiendorum, sive per magnum numerum suffragiorum praerequisitorum.

Ad 5)

27 — Pag. 87, lin. 12 [pag. 107, lin. 15]: Addatur in fine: « *Salva independentia dioecesis in suo regimine pleno* ».

Ratio: Ut vitetur periculum intermissionis seu indebiti interventus (*2 Patres*).

R. — Non est ad rem.

Ad 6)

28 — Pag. 87, linn. 16-24 [pag. 107, linn. 19-27]: Addatur eadem commendatio Praesulibus latinis ubi plures Ritus simul exsistunt (*3 Patres*).

R. — Licet id sit optandum tamen non est necesse exponere cum rari sint casus.

II – Provinciarum Ecclesiasticarum circumscriptio et regionum ecclesiasticarum erectio

AD NUM. 39 [*Principium de recognoscendis circumscriptionibus*].

29 — Pag. 87, linn. 29-30 [pag. 107, linn. 32-33]: Deleantur verba: « Immo et regionum ecclesiasticarum suadet erectionem ».

Rationes: Erectio regionum minuit momentum Provinciarum ecclesiasticarum; sufficit istarum limites recognoscere (*2 Patres*). [121]

R. — Per se est contra textum a Patribus approbatum maioritate requisita suffragiorum, ceterum verbum « suadet » obligationem non urget.

AD NUM. 40 [*Normae servandae*]. [122]

Ad 1)

30 — Pag. 88, linn. 5-7 [pag. 108, linn. 7-9]: Omittantur verba « et iura ac privilegia Metropolitarum novis normis definiantur ».

Ratio: Ne interponantur obstacula inter Episcopos suffraganeos et Sanctam Sedem (*3 Patres*).

R. — Est contra rei substantiam a Patribus probatam; ceterum hic nec dantur normae nec dicitur quo sensu definienda iura ac privilegia.

31 — Pag. 88, linn. 5-6 [pag. 108, linn. 7-9]: Praeter iura et privilegia, definiantur etiam « munera et onera Metropolitarum »; illa enim non dantur nisi intuitu istorum.

R. — Non est necesse, quia res sunt coniunctae.

32 — Pag. 88, lin. 7 [pag. 108, lin. 9]: Post « definiantur » addatur: « *quin tamen augeantur* ».

Rationes: Quod attinet ad vigilantiam dioecesium sufficiunt Nuntii et Delegati Apostolici; quoad ampliores accipiendas decisiones, aptius sumi possunt a Conferentia Episcopali; plura iura et munera non prosunt principio subsidiarietatis (*7 Patres*).

R. — Est contra rei substantiam a Patribus probatam, quatenus delimitat quod probatum est sensu universali. Cf. etiam responsum ad n. 30.

Ad 2)

33 — Pag. 88, linn. 11-19 [pag. 108, linn. 13-21]: Aboleantur omnia a verbo: « Proinde dioeceses ... ».

Ratio: Immediata subiectio Apostolicae Sedi est signum distinctionis et honoris dioecesi tributum ob acquisitas benemerentias (*5 Patres*).

R. — Non admittitur quia maioritate requisita suffragiorum a Patribus textus approbatus est.

34 — Pag. 88, lin. 12 [pag. 108, linn. 13-14]: Post: « proinde dioeceses » inseratur: « *nisi specialia aut peculiaria adiuncta vel*

[122] *condiciones locorum aut temporum, iudicio Sanctae Sedis, aliter exigant ».*

Ratio: Aliquando haec immediata subiectio potest esse logica solutio ad bonum animarum satius provehendum (*4 Patres*).

[123] R. — Provisum in textu per verba: « Pro regula habeatur » et: « si id fieri possit ».

35 — Pag. 88, linn. 11-12 [pag. 108, linn. 13-14]: Loco « proinde dioeceses » dicatur: « *Exoptat proinde Sacra Synodus ut dioeceses* ».

Ratio: Immediata subiectio habenda tanquam quaedam reservatio a Sancta Sede peracta; quapropter non imperanda sed postulanda (*1 Pater*).

R. — Uti supra.

36 — Pag. 88, linn. 13-19 [pag. 108, linn. 15-21]: *a*) Loco « sunt subiectae » dicatur: « *quae nunc ad Apostolicam Sedem immediate sunt ordinatae* ».

b) Loco « sunt subiciendae » dicatur: « *ad ius metropoliticum Archiepiscopi sunt ordinandae* ».

Ratio: Verba subiectionis sonant iuridismum et hodiernis temporibus minus apta (*1 Pater*).

R. — Non convenit mutatio.

37 — Pag. 88, lin. 19 [pag. 108, lin. 20]: Addatur: « Salvo iure dioecesium regionis Latii » (*2 Patres*).

R. — Est contra textum a Patribus approbatum maioritate requisita suffragiorum.

AD NUM. 41 [*Conferentiarum Episcopalium votum exquirendum*].

38 — Pag. 88 [pag. 108]: Omittatur totus articulus.

Rationes: Amplior potestas Conferentiae Episcoporum, praesertim in regionibus missionum, ansam praebet abusibus regionalismi, linguismi, tribalismi etc. Rem de Provinciarum circumscriptione ac de Regionum erectione utilius decernit Sancta Sedes, cooperantibus Pontificiis administris et Episcopis, quorum interest (*3 Patres*).

R. — Non admittitur quia maioritate requisita suffragiorum a Patribus textus approbatus est. Attamen immutata sunt verba « quaestioni ... studeant » hoc modo « quaestio*nem* ... *examini subiciant* » ut textus congruens sit cum alio textu n. 24 schematis.

III – Episcopi munere interdioecesano fungentes [124]

AD NUM. 42 [*Peculiarium officiorum constitutio et cooperatio cum Episcopis*].

39 — Pag. 88 [pag. 108-109]: Deleatur totus numerus (*1 Pater*).

R. — Non admittitur quia maioritate requisita suffragiorum a Patribus textus approbatus est.

40 — Pag. 88, linn. 32-37, pag. 89, linn. 1-2 [pag. 108-109]: Deleatur prima periodus a: « Cum necessitates ... » usque ad « committi possunt ».

Ratio: Haec munia interdioecesana actionem pastoralem Episcoporum coarctant, quia Episcopi his fungentes, suum videndi modum imponere praesumunt, qui saepe regimini dioecesano contradicit (*1 Pater*).

R. — Non admittitur quia maioritate requisita suffragiorum a Patribus textus approbatus est.

41 — Pag. 88, lin. 35 [pag. 109, lin. 1]: Deleatur adverbium « communiter ».

Ratio: Pastorale munus exercetur ab unoquoque (*2 Patres*).

R. — Admittitur modus.

AD NUM. 43 [*Vicariatus Castrenses*].

42 — Pag. 89 [pag. 109]: Determinetur positio iuridica Vicarii Castrensis et cappellanorum militum atque relativis praescriptionibus canonicis sanciatur: e. g. dicatur: « *Vicarius Castrensis Apostolicae Sedi sit immediate subiectus et eius iurisdictio in militum cappellanos sit immediata et exclusiva; ut militum cappellani, expleto munere iterum iurisdictioni Ordinarii proprii subiciantur, firma manente obligatione Vicarii Castrensis honestae cappellanorum sustentationi consulendi* (*1 Pater*).

R. — Provisum est quoad substantiam per Instructionem de Vicariis Castrensibus a S. Congregatione Consistoriali die 23 aprilis 1951 editam, atque per alia documenta, praesertim Decreta erectionis singulorum Vicariatuum Castrensium. Plenius providebitur in novo Codice I. C.

[125] MANDATUM GENERALE

AD NUM. 44

43 — Pag. 89 [pag. 109-110]: In textu Mandati generalis declaretur quaenam Auctoritas conficere debeat varia directoria; in his conficiendis mens exquiratur Sacrae Hierarchiae nationum vel regionum quarum interest (*2 Patres*).

R. — Commissiones postconciliares id statuent, cum Mandatum nequeat ad particularia descendere.

44 — Pag. 89 [pag. 109-110]: Inutilia videntur mandata, quia res praescriptae ad Sanctam Sedem pertinent; loco « mandat » dicatur: « *exoptat S. Synodus* » (*2 Patres*).

R. — Non eadem sentit Sancta Synodus; quapropter non convenit mutatio.

45 — Schema de solo Codice latino loqui videtur, semper de Orientalibus silet (*1 Pater*).

R. — Semper de Orientalibus dicitur quoties possibile est eadem decernere pro universa Ecclesia; ceterum pro Orientalibus Ecclesiis decretum proprium exstat.

46 — *a*) Addatur Appendix quae contineat argumenta et lineamenta nonnullarum legum in novum Codicem, et normarum in Directoria inserendarum (*1 Pater*).

b) Addatur in calce schematis « Appendix septima » quae in praecedenti schemate « De cura animarum » exstabat.

Ratio: Haec enim Appendix ut prae oculis habeatur in conficiendis Directoriis nationalibus praescribitur (cf. notam 5 schematis) et utilissima aestimatur (*55 Patres*).

R. — Commissio postconciliaris praesto erit ad omnia documenta suppeditanda.

47 — Pag. 90, linn. 2-3 [pag. 110, linn. 5-6]: Loco « Deque elaboratione librorum ad rem pertinentium » dicatur: « *Deque normis ad elaborandos libros ad rem pertinentes* ».

Ratio: Ut clarius appareat non agi hic tantum de catechismo unico, sed etiam de ceteris Directoriis. Etenim catechismus unicus in magnis nationibus non paucas affert difficultates (*3 Patres*).

R. — Textus sufficienter clarus videtur.

EMENDATIONES A COMMISSIONE ADMISSAE [126]

QUAE APPROBATIONI PATRUM PROPONUNTUR

AD NUM 38

1 — Pag. 86, lin. 14 [pag. 106, lin. 15]: « munus suum *pastorale* ».

2 — Pag. 86, lin. 25 [pag. 106, linn. 26-28]: Addita est nova propositio: « *Ceteri Episcopi titulares necnon, ob singulare quod obeunt in territorio officium, Legati Romani Pontificis non sunt de iure membra Conferentiae* ».

3 — Pag. 86, lin. 39 [pag. 107, lin. 1]: Loco « *Conferentiarum* » dicitur: « *Conferentiae* ».

4 — Pag. 87, lin. 7 [pag. 107, lin. 10]: Loco « *ipsarum Conferentiarum* » dicitur: « *ipsius Conferentiae* ».

AD NUM. 41

5 — Pag. 88, linn. 25-27 [pag. 108, linn. 28-30] loco « quaestio*ni* ... *studeant* » dicitur « quaestio*nem* ... *examini subiciant* ... ».

AD NUM. 42

6 — Pag. 88, lin. 35 [pag. 109, lin. 1]: Ablatum est « *seu communiter* ».

AD NUM. 43

7 — Pag. 89, linn. 14-15 [pag. 109, linn. 17-18]: Propositio ita mutata est « ... in unaquaque natione erigatur, *pro viribus,* Vicariatus Castrensis. *Tum Vicarius tum* cappellani in concordi ... ».

8 — Pag. 89, lin. 18 [pag. 109, linn. 21-22]: « Quare Episcopi dioecesani *Vicario* Castrensi ... » loco « Ordinario Castrensi ».

QUAESITUM

An placeat expensio facta a Commissione de Episcopis et dioecesium regimine circa modos Caput III schematis Decreti « De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia » spectantes.

2 – VARIATIONES IN TEXTU SCHEMATIS DECRETI ET IN RELATIONIBUS GENERALIBUS A COMMISSIONE CONCILIARI DE EPISCOPIS ET DIOECESIUM REGIMINE PROPOSITAE *

MUTANDA IN TEXTU SCHEMATIS DECRETI
cf. pp. 13-14 n. 5

Textus prior	*Textus novus*
5. [*Coetus seu Consilium Centrale*]. Cum universale Summi Pontificis munus maiores in dies auxilii et praesidii vires exposcat, Sacrosancti Concilii Patres magnopere exoptant ut aliqui Episcopi diversarum orbis regionum, Supremo Ecclesiae Pastori validiorem praestent adiutricem operam, modis tamen et rationibus ab Ipso opportune statuendis, etiam, *si Eidem placuerit,* in Coetum seu Consilium quoddam convenientes, *quo simul significari possit omnes Episcopos sollicitudinis universae Ecclesiae participes esse.*	5. [*Consilium seu Synodus Episcoporum*]. **Episcopi e diversis orbis regionibus selecti, modis et rationibus a Romano Pontifice statutis vel statuendis, Supremo Ecclesiae Pastori validiorem praestant adiutricem operam in Consilio, quod proprio nomine** ***Synodus Episcoporum*** [1] **appellatur, quae quidem, utpote totius catholici Episcopatus partes agens, simul significat omnes Episcopos in hierarchica communione sollicitudinis universae Ecclesiae participes esse.**[2]

* Hoc folium typis impressum Patribus distributum fuit in congregatione generali 137, die 28 septembris 1965.

[1] Cf. PAULUS VI, Motu Proprio *Apostolica Sollicitudo,* 15 sept. 1965.

[2] Cf. CONC. VAT. II, Const. Dogm. *de Ecclesia* n. 23: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 27-28.

ADDENDA IN RELATIONIBUS GENERALIBUS

I – In Relatione Generali de Prooemio et de Capite I textus emendati schematis Decreti « De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia » in pag. 21, linea 22, post verba: « mutatio habeatur » addantur verba sequentia:

In n. 5 schematis proponebatur constitutio Coetus seu Consilii Centralis Episcoporum, quod Supremo Ecclesiae Pastori validiorem praestaret adiutricem operam.

Nunc autem quod Sacrosancti Concilii Patrum et in primis Commissionis nostrae magnopere erat in votis, Ipsi Beatissimo Papae Nostro PAULO valde placuit, Qui perficiendum votum benigne voluit et auspicatissimo Motu Proprio *Apostolica Sollicitudo,* diei 15 septembris 1965, stabile Episcoporum consilium pro Ecclesia universa sapientissime erexit ac constituit, quod nomine proprio « *Synodum Episcoporum* » appellavit.

Quapropter Supremo Ecclesiae Pastori et Patri amantissimo iterum iterumque gratias agimus et magnopere gaudemus quod in quaestione tanti momenti clare manifestatur perfecta inter membra Collegii Episcoporum eiusque Caput animorum coniunctio.

Cum autem haec omnia feliciter evenerint, Commissio Conciliaris de Episcopis et dioecesium regimine aliquatenus mutandum esse censuit textum numeri 5 ipsius schematis Decreti, et novam formulam proponit suffragationi Patrum Conciliarium, quae in folio adnexo habetur.

II – In Relatione Generali de Capite II, pag. 63, lin. 33, post verba: « quia de iure proprio agitur », addenda est haec nova propositio:

Clarum est in integro textu paragraphi quartae numeri 35, pag. 56, lineis 17-34 sub nomine *Religiosorum* comprehendi simul *Religiosos exemptos et non exemptos,* prout iam edicitur in initio ipsius quartae paragraphi. Commissio tamen opportunum censet id repetere et expresse affirmare ne in posterum de hoc textu minus rectae interpretationes vel inutiles controversiae oriantur.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, videatis fasciculum qui continet modos a commissione conciliari de episcopis et dioecesium regimine examinatos circa schema decreti *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.* Quemadmodum heri praenuntiavi, crastina incipiet suffragatio circa hos modos. Et suffragatio, ut moris est, ita procedet: impri-

mis erit circa cap. I relatio, quam vos videtis impressam in hoc fasciculo; deinde supponentur suffragationi quaesita particularia circa cap. I, quae vos videre potestis pag. 31. In libello sunt quinque quaesita particularia. Sed post editum Motu Proprio *Apostolica Sollicitudo,* commissio censuit adiiciendum esse alium modum qui respicit praecise Consilium seu Synodum Episcoporum; et hunc modum vos potestis legere in folio quod hodie distribuitur vel iam distributum est vel in eo est ut distribuatur. Et est numerus 5. In eodem folio habentur aliquae additiones seu variationes etiam quoad ipsas relationes faciendas relativas praecise ad hanc novam rationem proponendi. In folio vos videre potestis. Bene!

Suffragatio circa modos fit tantum per duplicem formulam: *placet* vel *non placet.* Nam non potest intelligi *placet iuxta modum* super modis; secus haberetur processus in infinitum.

Postquam omnes modi super cap. I suffragationem habuerint, si exitus fuit pro omnibus positivus, iuxta *Ordinem Concilii celebrandi,* tunc proponitur quaesitum generale circa cap. I, quod potestis videre in pag. 33. Et quaesito generali fit approbatio cap. I.

Haec omnia fient crastina. Sequenti die, suffragationi subiicientur alii modi qui respiciunt cap. II, et quaesita circa cap. II vos potestis videre in pag. 97. Quaesita particularia sunt septem; et sequitur, ut in cap. I factum est, quaesitum generale, quod quaesitum generale est semper subordinatum approbationi modorum.

Denique, quoad cap. III, videatis pag. 126: habetur tantum unum quaesitum, nam Commissio non censuit necessariam propositionem quaestionum particularium. Et quaesitum habebitis in pag. 126.

Haec omnia fient tribus diebus nostrae hebdomadae, scil. feria IV, feria V et feria VI, ita ut feria VI possit haberi tamquam omnibus suffragationibus subiectum totum schema, vel potius modi respicientes illud schema, et per consequens, si modi fuerint positivi, totum schema.

Deinde pendet a moderatoribus videre utrum schema ita positive suffragiis subiectum debeat integrum suffragationi Patrum supponi. Hoc non est necessarium, sed *Ordo Concilii celebrandi* tribuit facultatem moderatoribus hanc aliam suffragationem exquirendi.

Crastina igitur habebitur suffragatio modorum circa cap. I iuxta rationem explicatam. Gratias.

PATRUM ORATIONES

(*De Ecclesia in mundo huius temporis,* pars I)

1

BEAT.MUS P. D. IGNATIUS PETRUS XVI BATANIAN
Patriarcha Ciliciae Armenorum

Venerabiles Patres,

Laudanda videtur mihi methodus, quam commissio secuta est in expositione introductiva et in prima parte schematis constitutionis pastoralis *de Ecclesia in mundo huius temporis.*

Alloquens mundum huius temporis, Ecclesia considerare debet imprimis facta, condiciones materiales et temporales necnon varias circumstantias, in quibus versatur homo, ea intentione ut, aptis suppeditis remediis, possit illum adiuvare, sanare, eique viam indicare sese ad Deum elevandi.

Haec fuit ratio agendi Christi Domini, sicut apparet ex sermonibus et parabolis eius in Sancto Evangelio.

Haec est via perveniendi ad cognitionem Dei, iuxta illud S. Pauli ad Romanos ...[1]: « Invisibilia autem ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur ».

Haec est via, quam saepe sequitur S. Thomas. Loquens, v. g., de convenientia numeri septem sacramentorum, ipse procedit ex consideratione vitae naturalis hominis.

Haec eadem via familiaris erat Pio XII, felicis recordationis, qui, quoscumque coetus hominum alloquens, artem possidebat sublimem, considerando terram, ad caelum aspiciendum invitandi.

Ad introductivam expositionem quod attinet, videtur quod ipsa sit nimis prolixa et analytica. Et hoc quidem in tota prima parte observatur. Reducendo hanc introductionem ad formam syntheticam, plurima alia problemata mundi huius temporis, non minoris momenti, citari possent et brevissime tractari, sicut aliqui Patres iam notaverunt.

Inter problemata, quorum citatio postulata est, reputo necessarium adiungere sic dictam « Ethicam situationum » quae tamquam gravissima deviatio temporis nostri consideranda est, quia, etsi non neget legem Dei et dictamen conscientiae, illa tamen practice destruit; eximit enim hominem ab obligatione observandi et sequendi ea.

Praeterea, haec introductio, utpote summarium doctrinae exposi-

tae, iam indicare debet non solum problemata huius temporis, sed etiam principium solutionis illorum.

Hoc autem principium est Christus, cuius nomine Ecclesia alloquitur mundum, quia « per ipsum, et cum ipso, et in ipso ... est omnis honor et gloria ».

Ideo opportunum videtur breve verbum facere, in fine huius introductionis, de efficacitate virtutis Christi in allocutione Ecclesiae mundo huius temporis. Hoc modo possibile erit forsan supprimere, in prooemio partis primae, pag. 12, linn. 1-19.

Ad textum quod attinet, liceat mihi addere quasdam animadversiones:

1. Consideratis rationibus allatis ab exc.mo Morcillo et ab aliis Patribus, puto quod titulus « constitutio pastoralis » non conveniat nostro schemati. Mihi videtur quod schema, prae oculis habito eius obiecto, convenientius poterit intitulari: « Allocutio Ecclesiae mundo huius temporis ».

2. Pag. 8, n. 7, linn. 25-28, dicitur: « Instituta vero, leges atque modi cogitandi et sentiendi a maioribus tradita non amplius statui rerum hodierno bene aptantur ». Nimis gravis et severa videtur haec categorica et generalis assertio, et quasi reiectio sonat, quae a Concilio fit.

Forsan melius esset dicere: « *Aliqua* vero instituta, etc. ... non amplius statui hodierno rerum bene *aptari videntur* ».

3. Pag. 32, linn. 27-30, dicitur: « Huiusmodi autem conflictationes et falsae sententiae circa concordiam inter res fidei et scientiarum *interpretationes,*[2] in adiunctis sui temporis consideratae, non ita operose explicantur, neque errores exclusive catholicorum fuerunt ».

In hac dictione, ultima verba « neque errores exclusive catholicorum fuerunt » videntur aliquo modo aequivoca: possunt enim significare quod maior pars errorum attribui debeat catholicis.

Nec haec verba conformia sunt textui gallico, ubi non dicitur « errores », « falsae sententiae », sed « ces heurts, ces manières erronées », quorum traductio debuisset esse, ni fallor: « conflictationes, modi erronei ».

Praeterea, verba « scientiarum interpretationes » possuntne significare « les hypothèses scientifiques »?

Demum, cur haec expressio negativa « non ita operose explicantur » ad dicendum « ils s'expliquent assez facilement »? Nonne clarius esset affirmare: « sat facile explicantur »?

Nonnulla alia citari possent exempla, in quibus versio gallica non respondet textui latino, vel potius versio latina non respondet textui originali, qui gallice primum exaratum videtur.

Hae animadversiones linguisticae et stylisticae confirmant id quod aliqui Patres iam dixerunt circa necessitatem recurrendi ad textum gallicum, ut textus latinus intelligatur.

4. Tandem, eadem pag. 32, linn. 41-43, ad roborandam assertionem « Immo per oblivionem Dei ipsa creatura obscuratur », citantur verba Indii cuiusdam sapientis.

Etsi sapientia Indiorum magnam considerationem mereatur, puto tamen magis convenire Concilio nostro haurire ex Sacra Scriptura et ex scriptis Patrum Ecclesiae similes citationes, quae certo non desunt. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] 1, 19. [2] interpretationem.

2

EXC.MUS P. D. EMMANUEL LLOPIS IVORRA
Episcopus Cauriensis-Castrorum Caeciliorum

Venerabiles Patres,

In schemate constitutionis pastoralis *de Ecclesia in mundo huius temporis,* pag. 24, linn. 9-14, invenimus: « Item reverentia pro persona exposcit ut " ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur ". Gaudium igitur offerunt populi Dei illae nationes, quae ius ad libertatem religiosam, tam " individualem " quam " collectivam ", ut quoddam elementum constitutivum boni communis considerant. Veritas, quae Christus est, non per vim imponitur, sed propter se ipsam libere amatur ».

Textui exarato aliqua adderem, aliqua auferrem et sic definitive remaneret: « Item reverentia pro persona exposcit ut " ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur ". Can. 1351 dicit: « sic enim actus quo recipitur fides catholica semper remanet liber, ideoque et merito dignus. Veritas, quae Christus est, non per vim imponitur, sed propter se ipsam libere amatur ».

Venerabiles Patres conciliares, vigilanti verbo utique semper deliberationibus nostris Concilium hoc Oecumenicum procedere debet ut res omnes magis elucescant. Sed etiam omnem confusionem, quae problemata obnubilat, vitare tenemus.

Hinc nempe, in quaestione « de hominum communitate », in cap. II schematis agitata, constitutio nostra pastoralis *de Ecclesia in mundo huius temporis* respicit « reverentiam personae humanae exhibendam »

— n. 21 — et de ipsa sermonem faciens, de libertate personae in libertatem religiosam transit.

Hoc non plaudo. Dicamus enim de libertate personae ut eius actus vere liberi et meritorii sint et suo altero loco, seu schemate « libertatem religiosam », proprie dictam, relinquamus.

Attente, ergo, considerate *rationes*:

1. « Reverentia pro persona exposcit ut " ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur ". Gaudium *igitur* offerunt populi Dei illae nationes ... » etc.

Consequens legitimum non est; sequentia ergo sunt reiicienda. Ex eo quod reverentia personae suadeat ipsam non invitam trahere ad fidem catholicam, non concludere debemus libertatem omnimodam religiosam bonum aliquid esse; sed statuimus voluntarium seu immunitatem a coactione ut remaneat liber actus religionem suscipiens, et ita meritorius evadat. Violentum aufert et libertatem et meritum. Actus positus sub coactione violenta dignus praemio non est. Si quis invitus cogeretur ad amplexandam fidem catholicam bene non mereret, dum sub influxu coactionis ageret.

Hinc legislator — can. 1351 — principium libertatis statuit ut referat meritoriam eodem pacto acceptationem fidei catholicae esse. Sed pari modo non vult legitimare, sine limite, omnimodam libertatem religiosam, minus autem gaudere de acceptatione libertatis religiosae si ipsa provocaret aversionem a veritate et conversionem ad errorem.

2. « Ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur ». Transeat; sed quid dicendum si terminos propositionis contravertimus et dicimus: « ad reiiciendam, seu renuendam fidem catholicam nemo invitus cogatur »? Quando vero fideli cuidam catholico proponimus « libertatem religiosam », ipsum qui iam fidem veram habet, quasi cohibemus ut fidem catholicam veram reiiciat et accipiat alteram, erit libertas fallendi et ad perditionem.

3. Libertatem religiosam esse constitutivum elementum boni communis, ex integro accipere non possumus. Libertas religiosa est libertas adquirendi et profitendi veram religionem, seu fidem. Iam vero: relate ad veram fidem quilibet homo in uno ex duplici statu invenitur: agnoscitur et profitetur veram fidem aut non; si primum, libertas novam fidem profitendi erit libertas ad falsam fidem, quod quidem nullo modo bonum nec individuale, nec commune est; si postremum, i. e., si quis veram fidem nec agnoscit nec profitetur; immo si quamvis eius possessione fidelis sit vi cogitur ad illam non publice manifestandam, tunc et bonum individuale et commune est libertas religiosa ut omnes veram tantum et adquirant et confiteantur: homo ius habet ad veram fidem.

Ideo Christus nos docet: « Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae... Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur » (*Mc.* 16, 15).

His verbis Magister omnium, revelator a Patre et doctor novae et verae religionis non statuit libertatem religiosam ut quis remaneat indifferens seu liber ad religionem; sed eam imponit ut ius et obligationem.

Unde gaudium offerunt populi Dei illae nationes quae ius ad libertatem religiosam ut quoddam elementum constitutivum boni communis considerant... si illae nationes detinentur falsa religione, concedendum videtur; si nationes illae gaudent iam exoptata unitate verae fidei, nego: nullius est unitas fidei verae quam libertas falsam profitendi.

Attamen vestrae voluntati, quam libenter recipiam, omnia exposita submitto. Dixi.

3

EXC.MUS P. D. SERGIUS MÉNDEZ ARCEO
Episcopus Cuernavacensis

Patres conciliares,

Schema placet quidem, *sed*[1] adhuc perficiendum est hic in aula, opera actionis Spiritus Sancti, per discussionem conciliarem quae Sacramenti veritatis magisterii nostri culmen est.

Plura laudare possem eorum quae hic dicta sunt; sed tantum attentionem vestram revoco ad ea quae a card. Shehan et ab aliis Patribus conciliaribus proferebantur de anthropologia in schemate melius in luce proponenda.

De eodem quidem argumento, etsi alio sub aspectu, ampliori uti censeo, sequentia vobis humiliter submitto, nomine quorumdam episcoporum Americae Latinae, inter quos decem mexicani numerantur.

Prima pars etsi plura optima contineat, tamen substratum eius simpliciter et absolute sociologicum est cum facilius et securius synthesis facienda fieri posset incipiendo ab homine, non a circumstantiis hominis ...[2]

Imaginem vero hominis *hodierni*[3] subiecti revolutionibus psychologicae, oeconomicae, politicae et scientificae tentamus describere sequenti modo:

1. Homo suipsius conscius fit: *a*) profunditatum suae personalitatis ubi elaborantur prima germina conscientiae; *b*) cooperationis in creatione mundi novi et melioris; *c*) finis sui historici, promotionis, progressus, evolutionis *generalis*[4] et unitatis.

2. Homo socializatur ad melius procurandam et exaltandam dignitatem personae humanae et finem suum obtinendum.

3. Homo rationi submittit quidquid circa ipsum habet, quod mirifice apparet: *a*) in affirmatione intelligibilitatis mundi eiusdemque determinismi necnon relativitatis veritatis semper acquirendae; *b*) in technica et planificatione; *c*) in re religiosa, quia ratione impellitur a. ad desmythologizationem realitatum, etsi adhuc mythos sibi efformet non paucos; b. *unde* [5] ad reevalutationem consequentem problematis Transcendentis et Absoluti *pervenit.*[6]

4. Consequenter homo accelerat historiam.

Coram realitate enim hominis, activitas Ecclesiae in proclamatione Evangelii initium ducere debet ab accurata solutione duorum problematum, nempe: *a*) Quid est hic homo? Nam impossibile omnino est incipere et evangelizationem perficere, quin huic fundamentali quaestioni respondeatur. Solutio in linea interpretationis personalisticae hominis invenienda esset, sicut proposui supra.

Secundo,[7] quaenam est positio hominis coram Absoluto? I. e., Evangelizatio debet initium sumere non a praesupposito atheismo tanquam facto collectivo, sed a praecisa cognitione substantialis positionis hominis actualis coram Absoluto et Transcendente. Hoc maximi momenti est; schema enim — *ut opinor* [8] — exaggerat cum loquitur de atheismo ac si atheismum praecise radicaliter phaenomenon mundi hodierni esset characteristicum. Melius deberet loqui de reevalutatione Transcendentis et Absoluti, quae in non paucis casibus in Atheismum deviatur.

Ex defectu perspectivae anthropologicae deest nexus intrinsecus inter primam partem et introductionem, qui nexus inesset si profundius et systematice quaereretur: quid est homo? ...[9]

Praeter alia quae scripta ad secretariam mitto, quaestio maximi momenti est,[10] usque nunc a nemine hic in aula considerata, quam magni pretii vobis, Patres conciliares, proponere duco.

Defectus perspectivae anthropologicae sub qua, quid est homo hodiernus systematice quaerendum esset, ineluctabiliter duxit auctores schematis ad silentium tam mirum, tam altum, ut inexplicabile prorsus mihi appareat, problematis characteristici, si quod est, hominis hodierni, ad ignorantiam dico « psychologiae profunditatum », « psychoanalysis » scilicet.

Psychoanalysis vero, tanquam scientia veri nominis iam hodie se praebet, cum obiecto, methodo et theoria sibi admodum propriis. Profecto haec scientia non est plene matura et adhuc hodie pericula implicat quae attente oportet considerare; non ideo *tamen* [11] possumus ignorare « revolutionem psychoanalyticam », quae non minor est quam

revolutio vel mutatio technica. Genialis adinventio Sigismundi Freud similis aestimanda est adinventionibus Copernici vel Darwin.

Prae oculis habeamus, Patres conciliares, eius obiectum, subiectum nempe inconscium, in unoquoque nostrum esse, in unaquaque activitate humana, tam religiosa, quam culturali, quam oeconomica, quam politica, sese manifestare et, velimus, nolimus, efficacissimum suum influxum exercere.

Alia ex parte sermo analyticus semel pro semper inter elementa culturae humanae locum acquisivit et renovationem imponit conceptionis hominis et quaestiones suscitat de quibus in anteactis temporibus nec suspicio oriebatur.

Ecclesia quidem, etiam propter dogmatismum antichristianum quorumdam analystarum, positionem assumebat quae in memoriam revocat historiam Galilei; sed nullus est campus pastoralis activitatis ubi psychoanalysis non prae oculis habenda sit et de facto a multis iam nunc prae oculis habeatur.

Interventiones Ecclesiae, quia nimis alienae et diffidentia imbibitae, usque nunc nullum influxum habuerunt in cultores huius scientiae. Non desunt quidem catholici qui mythum sibi efforment psychoanalysis christianae vel catholicae, cum vera scientia neque christiana neque non christiana revera sit.

Si ergo Ecclesia dialogum sincerum et plenum instituere vult cum hominibus hodiernis, ignorare nequit veri nominis et authenticos psychoanalystas, quos alloqui debet non quidem per mediatizationem moralistarum vel theologorum, sed directe et cum fiducia.

Magnum emolumentum inde etiam proveniet ex eo quod haec scientia secum fert methodum purificationis, quae valde iuvat homines quorum fides miscetur cum deviationibus psychologicis quae illam pervertunt vel inhibent.

Schema igitur nostrum sermonem etsi perbrevem de hoc aspectu peculiari hominis hodierni instituat ...[12]

Aliis omissis, perveniam ad conclusiones[13]:

1) Perspectiva anthropologica elementa optima schematis induantur.

2) Observationes singulae prae oculis habeantur, speciatim quae atheismum et psychoanalysim attinent.

3) Melius autem esset si priora capita primae partis in unum coalescerent sub perspectiva anthropologica.

4) Cap. IV servetur fere immutatum ...[14]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] at. [2] Circumstantiae etenim hominis praeterquam extrinsecae, perpetuo et multimodo incohaerenti fluxui obnoxiae sunt, dum

mutatio, a circumstantiis ipsis vel aliunde in homine operata, paulatim « imaginem novi hominis » integrat, unde circumstantias ipsas in ordinem sub hac perspectiva redactas intelligamus. [3] moderni. [4] universalis. [5] deest. [6] deest. [7] *b*). [8] deest. [9] Tunc responsio sicut diximus esset in loquela hominis hodierni: persona quae conscia fit suiipsius, quae socializatur, quae rationalizat quidquid circa ipsum habet, quae accelerat historiam. Haec quidem quaestio, quid est homo? initio cap. I habemus, sed responsio traditionalis datur insufficiens, quia non « aggiornata ». Homo quidem est « imago Dei »; sed « imago Dei » exigit se conscium fieri suiipsius. Conscius autem fieri requirit societatem, coniunctionem scil. cum aliis. Socializatio ergo via est ad conscientizationem. In cap. II de vita communitatis sermo quidem est, sed sine nexu cum conscientizatione, de qua schema tacet. Item in cap. I, n. 18 artificiose praeparatur sermo de atheismo, de quo in n. 19, qui revera in pluribus casibus magis reevalutatio Absoluti est quam negatio, sicut supra dictum est. In n. 20 schema abstinet a sublineatione characteris dynamici et cosmici Christi. [10] Cum hoc argumento intime connectitur alia quaestio maximi momenti. [11] deest. [12] Item pauperrima conceptio societatis praesentatur in c. II, quia tamquam exigentia naturae exhibetur, sed simul differens ab ipsa. Homo non est *in* societate; melius dicendus est socialis, immersus nascitur et crescit cum praeteritis, praesentibus et futuris hominibus, ope institutionum et structurarum socialium. Ideo intercommunicatio est valor in se ipsa, dum institutionum et structurarum socialium valor est relativus. Iam vero, si mediatio Institutionum est authentica, intercommunicatio hominum erit efficax, dum e contra institutiones non authenticae impediunt communicationem ideoque conscientizationem hominum.

Christus perfectam communicationem offert et est Ipse communio nostra, ideo pro nationibus, speciatim tertii mundi, unica spes certa promotionis Christus est.

Insuper, ex defectu perspectivae anthropologicae, schema totum et in specie cap. II, valde thomista sine renovatione apparet. N. 25 totum dualismum effert inter ordinem rerum et personarum, cum continuitas e conscientizatione effloreat et in Christo omnia recapitulentur.

In n. 26 deest ampla conceptio communitatis universalis. Communionem hanc homo nonnisi parvarum communitatum ope obtinetur; sed in Christo communio universalis possibilis unice est.

Nn. 28 et 29 tolerantiam redolent, dum varietas opinionum manifestatio fecunditatis et divitiarum humanarum est, qua varietate ad inventiones homo deducitur.

Aequalitas hominum, de qua in n. 30, non est, ut in schemate, quid staticum; sed aliquid « in fieri », exurgens ex actionibus quibus unus alteri se adaequat.

Paupertas fructus est inadaequationis structurarum et institutionum quae media sunt ad intercommunicationem. Christus solus, mediator authenticus et perfectus, a paupertate mundum liberat.

Tandem, ex defectu huius perspectivae de qua agimus, nonnisi caput III loquitur de veritatibus, quae prius exponenda essent, e. g.: de homine co-creatore.

Sed nn. 39-40 apologetici nimis videntur: *a*) quia videntur tantum contra oppositores statui; *b*) quia negatur separatio inter Ecclesiam et mundum, quae de facto existit, etsi doctrinae Ecclesiae contraria.

Optimi nn. sunt e contra 41-45, qui forte uniendi potius essent cum sequenti cap. IV, quod optimum etiam est, et utinam immutatum relinquatur, vel tantum perficiatur. [13] Conclusiones. [14] in I parte tanquam secundum.

4

Exc.mus P. D. PAULUS HNILICA
Episcopus tit. Rusaditanus

Venerabiles Patres,

Schema XIII de Ecclesia *huius* temporis inscribi omnes nostis; notetis, dicitur *huius* temporis! Nostris tamen diebus magna pars Ecclesiae noscitur sub oppressione atheismi militantis ...[1]. An vobis videtur ista conditio Ecclesiae in nostro schemate detegi posse?

Ideo[2] problemati atheismi dicari debet schema speciale, aut separatim edendum, aut schemati de missionibus includendum, *quia de problemate per excellentiam missionali agitur.*[3] Quod sane tempus exigit, sed historia nos non de quantitate schematum *et temporum*[4] iudicabit, sed de valore eorum, quae dixerimus et decreverimus, et quidem non ultimo in loco etiam de atheismo.

In his, quae a me dicentur, non theoria invenitur, sed experientia mea et episcoporum absentium propter iniuriam temporum ...[5]; sacerdotum et religiosorum, quos in carcere cognovi et cum quibus pondus et pericula Ecclesiae portavi et quorum mentem me pandere puto et cupio. Non odio, sed amore fratrum, Ecclesiae, persecutorum quoque ducor, ut loquar.

...[6] Ante omnia meminerint Patres tertiam partem mundi sub dominio atheismi inveniri et periculum exstare, ne totus mundus in eiusdem potestatem cadat, quod est in asseclarum atheismi votis, quodque ipsi per propagandistas innumeros et optime instructos et omnibus mediis melioribus, quae scientia et technica praebent, obtinere satagunt. Atheismus nostrorum temporum error gravissimus et morbus maximus humanitatis exsistit, qui omni, quod dicitur Deus et colitur, adversatur et *ideo*[7] problema principalius Concilii esse debet.

Non intendo de doctrina atheismi loqui, quae iam sat nota et condemnata est.[8] Sed statim ad remedia efficacia malo et periculo tam gravi opponenda transeo.

2. Remedia, dico, efficacia quaerere munus pastorale huius Concilii nos coget. Quae supernaturalia esse debent, quatenus natura atheismi eiusque vis secreta et diffusio quiddam praeternaturale pandunt ...[9]

Primum et generale remedium est ipsum Concilium, cuius scopus est, ut Ecclesia seipsam cognoscat, suam unitatem eiusque vim detegat et modum agendi erga illam tertiam partem mundi sub atheismo gementem determinet. Quinam erit hic modus agendi?

Erit modus agendi Domini Salvatoris, boni Pastoris, qui venit salvare, quod perierat et aegrotos egere medico et non sanos dixit ...[10].

Nos in hac sancta Synodo a Spiritu Sancto congregati spectaculum facti sumus angelis et hominibus. Usque huc spectaculum dedimus verae libertatis filiorum Dei. Sed mundus « *huius* » temporis, odio numeroque infinito litium teterrime divisus, vult Ecclesiam veram cognoscere. Quodnam signum verae Ecclesiae mundo « *huius* » temporis praebere debemus? Christus per os sui Vicarii in terris nobis *initio huius sessionis* [11] amorem et unitatem indicavit. En, quodnam signum Ecclesia mundo *huius* temporis monstrare debet!

Quae Christus Dominus in mandato amoris et in oratione unitatis [12] discipulis dedit: « Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem... Ex hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem » ...[13]

Et ita etiam [14] argumentum exsistentiae Dei clarius quam miracula, ... [15] signum unitatis: « Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint ut credat mundus, quia tu me misisti ». *Qui amor et unitas erunt* [16] quasi sacramentum quoddam praesentiae Christi Dei in medio nostrum, quia ubi duo vel tres in nomine eius congregantur, ibi ipse est in medio ...[17]. Haec est ratio et via, qua mundus converti potest.

Christus prius pro apostolis et pro eorum successoribus a Patre donum unitatis petiit, deinde pro illis, qui propter verba apostolorum credituri erant. Nos primi fidelibus unitatem monstrare satagamus et una cum fidelibus mundo ...[18]. Si nos, venerabiles Patres, sacerdotes et fideles nostri in effectum deducamus illa, quae Summus Pontifex in initio huius sessionis proposuit, unitatem scil. et amorem, hoc erit initium quoddam obitus atheismi.

Ego et mecum septies centum sacerdotes et religiosi in campo concentrationis et laboris vi adunati in atheismo corpus quoddam pseudomysticum Satanae cernebamus et intelleximus illi verum Corpus Christi Mysticum *vivum* [19] opponendum esse, in quo ex utraque parte fieri poterit una.

4. Alia remedia tamquam primi passus versus unitatem a Concilio iam ...[20] stabilita sunt. Loquor de unione collegiali episcoporum, ...[21] quae expressit unitatem Corporis Christi, *et* [22] de oecumenismo ...[23] Loquor adhuc de praesentia laicorum in Concilio et de muneribus, quae illis permultis in locis schematum ab hac Synodo indicantur ...[24]

Concilium pars electa Ecclesiae est, episcopos enim, ut pascerent gregem Dei, Spiritus Sanctus elegit. Sed idem Spiritus, ubi vult, spirat et etiam inter populum fidelem, *institutiones novas etiam recenter exor-*

tas tamquam[25] instrumenta actionis suae invenit, ut ex omnibus partibus omnia *membra*[26] in unitatem Corporis Christi redigat.

5. Ultimum remedium et motivum fiduciae in Cruce ponitur. Christus in Cruce mundum redemit, e Cruce Victor triumphavit. Sanguis Martyrum semen fuit christianorum. Ita certo certius sanguis et Crux Ecclesiae Gloria Dei, triumphus Ecclesiae, salus asseclarum atheismi erunt. Sine sanguinis effusione non fit remissio et « Ecclesia silentii », quae dicitur, implet in corpore suo ea, quae desunt passionum Christi.

Conclusionem petens, venerabiles Patres, ego etiam martyrium Ecclesiae vidi et expertus sum, mala ingentia ab atheismo Ecclesiae et animis illata cernebam, sed etiam fructuum et temporum bonorum spem concepi et vidi.

Spiritus Sanctus Ecclesiam in Concilium adunavit eo tempore, quo atheismus in cacumen pervenit, sed et momento, quo ipse declinari *incipiat.*[27]

Fructus, quos Ecclesia e Concilio accipit, passus, quos per Spiritum Sanctum efficit, in spem nos erigunt certam de triumpho Spiritus Sancti in mundo « *huius* » temporis. *Triumphus amoris et unitatis super atheismum et mundum universum.*[28] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] qui systemati politico-oeconomico et sociali innititur legumque vi et dolo mentibus civium imponitur. [2] Quae ibi de atheismo dicuntur, pauca sunt, illa tantum dicere idem est ac nihil dicere. De quo silentio historia nos vel de pusillanimitate vel de caecitate iuste accusaret. [3] deest. [4] deest. [5] de qua nobis sermo. [6] 1. Rationes ante omnia adducendae sunt, propter quas illa quae in schemate de atheismo dicuntur, non sufficiunt. [7] deest. [8] Ceteris rationibus optimis, quas alii Patres iam protulerunt, consentio, illas repetere minime intendo, neque de rationibus doctrinae catholicae ex actibus magisterii ordinarii ultimorum Summorum Pontificum sat notis disserere cupio. [9] Quae remedia certe certius praesto erunt, quia ratio agendi Providentiae ea est, ut unoquoque malo quod permittit, remedia opportuna provideat. [10] Eodem modo Concilium oves perditas quaerere debet. [11] deest. [12] 2. Remedium iam concretum et efficax est mandatum novum, quod Christus Dominus. [13] (*Io.* 13, 35). [14] 3. Aliud remedium a Christo Domino absoluta efficacia ditatum. [15] est. [16] (*Io.* 17, 21). Quae unitas erit. [17] (*Mt.* 18, 20). [18] Unitatem dico non quamlibet, sed illam quae est ad imaginem Sanctae Trinitatis. [19] deest. [20] anno elapso. [21] quam voce unanimi adprobavimus, quae unitatem, amorem mutuum, qui fratres adiuvat, statuit episcoporum totius mundi. [22] eam corroboravit communionemque vitae ditiorem effecit. Loquor. [23] qui nobis vias patefecit, quas per saecula imaginari non ausi sumus. [24] En, quomodo Spiritus Sanctus omnes vires Corporis Christi, quod est Ecclesia, in unum adunat, ut mundus salvetur. [25] deest. [26] deest. [27] incipit. [28] Si tamen nos non solum doctrinam affirmemus, sed etiam remedia et vias ad illa applicanda inveniamus. Quod est in votis et gratia Spiritus Sancti fieri potest ac debet.

5

Exc.mus P. D. FRANCISCUS MARTY

Archiepiscopus Remensis

Venerabiles Patres,

N. 19 schematis nostri de problemate atheismi pertractat. Quod ad Ecclesiae missionem spectat, hoc problema est unum e maioribus nostri temporis. Modus vero quo de ipso fit sermo sub hoc numero, satisfactionem non affert. Omnis enim quicumque cum atheistis conversatus est unquam, non illos agnoscet in ea praesentatione quae de ipsis proponitur. Quanto pro schemate in generali consentientes sumus, tanto per hunc n. 19 decepti sumus.

1. Quandocumque de atheismo textus redigitur, prae oculis habendus esset atheismus non quidem et primo qua systema est cogitandi, sed melius homines qui in concreto illum profitentur. Considerantes enim systema vel politica regimina in quibus incarnatur et quae christianos persequuntur, non possent illa non damnare. Considerantibus vero homines qui atheistas se esse profitentur, invitatio fit ad reverentiam necnon ad colloquium. Nonne forsan melior est via colloquii ut systema cogitandi percipiatur? In memoriam revocemus verba Ioannis XXIII in *Pacem in terris*: « Aequum est ut semper distinctio fiat inter errorem et illos qui eum committunt ... Homo qui in errore versatur humanum quid semper manet dignitatemque servat personae cui semper habendus est reverentia ».

Revera, atheista in praesenti nostro mundo — de atheista loquor, qui conscius est reflexionique deditus — se praebet velut humanistam qui hominem salvare vult eiusque transcendentiam inter terminos universi huius terreni. Quod autem positivista sit, aut marxista, vel existentialismo imbutus sive psychanalysi addictus, atheista non est homo qui systematice Deum neget. Quod vero recusat, est fides in Deum, quoniam talis fides sibi videtur illusio hominem minuens. Quod vero proponit positivo modo, vult esse nuntium salutis, ethica et spiritualitas quas ad liberandum hominem a servitutibus quae illum opprimunt, efficaciores asserit quam fuerant antiquae ethicae sub inspiratione religiosa.

In regione qualis est Gallia, quotidie christiani et atheistae se frequentant; nec est marxismus nisi pars quaedam componens atheismi latius expansi. Quod autem ad essentiales realitates attinet, raro inter christianos et atheistas colloquium inchoatur. Qui illum tentaverunt,

laici ac sacerdotes, sciunt quam difficile sit colloquium istud atque exigentiis plenum pro utraque parte in praesentiis.

Semper tamen, pro christiano, huiusmodi conventus cum atheismo in hominibus nempe concretis, ad maiorem fidelitatem est vocatio. Ut enim sit verus, talis concursus exigit purificationem fidei, et profundius studium eius contenti. Opus est ut melius distinguantur ad melius uniendum natura ac supernaturale, historia sacra ac historia profana, spes theologica ac spes terrena. Vel etiam ac melius, tota quaestio versatur ut hominibus nostri temporis manifestetur quomodo integra vocatio hominis ad perfectionem adducta sit per Christum.

2. Textus de atheismo in schemate XIII propositus iure vel non a multis intelligetur quasi charta laboris secretariatus pro non credentibus noviter a Summo Pontifice instituti. Ut evidenter patet, textus qui nobis sub n. 19 proponitur, nullius utilitatis in hunc finem esse potest; nec elementa quibus constat talem secretariatus actionem unquam fundare.

Qui in medio non credentium laborant missionarii et quotidiano usu cum atheistis frequentant, spontanee perceperunt quam gravis res fuerat fundatio huius secretariatus pro non credentibus. Sed pro illis missionariis actio secretariatus non potest mere sistere in gradu confrontationum inter ideas et systemata; debet autem omni suo conatu ad hoc tendere ut de die in diem fructuosiorem redderet colloquium inter christianos et non-credentes, in multis regionibus iam initiatum.

Nullo ergo modo superaestimari valet momentum textus de atheismo tractantis in schemate XIII.

Quapropter instanter rogo ut n. 19 huius nostri schematis recognoscatur novaque sua redactio committatur secretariatui pro non-credentibus. Immo, cur non etiam ille secretariatus sumeret initiativam declarationis, ad modum illius quae de religionibus non-christianis tractat? Haec enim declaratio de non-christianis in lucem posuit momentum huiusmodi secretariatus pro non-christianis religionibus. Similis de non-credentibus declaratio habere posset similem consequentiam quantum ad secretariatum pro non-credentibus. Dixi.

6

Exc.mus P. D. GABRIEL GARRONE
Archiepiscopus Tolosanus

Venerabiles Patres,

In hoc *schemate*[1] videntur non sufficienter perspecta duo puncta maximi momenti, scil.: natura et momentum dogmatis de creatione, sub n. 40; et factum et natura continuitatis vigentis inter praesens et futurum in homine, n. 43.

I - *De creatione.* Integra n. 40 argumentatio in doctrina de Creatione fundari constat. Quae doctrina vere a Revelatione nobis traditur, ut ex ipso Symbolo constat, in quo dicitur: « Credo in unum Deum Creatorem ... ». Licet enim a ratione attingi possit, ...[2] historia et experientia hoc fieri non posse patet, nisi magno labore nec cum ea firmitate quae, Vaticano I testante, solum nobis ex auxiliis gratiae conceditur. Pauca forsan ex dogmatibus christianis hodie in mente hominum aeque deficere censendum est ac dogma Creationis: quo enim res naturae perfectius homo scrutatur eisque dominatur, eo magis oportet ut eas a Deo pendere videat et profiteatur.

Mirum igitur mihi videtur in discussionibus veritatem huiusmodi inter « naturales vel philosophicas » sensu exclusivo et aliqualiter minorato dici. Quod non sine quadam aequivocatione et periculo fieri potest.

Dogma enim Creationis hominibus hodiernis maxime praesens esse necesse est. Quis enim non videt, non tantum hodie « Christianismum », sed ipsam « religionis » rationem in discrimine positam? Quid autem erit Christus pro hominibus qui in Deum non credunt? Ideo maximi momenti est, in hoc puncto temporis, Ecclesiam ipsum fundamentum religionis, nempe Deum Auctorem mundi, in Christo hominibus restituere.

Unde etiam — veniam peto — miratus sum ...[3] Ecclesiam ista fundamentalia firmantem, « de suis » non curare, *dictum esse.*[4] Hic, ni fallor, stat maximum et urgentissimum hominibus periculum, et inde maximum munus quod possit Ecclesia mundo conferre. Hic enim, i. e. in deficienti creationis ratione, iacet radix ultima « laicismi » hodie vigentis, de quo *vere in schemate locutio est,*[5] licet modo positivo, sub forma remedii *pacifici*[6] et non tantum sub specie lamentabilis et damnandi facti.

At non videtur haec doctrina satis accurate expressa, ita ut plura ad visionem positivam in fide rerum naturae maxime expedientia, necnon et opportuna, desiderentur.

Etenim, in opinione communi hominum, etiam *christianorum,*[7] dogma Creationis plus *minus*[8] ad aliquale « initium » rerum *a Deo*[9] reducitur. Veritas autem fidei mirabiliter profundior existit, cum ratio creationis imprimis dicat: dependentiam essentialem et iugiter actualem rerum erga Deum a quo esse accipiunt; unde in ipsis rebus *mundi*[10] praesentia Dei datur quae eis dignitatem affert et valorem omnino singularem, ita ut nemo — *nemo*[11] — vere unquam res creatas tanti habere et aestimare valeat quantum fidelis qui res istas semper actualiter a voluntate Dei manantes adspicit, eis existentiam essentiamque conferentis. Unde, accedente dono Spiritus, admiratio illa quasi extatica animae Francisci Assisiensis coram Creatione.

Hoc nobis videtur in textu nostro desiderari, eo ...[12] quod proculdubio, hic iacet radix altior istius spiritualitatis de paupertate, qualis hodie tam ardenter sed forsan superficialiter requiritur: res creatae iugiter a Deo pendent et eis uti oportet ut continenter a Deo datis ...[13]

II - *De continuitate praesentis ad futurum.* Est et alius doctrinae adspectus a quo potest oculis omnium patere quanti fidelis christianus res praesentes habere debeat: nempe ratio caritatis, in quantum caritas est quid permanens et de se duraturum. A praesenti statu ad futurum huius mundi non fit mutatio quaedam substantialis: transitus est *pro nobis*[14] de regimine fidei ad regimen visionis; in adventu enim Domini, « manifestabitur » quidquid caritatis sive divinae, sive fraternae, ordo praesens assumpserit. Sub specie quadam igitur, nostrae phantasiae *quidem*[15] impervia, in aeternitate permanebunt res hodiernae, in quantum aeternitatem ex caritate assecuturae fuerunt.

Ex quo mirabiliter vita praesens elucet, sublata quacumque falsa et tristi cogitatione de rebus humanis quasi simpliciter annihilatione *quadam*[16] damnandis: caritas enim ex praesentibus rebus caelum exstruit. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] capitulo. [2] ex. [3] audire. [4] deest. [5] igitur quaestio vere fit in schemate. [6] specifici. [7] si christiani sint. [8] minusve. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] magis. [13] ita ut Deus, qui nobis dona ista largitur, iis, si velit, supplere possit. [14] deest. [15] deest. [16] deest.

7

EXC.MUS P. D. EDUARDUS SCHICK

Episcopus tit. Araditanus, aux. Fuldensis

Inde a n. 11 nostri[1] schematis, Fratres carissimi, responsum datur ...[2] quaestioni: « Quid vero est homo? ». Invocato libri Geneseos ...[3], homo « ut creatura ad imaginem Dei facta » definitur. Quo adiungitur commeata interpretatio de significato.

Hoc quod attinet, sequentia vellem ...[4] vestrae benevolentiae proponam.

Necessarium sane est ut schema nostrum talem declarationem ulterioribus disceptationibus praeponat. Anthropologia enim stat ut fundamentum problematum multiplicium quae de exsistentia humana ubique exsurgunt. Insuper unum quaesitum inter urgentiora quae hominem hodiernum inquietant, hoc videtur esse, ut philosophia existentialis monstrat: « quid dicat homo de seipso? ». Homo nostri temporis igitur, qui ab insecuritate, orbatione sui, necnon desperatione ultimatim, utpote ab animis fundamentalibus sui, characterizatur, iam ipse quaeret, praecise in hac par. 11 ss., quodnam responsum esse ab Ecclesia datum pressurae suae existentiali. Ex his duabus rationibus, nunc in hoc cap. I, pretii singularis est habenda expositio talis quae solida genuinaque sit.

Iamnunc ...[5], durante disceptatione generali de schemate, crisis seria instituta est, hoc quod Anthropologia christiana a schemate proposita utpote obiective deficiens visa est, nec formaliter quidem multum apta nec convincens.

Hauriri oporteret visio hominis integra ut Revelatio eum intuitur ex recapitulatione systematica, etsi brevi, ...[6] dictorum Scripturae, characteris anthropologici. Huius visionis scripturisticae lineamenta saltem generalia adumbrare hic et nunc vellem:

1. Ut in schemate intercedit, potest incipi a *citatione libri Geneseos.*[7] E texto vero exhauriendus est sensus verus et proprius. At nimis ieiunum est ex eo unam firmiter trahere solam observationem, nempe quod homini dominium in alias creaturas cessum sit. Istud unum *e*[8] multis enim corollarium est a creatione ad imaginem Dei deducendum. Hoc dominium praeterea creaturae humanae concessum esse potuisset, eo quod solus homo inter creaturas esset qui realitatem terrenam materialemque transcenderet. Atqui plus est homo quam mere culmen viventium in terra; ab essentia sua ipsa differt a ceteris formis biologicis. Suae spiritualis enim naturae gratia, speciali gaudet potentia erga crea-

turas: Adam nempe iis nomen dat, et seipsum cognoscit ut *ceteris*[9] viventibus diversum maioremque: solus quidem est in potentia quodammodo quoad Deum ipsum ut omnium creatorem et cum ipso conversatur.

Sua cum ceteris creaturis connaturalitas, ex una parte, quam Scriptura nomine Adam ab *adamah* derivato expresse intendit, necnon sua, spiritualiter cognita, suiipsius omniumque creaturarum relatio et habitus ad Deum, aptum eum et capacem reddunt ut positionem et centralem et directivam in creatione teneat sicut et Scriptura de Paradiso narrat ...[10]. Ex hoc sequitur nunc religionem ad essentiam hominis pertinere eamque conditionem primariam constituere dominii sui in creaturas, quod homini ut officium cuius ratio Deo reddenda erit, commissum est.

2. Una cum biblica determinatione hominis ut Deo similis, simul dicitur et quaedam dissimilitudo. Quamvis homo Deo propinquior omnibus creaturis est, infinite a Deo distat, ea distantia nempe quae creatorem inter et creaturas viget. Quae dissimilitudo hominis relate ad Deum apparet in eius temporali-historica existentia, quae ipsa in ordine salutis concreto, a culpa hominis qualificato, quasi determinatur ab ineluctabilitate mortis. Hic locus esset inserendi praecipua capita de peccati natura eiusque consequentiis in hominem ipsum et in mundum ei commissum. Mortem certe, at tribulationes omnes et morbos Scriptura tenet ut vestigia mortis poenasque peccati. Per abusum dominii *sui*[11] contra Dei voluntatem, confusio ac destructio inducitur in existentiam hominis et in mundum ei ut curaret concessum. Ordo e contra salusque confirmantur solo ab homine qui Dei mandata sequitur. Haec fundamentalis est persuasio Scripturarum quae deinde lucide efficaciterque proponitur in persona Filii hominis, qui incarnatus est usque ad mortem oboediens factus, qui quapropter est exaltatus.

3. Essentia hominis utpote imago Dei vere et proprie revelata est sicut Deus ab initio eam voluit et secundum significatum et secundum extensionem, primo per sacramentum incarnationis. Eo quod Christus qui est figura substantiae invisibilis Patris, humanam adsumpsit naturam, ita aperuit coram hominibus novi generis transcendentiam in Deum; eo quod Christus secundum existentiam temporali-historicam hominis concreti eiusque in mortem ut est devotionem, humanam naturam adsumpsit, ita eam ipsam vicit ac homini per suam a mortuis resurrectionem transcendentiam in divinam gloriam aperuit. Primogenitus est enim omnium mortuorum. Fatum hominum in Christo sic radicaliter mutatum *est*[12] quodque Paulus speciatim in parallelismo inter Adam et Christum illustrat, celari in schemate nostro non oporteret. In solo Christo enim integre revelatur quid homo ad imaginem Dei factus significet ...[13].

Homo *enim* [14] fidelis limites suorum temporum in Baptismate *iam* [15] hoc modo transgreditur ...[16], quod Filio Dei ut Patris imagine adsimilatur ...[17]. Conformitas tandem eius cum Christo, iam in sacramento regenerationis realiter existens, finaliter educetur e gradu provisorio in gradum definitivum in statum aeternum per resurrectionem et incorruptibilitatem ...[18], qua perfecta conformitas *hominis* [19] ad imaginem Dei in fine apparebit ut configuratio corporis claritatis Christi ...[20]

Ea quae a visione hominis biblica de sociali eius indole dici possunt, ...[21] secretariae generali in scriptis tradam.

Ex his enucleatis lineamentis de visione sic dicta biblica hominis ea quae in schemate numeris propriis: de dignitate corporis humani, de dignitate animae *et cetera,*[22] de Deo ab hominibus agnoscendo, de Christo homine perfecto, dicta sunt, suo loco magis organice et multo brevius inseri possent, ita ut totum caput ad tertiam fere partem suam reduceretur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] N. 11 huius. [2] sequenti. [3] textu 1, 26. [4] carissimi Patres. [5] multis vicibus. [6] omnium. [7] verbis libri *Gen.* 1, 26. [8] a. [9] aliis. [10] Mundus atque in res mundanas exercitum opus, spatium devenit suae probationis. Quamquam humilis et parvus hic hodiernus homo sibimetipsi coram spatiis cosmicis appareat, dignitatem propriam et singularem, quam Psalmus 8 stylo poetico depingit, vindicat sua scil. personalis exsistentia qua Deus solum inter creaturas ceteras secum foedus inire dignatur. [11] deest. [12] deest. [13] Christus enim, figura substantiae Dei invisibilis, imago praecipua et origo creationis hanc ad imaginem Dei creationem ita pro hominibus extendit ut homo per gratiam conformetur cum imagine Christi, in quam imaginem iam ab initio creatus fuerat. [14] deest. [15] deest. [16] (cf. *Eph.* 4, 24). [17] (cf. *Rom.* 8, 29). [18] (*1 Cor.* 15, 42). [19] deest. [20] (*Phil.* 3, 21). [21] propter tempus elapsum. [22] et imprimis intellectus humani, de dignitate conscientiae, de praestantia libertatis, de morte devincienda.

Animadversiones additae:

De parte communitaria in anthropologia scripturistica. Idea hominis, qualem in S. Scriptura invenimus, ex populi electi vita cum Deo profluit, derivata a realitate supernaturali. Quapropter secundum Israelem delineata est. Experientiae populi electi historicae possibilitatem offerunt distinguendi inter creationem qua creatam et sequelas peccati. Idea hominis aliqua abstracta vel pure excogitata in S. Scriptura nulla invenitur. Homo nec a Deo nec ab hominibus umquam seiungitur, sed concipiendus est solummodo ex contextu historiae hominum cum Deo universae.

« Adam » minime significat conceptionem aliquam idealem de homine. In Adamo, qui utique ut homo individualis cernitur similiter ac Iacob patriarcha, totum genus humanum percipitur, sicuti in Iacob populus Israel. Cf. quomodo Deus eum alloquitur in *Gen.* 28, 14.

Potestatem dominandi in narratione creationis vidimus commissam non homini singulari, sed generi humano. Potentia hanc fundans habetur in augentibus

et se multiplicantibus hominibus. « Crescite et multiplicamini, et replete terram et subicite eam vobis ... ». Quod aliquis homo singularis possit dominium supra totam terram exercere, cogitari nequit, considerato sensu realistico S. Scripturae.

Ergo, ad connexionem inter similitudinem hominis ad Deum et eius dominium terrae, qualis habetur in opere s. d. sex dierum, necessario praesupponitur hominem creatum esse « masculum et feminam ».

Verum utique, in relatis de paradiso primo loco inveniri locum vivendi homini traditum et relationem oboediendi Deo descriptam, ante communem vitam narratam; sed tamen dominium in creata, quod ex impositione nominum apparet, describitur ut intime connexum cum procreatione mulieris, et ideo cum manifestatione indolis communitariae ut homini essentialis. Cf. ibidem: « Non est bonum hominem solum esse », « Faciamus ei adiutorium sibi simile », « et erunt duo in carne una », « mater omnium viventium ».

Quantopere indolem communitariam homini essentialem esse, clare apparet ex ruptura communionis post peccatum, quae inter consequentias peccati graviores numeratur (culpa alio tribuitur, *Gen.* 3, 12; Abel occiditur; turris Babel aedificata).

Prima redemptionis annuntiatio et promissio datur in favorem non individui alicuius, sed totius generis humani: « In te benedicentur cunctae generationes super terram » (*Gen.* 12, 3; forsitan iam *Gen.* 3, 15). Hac etiam ex ratione verba *Io.* 17, 22 s. et *Eph.* 2, 15 ss. eandem continuant linea directa conceptionem hominis, qualis iam originibus S. Scripturae subiacet.

8

Exc.mus P. D. MICHAËL RUSNACK

Episcopus tit. Tzernicensis, aux. Torontinus Ucrainorum

Venerabiles Patres,

Per quattuor iam sessiones hoc Concilium Oecumenicum vias quaerit quibus huius temporis hominibus sensum atque verum finem vitae monstret ac patefaciat. Conatus nostri in schemate XIII culmen adipiscuntur.

Schema hoc titulum portat qui magnam nobis imponit responsabilitatem erga Deum, erga omnes homines, erga historiam: « Ecclesia in mundo *huius temporis* ».

Qualis est autem mundus hodiernus et quaenam positio Ecclesiae in ipso?

Si chartam geographicam respicimus, primo ictu oculi nobis apparet, mediam partem orbis terrarum sub regimine communistico inveniri; sed etiam in nationibus extra hanc zonam haud pauci ideis materialismi dialectici et historici imbuti sunt. Communismus est proinde phaenomenon tam vastum, ut de ipso agendum esset, etsi religionem non persequeretur. Sed, e contra, Ecclesia in mandato divino explendo quotidie

quam maxima obstacula invenit in communismo. In omnibus nationibus ubi communistae potestatem publicam detinent, non solum Ecclesiam catholicam, sed omnem religionem aperte persequuntur, silentibus consociationibus internationalibus quae iura fundamentalia personae humanae defendere deberent, silentibus autem — proh dolor! — etiam christifidelibus qui loqui possent ac deberent.

Quomodo autem Ecclesia in hoc mundo posita quaestionem communismi respicit? Quo modo quaestiones graves ab ipso positas resolvit? Per paucas, paucissimas lineas huius schematis, in cap. I, n. 19.

Sane, magni faciendum est quod saltem problema atheismi in hanc ultimam schematis redactionem introductum est. Expositio atheismi marxiani, licet brevissima, mihi placet, sed omnino insufficiens est. Schema nihil huius expositioni opponit, nisi vagam tantum allusionem ad « universalem experientiam humanam » et invitationem atheis factam ad profundiorem inquisitionem scientificam perficiendam. Sed qualem valorem habet et qualem effectum obtinebit talis invitatio, si tota scientia in communismo dirigatur et invigiletur a factione politica, quae tamquam infallibilis magistra dogmata marxiana protegit?

Problema atheismi in systemate Marxii nonnisi corollarium est doctrinae generalis quacum intime cohaeret. Profundiorem ergo expositionem et aliquam saltem confutationem exigit. A. v., pars de atheismo multo longior ac profundior esse debet.

Puto tamen, reductionem totius quaestionis de communismo ad solum problema atheismi delusionem in toto orbe terrarum producturum esse. Abnorme quid videtur, ut Ecclesia vigesimi saeculi de « haeresi vigesimi saeculi » fere nihil dicat. Impossibile videtur, ut eadem Ecclesia tantae multitudini, quae coram visione eschatologica marxiana in mentis confusione vel haesitatione invenitur, lucem veritatis proponere omittat. Crudele item esset, ut Concilium fratribus oppressis adiutorium praebere denegaret.

Synodus haec non potest quaestionem communismi silentio praeterire, secus coram historiae tribunali graviter reprehendetur. Concilium potest ac debet de communismo loqui! Exigit hoc veritas, exigit hoc caritas!

Imprimis, *veritas*. Nam communistica mundi et hominis visio non solum Dei existentiam negat, sed alios etiam errores, directe veritati revelatae vel sanae rationi principiis oppositos in mundo omnibus mediis propagat. Negatio Dei et spiritus in genere, negatio quorumdam primorum principiorum rationis, *theoria* [1] de materia, de hominis natura et fine, de societate, de lucta classium, ...[2] determinismo in historia, de systemate salariali, sunt pauca exempla huius fallacis doctrinae. Saepe

saepius iam clara harum theoriarum cognitio et expositio sufficit, ut mens humana ab istis avertatur. Necessaria tamen erit etiam clara doctrinae Ecclesiae explicatio relate ad istos errores, eorumque serena et obiectiva confutatio, quae possibilis est etiam sine recursu ad anathemata.

Sed veritas et claritas exigit praesertim, ut mundus *praxim* communismi cognoscat. Hanc praxim communismus hodiernus occultam tenere vult. Sciat ergo totus orbis terrarum, mendacium in hoc systemate licitum ac meritorium esse, si factioni politicae proficiat. Sciant omnes homines, systema hoc fundari in oppressione non solum ideologica, sed etiam practica, ope totius adparatus legislativi, iudicialis, administrativi, per officiales securitatis publicae, aut per agentes secretos. Noscat mundus systema educationis ac sic dictae « propagandae », cui omnes cives Status communistici ab infima aetate usque ad senectutem subiiciuntur.

Caritas autem erga fratres nostros in nationibus quae a communistis reguntur ante omnia exigit, ut veritatem de statu religionis in iisdem nationibus noscamus et coram opinione publica totius mundi, sine exaggeratione sed etiam sine reticentia, sine odio et sine timore etiam, denuntiemus.

Loquitur vobis qui ex propria experientia exempla huius verae persecutionis praebere potest, nam et ipse una cum omnibus Cecoslovachiae viris ad congregationes religiosas pertinentibus in una sola nocte die 13 aprilis a. 1950 a publicis officialibus in « campum concentrationis » detrusus est, ex quo Providentia divina ipsum in Canadensem regionem eduxit. Omnes congregationes religiosae in Cecoslovachia proinde, in una sola nocte de facto destructae sunt, nec hodie exsistere permittuntur. Quisnam in Occidente hoc scit? Eodem modo seminaria ex 15 ad duo tantum reducta sunt, cum numero clauso alumnorum. Quattuor tantum dioeceses episcopos pro pastoribus habent; octo saltem episcopi adhuc in exercitio proprii muneris impediuntur; quattuor episcopi in carcere aut in domicilio coacto mortui sunt. Multi sacerdotes in labore manuali coacto vitam gerunt. Tota dioecesis Prešovensis in Slovachia, ritus byzantini-slavici, quae plus quam 300.000 animarum numerabat, a. 1950 uno solo actu administrativo gubernii pro inexistenti declarata est et adhuc consideratur. Fideles eius prohibentur, ne Ecclesiae catholicae adhaereant, neve sacramenta a sacerdotibus nostrae Ecclesiae accipiant. Sacerdotes huius dioeceseos magna ex parte durum laborem manualem elegerunt.

Haec pauca exempla, quae systematis communistici veram naturam revelant, aliquam forsan ideam praebere possunt de oppressione ac persecutione cui millium millia fidelium subiciuntur.

Hunc statum realem, non fictitium, omnibus hominibus notum facere, verus actus caritatis est. Nam opinio totius orbis catholici, quem haec Synodus repraesentat, necnon aliorum hominum liberorum, est forsan unica vis moralis quae communisticos guberniorum rectores inducere potest, ut ab indigna hac oppressione abstineant atque civibus quoque catholicis aliisque credentibus fundamentalia ...[3] personae humanae iura de facto (et non solum verbis Constitutionum) agnoscant.

Proinde: nomine praesertim fratrum meorum in oppressione viventium vos obsecro, venerabiles Patres conciliares, ut Sacra haec Synodus, praeter longiorem ac profundiorem paragraphum de atheismo, specialem edat *declarationem de communismo* theoretico et practico relate ad religionem, vel *nuntium* ad instar illius qui in prima sessione omnibus hominibus missus est. In hoc sollemni documento denuntianda sunt ...[4]

Moderator: Exc.me Domine, velis venire ad conclusionem, quia tempus tuum exhaustum est.

Orator: *Conclusio*[5]: Iterum affirmo, venerabiles Patres, nos hoc modo servitium caritatis offerre fratribus nostris in fide, sed etiam communistis, si verum est claritatem omni dialogo proficere. Ne timeatis, fratres nostros persecutionem patientes nocumentum ex tali declaratione accipere. Etiam experientia docet, communistas hoc tantum concedere, de quo in toto mundo magnus rumor, scandalum vel admiratio, eorum systemati nociva, fiunt. Ex nostra declaratione ergo bonus effectus exspectandus est ...[6]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] theoriae. [2] de. [3] tandem. [4] cum serena claritate et dignitate, sine odio vel anathemate, sive errores marxismi, sive indigna praxis systematis communistici, simulque rectores istarum nationum exhortandi sunt, ut veram religionis libertatem, civili etiam consortio tantopere proficuum, omnibus civibus concedant. Sermo praeclarus Pauli VI in Catacumbis S. Domitillae recenter prolatus, exemplum nobis praebere potest, quo modo talis declaratio concipi potest. [5] deest. [6] Sane, episcopi ex nationibus sub communistarum regimine hanc declarationem subsignare non possunt, ne post reditum in patriam vexationes vel peiora patiantur. Talis est enim eorum tragica conditio, ut neque in Concilio libere loqui possint, non quidem ob timorem de propria incolumitate, sed potius ob timorem malorum maiorum pro grege, i. e. ne fideles paucis hisce pastoribus priventur. Sed haec ipsa dolorosa conditio eorum magis adhuc nos obligat, ut declaratione nostra vim oppressionis communisticae alleviamur atque hoc modo adiutorium eis praebeamus. Iterum proinde enixe peto et obsecro vos, venerabiles Patres, ut schema de Ecclesia in mundo huius temporis hoc modo compleamus, ut revera sit de mundo huius temporis atque de Ecclesiae reali relatione ad maximam forsan quaestionem nostri saeculi.

9

EXC.MUS P. D. SEBASTIANUS SOARES DE RESENDE
Episcopus Beirensis

Patres Venerabiles,

Aliquas observationes liceat mihi facere relate ad partem I, cap. II, par. 27, 28, 29 et 30.

Prima observatio. Doctrina quae in par. 27 exponitur maximi momenti est iuxta indolem praesentis schematis. Nam de persona humana nunquam ut hodie tantum loquitur et tamen omnes nos testes sumus quod etiam *nunc* [1] tamquam hodie iura humanae personae tantum violata sunt. Ideoque omnia quae in citata paragrapho dicta sunt omnino approbanda et laudanda, quia fundamentum vel exigentia moralis omnis ordinis socialis et civilizationis constituuntur. Attamen censeo quod in paragrapho illa aliquid magis aperte et explicite affirmandum erit. Nam in pluribus nationibus, praesertim — *praesertim* [2] — in illis dominio sovietico aliquo modo subiectis, regimen vigilantiae secretum habetur — scil. systema policialis — *regimen vigilantiae secretum habetur,* [3] quod saepe etiam contra personas honestas et nullum periculum ordini publico constituentes exercetur unice quia personae illae organisationi sociali et politicae intime non adhaerent et iuxta conscientiam multoties adhaerere non possunt. Tales personae frequenter episcopi et sacerdotes sunt. Multi eorum episcoporum praesentes sunt et cum honore in hac aula conciliari. Regimen hoc vigilantiae aliquando modo occulto fit, licet ab omnibus illud recognoscatur ubique existere, aliquando modo aperto manifestatur personae quae vigilatur tantum ut per technicam hanc in ista persona timor et metus excitentur, nervi fatigentur et ita voluntas et cum voluntate homo totalis subiugetur. Est annihilatio psychologica hominis.

Secretum hoc regimen publicae vigilantiae, meo iudicio, maxima violentia et maxima iniuria constituitur erga humanam personam. Nam processus est tyrannicus libertatem violandi et personalitatem humanam destruendi cum falsa illa apparentia externa et satyrica reverendi ipsam eamdem libertatem et eamdem ipsam personam humanam protegendi. Ergo violentia haec specifice in illa paragrapho reprobetur et damnetur.

Secunda observatio. Imprimis par. 28 et 29 in favorem brevitatis et *forte* [4] claritatis reduci ad unum tantum poterant. Nam doctrina illa

de reverentia erga adversarios primam partem non solum logicam sed realem optimam constitueret in ordine ad doctrinam de amore inimicorum, quae per modum complementarem adiuncta totum doctrinale efformasset perfectum circa aspectum maximum virtutis caritatis. Attamen quidquid de hac re factum fuerit, adnotationem facere volo textui illo qui in referta par. 28, linn. 18-19, qui ita sonet: « diligenter colenda est caritas mentis ». Nisi fallor, caritas mentis non habetur. S. Thomas Aquinatis dicit expresse quod amor non est in intellectualibus et propterea homines amari ab invicem possunt ac debent etiam quando inter illos opiniones diversae et oppositae doctrinales profitentur. A. v., S. Augustinus affirmationem consonantem et valde cognitam pronunciavit ubi dicit: « Diligite homines et interficite errores ».

In par. autem 29, cur non citandus erit textus ille circa mandamentum novum Christi in Cena ultima promulgatum, quia sensum universalem habet et propterea etiam inimicos includit? Etiam cur transcribenda non erunt illa verba Christi in cruce prolata: « Pater, dimitte illis quia nesciunt quid faciunt »? Nemo est qui non videt verba illa supremum et maximum esse testimonium Christi de amore suo erga inimicos et propterea deficere non possunt in Ecclesiae nuntio mundo hodierno.

Tertia et ultima observatio. Doctrina de aequalitate fundamentali inter homines quae in par. 30 exposita est magnum progressum fecit in ultimis annis sed praxi adhuc in mundo hodierno valde distat a nobis illa hora in qua universaliter ab omnibus recognoscatur. Ex una parte, evidens est mundum temporis nostri, mediis actualibus communicationis socialis et mediis velocissimis iter faciendi, *mundum* [5] totum accedere ad semetipsum. Ex alia parte, non minus evidens est homines in eodem mundo praesenti valde discedere inter seipsos et divisiones profundas et quasi insuperabiles magis ac magis ab invicem exstruere. Ubique — *ubique* [6] — ferreae parietes ab aliquibus hominibus elevantur contra alios homines unde temporibus nostris abyssus evenit progressivus inter easdem creaturas humanas et saepe inter ipsos catholicos. Ideoque doctrina illius paragraphi maxime actualis est et divulgatio eius et praesertim eius applicatio ad vitam vehementissime urgent. Talis autem doctrinae expositio in loco citato schematis nostri mihi videtur non completa. Doctrina illa praesentatur modo valde generico et etiam superficiali. Omnes homines substantialiter aequales considerari debent non solum quia eamdem personam constituunt et ad imaginem Dei facti sunt sed etiam et praesertim quia fratres sunt. Christus Iesus hoc manifeste revelavit secundum Evangelium S. Matthaei, quando publice affirmavit omnes homines fratres esse. Ergo quare hic textus non citatur in para-

grapho illa omnibus verbis istis quae maximam et profundam revolutionem in mundo operati sunt et in futurum adhuc operabuntur? Praeterea haec doctrina in mundo hodierno et in eius condicionibus actualibus, sive socialibus et politicis sive oeconomicis et christianis, doctrina est unica quae mundum salvabit. Ideoque his omnibus bene perspectis, petitionem unam audeo vobis facere, amplissimi Patres venerabiles, ex omni tribu et natione, incipiendo magna cum reverentia ab em.mis cardinalibus, a beat.mis patriarchis, ab exc.mis archiepiscopis et episcopis usque ad paternalissimos superiores generales omnium entitatum religiosarum in Sacrosancto Concilio praesentes, petitionem vobis audeo facere circa unum problema in hac paragrapho habito, cuius solutio positiva responsio esset totalis, psychologica et efficax aspirationibus actualibus mundi nostri temporis. Petitio haec est: Concilium Oecumenicum, tempore proprio, finem gloriosum imponat suis magnis et defatigantibus laboribus sollemniter definiendo veritatem illam in Sacra Scriptura contentam: Omnes homines fratres sunt. Ego non ignoro Concilium nostrum iam declaravisse definitiones dogmaticas ...[7]

Moderator: Velis finire, exc.me Domine, quia tempus exhaustum est!

Orator: *Ergo,*[8] et si bene attenderitis omnibus quae iam dicta sunt a Concilio, definitio illa non solum conclusio esset opportunissima omnium laborum conciliarium quae ad modum brevissimae sententiae plenae luminis et amoris homines omnium continentium inflammaret, sed etiam synthesim constitueret magnificam quae utilissima esse poterat illis apostolis qui ab aliquo tempore valde cogitant de instrumentis efficacibus ad applicandum Concilium post Concilium. Amplissimi Patres venerabiles, de hoc vos videbitis coram Domino et coram mundo. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] nunquam. [2] deest. [3] deest. [4] forse. [5] deest. [6] deest. [7] non intendere. Sed quis non videt quod in sua potestate est sub auctoritate suprema Summi Pontificis definire vel non aliquam veritatem? Sicut Concilium Vaticanum I definivit infallibilitatem pontificiam, ita Concilium Vaticanum II definiret fraternitatem omnium hominum. [8] deest.

10

EXC.MUS P. D. IUSTINUS DARMAJUWANA
Archiepiscopus Semarangensis

Patres Venerabiles,

Nomine episcoporum Indonesiae gratias ago commissioni, quae textum bonum confecit.

Tamen textus est adhuc emendandus, et si fieri potest abbreviandus. Nonnullas observationes generales scripto tradimus. In specie addere volo, nos plene consentire iis quae em. card. Šeper dixit de atheismo.

Animos advertere volo ad capp. III et IV primae partis. Haec duo capita constituunt quasi cardinem totius decreti. Concludunt descriptionem praecedentem, et fundamentum praebent toti secundae parti. Haec autem capita nobis videntur ita debilia, ut sint profunde emendanda.

1. Hic non habetur dialogus, sed purus monologus. Magisterium hic non videtur audire non-christianos, immo nec laicos catholicos, qui in medio mundo vivunt et operantur. Iterantur quaedam veritates aeternae. Sed quomodo tangant problemata hodierna, clarum non fit. Hic praesertim apparere deberet, quod magisterium una cum laicis responsum quaerit, et quod tota Ecclesia simul cum omnibus hominibus quaerit. In modo loquendi hic deceret maxima modestia.

2. Toti schemati subest, et in initio cap. III iteratur quaestio maxime urgens et angens: « Quid humana navitas significat? » Sed non immerito quis concluderet ex textu, Concilium huic quaestioni validum responsum dare nondum posse.

Non enim datur validum responsum eo quod dicitur: Deus hanc activitatem vult, vel haec activitas confert ad gloriam Dei, vel ordinatur ad Regnum Christi. Haec *omnia* [1] vera sunt. Sed talia responsa sunt quasi Deus ex machina.

Quaestio praecisa est: Quis est effectus *terrenus,* qui ab activitate terrena speratur et quem in ea homines appetunt? Et qua ratione hic effectus terrenus ordinatur ad salutem humanitatis aeternam?

Haec quaestio urget et anget. Humanitas nunc evigilat ad conscientiam, se quodammodo esse dominam et creatricem futurae suae sortis in terris. Nostris nunc actionibus deciditur de mundo in quo posteri nostri vivent. Propterea familia humana nunc indiget delineatione quadam alicuius idealis, quod suscitare potest animorum dedicationem et quod normas praebet agendi. Nonne Marxismus multos fascinat, non

solum pauperes, sed etiam bene stantes et intellectuales, quia ante eorum oculos describit tale ideale fraternitatis et aequalitatis?

Populus christianus, immo et multi alii, nos pastores interrogat, utrum fides in hac quaestione lumen afferre possit, et aliquid dicere de mediis ac viis quibus ille finis terrenus sit realizandus. Pars secunda schematis supponit responsum affirmativum ad hanc quaestionem. In nostro autem capite illud responsum explicite poni et iustificari deberet...[2]

3. A pluribus dictum est, textum nostrum de valore activitatis humanae loqui modo nimis optimistico. Negligeret realitatem peccati et redemptionis. Haec querela aliquid iusti habet. De regno peccati et de victoria Christi plus est dicendum.

Tamen commissio in redigendo textu cautissime procedat. Historia enim docet, christianos saepe ita de corruptione naturae et de potestate peccati locutos fuisse, ut pessimismo suo omnem valorem positivum navitati terrenae negarent, et homines ad ignaviam quamdam moverent. Activitas mundana et progressus humanus inde consequens secumferunt periculum peccati etiam progredientis. Sed pericula non debent ita premi, ut homines ab activitate terreantur. E contra, animus eis dandus est, quo magnus valor finis terreni realizandi eis appareat, et quo cautius a periculis imminentibus caveant.

Peccatum non destruit consilium salutis, quod Deus in creatione initiavit et in resurrectione Christi iam mysteriose consummavit. Peccatum, quamvis adhuc potens, iam tamen devictum est. Recta peccati aestimatio non habetur, nisi quis firmiter credat, totum mundum actualem esse creaturam Dei, in qua Spiritus Christi victoris iam operatur.

Per modum conclusionis breviter delineabo, quid nostra opinione capita nostra continere deberent. Cap. IV potest in unum cum cap. III componi, quod simul brevius et magis vigorosum est. Elementa fere omnia iam inveniuntur sparsa in schemate. Novum caput constaret quatuor punctis:

1. Tamquam conclusio ex descriptione praecedenti ponatur hoc: Familia humana hodie videtur moveri quodam universali desiderio progredientis humanizationis. Per humanizationem intelligimus illum progressum, quo homines ...[3] fiunt magis conscii sui et dominii sui, et quo ad hunc finem ordinant totam naturae structuram, omnes organizationes sociales.

2. Hoc desiderium progredientis humanizationis a christianis probari potest. Et quidem ob rationes a priori et a posteriori, quia scil. correspondet consilio divino et quia suo modo potest conferre ad Regnum Dei realizandum.

3. Hoc tamen conamen humanizationis laborat ambiguitate. Nam per peccatum potest perverti.

4. Lumen, robur et spes, quae in hoc conamine ab Evangelio sperari possunt.

In scriptis addo schema minutius delineatum. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (Ad incertitudinem nostram excusandam non debent citari verba Scripturae de fide in obscuritate adhuc ambulante, sicut fit in nn. 37 et 41. Haec enim verba agunt de destinatione transcendente ac divina, non de fine mundano ac immanente activitatis terrenae. Si haec verba applicantur ad nostram quaestionem, animi deiectionem potius suscitant quam fiduciam). [3] (tum ut singuli, tum ut coniuncti in una familia humana, tum in magnis suis coetibus, ut sunt classes sociales, nationes etc.).

Schema novae redactionis cap. III et IV.

1. Desiderium humanizationis tamquam virtutis motricis qua familia humana impellitur.

a) Brevis descriptio.

b) Hoc desiderium est probandum, quia constituit intimam naturam hominis; quia Deo creatus est et ab Eo impellitur ut seipsum tamquam Dei sua activitate evolvat; qui vocatur ad plenam realizationem suiipsius in destinatione transmundano, et qui in sua activitate terrena prosequitur deumbrationem huius destinationis divinae.

c) Christiani ergo hoc desiderium et ipsi sentiunt et illud accipiunt, et cum omnibus hominibus ad hunc finem collaborare volunt.

2 A. Progrediens humanizatio non caret momento pro Regno Dei.

a) A priori: desiderium illud est nobilissima expressio naturae humanae, quae est nobilissima creatura; iamvero creatura a Deo creatur ad unicum finem, qui est Regnum Dei; omnia existunt propter Christum, verum perfectumque hominem et Filium Dei, et id quod nobilissimum est in creatura debet maximopere in Ipsum ordinari; « gloria Dei est vivus homo » (Irenaeus).

b) A posteriori: humanizatio familiae humanae est quaedam praefiguratio ac deumbratio novae terrae quam tamquam gratiam Dei expectamus; maior conscientia et dominium sui humanitatem capaciorem reddit, ut pleniore intellectu fidem Veritatis aeternae amplectatur, et ampliato corde Deum amet omnibus viribus humanitatis et mundi.

2 B. Quamvis ergo plena humanizatio videatur esse conditio ad plenam realizationem Regni Dei, tamen haec humanizatio laborat ambiguitate. Simul cum maiori capacitate credendi et amandi crescit etiam potentia fidem et amorem recusandi, et crescit temptatio qua humanitas se Deo claudit et « veritatem Dei in iniustitia detinet » (*Rom.* 1. 18).

Quo potentior est homo, eo potentius potest peccare. Ita ut humanitas ex ipso aucto dominio sui et mundi possit potentius humanitatem suam destruere.

2 C. Omnibus ergo simul collaborandum est, ut viam ad humanizationem inveniant, et ut pericula imminentia avertant.

3. In hac inquisitione et conamine Evangelium proponit prototypum hominis idealis, scilicet Iesum Christum qui tota sua vita fratres amavit et Deum dilexit; manifestat et docet, veram humanizationem fieri non posse nisi tandem aliquando homines se invicem diligant; manifestat et docet, veram humanizationem consummari non posse, nisi homines Deum agnoscant; ostendit legem abnegationis ac sacrificii, quae sunt conditiones necessariae navitatis fecundae; promittit gratiam Spiritus Sancti, qua homines roborantur ad arduam hanc vocationem illuminate, viriliter, patienter prosequendam, et ad semper ulterius in sua via progrediendum; promittit remissionem peccatorum, qua misericordia Dei reparat quod hominis culpa destruxit; promittit realizationem finalem et transcendentem illius idealis, cuius spes in terra iterum iterumque decipitur, quia ostendit ipsam mortem in nova terra superari.

4. Ecclesiae est hoc Evangelium annuntiare eique testimonium reddere, eo quod membra Ecclesiae cum ceteris hominibus collaborent studiose, et inter eos sint quasi levamen, quo caritatis et sacrificii lex continuo realizatur, quo ideale purum servatur, quo spes semper viva habetur.

11

Exc.mus P. D. CAESAR ANTONIUS MOSQUERA CORRAL
Archiepiscopus Guayaquilensis

Venerabiles Patres,

Numerus laicorum suae responsabilitatis in mundo et in Ecclesia...[1] in dies...[2] crescit. Munus suum quaerunt; quod quidem clara luce illuminatum spectant.

In nostro schemate hic inde, quae speciatim ad laicos spectant dicuntur quae tamen pro viribus clarificanda manent. Hac de causa, aliquas habeo cogitationes et quasdam quaestiones, quarum responsione, ut spero, clarius lucebit munus laicorum.

In n. 53, paragrapho quinta, legitur: « Laicorum vero munus multo latius extenditur quam ut mundum spiritu christiano animare possint: non solum in tota vita Ecclesiae activas partes gerendas habent, sed in omnibus, et quidem in media consortione humana, Christi testes esse debent ». Deinde describitur in ipso numero hoc munus in sua sic dicta latiore extensione.

Quaerere tamen audeo quid praecise significet illa « animatio mundi ». Verba haec mihi videntur non adeo claram et universalem habere significationem. Tantum in aliquibus mundi plagis, meo iudicio, laici illa intelligunt. Insuper, non adeo clare patet in quo consistat « testes esse in media consortione humana ».

Ut clarius pateat dictum « laicorum vero munus multo latius extenditur quam ut mundum spiritu christiano animare possint », iuvabit

aliqua brevis explanatio illius « animationis mundi ». Ipsa posterior descriptio melius sic intelligetur.

Insuper breviter percurramus descriptionem muneris laicorum: En dicta: 1. « A Spiritu Sancto roborati, interventus Eius audient ... »; 2. « Cui voci non tantum respondere conentur, sed satagant ut eadem vox etiam ab aliis audiatur ... »; 3. « Vincula inter homines multiplicando ... et verbis et operibus suis eis infinitum amorem Patris patefaciant ».

Nonne descriptio haec, ut sonat, nimis in ordine interindividuali manet? Ipsa pleniori sensu mihi redigenda videntur.

Recte in ultima paragrapho n. 51 scribitur: « At optime etiam novit Ecclesia totum ordinem socialem, peccato vitiatum, donis remediisque indigere divinis, ut exigentiis ab ipso Deo in corde hominis inscriptis respondere possit. Praedicatione sua, fermenti instar, totam massam humanam in omni campo sublevare potest et debet ».

Inde, ordo socialis, etiam ille ordo socialis spiritui evangelico plus minusve conformis, indiget permanenti conatu renovationis. Omnis enim societas quasi ut nervum habet systema quoddam valorum generaliter a personis huius societatis admissum. Orientatio et ipsa consistentia societatis a robore huius systematis, ut sociologi factis fundati notarunt, pendet.

Unde societas erit realiter christiana, si hi sic dicti valores conformes sunt Evangelio. Sed societas est quid vivum, continuo processui evolutionis subiectum. Nervum eius, scil. systema valorum, viribus hinc inde provenientibus influxum subiit. Hac de causa, etiam societas christiana aut magis conformis menti et voluntati Christi devenire potest aut subire influxus culturales contrarios et ita, versus individualismum, egotismum, odium, invidiam, materialismum practicum inclinare. Quae inclinatio saepe animadvertitur imprimis in divortio illo, quod inter fidem professam et vitam quotidianam recte notatur, n. 52, ut scandalum nostri temporis.

Christianis, proinde, speciatim laicis, munus incumbit salis, lucis, fermenti mundi, qui a diversis systematibus sic dictorum valorum ordinantur. Hac de causa laicorum munus fundamentale, mea humili sententia, in permanenti attentione ad concretas vitae realitates consistit, ut vires de facto imperantes in societate, seu sic dictos valores, determinent, sub luce Evangelii adiumento Magisterii Ecclesiae iudicent et ipsos valores menti et voluntati Christi in sermone montano expressis adaptare satagant.

Munus salis, lucis, fermenti: mediante illa attentione ad relationes interpersonales, mediante iudicio utrum hae relationes sint fraternae

caritati et spiritui paupertatis cohaerentes, mediante denique illo conatu ad illam cohaerentiam assequendam.

Munus salis, lucis, fermenti in ipsa actione sociali, ut attentione, iudicio et conatu, etiam media, et non tantum fines, cohaerentia sint cum Evangelio, ut recte in fine n. 89 dicitur.

Initio n. 53 legitur: « Totus populus Dei messianicus mortem et resurrectionem Domini coram mundo testificare debet, at modis valde diversis ».

Sed quaerendum est an mundus hodiernus paratus sit ad hoc testimonium recipiendum. In semper progrediente civilizatione technica, per se aperta spiritui evangelico, de facto multa obstacula removenda sunt, quae laicis propinquiora cum sint ab ipsis speciatim invenienda sunt et superanda. In praedicta descriptione muneris laicorum, haec praeparatio mundi ad hoc testimonium accipiendum addenda et clarificanda est.

Tandem, aliud in munere laicorum clare notandum est: scil. munus fovendi, in ipsa cura huius mundi, exspectationem novi caeli et novae terrae secundum promissa Domini. Haec exspectatio maximi momenti videtur ne materialismus etiam christianorum societatem invadat.

Venerabiles Patres, ut hae observationes adiumentum sint ad clarius reddendum munus laicorum, en summatim observationes et vota:

1. Ut clarius pateat quid significet « animatio mundi » et in quo consistat « testes esse in media consortione humana », in describendo munere laicorum, expressius loquatur de attentione, iudicio et conatu circa systemata sic dictorum valorum socialium.

2. Indicetur momentum muneris laicorum ut et ipsae relationes interpersonales, non tantum structurae, ut et ipsa media, et non tantum fines, cohaerentes sint cum Evangelio.

3. Addatur mentio de munere laicorum in praeparando mundo, ut testimonium mortis et resurrectionis Christi recipere possit.

4. Expresse, denique, loquatur de munere laicorum fovendi, etiam in cura huius mundi, exspectationem novi caeli et novae terrae. Dixi!

In textu scripto tradito: [1] conscii. [2] Deo favente.

12

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS KUHARIĆ

Episcopus tit. Metensis, aux. Zagrabiensis

Patres Venerabiles,

...[1] Ad apponendum aliquem calculum in aedificatione nostri schematis, quod ad quam perfectiorem statum evolvendum permulti Patres tam pretiosas observationes iam dederunt, ego ex parte mea humiliter desidero tantum tres ...[2] animadversiones proponere.

1. In art. sub n. 15, pag. 15, loquitur « de praestantia libertatis ». Hic exponitur praecellens indoles hominis, nempe eius libertas, qua homo « personaliter ab intra motus et persuasus » ...[3] uti debet, ut bonum eligat et malum abiiciat. Sed homo huius temporis inclinatus est ita comprehendere suam libertatem, ut sibi vindicet ius ad faciendum omne quod ei placet sine ulla responsabilitate. Ideo propono, ut in textu huius articuli etiam responsabilitas hominis coram Deo declaretur. Homo nempe ex caritate ad caritatem creatus est, ideo liber creatus est, ut actu amoris in libera *oboedientia* seipsum Creatori donare possit. Quae libertas inseparabiliter cum responsabilitate coniuncta est. Deus non est tantum Creator sed et Remunerator aeterna differentia inter bonum et malum remanente. « Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi ... » ...[4]. Accentus debet dari veritati Deum supremum iudicem esse tam individuorum quam potestatum, cui omnes rationem reddituri sumus. Hoc esset opportunum ad consolationem omnium qui in processibus malitiose positis innocentes damnati sunt. Haec esset necessaria admonitio omnibus qui potestate iudiciali abutuntur supremum iudicem spernentes.

2. In art. 46, lin. 24, scriptum est: « Christus, qui nullius hominis adhaesionem cogit, per Spiritum suum, ad ostium cordis nostri stat et pulsat, responsum nostrum exspectans ». Perpulchre dictum, sed humiliter propono ut tota veritas declaretur. Quid de sorte hominis negativum responsum dantis? Exponenda est illa gravissima realitas aeternae sortis cuiusvis hominis, quae duplex esse potest. Immortalis homo ad aeternam decisionem vocatur. A Redemptore illi offertur caritas profundissima, pax immensa, felicitas sine fine. Sed si immortalis homo hanc vocationem repellit, sua voluntate bonis aeternis seipsum privat ac « tenebras exteriores » ...[5], tristitiam desperatissimam, maledictionem perpetuam pro semper eligit. Suam vitam terrestrem ac aeternam homo

oboedientia aedificat, inoboedientia destruit. Aperta sinceritate de hac maxima gravitate aeternae electionis homines huius temporis edocendi sunt!

3. In art. 56 a lin. 33 legitur: « Mirum non est Ecclesiam cum vita hominum penitus immixtam eorumque historiae intextam, omni saeculo apparuisse quibusdam rugis maculatam ». Rugae maculantes Ecclesiam eius indigna membra sunt. Prosperitas moralis generis humani magna ex parte dependebat ac dependet de sanctitate omnium membrorum Ecclesiae, praesertim eorum qui ordine episcopali ac sacerdotali votisque religiosis ornati sunt. Omnes membra Ecclesiae sanctiorem vitam ducere debent, ut mundus in ordine morali melior sit. Evangelium vivatur ut dilatetur. Mundus revera in gremio Ecclesiae permulta exempla sanctitatis et heroismi contemplari potuit ac potest. Sed etiam, proh dolor! tot scandala in cursu historiae hominibus ansam praebuerunt, ut sua delicta nostris peccatis excusarent. Occasione huius articuli humiliter propono, ut haec Sacra Synodus nomine omnium membrorum Ecclesiae actu profundae humilitatis data scandala in cursu historiae fateatur ac damnet, misericordiam divinam implorans monensque mundum, ut seiuncte a nostris peccatis veritatem aeterni Evangelii castissimamque vitam Domini nostri Iesu Christi contempletur! Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Tres animadversiones proponuntur: 1. ad art. 15 in pag. 15: Necesse est ut responsabilitas hominis et Dei potestas iudicialis expressius declaretur. 2. ad art. 46 in pag. 35: Valde opportune est ut gravissima realitas aeternae sortis, quae duplex esse potest, fortius enuntietur. 3. ad art. 56 in pag. 43: Proponitur ut S. Synodus nomine omnium membrorum Ecclesiae a Deo et genere humano remissionem petat omnium scandalorum in cursu historiae commissorum. [2] breves. [3] (art. 15, pag. 15). [4] (2 *Cor.* 5, 10). [5] (*Mt.* 22, 13).

13

EXC.MUS P. D. ALFREDUS BENGSCH
Archiepiscopus-episcopus Berolinensis

Venerabiles Patres,

Propositio mea ad cap. I nostri schematis ...[1] hac consideratione nititur: tota *prima pars* schematis ita disponenda est, ut: et fructus immensi laboris a commissione praestiti salvetur; et fundatis argumentis, a Patribus in discussione prolatis, satisfiat.

...[2] Patientiam ergo quaeso *vestram*,[3] si initio delineamento ad propositionem de cap. I describo:

I. Usque nunc variae, *immo contrariae,*[4] sunt sententiae, quid *praecise*[5] Concilium contribuere valeat et debeat ad dialogum cum mundo hodierno.

In III sessione brevis textus propositus erat, qui tamen ad commissionem remittebatur propter centies prolata vota, ut textus fiat amplior et perfectior.

Nunc[6] in IV sessione habemus integrum librum tamquam textum, qui nimis amplus *multis*[7] et nimis verbosus esse videtur, quique semper et adhuc augetur votis et additionibus.

Initio laboris certe multi arbitrati sunt, brevem descriptionem doctrinae Ecclesiae sufficere. Textus nunc propositus primo amplam analysim et descriptionem mundi hodierni praebet, dein ad doctrinam Evangelii ducit. Discussio est *etiam*[8] num e textu constitutio pastoralis aut litterae conciliares fieri debeant. *Et*[9] sicut in evolutione schematis, ita et in eius discussione idem erat problema, *i. e. quaestio fundamentalis.*[10] Haec exempla solum adducam: em.mi DD. cardd. Siri et Ricketts necnon arch. Amici postulaverunt, potius in schemate sub respectu Evangelii loquendum esse. Card. König praeprimis claritatem desiderabat, quisnam, ad quemnam et quanam auctoritate loquatur? Card. Frings et ep. Charue denotabant obscuram vel saltem non satis distinctam esse notionem: « Mundus ». Card. Ruffini censet, schema non esse vere unum quid, ex parte vix perspiciendum immo non semper verum.

Intima ratio totius difficultatis in eo est, ut evidenter in hoc schemate novam materiam attingimus, quae non materiae aliarum constitutionum aequiparanda est.

Ideo cordi mihi est declarare, non esse locum crimini subicere opus commissionis. Quae commissio enim maxima prudentia et industria praestabat *et*[11] correspondebat votis Patrum. Sincere fateor, meipsum quoque in III sessione putavisse, schematis amplificationem omnino necessariam fore. Discussione demum in collegio episcoporum et mature perpensis argumentis nunc prolatis, certior factus sum, alia via procedendum esse.

Ante omnia, ut puto, nobis constare debet: Quod Concilium ad dialogum cum mundo contribuere potest, nihil est, nisi *pars,* licet pars profecto fundamentalis. Dialogus enim necessarie diversis modis inchoandus et continuandus est: pro sua quisque parte a Summo Pontifice, ab episcopis, theologis, parochis, sacerdotibus et fidelibus. Id, quod Concilium praestare potest et debet hoc est:

Normas generales *sive fundamentales,*[12] iuxta Evangelium, at intuitu mundi hodierni, exponere, quam brevissime et omni claritate, ita ut dialogus diversis modis continuetur. Hoc ...[13] facilius fieri potest, cum

Summus Pontifex *Synodo Episcoporum* organum creavit — ut gratissimo applausu recolimus! — quo gravia problemata ab episcopis totius mundi examini subiciantur.

Hos limites, intra quos solummodo Concilium edicere potest, *Patres venerabiles,*[14] nosmetipsi statuimus; simul renuntiare debemus desideriis et votis, quae vires et possibilitates excedunt; renuntiare debemus compendiosae perfectioni et subtili commentario. Ita labor commissionis possibilis erit, quia facilior ad perspiciendum. Primum, quod Concilium praestare potest ad inchoandum dialogum, ut Ecclesiam ostendat et introducat tamquam partem habentem huius dialogi, et quidem Ecclesiam omnino legitime habere hanc partem dialogi cum mundo et de mundo hodierno; simul Concilium explicet methodum dialogi inchoandi. Haec *omnia autem* [15] iam optime proposita sunt in cap. IV nostri schematis.

Ideo propono: Absque ulla alia declaratione, cap. IV sit cap. I schematis, in quo Ecclesia munus suum in mundo exponit.

Necesse est autem, antequam themata particularia tractantur, ut Concilium sub luce Evangelii exponat, quae de mundo dicenda sunt. I. e., secunda alinea in prooemio ...[16] data descriptio « mundi » clarius et distinctius intuitu dialogi exprimatur. Post resurrectionem Domini etenim et ante parousiam Ecclesia praesens est mundo, qui *prae-formationem* iam accepit ad recipiendum Evangelium, et quidem ope Creationis et Incarnationis. Hic valet Scriptura: « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret » ...[17]

Ecclesia ergo intelligere debet signa temporis, ansam et occasionem colloquii quaerere et videre, bona cuncta promovere. Simul autem post resurrectionem et ante parousiam Ecclesia existit in mundo, qui magna ex parte sub dominio Maligni stare potest et stat, sub potestate, *ut dicit Scriptura,*[18] mundi rectorum tenebrarum harum ...[19]. Hic valet Scriptura: « Nolite diligere mundum neque ea, quae in mundo sunt » ...[20].

Mundus ergo iam multifarie *occupatus* est, ne Evangelium accipiat. Ecclesia ergo monere, defendere, repellere debet. Ita *et* [21] in dialogo cum mundo hodierno loquetur.

II. Inde haec sequuntur quoad cap. I:

1. Ecclesia exponit ea quae credit ipsa: *nempe* [22] quomodo in Christo clara perspicuitate homini revelatur, quis ipse sit, quae sit eius vera vocatio. Hoc iam invenitur in nostro schemate (nempe n. 20), qui textus — sicuti et alibi — breviari posset.

2. Ecclesia cum gaudio magno declarat, se in luce fidei quaedam propria huius imaginis de homine in hodierno mundo invenire, agnoscere,

laudare et omnia conamina ad maiorem perfectionem promovere. Ita: quae etiam in nostro schemate sunt de dignitate hominis ...[23] (nn. 12-13), de dignitate conscientiae (n. 14), de praestantia libertatis (n. 15) et de sociali indole hominis (n. 16).

3. Ecclesia attentionem dirigit ad ea problemata hominis, quae mediis mundo propriis nullo modo solvenda sunt: problema de morte devincenda (n. 17), de vera ratione essendi et existentiae, ...[24] proprie de Deo agnoscendo ab hominibus (n. 18).

4. Ecclesia repudiat conceptum hominis pleni autonomi, qui maxime in variis formis Atheismi invenitur (de quo in n. 19).

Et ita ex textu schematis componi posset declaratio, quae immensum laborem a commissione praestitum ad bonum eventum ducat et hoc faciendo respondeat votis criticis *et*[25] etiam exspectationi fidelium. Secundum eamdem methodum, quam proposui, cap. II et cap. III redactionem breviorem habebunt; et secretariatui haec capita ita brevius redacta tradam.

Concludo.[26] Enixe rogo *vos, Patres venerabiles,*[27] et commissionem ut examini subiciant quaestionem, num hac via abbreviationis, concentrationis et dispositionis votum Concilii quoad dialogum Ecclesiae cum mundo hodierno elaborari possit.

Si multi sunt, qui propositis a me concordant, faveant mentem suam secretariatui vel commissioni patefacere, quia opportunius videtur nosse non solum singulos modos, sed intentionem aulae Concilii.

Omni quae par est reverentia dicere liceat: Si quid novisti melius istis, dic mihi. Si non — his utere mecum! Dixi.

In textu scripto tradito: [1] quod profecto magni momenti est. [2] Consensum et. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] deest. [13] eo. [14] deest. [15] deest. [16] (pag. 5, lin. 21). [17] (*Io.* 1, 16). [18] deest. [19] (*Eph.* 6, 12). [20] (*1 Io.* 2, 15). [21] deest. [22] deest. [23] de dignitate corporis et animae. [24] i. e. [25] sed. [26] deest. [27] Patres.

[*Subscripserunt etiam*] P. Brezanóczy, ep. tit. Rotariensis; J. Cserháti, ep. tit. Melzitanus; J. Winkler, ep. tit. Dadimensis; S. Kovacs, ep. Sabariensis; J. Ijjas, adm. ap. Csanád; H. Aufderbeck, aux. Fulda; H. Theissing, aux. Berlin; G. Schaffran, ep. tit. Semnea.

Animadversiones additae:

In genere. Studium schematis eiusque discussio evidenter demonstrant, problema quoddam positum esse in ipsa conceptione schematis. Hinc quaestio ponenda est: Quomodo Concilium dialogum cum mundo hodierno instituere potest?

Hic dialogus est novum opus inchoandum et continue perficiendum; proinde natura sua non est absolvendus ope alicuius constitutionis dogmaticae.

Semper quidem Ecclesia dialogum habere debuit, veritatem scilicet Evangelii ita praedicavit, ut determinatum tempus eiusque conditiones respiceret. Id quod hodie etiam fit, ministerio nempe sacerdotum, pastorali opere episcoporum, sermonibus et litteris Summi Pontificis, maxime vero testimonio fidelium, qui ut Christifideles in mundo continuae varietati subiecto vivunt.

Quaestio oritur, quid Concilium qua tale quoad hunc dialogum inchoandum dicere valeat et debeat? Hinc alia quaestio, num schema prouti propositum est, adiutorium sit ex vera competentia Concilii?

Absque dubio in textu proposito multa eaque valde pretiosa coadunata sunt; hinc ingens industria auctorum omni laude digna est.

Interventiones tamen hucusque factae docent, textum in genere non plene satisfacere.

Hoc ex natura rei accipiendum est; sunt etenim quaestiones quae plus quam principia generalia exigunt, ad quas saltem hodie responsum satis concretum nondum possibile est, sive propter differentes conditiones in variis Nationibus, sive propter evolutionem et indaginem nondum absolutam.

Alia accedit ratio: Laudabiliter textus ita compositus est, ut ab omnibus facile intelligatur; hinc venit quod argumenta theologica aut omissa sunt aut efficacitate carent.

Porro dicendum est, quoad condiciones particulares opus, cooperationem et consilium peritorum deesse, saltem partim, et desiderari.

Textus proin non satisfacit.

At iure homines sententiam Concilii relate ad tam multas et gravissimas quaestiones exspectant.

Nostrum igitur est officium, conciliare schema redigere, cuius textus propositus in genere, et non tantum iuxta modos, emendatione indiget.

Evidenter hoc non per partes et seiunctim fieri potest, maxime si ratio habeatur tam amplae materiae 106 numerorum materiaeque tam magni momenti. Hoc profecto excedit vires atque facultates Concilii in hac sessione.

Ideo hanc solam video viam: debemus unanimiter methodum et finem quaerere et statuere, quae certam spem fructus vere utilis praebent.

Secus aut schema finitur sub pressione temporis insufficientis; ideo fideles sicuti et ceteri homines delusos se invenient; aut tam immensam molem votorum, desideratorum, propositionum — sese ad invicem oppositorum — praevidere possumus, ita ut quaelibet commissio impar huic oneri se sentiat.

Ideo propono:

1. Totum schema considerandum est tamquam declaratio.

2. Primum haec declaratio respicit fideles, eos instruendo, quomodo veritas Evangelii tangit et tangere debet mundum hodiernum. Locutio ergo prorsus theologica erit.

3. Tamen ita promulganda est declaratio, ut simul capiatur a non-christianis, qui inde videant, quomodo et quantum Ecclesia operis eorum consentiat vel — versa vice — dissentiat.

4. Textus valde contrahendus est, quia hac declaratione dialogus inchoandus est. Brevis ergo expositio propriae positionis requiritur, non vero ampla expositio totius doctrinae vel diffusa analysis conditionis hodiernae.

5. Initium sumere deberet declaratio eo capite, quod nunc IV est, quia sic optime cohaerentia cum constitutione dogmatica *de Ecclesia* videnda est. Tunc

sequentur veritates de humanae personae vocatione, de hominum communitate et de significatione navitatis humanae in universo mundo.

6. Secunda pars aget de dignitate matrimonii et familiae fovenda, de cultus humani progressu, de vita oeconomica-sociali, de vita communitatis politicae, de communitate gentium et de pace promovenda. Addendum est, hic solummodo agi de initio dialogi. Talis declaratio ex elementis in textu propositis componi potest.

7. Dialogus sic inchoatus — uti omnibus persuasum est — continuandus est. Concilium ergo quoad secundam partem statuere posset, quod — in analogia cum Consilio de Liturgia et de Iure Canonico — ad continuandum dialogum commissio postconciliaris deputanda erit, nisi forte ipse Summus Pontifex saltem partim hunc dialogum continuare sibi reservabit, vel Synodo Episcoporum committet.

Itaque Praesidium Concilii atque moderatores appello, ut faveant examini subicere hunc scopum et finem schematis in genere, ne discussio cassa maneat neque labor commissionis in vacuum fiat.

* * *

Loquar de problemate atheismi, de quo in nn. 18 et 19 nostri schematis tractatur.

Textus ipse declarat, illud problema inter gravissima huius temporis facta numerandum esse.

1. Attamen quae de hac re dicta sunt, imperfecte, impraecise atheismum describunt. Maximi igitur momenti est, ideologiam istam recte intelligere et interpretari.

Neminem enim fugit, illam in multis regionibus spargi, immo ubique terrarum — diversis etsi modis — etiam ubi non a potestatibus publicis sustentatur.

Neminem pariter fugit, homines nostrae aetatis per atheismum incapaces fieri Evangelii. Ideo mihi et co-episcopis meis, quos problema atheismi — ut notum est — profecto intime occupat, necessarium videtur, quod Concilium omnino atheismum recte describat et omnes moneat, Atheismum vilibus argumentis non debellare.

2. Systematica negatio Dei — his verbis utitur textus in initio descriptionis atheismi — systematica Dei negatio, quae certissime atheismo essentialis est, non est essentialiter cardo cogitandi huius ideologiae. Ex mera etenim negatione nemo vivere, laborare et pugnare potest.

Cardo et fundamentum — et quidem omnium formarum atheismi — in hoc est: Autonomia hominis, sive hominis in collectivo, sive hominis ut singularis.

Agitur ergo, si vis dynamica consideratur, de quadam anthropologia, quae quidem necessario negationem Dei includit.

3. In atheismo systematico seu historico caput et cardo totius systematis est liberatio hominis — praeprimis ordinis vel coetus operariorum — a quavis expropriatione vel suppressione.

Quae liberatio necessario liberationem a religione includit, quia religio — secundum eorum placita — hominem ineptum facit ad opera necessaria in hoc mundo, et insuper semper — uti aiunt — tamquam adiutrix possessorum et nucleus « reactionis » progressum hominum impedit.

Homo vel potius ordo aut coetus operariorum liberatus, plenum dominium mundi sibi arripiet et « paradisum » adducet.

Sub hoc respectu cuiusdam liberationis vel immo redemptionis, systema atheismi considerat totam historiam et propriam doctrinam habet tamquam eschatologiam « saecularizatam », ut ita dicam.

Aliis verbis: atheismus non solum anthropologia profana, sed etiam soteriologia perversa nominari debet. Vocabularium verborum quibus utitur vera religio, atheismus suum facit — depravato usu quidem —, immo partim ritum imitatur pro quadam pseudoliturgia. Ex quo ergo cognoscitur, hanc formam atheismi possibilem esse post tot saecula christianismi.

4. Potestas mali semper etiam vim haurit ex infirmitate bonorum. Diffusio atheismi et eius vis attractiva apud multos saltem ex parte nobis christifidelibus dedecori est. Praedicatio nostra etenim saepe et diuturno tempore praecise has veritates neglexit, quarum vestigia — licet depravata — in hoc systemate invenimus, nempe dignitas hominis, dignitas laboris, fraternitas hominum, opus redemptionis, quo libertas filiorum Dei acquiritur, et praesertim doctrina vere biblica de eschatis. Haec profecto maximi momenti est in actione pastorali ubicumque doctrina atheismi credentibus occurrit.

5. His praemissis et perpensis, novum textum numero undevigesimo substituendum, licet ex bonis elementis textus propositi compositum, Secretariatui transmitto. Liceat mihi saltem tres principaliores formas nominare, quae in novo textu enumerabuntur: atheismus mere practicus; atheismus agnosticus; atheismus militans.

Novus textus propositus n. 19. In dialogo Ecclesiae cum mundo haud exigui momenti sunt diversissimae formae atheismi, non simpliciter ad invicem reducendae. In eo tamen concordant, quod omnes secus atque anthropologia et theologia christiana conceptum proclamant, quem homo de seipso habet, de humano generi, de universo — qui conceptus vult esse mere humanisticus, huic mundo immanens « et sine Deo in hoc mundo » (*Eph.* 2, 12).

Multi ex coaevis nostris de facto sibi nequaquam rationem reddunt de vera existentia Dei vivi, ita ut hodie absentia Dei vitae privatae et publicae passim characterem imprimat. Tamquam causae huius phaenomenis habendae sunt: amissio totalis fidei; exclusiva conversio ad mundum terrestrem; immoderata appetitio commodioris semper vitae; sed ex altera parte etiam defectus in praedicatione Evangelii Christi et deficiens testimonium christifidelium. Tamquam consequentiae inde emanat vitae quotidianae habitus, qui omnem inquietudinem religiosam a corde arcere conatur; qui quaestiones: de vitae significatione, de morbo, de dolore, de peccato et de morte consulte devitat; qui bona temporalia tantopere et absolute exaltat, ut locum Dei obtineant; qui ab his bonis autem felicitatem in terris exspectat.

Alii, magna saepe intelligentia praediti et in campo scientiarum pro suo ingenio admiranda praestantes, methodum propriae scientiae ita autonomam habent, ut omnem aliam formam dignoscendi ignorent, parvi pendant, immo negent. Ideo nullum aditum ad Deum inveniunt. Obstinantes repudiant viam revelationis. Incredulitas eorum solum nititur in humana ratione, quae — iuxta eos — nihil affirmare valeat de Deo.

Alii iterum proclamant in se cohaerentem ideologiam de universo, de homine, de historia et de societate.

Iuxta eos mundus et universum ex sese explicantur. Vita hominum et socie-

tatis exclusive formatur et dirigitur propria virtute. Historia naturae et generis humani sese evolvit ex potentis mere mundo immanentibus et ope laboris, technicae artis et scientiae ad terrestrem paradisum ducit, in quo generi humano bona solummodo huius mundi tamquam salus exspectata promittuntur.

Ideo in hac doctrina necessario existentia Dei negari debet, Religio tamquam generi humano inimica habenda, dum aperte et vehementer atheismus defendendus, docendus, propagandus est.

Procul dubio nihil magis hominem offendit quam atheismus, qui eum dignitate personae humanae privat; qui veram libertatem voluntatis negat; qui non praebet satisfacientem significationem vitae, peccati, culpae, doloris et mortis; qui universali experientiae humanae contradicit simul atque Evangelio Christi de redemptione et beata consummatione hominis, familiae humanae atque totius universi.

Ecclesia autem, fideliter tum Deo tum homini addicta, desinere non potest quin perniciosas illas doctrinas actionesque dolenter et firmiter reprobet; atheismum reiciens, sincere fatetur homines omnes, credentes et non credentes, communiter in hoc mundo habitare. At pro credentibus simul libertatem expostulat ut in hoc mundo etiam Dei templum exstruere sinantur.

Multifariis difficultatibus non obstantibus Ecclesia obviam eundo atheistis omnia studet, « ne quod offendiculum detur Evangelio Christi » (*1 Cor.* 9, 12), neminem repellere, omnia omnibus esse, omnes Christo conciliare et tamquam Mater et Magistra in misericordia et patientia confortare infirmos, ignaros docere et dubitantes reducere ad Evangelii veritatem.

14

Exc.mus P. D. CAROLUS WOJTYLA

Archiepiscopus Cracoviensis

Venerabiles Patres et omnes praesentes,

Schema *de Ecclesia in mundo huius temporis,* quod constitutio pastoralis vocatur, magis mihi videtur considerationem esse quam constitutionem. In constitutione enim statuitur aliquid a Concilio praesertim quoad doctrinam. In schemate autem nostro proponitur potius quidam conspectus idearum ad considerandum in theoria et in praxi.

Cum autem schema indolem pastoralem prae se fert, tunc convenienter occupatio eius principalis est de persona humana, tam in seipso, quam in communitate ...[1], quam in universo. Omnis enim pastoralis sollicitudo personam humanam ex parte subiecti et obiecti praesupponit. Omnis etiam pastoralis navitas, omnis apostolatus sive sacerdotalis, sive laicorum, ad hunc procedit finem, ut persona humana in omni relatione cum seipsa, cum aliis, cum mundo, intelligat et actu exprimat veritatem de sua integra vocatione.

Sub hoc aspectu pars I schematis bene correspondet suae finalitati. Attamen sub eodem aspectu oportet animadvertere, quod finis pastoralis schematis postulat multo magis momentum soteriologicum, quam hoc in textu praeiacenti invenimus. Qualiscumque sollicitudo pastoralis, etsi maxime fundata in dialogo, praesupponit totum opus Redemptionis in Cruce consummatum et intimam hominis ad hoc opus relationem, profundam ab hoc opere dependentiam. Ad hoc non sufficit dicere tantum, quod in opere Redemptionis opus Creationis assumitur, ut in n. 50. Oportet extollere, quod haec assumptio in Cruce consummata est. Iste autem modus divinus assumendi opus Creationis in opere Redemptionis per Crucem determinavit *aliqualiter sed* [2] pro semper christianam significationem « mundi ». Opus Redemptionis constituit elementum proprium et constitutivum schematis « de Ecclesia in mundo », inquantum hoc schema pastorale est. Non possumus celare Redemptionem in una propria finalitate, secus non datur in schemate nec veritas de mundo, nec veritas pastoralis.

Sub aspectu dialogi: ad dialogum pertinet utique affirmatio eius, cum quo dialogus instituitur — ergo ista affirmatio mundi, quam in schemate invenimus, bonis principiis dialogi correspondet. Attamen affirmatio ista non debet esse talis, ut partes Ecclesiae eiusque proprium munus, eius salvifica conscientia et missio — ex re affirmationis mundi non appareat sufficienter. Ecclesia nequit tantum sese iustificare in hoc sensu, quod considerata autonomia rerum terrestrium optimum servitium ad aedificationem et evolutionem mundi praestitit et semper vult praestare. Utique, Ecclesia vult praestare mundo omnia servitia possibilia, praecipue autem servitium veritatis et moralitatis, semper tamen secundum hanc transcendentiam, quae ipsi ex opere Redemptionis est propria. Tunc servitium Ecclesiae est servitium salutis aeternae, quae omnem finalitatem immanentem mundi transcendit. Propter bonum dialogi necessaria est claritas et sinceritas. Utrum in spiritu sinceritatis et cum omni reverentia pro mundo haec omnia non possumus dicere? In schemate visio mundi, qualis esse debet, praevalet visioni mundi, qualis est — et visio Christi Consummatoris praevalet visioni Christi Redemptoris. Ipsa praesentia Ecclesiae non est *proinde* [3] sufficienter realis. In hoc schema deficit — deficit scil. quoad sensum realismi christiani.

Secundo. Problema atheismi. Problema atheismi (n. 19) sub aliquo aspectu constituit quaestionem complementariam declarationis *de libertate religiosa*. Sub hoc aspectu oportet clare distinguere inter atheismum, qui ex personali convictione provenit, *et illum* [4] qui media iniusta, i. e. quamlibet pressionem ad atheismum propagandum adhibet. Si enim una

ex parte comprehendimus, quod homines, qui quoad atheismum personalem habent persuasionem, quaerunt etiam alios in hac re persuasos esse, tunc tamen alia ex parte affirmamus, omnia media, quae ius personae simul ac ius communitatis ad religionem violant, legem moralem naturae gravissime offendere. Hic pertinet quaelibet pressio etiam moralis, specialiter cum pressionem aliquam physicam adiunctam habet, quae accidit, cum professio fidei in vita publica et officiali quasi impossibilis redditur et professio atheismi paene postulatur, cum instructio iuvenum principiis atheis imbuitur etiam contra voluntatem parentum et similia. Si contra legem naturae est, ut ad religionem quis cogatur, eo magis ut cogatur ad atheismum, praesertim fidelis cum sit.

Problema tamen atheismi in schemate « de Ecclesia in mundo » aliter adhuc ponitur, praesertim in contextu cap. I *et totius I partis*,[5] cum schema vocatur constitutio pastoralis et dialogo cum omnibus servire intendit. Tunc oportet considerare problema atheismi non tantum, in quantum atheismus est negatio Dei, sed in quantum est status internus personae humanae. Status iste utique debet investigari criteriis sociologicis et psychologicis, sed profunda eius comprehensio tantum in luce fidei est possibilis. In luce fidei apparet nobis non tantum exsistentia Dei, sed etiam salvifica eius voluntas erga omnes homines, unde venit supernaturalis vocatio cuiuslibet. In hac ergo luce problema atheismi est problema personae humanae in sua interioritate, problema animae, mentis et cordis. Homo atheus est homo persuasus de sua finali — ut ita dicam — « eschatologica » solitudine. Haec solitudo « a Deo », *absque Deo*,[6] solitudini « ad Deum » opposita, in qua includitur negatio immortalitatis personalis, promptiorem eum facit ad quaerendam quasi-immortalitatem in vita collectiva. Quaestio est, utrum magis collectivismus faveat atheismo, an atheismus collectivismo? Hoc saepe considerandum est, cum dialogus cum mundo atheo instituitur. Considerandum est etiam, quod atheismi fautores nos credentes putant alienationi internae subiectos in sensu idealistico, quasi nempe ideam Dei et ordinis divini tamquam proiectionem propriae mentis realitati visibili et materiali imponamus.

Talis videtur esse status quaestionis in dialogo. Proinde munus dialogi, quod in hac re est aliquid authentice christianum et simul humanum, ex parte nostra difficillimum etiam apparet, praesertim cum atheismo adiungitur relativismus et utilitarismus ethicus. Et si atheismus tamquam negatio Dei primo concipitur, oportet tamen forsitan dialogum ab homine incipere. Primo, in hoc sensu, ut libertas interna personae strictissime observetur, prout iam dictum est ...

Moderator: Exc.me Domine, velis finire, quia tempus exhaustum est.

Orator: Iam veni ad finem. Secundo — et hic est aspectus positivus — ut homo religiosus in sua intima ad Deum relatione sese ostendat tamquam non alienatus, sed e converso, sibimetipsi et mundo ex hac relatione *ad Deum*[7] propriissimus. Et hic est aspectus, immo et finis magni momenti pro schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis*. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] (vita sociali). [2] deest. [3] deest. [4] ab illo. [5] (de humanae personae vocatione). [6] deest. [7] deest.

15

Exc.mus P. D. FELIX ROMERO MENJIBAR
Episcopus Giennensis

Venerabiles Patres,

Cap. IV huius I partis schematis de quo disceptatur, rem *quidem*[1] maximi ponderis tractat, ut instanter et gravissimis argumentis a pluribus Patribus postulatum fuit iuxta relatorem. Locus tamen et modus tractationis non perfecte respondent fini intento, cui obtinendo fortasse melius consuleretur si doctrina huius capitis, praesertim quae continetur in nn. 49-51 in parte introductoria includeretur, ubi efficaciorem vim haberet. Sed quaestione de loco aptiore praetermissa, iam in ipsis rebus tractatis quaedam animadvertenda veniunt, quo redactio schematis melior evadat.

In n. enim 49 qui exponit « rationes propter quas Ecclesia in hoc mundo praesens esse dicenda sit » non sufficienter effertur illud quod Ecclesia mundo communicandum habet ex divina revelatione, doctrinam scil. de Deo in sua relatione ad hominem; de Deo igitur creatore, providente, qui historiae cursum dirigit; qui sese manifestavit in historia salutis ut Patrem, Misericordem, personalem, peccato offensum, conscientiae iudicem, hominis defensorem. De his in aula iure meritoque iam *loqui*[2] audivimus.

Haec enim omnia quae sunt velut nucleus totius Sacrae Scripturae, pretiosissimum Ecclesiae patrimonium constituunt, mundo semper et ubique offerendum, et ut firmissimum fulcimentum humanae dignitatis habendum. Haec autem fides de Deo vivo et historico necessario iungatur oportet cum laeto nuntio Resurrectionis Filii Dei Christi Iesu, nuntio

scil. paschali. Ecclesia enim essentialiter est communitas redemptorum per sanguinem Christi, communitas paschalis, testis Resurrectionis Christi, maximi interventus Dei in hominum historia quo et dignitas et spes humana fulciuntur.

Hac in re praeterea utilissimum foret breviter mentionem facere de compatibilitate huiusmodi doctrinae de Deo cum mentalitate moderna, quam vocant, et exigentiis legitimis autonomiae necnon sensu critico nostrae aetatis. Agitur hic procul dubio de gravissimo problemate « demythologizationis » ut dicitur. Multi enim homines conceptionem christianam de Deo et homine iam superatam fuisse autumant, utpote repraesentationibus non scientificis fundatam. Non pauci spiritus hodie hoc problemate exagitantur, qui forte pacem invenirent dum Ecclesia clare doceret quid in hac visione de Deo sit substantivum et independens a quavis philosophia et cultura, quid vero conditionibus et menti peculiari alicuius aetatis tribui possit. Vera enim Dei notio non est fructus inventionis hominis sed Revelationis ipsius Dei, nec Deum ad hominis arbitrium fingendum sed ab homine secundum Revelationis manifestationem cognoscendum et accipiendum esse oportet.

In n. 52 « de unione inter fidem et vitam concretam », textus videtur exigentias christianas tantum ad certamen contra iniustitias restringere. Quin negetur quod actio contra iniustitiam sit nostro tempore urgens, nihilominus in hoc loco opus esset agere de normis fundamentalibus, quibus tota vita moralis christiana innititur, de divinis scil. praeceptis. Ea omnia et sola sunt Revelatio clara voluntatis divinae circa hominem. In his clare apparet quod subobscure conscientia tanquam vox Dei profert. Frustra etenim essent conamina ut homines in bonum convertantur si deest nisus continuus in dies ut vox Dei magis conscientiis patefiat. Ipsa enim vox Dei, ipsius gratia adiutrice, est unica via quae hominem a superbia et desperatione liberat, ei afferendo vires ut mirabili fini suo respondeat. Ecclesia vere praesens in mundo esse debet per hanc vitam secundum Dei legem. Hoc tanquam primum ad Ecclesiae missionem pertinet. Huic normae subici debent omnes formulae ad problemata humana solvenda.

Conclusio. Cap. IV ita conceptum et expositum esset vere culmen totius I partis ac simul illuminaret sub luce Revelationis et Legis divinae ardua et difficilia problemata quae in parte II schematis tanguntur. Sic melius appareret munus Ecclesiae « quatenus ut visibilis communitas in hoc mundo exsistit » tum in ipsius missione doctrinam revelatam exponendi, tum in testimonio sive individuali sive sociali. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest.

Moderator: Audiant Patres! Exhausto elencho eorum Patrum qui in tempore nomen suum dederunt pro discussione quoad I partem huius schematis, crastina die, hora nona, in sequenti congregatione generali, transitus fit ad discussionem de II parte schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis*.

Nunc loquatur exc.mus D. secretarius generalis.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, plurimi, immo fere omnes praesides conferentiarum episcopalium mihi miserunt notitias quas ego postulavi, sed non omnes. Ergo rogo illos praesides qui nondum suum responsum dederunt, ut illud dent hodie. Gratias.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium!

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA DE ECCLESIA IN MUNDO HUIUS TEMPORIS

(in genere, prooemium, introductionem, partem I)

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA DE ECCLESIA IN MUNDO HUIUS TEMPORIS *

(in genere, prooemium, introductionem, partem I)

1

EM.MUS P. D. ANTONIUS CARD. BACCI

Placet iuxta modum, riguarda l'intero schema. Ritengo assolutamente necessario che si risponda in questo schema alla questione riguardante il *comunismo ateo*; tutto il mondo aspetta una parola chiarificatrice, che non può mancare.

I. Ogni qual volta si è unito un Concilio Ecumenico, ha sempre risolto i grandi problemi che si agitavano in quel tempo e condannato gli errori di allora. Il tacere su questo punto credo che sarebbe una lacuna imperdonabile, anzi un peccato collettivo.

II. Già i Papi, da Pio XI, che ha scritto una Enciclica di condanna del comunismo ateo, fino al regnante Pontifice Paolo VI, *tutti* hanno riprovato il comunismo ateo. Paolo VI il 3 sett. 1963 nel suo discorso di aggiornamento pastorale ha definito il comunismo ateo « un morbo letale e contagioso » (cf. *L'Osservatore Romano,* 6 sett. 1963) e nella sua Enciclica *Ecclesiam suam* ha ripetuto la riprovazione. Come potrebbe il Concilio tacere? Sarebbe mancare ad un suo grave dovere: quello di ammaestrare i popoli ed ammonire i fedeli sugli errori ed i pericoli del proprio tempo.

III. Certo è necessario fare questa riprovazione in termini di grande prudenza ... e soprattutto mostrarsi costretti dalla verità e dalla carità, a cui non si può venir meno.

IV. Inoltre è necessario distinguere fra errore ed erranti. Gli erranti, specialmente nel popolo, e cioè i comunisti sono mossi spesso unicamente da ragioni economiche; e non si avvedono che appoggiano un sistema che si oppone ad ogni libertà, non solo religiosa, ma anche civile; poiché il comunismo per la sua dottrina non è soltanto anticristiano, ma anche antiumano; rinnega almeno praticamente quelle libertà elementari, religiose e civili, che sono il patrimonio della nostra civiltà umana e cristiana.

V. Questa riprovazione si potrebbe fare al cap. IV, parte II, dove si parla della dottrina economica cristiana; avvertendo che la Chiesa vuole la elevazione anche economica delle classi meno abbienti e le giuste riforme

---

* Huiusmodi textus lecti non sunt, quia Patres vel, scripto exhibito, loqui non petierunt, vel iuri loquendi renuntiaverunt, vel disceptatio interrupta est.

sociali, ma non può ammettere un sistema che toglie le legittime libertà religiose e civili, che conculca i valori spirituali, che col suo ateismo militante ed opprimente tenta di togliere sistematicamente l'esercizio libero e la difesa libera e pubblica della religione, impedendo o limitando l'azione dell'episcopato e del laicato cristiano.

VI. Questa è la grande eresia teorica e pratica dei nostri tempi; e se il Concilio non si occupa di essa, può sembrare un Concilio mancato! Dixi coram Deo.

2

EM.MUS P. D. MICHAEL CARD. BROWNE

1. Bonum esset ut cum quadam maiore claritate appareat fundamentalem aequalitatem personarum non excludere graduationes dignitatis sive ex parte qualitatum individualium sive ratione hierarchiae socialis (v. g. in par. 30, p. 25).

2. Bis in schemate ponuntur verba ex quibus intelligi posset totum genus humanum tandem aliquando ad aeternam salutem perventurum esse. Ita (par. 2, pag. 5, linn. 2-27) habetur: « ... licet " mundus " quatenus sub signo Maligni positus est, Deo hoc tempore adversetur, donec in fine et ipse per fidem salvetur ».

Item (par. 36, pag. 28, linn. 9-12) habetur: « Omnes enim ad imaginem Dei creati sunt, et ex uno principio orti, ad unum eumdemque finem vocantur, iam nunc vitam SS. Trinitatis participantes ab Eaque vires ad communem salutem accipientes ».

3

EM.MUS P. D. CAROLUS CARD. CONFALONIERI

Nulla habetur mentio sanctae Familiae Nazarethanae, quae exemplum est communitatis familiaris (cf. LEONEM XIII) et in S. Ioseph patronatum opificum praebet (cf. PIUM XII). Puto quod mentio faciliter inseri possit, paucissimis utique verbis:

vel in n. 36: triginta annos « Ioseph et Mariae provida institutione gavisus » vel « Ioseph et Mariae amantissimo ductu » vel similia, vitam duxit opificis;

vel in n. 79: cum in oppidulo Nazareth « Ioseph et Mariae etc. ut supra » propriis manibus operaretur ...

Lingua latina et stylus revisendi sunt, praesertim quoad primam partem i. e. sermo reddatur facilior, magis perspicuus, rythmicus (quia etiam soluta oratio habet numerum).

Etiam interpunctiones magis curandae sunt.

4

EM.MUS P. D. VILLELMUS CARD. CONWAY
Archiepiscopus Armachanus

In n. 40, pag. 32, linn. 23-32, alinea ita corrigatur: Hinc deplorare liceat quaedam iudicia, tam a genuinis traditionis Christianae principiis quam a sana scientifica indagatione alienis, quae saeculis praeteritis relationes inter Ecclesiam et scientiam obnubilaverunt. Qui eventus, cum contentionibus, controversiis et praeiudiciis inde suscitatis, plurium animos eo perduxerunt ut fidem et scientiam inter se opponerent. De his casibus in quibus responsabilitates et culpae inter clericos et scientiarum cultores permixtae sunt, non tantum doleamus oportet sed omnibus viribus connitamur ut, quantum humana fragilitas patiatur, talia numquam iterentur.

In n. 42, pag. 33, linn. 21-22, addantur verba iuxta verba Domini: « non in abundantia cuiusquam vita eius est ex his quae possidet » (*Lc.* 12, 5).

In n. 53, pag. 41, linn. 36-37, deleantur verba « Non imperium ac dominatum exercere », quia haec verba de maxima parte sacerdotum vera non sunt et, ita generaliter dicta, sacerdotibus iniuriosa sunt.

Ibidem, linn. 38-42 substituantur his vel similibus verbis: « Quamvis enim ad Pastores Ecclesiae spectet praecepta evangelica et principia moralia ad convictum humanum respicientia proclamare, eorum tamen non est solutiones practicas seu praescripta concreta in omni oriente quaestione ordinis socialis praebere. Ne exspectent ergo laici ut a Pastoribus talia directiva recipiant: ipsi potius doctrinae Magisterii fideliter attendentes et sapientia Christiana illustrati, proprias responsibilitates in se recipiant ».

5

EM.MUS P. D. RICHARDUS JACOBUS CUSHING
Archiepiscopus Bostoniensis

« Novum mandatum do vobis, ut diligatis invicem, sicut et ego dilexi vos ». His verbis vocamur a Christo ad agnitionem verae significationis vitae humanae, quae quidem est propter Dei amorem in omnibus socialiter agere. Vita humana ut praemium vitae aeternae intenditur, qua de re apostolus nos quae sursum sunt quaerere admonet.

Impossibile sanum est hominem in imagine Dei creatum quae sursum sunt sapere, si ob carentiam cibi et vestis et habitationis adaequatae omni vi et conatu his indigentiis occupentur.

Christiani non dubitamus quem sit proximum nostrum. Conscientia vera christiana pro omnibus qui in necessitate degunt curam habet. His praemissis,

1. Multi sunt in mundo huius temporis qui in inopia quasi absoluta vivere debent. Magna pars istorum quidem christiani sunt, sed major pars non-chri-

stianis complectitur. Sola spes actualis illorum residet in nationibus oeconomice progressis, quae vellent alias nationes progredientes in salute, educatione et progressione oeconomica crescere adiuvare.

2. In Dei providentia maxima pars divitiarum mundi est apud gentes et nationes quae normis vel saltem traditionibus christianis vivunt.

3. Adiutorium praebere ex parte christianorum non est aliud quam Christum Ipsum videre in omni qui fame, siti vel nuditate suffert.

4. Quinimmo obligatio non catholicis solis incumbit. Omnes christiani vocati sunt ab Evangelio ad iustitiam socialem.

Collaborantes in opere tali, christiani laborum sacrificiorumque eorum symbolum unitatis faciant, dum diem Domini cum omnes in coena Eucharistica unum simus exspectemus.

5. Bis dat qui cito dat. Necesse est ut ad implendam voluntatem huius Sacrosancti Synodi cum omni festinatione procedamus, cum millia de die in diem moriuntur ob famem.

6. Videtur ergo mihi ut nova instrumentalitas erigi debet a Sancta Sede Ipsimet Summo Pontifici unice responsura. Secretariatus tale damnum non ferret illis multis et optimis societatibus nationalibus et regionalibus qui etiam nunc tantum bonum efficiunt. Potius, inspiratione a Summo Pontifice recepta, omnes efficaciore modo possent laborare.

Conclusio. His in diebus multi iuvenes, et multi sacerdotes operam suam dant in regionibus mundi ubi status vitae maioris partis civium est infra nidum paupertatis. Cum adiuvamine Divinae Providentiae et ego partem aliquam habui in initio alicuius laboris in America Latina. Ex experientia mea dicere compellor quod pretium illic est ad solvendum quod iam non est solutum. Pretium nempe est caritas totalis qua bonum aliorum, spirituale, sociale, materiale et oeconomicum ex toto corde optetur.

Opus initiatum est cum energiis sparsis; prosequamur cum robore ex actionibus nostris sub inspiratione Summi Pontificis ordinatis.

6

EM.MUS P. D. PETRUS TATSUO CARD. DOI
Archiepiscopus Tokiensis

Episcopi Iaponiae proponunt ut n. 40 schematis constitutionis pastoralis *de Ecclesia in mundo huius temporis,* in pag. 32 lin. 27 ita emendetur: « Huiusmodi autem conflictationes et falsae sententiae circa concordiam inter res fidei et scientiarum interpretationem, in adiunctis sui temporis considerandae sunt ut iuste iudicentur. De quibus casibus non tantum doleamus oportet, sed omnibus viribus connitamur ut, quantum humana fragilitas patiatur, talia numquam iterentur ». *Rationes*:

1. Decet ut Concilium loquendo de autonomia rerum terrestrium deploret certos eventus historicos in quibus indagatio scientifica ab auctoritate

Ecclesiae impediebatur. Isti eventus, ut imprimis casus Galilei, sunt etiam in Extremo Oriente notissimi et obstaculum constituunt pro fidei propagatione. Quare si Concilium de hac re loquitur, magna cum sinceritate et aequitate loqui debet.

2. Textus schematis quaedam continet quae inter se non bene congruunt. Nam una ex parte illos eventus deplorat, altera tamen ex parte eos sat facile ex adiunctis historicis explicare et excusare conatur. Haec se invicem infirmare videntur.

Et timendum est ne viri docti haec legentes offendantur et obstaculum fiat maius quam antea. Explicatio enim non est tam facilis.

3. Non decet quod pro excusatione Ecclesiae dicatur etiam acatholicos errasse. Effectus talis excusationis esset potius negativus apud catholicos et apud acatholicos.

Nomine Episcoporum Iaponiae.

7

EM.MUS P. D. LEO STEPHANUS CARD. DUVAL

Archiepiscopus Algeriensis

Remarques generales. Bien que le nouveau texte accuse un progrès incontestable par rapport au précédent, il y a lieu de regretter:

a) qu'il soit encore *trop long* et *trop diffus.* Une constitution de ce genre devrait manifester une *unité dynamique profonde;* cela supposerait que soient éliminées les questions n'ayant qu'un intérêt secondaire; les problèmes, dont dépend l'équilibre et même l'avenir de l'humanité devraient être traités avec une plus grande vigueur.

b) que, malgré l'intention clairement exprimée de s'adresser « à tous les hommes »,[1] on semble trop souvent oublier cette intention: *a*) par l'emploi d'un *langage inintelligible pour les non-catholiques;* la référence explicite aux mystères de la Trinité, du Corps mystique n'est pas souhaitable dans un texte de ce genre; l'imitation de la pédagogie divine suggérerait que ces mystères soient plutôt implicitement présents au texte (exemples: n. 43, 1er alinéa, n. 50); *b*) par l'emploi d'expressions *trop scolastiques; c*) par la référence à des opinions théologiques parfaitement défendables, mais ne jouissant pas de l'unanimité des théologiens dans l'Eglise; *d*) par des expressions qui laissent entendre, de la part de l'Eglise, une certaine hésitation, on dirait presque un « complexe » devant le monde d'aujourd'hui (exemples: n. 74, au début); *e*) par des manières de s'exprimer, qui, contrastant avec celles indiquées ci-dessus, donnent à l'enseignement du Concile un ton grandiloquent, ampoulé.

Le Concile doit s'exprimer avec simplicité, mais aussi avec fermeté.

---

[1] Page 7. N. 2. Il est à noter que, contrairement à ce que semble supposer ce texte, cette intention était déjà exprimée dans la constitution *Lumen Gentium* (n. 1).

8

EM.MUS P. D. CAROLUS CARD. JOURNET

Ad praeveniendas omnes aequivocationes textus schematis circa « mundum » et circa « populum Dei », optandum valde esset ut in initio sub n. 2 expressius tradatur, Scriptura ipsa nos docente, *quale mysterium sit mundus*.

Quadrupliciter, saltem, videtur enim Scriptura uti nomine « mundus ».

1. Voce mundi, soteriologico sensu, in Novo Testamento frequentiori, designatur tota familia humana, in quantum in peccatum et miseriam lapsa, a Deo miserante respicitur, diligitur et a Christi redemptione visitatur. V. g.: « Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret ... » (*Io.* 3). « Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per Ipsum » (*Io.* 3, 17; cf. *Io.* 1, 9; *Hebr.* 10, 5).

Ad hunc mundum Christus mandat discipulos: « Sicut Tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum » (*Io.* 17, 18; cf. *Io.* 17, 23).

Ecce ergo, ante oculos Dei, mundus vel populus salvandus, sed nondum salvatus.

Non uno tamen modo amor Dei, qui vult omnes homines salvos fieri, ab ipsis hominibus accipietur. Etenim:

2. Ubi Christi redemptioni *assensus* praebetur fidei verae, sive explicitae et externae, sive etiam implicitae et internae, et caritatis verae, quantumvis secretae, ubi mundus vel populus incipit Deo reconciliari, et ipse populus Dei, Ecclesia, Corpus Christi mysticum, vel inchoatur vel iam constituitur.

« Deus, dicit apostolus, erat in Christo, mundum reconcilians Sibi, non reputans illis delicta ipsorum » (*2 Cor.* 5, 19). Inde celebris illa Augustini sententia: « mundus reconciliatus, Ecclesia » (Sermo 96, n. 8).

Quae Ecclesia, quamvis constet ex nobis peccatoribus, a Christo tamen mundatur, ut sit coram Ipso « sancta et immaculata » (*Eph.* 5, 27) et ab Ipso ut Sponsa eligatur.

Ecce secundo sensu, mundus vel populus in spe salvatus, seu mundus gratiae.

3. Ubi vero Christi redemptioni *resistitur,* et homines duce principe huius mundi (*Io.* 12, 31), regno Christi adversantur, alius exsurgit mundus, de quo saepe sermo fit in Scriptura, i. e. mundus peccati. « Mundus totus in maligno positus est » (*1 Io.* 5, 13; cf. *Io.* 7, 7; 15, 18-19; 17, 14; 17, 15-16).

« Nolite diligere mundum, neque ea quae in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo; quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae: quae non est ex Patre, sed ex mundo est. Et mundus transit et concupiscentia eius » (*1 Io.* 2, 15-17).

« Mihi mundus crucifixus est et ego mundo » (*Gal.* 6, 14; cf. *Eph.* 6, 12; *Io.* 16, 33; *1 Io.* 5, 4; *1 Io.* 5, 19; *Iac.* 4, 4).

Mundus *reconciliatus* et mundus *tenebrarum* sunt « duae, ut dicit Augustinus, mysticae civitates » (*De Civ. Dei,* 15, I, 1). « Fecerunt civitates duas, amores duos: terrenam scil., amor sui usque ad contemptum Dei; caelestem vero, amor Dei usque ad contemptum sui » (14, 28).

Quae duae civitates inter se opponuntur sicut lux et tenebrae, Christus et Belial (2 *Cor.* 6, 15) et crescunt ambae ut frumentum et zizania, usque ad tempus messis, ubi erit felix simul ac tremenda separatio.

4. Quarto tandem sensu mundus significat totam familiam humanam *in quantum ordinatam ad finem temporalem et proximum,* de se subordinatum fini spirituali et ultimo.

Ad hunc sensum pertinent plura quae in Scriptura leguntur v. g. « Reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo » (*Mt.* 22, 21). « Nolite ergo solliciti esse dicentes: quid manducabimus aut quid bibemus aut quo operiemur? ... Quaerite ergo primum Regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis » (*Mt.* 6, 31-33; cf. *Rom.* 13, 1).

« Reddite ergo omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui timorem timorem, cui honorem, honorem » (*Rom.* 13, 7).

Ecce *mundus naturae et culturae,* qui sollicitatur, in oppositis vitiis, simul et a Civitate Dei et a Civitate Mali.

Haec sit ergo conclusio nostra: Ut veri testes et sequaces Revelationis Novi Testamenti inveniamur, necesse est, si de mundo agatur, ut distinguamus: 1. mundum gratiae seu regnum Christi; 2. mundum peccati et principis tenebrarum; 3. mundum rerum temporalium et Caesaris, iter faciens inter lucem et tenebras, ad quem specifice dirigitur sermo nostri schematis, et circa quem maxima est hodie sollicitudo Ecclesiae.

Prooemium. Pag. 5, n. 1, lin. 14 loco: « versus finem non nisi sub umbris clarescentem » ponatur: « ad finem sive vitae huius temporalis, sive vitae aeternae consequendum ».

N. 2, lin. 19: loco « Populi Dei » ponatur « Regni Dei » vel « Corporis Christi ».

Linn. 21-29; alius textus proponitur: Nomine « mundi » intelligendum est non tantum caelum et terram et universitatem rerum a Deo creatarum sed etiam strictiori sensu:

1. Totam familiam humanam in quantum in peccatum lapsam a Christi redemptione visitatur: « Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret », *Io.* 3, 16.

Ubi Christi redemptio recipitur mundus reconciliatur et Ecclesia ipsa constituitur: « Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum ... », 2 *Cor.* 5, 19. « Mundus reconciliatus Ecclesia », S. Augustinus, *Sermo XCVI,* n. 8. Ecce *mundus gratiae et lucis.*

2. Totam familiam humanam, pro quanto, duce Principe huius mundi (*Io.* 12, 31), regno Christi adversatur: « Mundus me odit, quia ego testimonium perhibeo de illo quod opera eius mala sunt », *Io.* 7, 7; 1, 10; 15, 18-19;

1 Io. 2, 15-17; 5, 9; *Mt.* 18, 7; *1 Cor.* 11, 32, etc. Ecce *mundus peccati et tenebrarum.*

Hae sunt duae « quas etiam mystice appellamus civitates » (S. AUGUSTINUS, *De civitate Dei,* 15, 1, 1).

« Fecerunt itaque civitates duas amores duo ... amor sui usque ad contemptum Dei ... amor Dei usque ad contemptum sui » (S. AUGUSTINUS, *De civitate Dei,* l. 14, c. 28).

3. Totam familiam humanam, in quantum ordinatur sicut ad finem proximum ad res huius vitae temporalis, quae natura sua subiiciuntur fini ultimo et spirituali.

« Reddite ergo quae sunt Caesaris, Caesari, et quae sunt Dei, Deo », *Mt.* 22, 21. « Quaerite ergo primum regnum Dei, et haec omnia adiicientur vobis » *Mt.* 6, 33. *Ecce mundus naturae et culturae.*

Ad hunc mundum igitur nostri temporis loquitur Concilium, exhortans ipsum: ne Christum reiiciat, illuminantem homines imprimis quantum ad ea quae sunt vitae caelestis, et etiam ex abundantia quantum ad ea quae sunt vitae temporalis de quibus fusius erit in praesenti constitutione sermo.

Pag. 6, n. 3, lin. 20: addatur: « et Regnum fundaret quod, quamvis non sit ex hoc mundo, ad eiusdem salutem redundaret ».

N. 4, lin. 26: loco: « aetate » ponatur: « periodo ».

Pag. 8, n. 5, linn. 2-4: loco: « ut omissis ... novas syntheses ... ignem experientiae » ponatur: « ut salvis perennibus thesauris fidei et rationis, ea quae vicissitudini temporis subiiciuntur, novo modo examinentur et proponantur ».

Pag. 9, n. 8, lin. 9: loco: « adultum » ponatur: « excultum ».

Lin. 11: loco: « sufficientes syntheses » ponatur: « vitae cohaerentiam ».

Pag. 12, n. 10, lin. 7: loco: « signa » ponatur: « quae sint vera signa ».

Lin. 13: loco: « fides » ponatur: « fides, quae in oratione clarescit ».

Caput I. Pag. 13, n. 11, lin. 21: loco: « Homini ... » ponatur: « Homini, suasione Maligni ».

Lin. 33: loco: « per id etiam » ponatur: « per id etiam ut instrumentum ».

Pag. 14, n. 12, lin. 2: loco: « sanguine » ponatur: « spiritu ». Cf. Vat. I, DENZ., n. 1783: « ex spiritu et corpore ».

Lin. 8: loco: « fides » ponatur: « Scriptura ».

Linn. 18-19: loco: « quae in meditatione ... exercentur » ponatur: « quibus a Deo allicitur ad invisibilia eius conspicienda et glorificanda ».

Pag. 15, n. 15, linn. 24-29: non videntur esse ad rem.

Pag. 16, n. 16, lin. 1: loco: « ex seipso » ponatur: « naturali inclinatione ».

Lin. 3: loco huius lineae, ponatur: « Maximum et primum mandatum est: Diliges Dominum tuum ... ». *Mt.* 22, 37-39.

N. 17, lin. 25: loco: « plene » ponatur: « recte ».

Lin. 26: loco: « Haec ... facit » ponatur: « Hac amoris ratione illuminatur ».

Pag. 17, n. 19, lin. 36: loco: « quae universali » ponatur « quae rationi et universali ».

Pag. 18, n. 19, lin. 2: loco: « mundum ... » ponatur « mundum recte ».

Lin. 3: loco: « libertatem » ponatur: « ius ».

Linn. 4-5: deleatur: « communitatem ... congregatorum ».

N. 20, lin. 14: loco: « vere » ponatur: « plene ».

Lin. 19: deleatur: « fontem atque », nam fons humanae naturae est Deus ut Creator.

Caput II. Pag. 23, n. 26, linn. 8-13: deleantur, nam mundus non est aliquod animal.

N. 27, lin. 38: addatur: « homicidia ».

Pag. 24, n. 27, linn. 11-12: loco: « tam individualem ... collectivam » ponatur: « tam personarum quam coetuum ».

Lin. 13: deleatur: « quae Christus est », nam hoc valet pro quacumque veritate.

Lin. 19: deleatur: « mentis », nam caritas est ad personam errantem, non ad errores personae.

Pag. 25, n. 30, linn. 5-6: deleatur « At credentes ... debent ».

Pag. 26, n. 31, lin. 13: addatur: « iam omnibus ».

N. 33, lin. 41: addatur: « sponte accommodantur ».

Caput III. Pag. 30, n. 37, lin. 6: loco: « Pro ... perobscura » ponatur: « Quae problemata quae rationi impervia videntur, pro fidelibus ipsis obscura ... ».

Pag. 31, n. 38, lin. 11: loco: « opera maxime » ponatur: « opera in ordine technico maxime ».

Linn. 13-14: loco: « cogitationem » ponatur: « imaginationem ».

Lin. 21: loco: « in creaturis » ponatur: « in et a creaturis ».

Pag. 39, lin. 22: post « cooperari » addatur: « quantum ad ea quae pertinent non solum ad Christi regnum, sed etiam ad ordinem temporalem ».

Lin. 33: post « navitates » addatur: « etiam de se temporales ».

Pag. 32, n. 40, lin. 24: loco: « in ipsa Ecclesia » vel deleatur vel ponatur: « etiam in ipsis Ecclesiae filiis ».

Lin. 35: loco: « nullus credens est qui non » ponatur: « nullus est qui Deum agnoscat et non ».

Lin. 37: loco: « in Deum credunt » ponatur: « qui Deum agnoscunt ».

Pag. 33, n. 42, linn. 16-17: loco: « diiudicandae ... conferunt » ponatur: « sive immediate ut spirituales, sive mediate ut temporales ad veram hominis perfectionem conferunt ».

Lin. 18: loco: « cum agit » ponatur: « cum recte agit ».

Linn. 24-27: loco: « Omne opus ... congruunt » proponitur: Haec dicta sunt de ordine gratiae et regni Dei. In ordine vero temporali, omne opus bene factum, pulchritudinis cultus, contemplatio Dei in et a mirabilibus suis, quaecumque hominem iuvant ut altiores suas facultates augeat, haec omnia, etiam

si non procedant sub motione gratiae, positivum habent etsi non salvificum valorem, et pro quanto cum divina voluntate congruunt.

Lin. 30: loco: « naturam, sed perficit » ponatur: « naturam, sed sauciatam sanat, et perficit ».

Linn. 31-36: non videntur esse ad rem.

Pag. 34, n. 43, lin. 12: loco: « Sponsionis, postquam » ponatur: « Sponsionis, hos omnes bonos fructus naturae nostrae, postquam ».

N. 45, lin. 37: loco: « Fides » ponatur: « Scriptura ».

Pag. 35, n. 45, lin. 2: loco: « in persona Christi » ponatur: « in Christo ».

N. 47, lin. 38: loco: « historiae, qui » ponatur: « historiae, sive quantum ad terrestria sive quantum ad caelestia ».

Caput IV. Pag. 38, n. 48, lin. 12: loco: « Populo Dei » ponatur: « Ecclesia ».

Pag. 39, n. 49, linn. 1-6: Alia redactio proponatur quia « realitas » summa pro angelis et hominibus est ipsa Trinitas, et quia Ecclesia quae mittitur ad salvandos homines, fundatur ipsa per missionem Verbi die Incarnationis, et missionem Spiritus sancti die Pentecostes.

N. 50, lin. 17: loco: « historia hominum ... implicatur » ponatur: « historia temporalium cum historia salutis connectitur quamvis distincta ab ea, et in ».

Lin. 18: loco: « in se » ponatur: « ad se ».

Lin. 19: loco: « includit » ponatur ad salvandam distinctionem rerum quae sunt Dei et quae sunt Caesaris, « assumit ».

N. 51, lin. 25: loco: « comprehendat » ponatur: « assumat ».

Pag. 40, n. 51, linn. 16-17: non sunt necessariae.

N. 52, lin. 19: loco: « ex inclusione ... in ordine » ponatur: « ex assumptione ... ad ordinem ».

Pag. 41, n. 52, lin. 17: « in unam synthesim » deleatur.

N. 53, linn. 35-36: loco: « legem divinam ... curet » ponatur: « spiritum Evangelii in vita civitatis terrenae infundendum curet ».

N. 54: deleatur; iam alibi de hoc munere pastorum dictum est.

Pag. 43, n. 55, lin. 5: loco: « Veritatem » ponatur: « veritatem ».

Lin. 12: loco: « et interpretari » ponatur: « et recte interpretari ».

Lin. 19: loco: « hominis prout » ponatur: « hominis et mundi prout ».

Lin. 20: loco: « abstractis » ponatur: « altioribus ».

N. 56, lin. 31: loco: « in ... iudicatur » ponatur: « ut ex ea congregetur Ecclesia sancta et immaculata (*Eph.* 5, 27). Ecclesia vero ipsa ab Evangelio iudicat omnia ».

Linn. 33-34: loco: « apparuisse quibusdam rugis maculatam » ponatur: « eorum defectibus et peccatis, apparuisse maculatam, quamvis non in se sed in nobis maculetur ».

« Non inquam in se, sed in nobis vulneratur Ecclesia » S. Ambrosius, *De Virginitate,* c. 8, n. 48, *P.L.* t. 16, col. 278.

« Etiam in illis qui pusilli videntur et fragiles, et decore refulges virtutum, et vitiorum macula cares » S. Beda, *P.L.* 91, col. 1136-1137.

Pag. 44, n. 58, lin. 22: loco: « propriis infirmitatibus » ponatur: « eorum infirmitatibus ».

9

EM.MUS P. D. IOANNES CARD. URBANI
Patriarcha Venetiarum

1. In cap. III huius II partis constitutionis, asseruntur hae tres veritates:

a) in n. 44, lin. 21: « Propter peccatum hominis, terra fuit maledicta »...

b) in n. 45, pag. 34, linn. 39-40: « in divino igitur redemptionis consilio omnes humanae actiones locum suum obtinent ».

c) in n. 46, linn. 27-28: « Per solam crucem regnare voluit... relinquens exemplum ut, cum Eo compatientes, cum Eo quoque conregnemus ».

Attamen non explicatur quomodo nos cooperari possumus ad destruendum peccatum; quem locum obtinet dolor et patiens in divino redemptionis consilio et quem valorem habet dolor noster.

Oportet dare solutionem christianam problematis doloris mundo huius temporis. Multi hodie hominem existimant solum ex quantitate rerum quas ipse producit suo labore et rerum materialium quantitatis usu et asserunt eliminandos homines improductivos.

Adest dolor in mundo: ex quaestione sociali (*Gen.* 3, 17-18); ex malis socialibus, ut fame, bello, genocidio, etc.; ex malis personalibus physicis et moralibus; ex persecutione Ecclesiae et omnis religionis.

Adest dolor cosmicus: « Scimus enim quid omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc » (*Rom.* 8, 22).

Adest dolor in alio mundo: dolor expiatorius in Purgatorio, dolor aeternus in Inferno.

Homines semper et, particulari modo nostris temporibus, has quaestiones sibi posuerunt: cur, quid, unde, sit dolor.

Edonismus practicus, pragmatismus, exsistentialismus, communismus, buddhismus solutionem propriam dant sine vel contra Deum et periculosam. Et nos scimus has ideas habere magnum influxum in mundo hodierno ad diffusionem atheismi.

2. Christus dat veram solutionem problematis doloris, non tantum theoreticam sed realem et in seipso. Immo, ut asserit Paulus VI, f. r.: « Cristo non mostra soltanto la dignità del dolore: Cristo lancia una vocazione al dolore » (Sermo 27-3-1964).

a) Dolor non est considerandus in homine, sed in voluntate Dei (*Io.* 9, 2-3).

Causa omnium dolorum est peccatum (*Rom.* 5, 12). Malum et calamitas non est dolor sed peccatum, quia a vita et a mundo aufert omnem valorem, et hominem facit infelicem cum a Deo eum separet et excludat a suo regno et subicit creaturam servituti corruptionis (*Rom.* 8, 18-23).

Iesu ergo missio non est destruere dolorem sed peccatum et quidem per dolorem (*Col.* 2, 13-15; *Mc.* 14, 36).

b) Dolor ergo est exhibitio et probatio caritatis Dei erga homines: « Sic enim Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret; ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam » (*Io.* 3, 16; *Rom.* 5, 6-11; 8, 32): et hominum erga Deum et proximum (*Io.* 15, 12-13; *Rom.* 8, 32-39; *2 Pt.* 4, 12). Immo Deus dolore auget caritatem nostram (*Io.* 15, 2) ut arctius in ipso maneamus (S. IUSTINUS, *Dial. cum Tryph. Iud.* 110).

S. Augustinus « Deus meus — ait — cum me adversis rebus exagitat, aut merita examinat aut peccata castigat mercedemque mihi aeternam pro toleratis pie malis temporalibus servat » (*De Civ. Dei,* l. I, c. 29).

Dolore Deus utitur ut medio educationis populorum et singulorum (2 *Mch.* 6, 12). S. Augustinus sic respondet ad quaestionem: « Cur ergo divina misericordia etiam ad impios ingratosque pervenit? »: « ... Patientia Dei ad poenitentiam invitat malos, sicut flagellum Dei ad patientiam erudit bonos; sicut severitas Dei puniendos corripit malos » (*De Civ. Dei,* l. I, c. 8, cf. et 9).

c) Ex eo quod quis vocatur inter Christi discipulos vocatur ad dolorem. « Per baptismum facti sumus crucifixi caro », ut asserit S. Leo Magnus (*Sermo* 63, 6; 66, 3); « In Eucharistia Christum passum recipimus ut prius simul compatiamur ut postea simul glorificemur » (*Rom.* 3, 17) ut ait *S. Th.* III, 73, 6 c. St. 79, 2 ad 1. Discipulus Christi est qui « communicat Christi passionibus » (*2 Pt.* 4, 12).

Non ergo dolor ipse, sed abnegatio suipsius et acceptio et devota oblatio suae crucis, amore Dei et proximi est conditio electionis et admissionis ad sequendum Christum et signum distinctivum discipuli Christi (*Mt.* 8, 19-22; 10, 39; *Mc.* 8, 34 ss.; 10, 43; 13, 9-13; *Lc.* 9, 57-62; 14, 25-27; 17, 33; *Io.* 12, 24 s.).

Ideo Iesus vocat beatos pauperes, patientes et persecutionem ferentes.

d) Ex latere Christi morientis nata est Ecclesia, ex doloribus Christi et Ecclesiae renascitur mundus ad novam vitam. Immo dolor est nota verae Ecclesiae et ratio suae fecunditatis (*Io.* 12, 24-25, 32; *Eph.* 2, 13-18; *Is.* 52, 13; 53, 11-12; *Gal.* 4, 19; *Ap.* 12, 1-2 ss.; *Gal.* 4, 22-27; *Is.* 54, 1 ss.).

Tertullianus, *Apol.* c. 50, 12-13: « Plures efficimur, quoties metimur a vobis; semen est sanguis christianorum » (S. IUSTINUS, *Dial. cum Tryph. Iud.* 110; *Ep. Barn.* 5, 5).

e) Ex hoc oritur apostolatus doloris. Christus dat omni nostro dolori virtutem redemptivam, expiatricem, beatificantem, propriam suae crucis ita ut, « dum unus punitur, plurimi corriguntur » (S. AMBR. *in Ps. 118,* v. 137)

(PIUS XII, *Myst. Corp., A.A.S.* 1943, pp. 245-247; Serm. 7 oct. 1957; IOANNES XXIII, Serm. 19 mart. 1959; PAULUS VI, Serm. 27 mart. 1964; 11 mart. 1964; 16 apr. 1965).

Sic S. Paulus: « ... adimpleo ea quae desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia » (*Col.* 1, 24) et: « Ideo omnia sustineo propter electos, ut et ipsi salutem consequantur in Christo Iesu, cum gloria caelesti » (2 *Tim.* 2, 10).

Ideo omnis patiens, praesertim permanenter aegrotus, habet in Corpore Christi mystico peculiarem locum et missionem positivam activam etiam si indigeat caritate aliorum. Paulus VI f. r. asserit eum habere « una condizione " di favore " rispetto alla redenzione operata dalla Croce del Signore » (Serm. 27-3-1964).

Martyrium habet primum locum. Vocatur gratia et gloria. S. Cyprianus adfirmat martyrium esse non solum quoddam remedium vitae, sed esse sicut fluvium aridam terram irrigantem et vivificantem (*De laude mart.*, c. 23).

3. Inde humiliter peto, venerabiles Patres: *a*) ut aliquo modo haec doctrina in schemate inseratur ut omnibus clare pateat in mundo hodierno valor doloris et missio patientis, qui non est tantum obiectum sed subiectum operans caritatis.

b) « Dum paene infinita ante oculos nostros adversatur miserorum multitudo, i. e. infirmorum, pauperum, artubus mutilorum, in viduitate vel orbitate degentium » *repetamus* ad eos exhortationem Pii XII in Enc. *Mystici Corporis* (*A.A.S.*, 1943, pag. 246) ut dolorem sanctificent.

c) Ut infirmorum sodalitas in mundo organizetur ad eos docendum propriam vocationem et valorem proprii doloris et ad unienda dolores et merita omnium cruci Christi ut Ecclesia Mater semper sanctior et fecundior fiat ut atheismus destruentur.

d) Ut publica et solemnis fiat a nostro Concilio laus Martyribus nostri temporis, quorum plures cardinales et episcopi sunt et aliqui hic sunt. Ipsi praesertim simul cum aliis patientibus sustinent nostrum laborem, fortiorem faciunt nostram fidem et praeparant fructum Concilii, « caelum novum et terram novam ».

10

EM.MUS P. D. PAULUS CARD. ZOUNGRANA
Archiepiscopus Oagaduguensis

Ad cap. II. Mea humilis propositio habetur quoque nomine octoginta episcoporum tum diversarum nationum tum praesertim conferentiae Africae occidentalis.

Profecto haec prior pars schematis, praecipue cap. II « De hominum communitate », mihi perplacet, quia res valde profundae et multiplices circa vitam socialem clare et aperte traduntur.

Liceat mihi tamen exoptare ut sub speciali paragrapho vividius exprimatur aliqua veritas maximi momenti passim in textu adumbrata, scilicet: « omnes homines esse fratres ».

Omnes enim homines, omnes gentes in hoc mundo hodierno, et praesertim in nostra Africa, toto corde moventur nuntio universalis fraternitatis humanae, quia veritas perspicua et fundamentalis.

Schema vero, v. g. sub n. 21, quasdam « principaliores veritates » in memoriam revocare intendit et quaedam explanare « consectaria maioris momenti »; at, ex istis enumeratis, nedum aliquid de fraternitate humana inveniatur, potius sentitur persona individualis tamquam unicum centrum valorum socialium.

Revera haec prior pars schematis fraternitatem humanam continet, sed modo diluto et obiter traditam, quin lector animum intendere possit ad hanc veritatem maximi ponderis in nostra aetate. Ita, v. g., loquitur per transennam: de colloquio cum fratribus, pag. 15 lin. 34; de mandato amoris, pag. 16 linn. 3-7; de vocatione hominis quae nonnisi in vita sociali compleri potest n. 21; de interdependentia, de ordinatione ad alios n. 22; immo de bono communi totius familiae humanae n. 26; de membris unius familiae humanae n. 31; de modo quo filii efficiemur Patris nostri qui in caelis est n. 29.

Tales expressiones obiter factae maiorem vim habebunt si sub aliqua paragrapho speciali colliguntur in fascem luminosum. Immo, haec universalis fraternitas humana, veritas tam magni momenti, concludere debet totum cap. II tamquam eius summa et fastigium.

Explicita declaratio fraternitatis humanae ardenter exoptatur a mundo hodierno ut lumen pervadens varia problemata illius « aggiornamento » quod quaerit Vaticanum secundum. Ita quaestiones implicatae de oecumenismo, de unitate, de libertate religiosa, de pace, de familia, de cultura, de vita oeconomico-sociali, de relationibus internationalibus, etc. ..., iam initium solutionis invenirent si in cordibus et moribus firma conscientia daretur circa hanc veritatem, nempe *omnes homines indiscriminatim esse fratres*. En vera solutio amoris tot quaestionum, ad renovandam tum Ecclesiam tum universam communitatem humanam. Tunc tandem, iuxta votum Sanctissimi Patris Papae Pauli VI initio huius quartae sessionis, nostrum Concilium mundo apparebit ut solemnis actus amoris erga humanitatem. Vivide ergo declaretur nostro mundo haec vitalis veritas quod omnes homines sunt fratres. Ipse Christus ad turbas aiebat: « Omnes autem vos fratres estis » (*Mt.* 23, 8).

Quapropter, hoc humiliter propono. Sub n. 35, lin. 11 addatur haec sequens propositio vel aliud simile: « Itaque omnes homines sunt fratres, filii eiusdem Patris qui in caelis est ».

Haec declaratio simul maiorem lucem afferret tum n. 36 de Verbo Incarnato et coniunctione humana, tum n. 57 de communione fraterna in spiritu paupertatis aedificanda.

11

EXC.MUS P. D. HUGO AUFDERBECK
Episcopus tit. Arcenus, aux. Fuldensis

Cum Rev. D. A. Bengsch, arch. Berol., enixe rogo: ut schema denuo disponatur; ut cap. IV post pauca verba introductoria in initio ponatur; ut conceptus « mundus » biblice clarius exponatur (*Gn.* 1; *Io,* 1, 2; *Col.* 1, 16-17; *Eph.* 2, 2 f; 6, 12; *Rom.* 2, 18 ff; 8, 20; *1 Io*, 1, 19; *Eph.* 1, 10-22 f; 4, 10-15 f; *Col.* 1, 18-20; *Rom.* 8, 20; *Apoc.* 19, 20 f; 20, 10 ff; 21, 1-3); ut innumerae rerum repetitiones supprimantur; ut loco « constitutio pastoralis » schemati nomen « litterae conciliares » daretur.

Ratio: cf. interventio arch.-ep. A. Bengsch.

12

EXC.MUS P. D. ROBERTUS BÉZAC
Episcopus Aturensis

Ad n. 54 cap. IV, vellem duas adnotationes praesentare:

1. Titulus paragraphi est: de munere pastorum in mundo huius temporis. Dicitur munus pastorum esse nuntium Christi, modo accommodato, praedicare, sacramenta distribuere, liturgiae et praesertim sacrificio eucharistico praeesse, « in quo opus nostrae redemptionis perficitur, nos autem fidem nostram in victoriam Christi super peccatum et mortem profitemur et, operante Spiritu Sancto, in illud quod sumimus, transimus ». Quae quidem verba laudanda sunt, et quidem meliora adhuc essent si, quoad ultima, diceretur: in illum (scil. Christum) quem sumimus, transimus.

Attamen, inter munera Ecclesiae pastorum in mundo huius temporis videtur aliud et quidem essentiale munus memorandum esse.

Mundus enim a Deo creatus est ut per elementa mundi homines ad Deum pervenirent. Verum est a peccato originali relationem mundi ad Deum turbatam fuisse. Sed verum est etiam hanc relationem a Christo restitutam fuisse. Non solum Christus assumens naturam humanam, corpus et animam hominis sanctificavit sed et sacravit elementa mundi per quae pertransivit et quibus in vita sua usus est. Quod quidem culminat in pane et vino per quos voluit praesentiam suam perpetuam fieri in mundo. Consecrando panem, huic pani humano, veram suam dimensionem dedit, sanctificando non solum substantiam ipsius panis, sed etiam ea elementa naturalia quae messem producunt, et laborem et sudorem hominum necnon artem technicam per quae panis efficitur.

Haec autem actio sacralizans Christi per sacerdotem renovatur quoties missam celebrat, referens in altari, in quo accumulantur elementa mundi,

panis, vinum, marmor, lignum, aurum etc., Christum realiter praesentem per quem haec omnia bona Deus semper sanctificat et vivificat nobis, scil. facit ea nobis media sanctificationis et vitae aeternae.

Ita ut videtur dicendum praecipuum munus pastorum — qui sunt sacerdotes — id esse ut per ministerium eorum consecrentur in Christo elementa mundi quae iterum homines ad Deum, ergo ad salutem, convertere possint. Absque praesentia reali Christi in medio eorum, elementa mundi, per se, non vertunt ad Deum.

2. Dolendum mihi videtur post enuntiationem de munere laïcorum, de munere pastorum, mentionem non esse factam religiosorum. Vita enim illorum, praesertim eorum qui formam contemplativam amplexi sunt, suscitavit gravem et frequentem obiectionem adversus mentem benevolentiae positivae Ecclesiae erga valores huius mundi. Etenim religiosi et elegerunt formam vitae quae declaratur ab Ecclesia forma perfectionis et ad eam vitam persequendam, a mundo secesserunt quasi valores huius mundi contempserint. Haec quidem obiectio multos et multas a vocatione religiosa avertit cum ipsi et ipsae labori communi elaborationis mundi partem suam afferre velint. Quae solvenda est, exponendo positive quodnam sit munus religiosorum in mundo huius temporis.

Nam secessio a mundo non est contemptus mundi, aut valorum mundi, sed amor transcendens et superior.

Etenim ut ad salutem convertant homines valores huius mundi debent assumi in usu moderato, non excessivo, ut media, non ut finis. « Qui utuntur hoc mundo, quasi non utantur ». Ut iis valoribus moderate homines uti valeant, necesse est ut aliqui et aliquae, per modum exempli (« les exemples vivants sont d'un autre pouvoir ») voluntariam earum abstinentiam eligant.

Ita religiosi abstinendo a mundo faciunt ut homines recte aestimant hos valores et parce — ergo salubriter — eis utantur. Quod enuntiare, magni momenti mihi videretur.

* * *

Inseratur pag. 42, post lin. 40:

1. Cum in missa illud sacrificium perficitur, elementa mundi, a peccato originali perturbata, per praesentem Christum restaurantur et adiuvant homines qui eis utuntur ut ad Deum sese convertant.

2. Ipsi religiosi, etiam illi qui vitam contemplativam amplexi sunt, munus erga mundum exercent. Secessio enim a mundo non est contemptus valorum mundi sed amor Dei superior et transcendens. Abstinendo a mundo multum conferunt ut homines valoribus mundi utantur tamquam non utentes, scilicet parce et salubriter, tamquam media, non tamquam finis.

13

EXC.MUS P. D. HUGO BRESSANE DE ARAÚJO

Episcopus Mariliensis

Sub n. 10, linn. 3-4, citantur: a) *Sap.* 1, 7: « Spiritus Domini replevit orbem terrarum »; b) *Io.* 3, 8: « Spiritus ubi vult spirat ».

Quae tamen duplex citatio perquam inepta innotescit. Nam a) *Sap.* 1, 7 (licet sensu accommodato, seu potius, vulgatae latinae versionis vi, in liturgia Pentecostis aptissime sumi videatur) de Altera Divina Persona seu de Aeterna Sapientia omnino intelligatur oportet.

Ut alia taceamus, sufficit recolere quo pacto sonet criticus hellenicus textus in v. 6 (ubi vulgata nostra habet: « Benignus est enim Spiritus sapientiae »). Audit enim *φιλάντρωπον γὰρ πνεῦμα Σοφία.*

b) *Io.* 3, 8, prout apud omnes in confesso est, fere ex integro (i. e. textus: « Spiritus ubi vult spirat, et vocem eius audis, sed nescis unde veniat aut quo vadat ») loquitur de vento.

14

EXC.MUS P. D. VINCENTIUS BRIZCYS

Episcopus tit. Bosanensis, aux. Kaunasensis

Ad expositionem introductoriam, pag. 7, lin. 1. Fames et litterarum ignorantia nostris diebus non sunt maiora, quam praeteritis temporibus.

Ad pag. 7, linn. 25-28. Etsi hodie universalior, quaestio demografica non est recens. Etiam temporibus praeteritis multae tribus et nationes propter rationes panis quotidiani premebantur hoc problemate. Hoc problema non ultima ratio fuit migrationis populorum iam in antiquitate. Haec mea observatio non minuit pondus hodierni problematis, mihi videtur tantummodo in modo loquendi non esse vocandum hoc problema uti aliquid novi.

Ad pag. 8, n. 7, linn. 22-28. Differentiae psychologicae inter duas generationes, parentes et eorum prolem, inter Instituta (directa utique ab adultis) et iuventutem est factum naturale: ita semper fuit, est et erit, hoc non est nostri vel alicuius particularis temporis. Nostro tempori forsitan proprium est adultam generationem et Instituta perdidisse fiduciam in se, laborare aliquo « complexu minoritatis », quando ipsi (parentes, ceteri educatores, magistri) praesumunt pueros et adolescentes esse sapientiores, superiores quam adultos et multi adultorum non audent munus educatorum exercere, aliquid magni existimantes (étant sur la page) pueris et iuventuti in omnibus condescendere. Haec characteristica revera est multorum parentum et institutorum nostri temporis. Ceterum hic locus conferendus est cum pag. 49, n. 62, lin. 17.

Ad linn. 29-34. Etiam haec nota societatis est omnium temporum.

Ad pag. 8, lin. 39 usque ad pag. 9, lin. 4. Negatio collectiva Dei via legislationis status (v. g. communistae) nostris temporibus forsitan est sine praecedenti (quamvis iuvat memorari e. g. Revolutionem Gallicam), collectiva vero negatio aliis modis non est inventio nostri temporis. Sic, e. g. marxismus, multae associationes atheae extiterunt ante nostra tempora.

Ad pag. 9, linn. 5-18. Hic dicta sunt vera cum grano salis: fuerunt et sunt individua sed hoc non potest attribui omnibus nec in praeterito nec in praesenti. Verum est fuisse et esse individua incapacia intelligere, componere et amplectere antiqua et nova, progressum in scientiis et in vita practica, verum tamen est dari et contraria, ita ut non est tam facile audacter pronuntiare quorum maior est numerus.

Ad cap. II. De Hominum Communitate. Ad pag. 21, n. 22, linn. 15-17. Mihi videtur aliquo alio modo esse exprimendum, quod in his versibus et praesertim verbis: « principium subiectivum et finem omnium institutionum socialium esse atque debere esse personam humanam ». Quis enim potest negare plusquam utilitatem associationum, institutionum, quorum finis directus est protectio varietatis, pulchritudinis nostrae terrae? (Cogitamus de fauna, de viventibus a minimo usque ad animalia etc.). Ubi debito tempore defuerunt et desunt talia instituta, associationes, egoistae devastaverunt regiones usque ad desolationem quae amplius corrigi non potest. Et scientiae, instituta scientifica, si arcte utilitaristica, vix scientiae nomen merentur. Exaggerata conamina ubique in visu habere solummodo personam humanam in consequentiis ulterioribus vertuntur in magna damna societati hominum. Non assentio sententiis eorum, qui affirmant nullam aliam creaturam in terra aliqua iura habere excepto homine. Talis egoisticus conceptus bonus est in ruinas vertere terram tam diviter et pulchre a Creatore ornatam.

Ad pag. 24, n. 28, lin. 30. Verba: « Non resistere malo » non sunt relinquenda in decreto sine pleno contextu et sine ulla explicatione. Ibi sermo est de iniuria non vero de passiva submissione omni malo, proveniente sive ex ipsa persona sive ab extero.

Ad pag. 26, n. 31, lin. 2. Indicandus est locus apud S. Paulum.

Ad cap. III. De Humana Navitate. Ad pag. 32, n. 40, linn. 23-32. Hos versus omittendos esse censeo, cum nec realitatem accurate exprimunt (numquid omnes illa ignorantia laboraverunt?), nec ullum particularem sensum et necessitatem hic habent, potius autem nocent dignitati ipsius decreti.

Ibid., linn. 41-42. Vel indicandus est auctor et fons vel omittenda sunt.

Ad cap. IV. De Munere Ecclesiae in Mundo huius Temporis. Ad pag. 38, n. 49, linn. 15-23. Mihi videtur clarius esse exprimendum finem principalem Ecclesiae existentiae, nempe salvare animas applicando fructus Redemptionis.

15

Exc.mus P. D. MICHAEL ANGELUS BUILES
Episcopus S. Rosae de Osos

De alcoholismo. Schema *de Ecclesia in mundo huius temporis,* pars I, cap. II, sectio II, pag. 23, n. 27, peroptime agit de reverentia erga personam humanam, enumerans quae contra talem dignitatem attentant.

Sed nihil de problemate alcoholismi ibi dicitur, licet magnum impedimentum hodie constituat sive ad promotionem personae humanae, sive ad pacem familiae et societatis, sive ad plenam evolutionem societatis quoad hygienem mentalem, culturam individui et oeconomiam nationalem.

Altera ex parte, aggravatur problema si prae oculis habemus gubernia quae adhuc monopolium liquorum habent, moraliter sese inhibentia ad tantum malum impugnandum.

Liceat mihi breviter demonstrare alcoholismum graviter attentare contra individuorum, contra familiam et societatem necnon contra ipsam oeconomiam nationalem.

1. *Contra individuum.* Testibus medicis et psychiatris salus physica et psychica hominis graviter alteratur ex abusu liquorum. Sed praecipue vita supernaturalis impossibilis fit, Spiritu Sancto testimoniante ebriosos non ingredituros in regnum caelorum.

2. *Contra familiam.* Quis potest numerare familias hodie miserrimas sine pane, sine veste, sine tectu, sine pace, sine spe, sine amore et non raro sine fide, ex abusu liquorum ex parte hominis?

3. *Contra societatem.* Quanta scandala et homicidia necnon attentatus contra mores ab inebriosis committuntur. Quanta accidentia in directione vehiculorum cuius causam unicam habent abusus liquorum. Hodie statisticae numerum morientium in accidentibus usque ad quadraginta millia in unoquoque anno pro quadam natione extollunt, ita ut hodie moralistae incipiunt loqui de attentatu contra vitam humanam ex uso vehiculorum.

4. *Contra oeconomiam nationum.* De carceribus tantum, hospitalibus, manocomiis necnon orphanotrophiis cogitemus ad ideam habendam de magnis expensis ad ista loca sustentanda ut persona humana possit habilitari vel reabilitari ut suam functionem sive individualem sive socialem adimpleat.

Haec omnia prae oculis habens et bene mature perpensis, rogo vos, Venerabiles Patres:

1. Ut Concilium verbum dicat hominibus de gravibus consequentiis alcoholismi sive pro corpore, sive pro anima hominis, sive pro familia, sive pro societate, necnon pro oeconomia nationali, et familiari.

2. Sacrum Concilium admoneat gubernia quae adhuc monopolium liquorum habent ad illud derelinquendum ut possint auctoritatem habere ad tantum malum impugnandum.

3. Aliquod coetus efformetur ex sacerdotibus, psychiatris, sociologis, advocatis, politicis et oeconomistis ad problema per longum et latum studendum et aliquam solutionem proponendam.

16

Exc.mus P. D. ALOISIUS CARLI

Episcopus Signinus

Animadversiones generales. Ad quattuor, brevitatis causa, restringuntur:

1. Videtur constitutionis schema cuidam optimismo naturalistico nimis indulgere, oblivioni fere amandata dramatica « situatione » mundi positi sub signo peccati originalis et actualis, et constituti veluti in campum luctaminis inter caelestes et infernales potestates.

2. Pluries, et merito quidem, affirmatur libertas humana in respondendo divinae vocationi (quae numquam suo proprio nomine vocatur « supernaturalis elevatio »), at nullibi explicite affirmatur obligatio moralis qua homo tenetur respondere affirmative huic vocationi.

3. Saepe inveniuntur effata quaedam, ad instar quorundam « slogans » qui vocantur, sine accurata definitione philosophica et theologica, tam absolute enuntiata ut, sine debitis distinctionibus, falsa omnino sint. Collationem quandam, aut elucubrationem diurniis foliis destinatam forsan non dedecerent; documentum vero conciliare omnino dedecent.

4. Stylus latinus tam pedester est, ideoque documento conciliari haud dignus, ut funditus a sermonis latini perito debeat recognosci. Saepe tam obscurus ut, ad aliqualem rei intellectionem, recurrendum sit ad textum sermone gallico confectum!

De titulo. Meo quidem iudicio ita esset mutandus: « *Expositio* pastoralis *de condicione Ecclesiae* in mundo huius temporis ». *Ratio*: nihil enim constituit (*constitutio* enim datur ut lex credendi in re dogmatica), nihilque decernit (*decretum* enim datur ut lex agendi in re disciplinari). E contra exponit (cf. pag. 6, lin. 4) seu explanat (cf. pag. 6, lin. 12), quasi colloquiando, quae sit « situatio » Ecclesiae in mundo hodierno. Per « expositionem » nonnulla rationem inveniunt, v. g. *a*) cur dirigatur et ad non credentes; *b*) cur neque totaliter neque definitorie Ecclesia suam doctrinam enuntiet in rebus adhuc egentibus inquisitione, v. g. de finibus matrimonii, de iure proprietatis, de pace et bello, de sic dicta obiectione conscientiae etc.; *c*) cur stylum pastoralem adhibeat, et potius expositivum quam constitutivum aut decretorium; *d*) cur non ad unguem servetur rigor verborum et propositionum philosophicus et theologicus.

N. 1, pag. 5, lin. 4. Loco « nihilque humanum invenitur » dicatur « nihilque *vere* humanum ».

Pag. 5, lin. 14. Quid significat illud « versus finem nonnisi sub umbris clarescentem »? Fides christiana satis clare indicat quinam finis sit omnium rerum mundanarum et praesertim hominis.

N. 2, pag. 5, lin. 18. Loco « sed etiam ad universos homines » dicatur: « sed etiam ad *ceteros* homines ». Nam, praeter christianos, non « universi » sed « ceteri » habentur homines.

Pag. 5, lin. 27. Auferantur verba « donec in fine et ipse per fidem salvetur », quia nullibi in S. Scriptura legitur « mundus » malignus in fine saeculorum salvatum iri. Citatio *Io.* 3, 17-18 respicit salvationem mundi in actu primo (non in actu secundo), iam peractam per mortem Christi.

N. 3, pag. 6, lin. 13. Loco « Episcopi in communione cum Summo Pontifice » dicatur simpliciter « sacri pastores »; secus excluderetur Summus Pontifex.

Pag. 6, lin. 19. Loco « ut salvaret, non iudicaret » dicatur: « ut salvaret, non *perderet* » (vel: condemnaret), quia, iuxta exegetas, vox verbalis graeca « krino » in citatis locis biblicis non significat simpliciter « iudicare » (Christus enim est supremus iudex mundi per suam legem evangelicam), sed « condemnare ».

Nn. 4-8. *In genere.* Haec descriptio condicionis humanae in mundo hodierno forte videbitur nimis superficialis, et veluti « exsistentialistica ». Mire siletur de profunda radice dramaticae « situationis », quod est peccatum, scil. aversio hominis et societatis a Deo.

Concilium debet dare suam propriam interpretationem — theologicam nempe et supernaturalem — factorum quae eveniunt in mundo. Minime autem debet recurrere ad anonymos « idoneos auctores » (pag. 6, linn. 23-25) ut, summatim quidem at profunde, describere valeat aspectus mundi hodierni.

Pag. 7, linn. 1-8. Utiliter addi potest, quod numquam genus humanum tam acute ut hodie sensum libertatis habuit, dum numquam tanta et talis servitus omne genus viguit in mundo (servitus peccati, materialis, politica, oeconomica, socialis, propagandistica etc.).

Pag. 7, lin. 35. Non solum « quidquid magni accidit » sed etiam quidquid minoris momenti, immo et futilia ope R aut TV statim cognoscuntur!

Pag. 8, lin. 6. Auferatur verbum « clani » quod est ridiculum: sufficit « tribus ».

Pag. 8, lin. 41. Loco « ut suam doctrinam proponunt » dicatur: « ut suam doctrinam proponunt *et imponunt* ».

Nn. 11-20. *In genere.* Agendo de humanae personae vocatione, schema deficere videtur in his quae sequuntur: *a*) fere nihil habet de elevatione supernaturali, de lapsu originali eiusque sequelis; *b*) spiritualitas et immortalitas animae ne tangitur quidem; *c*) parum explicite agitur de radicali subordinatione « valorum » terrestrium valoribus supernaturalibus; *d*) lex cru-

cis Christi, idest mortificationis, abstinentiae etiam in licitis, non sufficienter praesentatur tamquam ad substantiam ipsam pertinens status hominis lapsi et redempti; unde necessitas asceseos christianae contra semper exsurgentem edonismum, terrenismum, sexualismum. Ne dicas, quaeso: Concilium vult alloqui etiam paganos! At Paulus non erubuit — post infelicem experientiam Areopagi — gentibus ostendere Christum et hunc crucifixum!; *e*) de atheismo utique fit amplior sermo quam antea; sed accurate vitando nomen *Communismi* — pluries a Magisterio damnati sub hoc nomine — illudimus et decipimus populos, praesertim rudes et simpliciores, qui legentes hoc schema iam credent Ecclesiam nihil amplius habere dicendum contra Communismum!

Quid dicent v. g. *communistae italici* qui generatim non sunt athei? Concilium, dicent, damnavit atheismum minime vero communismum: ergo poterimus esse credentes et communistae simul!

N. 21, pag. 21, lin. 2. Quod nonnisi in vita sociali compleri valeat vocatio hominis, verum non videtur, si in sensu absoluto, prout indicatur per adverbium « nonnisi ». Unde proponitur modus magis positivus et mitigatus, v. g. « Secundum Dei ordinationem, hominis vocatio, cuius celsitudinem monstravimus, in vita sociali *ordinario plene* compleri debet ».

Pag. 21, lin.11. Loco « fundamenta sua theologica » dicatur « fundamenta sua *dogmatica* ».

N. 22, pag. 21, lin. 25. Loco « ex pondere formarum oeconomicarum » dicatur: « ex *corruptela* formarum oeconomicarum ». « Pondus » nihil dicit: potest esse in bonum vel in malum.

Pag. 21, linn. 31-34. Hic opus esset aliqua distinctione, ne res confundantur. Etenim gratia Dei indiget homo ad vitam aeternam consequendam et ad civitatem terrestrem iuste exstruendam, sed non eodem titulo neque eadem necessitate.

N. 12, pag. 13, lin. 25. Loco « Corporali sua conditione » dicatur: « *Spirituali simul ac* corporali sua condi*c*ione ». Ratione enim unius suae structurae corporalis homo minime vincit cetera animantia.

N. 14, pag. 14, lin. 39. Quid, quaeso, significat « ipsam abyssalem realitatem attingit? ». Estne hic modus loquendi « pastoralis »?

Pag. 14, lin. 40. Loco « sui ipsius vero detrimentum pateretur » dicatur cum S. Evangelio: « *animae* vero *suae* detrimentum pateretur », et in nota citetur *Mt.* 16, 26.

N. 15, pag. 15, lin. 17. Loco « libenter scil. » dicatur: « *libere* scil. ». *Ratio*: libenter et libere non sunt idem! Libere enim amaram medicinam sumo, minime vero libenter!

N. 17, pag. 16, lin. 22. Loco « sed etiam ad communionem cum ipso Deo invitatur homo » dicatur: « sed *imprimis* ad communionem cum ipso Deo *vocatur* homo ». Agitur enim de vocatione (obligatoria), non de invitatione cui negative responderi possit. Insuper communio cum Deo praecedit, in ordine causalitatis, communionem cum fratribus.

Pag. 16, linn. 23-27. Commemoratur amor Creatoris; nonne etiam amor Redemptoris hic commemorandus est? Immo fundamentum plenae victoriae supra mortem non habetur nisi in amore Christi nos per mortem et resurrectionem redimentis, et nostram futuram resurrectionem merentis.

N. 18, pag. 17, linn. 8-9. Auferantur verba « In quibus erratis ipsi credentes non omni semper culpa carent », quia inutiliter polemica et auto-accusatoria.

Pag. 17, lin. 13. Loco « Cui quaestioni solus Deus respondet » dicatur: « Cui quaestioni solus Deus *plene ac omni cum certitudine* respondet ». Nam recta ratio, ut habetur in Vat. I, valet aliqualem veram responsionem dare huic quaestioni; secus incideremus in agnosticismum.

N. 24, pag. 22, lin. 21. Loco « et cuius iura et officia abalienari nequeant » dicatur: « et cuius iura et officia *naturalia* abalienari nequeant ». Haec enim tantum sunt universalia et constituunt dignitatem hominis fundamentalem et inalienabilem.

Pag. 22, lin. 23. Loco « Merito igitur exigitur ut omnia ei tribuantur quorum ad vitam vere humanam gerendam indiget » dicatur: « Merito ergo exigitur, ut omnia ei *possibilia reddantur* quorum etc. ». *Ratio*: haec non debent tribui homini simpliciter, ac si ipse non debeat ad haec comparanda opem suam conferre.

N. 25, pag. 22, lin. 39. Loco « Unde intelligitur ordinem socialem necessario in dies evolvi » supprimatur adverbium « necessario », quia non agitur de vera necessitate, sicut autumant dialectici marxisti.

Ob eandem rationem in lin. 41 loco « aequilibrium invenire debet » dicatur « aequilibrium invenire *potest* ».

N. 27, pag. 23, lin. 35. Loco « repente nobis in televisione occurrens, sopitam conscientiam etc. » dicatur simplicius: « nobis occurrens, conscientiam ».

Pag. 23, lin. 38. Ante « genocidia » addatur « v. g. »; item in lin. 40 ante « mutilationes »; item in pag. 24, lin. 2 ante « hominum deportationes ». *Ratio*: sic melius patet agi de exemplificatione non exhaustiva.

Pag. 24, lin. 7. Loco « et denique honori Creatoris gravissime contradicunt » dicatur: « et *in primis* honori Creatoris gravissime contradicunt ». Iuxta enim ethicam christianam delicta contra homines sunt ante omnia contra Creatorem hominum patrata.

Pag. 24, linn. 9-14. Haec pericopa emendanda est quia est aliquatenus iniuriosa contra religionem catholicam, quasi solummodo in ea sit periculum timendum de carentia libertatis in amplexanda fide. Sic ergo dicatur: « Item reverentia pro persona exposcit ut ad amplexandam *religionem* nemo invitus cogatur. Gaudium igitur offerunt Popul*o* Dei illae *publicae potestates,* quae *libertatem religiosam,* tam individualem quam collectivam ut quoddam elementum boni communis considerant ». Cetera verba supprimantur.

Potius quam de nationibus loquendum videtur de publicis potestatibus, quibus competit ordinationem iuridicam secundum bonum commune sta-

tuere de libertate religiosa (non: *de iure* ad libertatem religiosam, quia id ius vere non probatur nisi de vera religione).

N. 30, pag. 25, lin. 4. Loco « ad imaginem Dei creati » dicatur « ad imaginem Dei creati *et a Christo redempti* ». Nam etiam eadem redemptio fundat aequalitatem inter homines.

Pag. 25, linn. 7-11. Sunt quaedam sic dictae discriminationes quae proveniunt a natura vel ab ipso Deo, v. g. ratione sexus, mulier non potest fieri sacerdos neque sustinere labores duros sicut vir. Insuper « conscientia humani generis » non potest esse criterium semper validum ad iudicium ferendum. Proponitur ergo emendatio ita: « Omnis igitur discriminandi modus, aut politicus... vel religionem, *qui sit hominis naturae Deique proposito contrarius,* damnandus et sensim removendus est ».

Pag. 25, lin. 18. Loco « Simplicius, nonne ubique... » dicatur: « Simplicius, *numquid* ubique etc. », ratione latinitatis, quia attenditur responsio negativa.

N. 31, pag. 26, lin. 8. Loco « admitti debent » legendum est « *adniti* debent ».

N. 32, pag. 26. In hoc numero displicet quod nihil habeatur de libertate a peccato, nihil de libertate in veritate, nihil denique de « eleutheria » in sensu S. Pauli et S. Ioannis.

Pag. 26, lin. 20. Auferantur verba « seipsum pro aliis impendendo » quia, secus, videretur tota vocatio humana in hoc consistere. Quod verum non est.

Pag. 26, lin. 26. Loco « in aurea veluti solitudine » non respondet locutioni italicae « torre d'avorio » neque gallicae « tour d'ivoire ».

N. 33, pag. 27, lin. 5. Loco « ethicae individualisticae » dicatur « ethicae *solummodo* individualisticae »; nam existit recta ethica individualistica.

Pag. 27, lin. 13. Loco « tali incuria vitam aliorum periculo exponere » dicatur « tali incuria vitam *sive suam sive* aliorum periculo exponere ».

Pag. 27, lin. 15. Loco « necessitudines sociales... primas partes tenere » dicatur: « necessitates sociales... *magnas* partes tenere »; ne videamur quadamtenus socialismi exaggerationibus indulgere.

N. 35, pag. 28, lin. 12. Sic legendum proponitur: « *Divina Revelatio* constanter manifestat indolem communitariam *historiae salutis* ». *Ratio* emendamenti: revelatio non consistit tantum in Sacris Litteris.

Pag. 28, lin. 16. Auferenda videntur verba: « Nemo scilicet solus neque pro seipso solo salvatur », quia, nisi recte explicentur et determinentur, habent significationem erroneam.

N. 36, pag. 28, lin. 27. Loco « in proprio scilicet Corpore suo » dicatur clarius: « in proprio scilicet suo *mystico* Corpore ».

N.B. Displicet quod in tota hac sectione quae inscribitur « De hominum communitate » ne semel quidem citatus sit in notulis PIUS XII, qui de his rebus tam scite tamque copiose egit.

Nn. 37-47. *In genere.* In hoc cap. III desideratur amplior consideratio

de navitate humana ut est expiatio pro peccato, victoria personalis super peccatum eiusque sequelas, scala ad Deum, cooperatio ad instaurationem Regni Christi.

N. 37. Haec problemata non sunt « perobscura » pro omnibus hominibus (pag. 30, lin. 6). Saltem pro christianis sufficientem lucem habent in Verbo Dei, a Magisterio Ecclesiae (de quo hic desideratur mentio) proposito.

N. 40, pag. 32, lin. 19. Loco « cum Creator universorum idem sit ac Deus Sacrae Scripturae » dicatur: « cum Creator universorum idem sit ac Deus sacrae *Revelationis* ». Deus enim non per solam S. Scripturam locutus est.

Pag. 32, linn. 23-32. Tota pericopa, quae implicite agit de « casu Galilaei » auferenda censetur, quia: *a*) interrumpit sequelam idearum et canit extra chorum; *b*) quia Concilium non debet agere de casibus singularibus historicis.

Pag. 32, linn. 40-44. Auferenda videtur citatio illius Indii, quia citatio est anonyma (non potest ergo quis certior fieri de vera significatione illorum verborum in suo contextu), et quia in suo thesauro Ecclesia habet millenas citationes similes, immo meliores (vide S. Augustinum).

N. 42, pag. 33, lin. 16. Loco « quatenus ad hominis incrementum conferunt » dicatur: « quatenus ad *verum* hominis incrementum *et per hoc ad Christi regnum instaurandum* conferunt ». Criterium enim ad diiudicandum de actionibus hominis non potest esse eius incrementum nisi sit « verum »; insuper etiam incrementum hominis debet ordinari ad Christum.

Pag. 33, lin. 24. Loco « pulchritudinis cultus » dicatur: « *rectus* pulchritudinis cultus ». Nam non omnis cultus pulchritudinis congruit cum divina voluntate.

Pag. 33, lin. 34. Auferantur verba « modo quidem communitatis proprium », quia nescimus utrum in Paradiso vita agatur modo communitario necne.

N. 44, pag. 34, linn. 29-36. Comma est emendandum quia citationes *Eph.* 1, 10; *Col.* 1, 20 habent quidem sensum messianicum, non autem eschatologicum (« instaurabuntur »). Ista instauratio iam facta est per Christi opus redemptivum. Insuper auferantur citationes *2 Pt.* 3, 13 et *Apoc.* 21, 1-2 quia non constat cum certitudine inter exegetas, num illi caeli et terra nova in sensu physico an morali accipienda sint.

N. 46, pag. 35, linn. 22-23. Comma sic emendetur: « Discipulos, qui ignem... *increpavit* ». Auferantur verba « Nescitis cuius spiritus estis » (*Lc.* 9, 55) quia non pertinent ad textum graecum.

Pag. 35, lin. 29. Loco « Christus qui nullius hominis adhaesionem cogit » dicatur « Christus, qui nullius hominis adhaesionem *physice* cogit ». Nam moraliter utique cogit per obligationem.

Nn. 48-58. *In genere*. Desideratur ut in hoc cap. IV clarius in luce ponatur munus princeps Ecclesiae, quod est praedicare Evangelium et de-

struere peccatum. Unde Ecclesia proponenda est mundo non tantum ut causa exemplaris, sed etiam ut causa efficiens renovationis mundi.

N. 49, pag. 38, lin. 26. Loco « numquam circa problema religionis indifferentem fore » dicatur: « numquam circa problema religionis *plene* indifferentem fore ».

Pag. 38, linn. 31-32. Sic emendetur: « Solus autem Deus, qui hominem ad imaginem suam creavit *atque a peccato redemit,* his quaestionibus *plenissimum* responsum praebet *per Revelationem* ». *Ratio* emendamenti: *a*) commemoranda est non tantum creatio sed et redemptio; *b*) etiam recta ratio aliquod verum responsum, etsi incompletum, dare valet, ut statuitur in Vaticano I.

Pag. 39, lin. 1. Loco « quo homini simul aperitur sensus propriae existentiae » dicatur « quo homini simul aperitur *plenus* sensus propriae exsistentiae ».

N. 51, pag. 39, lin. 30. Loco « qui ad ordinem politicum, oeconomicum, socialem spectaret » dicatur: « qui ad ordinem... *directe* spectaret ». *Ratio* patet.

Pag. 39, lin. 34. Loco « sed iam in terris appropinquavit » dicatur « iam in terris *incohatur* » (vel « adest »), dicente Christo « Regnum Dei intra vos est ».

Pag. 40, lin. 10. Sic legatur: « At optime novit Ecclesia totum *quoque* ordinem socialem, *ob peccatum hominis vulneratum,* donis... in corde hominis inscriptis *plene* respondere possit ». *Ratio* emendamenti: *a*) si homo non vitiatus, sed vulneratus, fuit per peccatum, a fortiori ordo socialis qui tantum indirecte persentit influxum peccati; *b*) gratia Dei est moraliter tantum necessaria ad medenda instituta socialia, scil. ad *plene* respondendum voluntati Dei.

N. 52, pag. 40, linn. 36-38. Sic legantur: « ... iniustitiam considerantes *non tantum* tamquam ordinis socialis laesionem aut offensam egentibus factam sed *praesertim tamquam* legis divinae violationem etc. ». *Ratio* patet.

N. 53, pag. 41, lin. 30. Sic compleatur: « Libenter cum hominibus eosdem *iustos ac rectos* fines persequentibus cooperabuntur ».

N. 55, pag. 43, lin. 10. Loco « Totius Populi Dei est, praesertim vero theologorum, ... auscultare, discernere et interpretari » dicatur: « Totius Populi Dei, *in primis* vero *sacrorum Pastorum* etc. ». Non licet commemorare in hac re theologos et praeterire Pastores!

N. 56, pag. 43, lin. 31. Auferenda censentur verba « *Ecclesia vero ab Evangelio iudicatur* », quia: *a*) non videntur cohaerere cum contextu; *b*) nisi probe explicentur, significationem protestanticam habere possent.

N. 57, pag. 44, lin. 14. Sic compleantur: « *Praesertim* christiani, qui in fratribus etc. », quia id quod asseritur valet etiam pro non-christianis.

* * *

Ad ea quae scripto iam communicavi circa integrum schema XIII ad competentem commissionem, haec quae sequuntur addere velim.

Rationes iam audivimus ab aliis Patribus dictas cur in *titulo* schematis adiectivum qualificativum « pastoralis » auferendum sit, quasi « dogmatica » a « pastoralibus » distinguantur et opponantur, aut sub praetextu « pastoralitatis » quodcumque argumentum et quacumque ratione exaratum in documento conciliari indiscriminatim recipi possit. Quibus rationibus assentior.

Pariter quaedam rationes allatae sunt eaedemque, meo quidem iudicio, validissimae cur et substantivum « constitutio » in aliud mutandum sit. In hoc eodem sensu ego quoque aliquam considerationem Vobis proponere audeo.

In schemate nostro ingentem invenimus materiae molem congestam. Tam multae quaestiones accumulantur ut pluribus Conciliis sufficiens possint praebere argumentum, utque a Patribus nunc pro tribunali sedentibus scientiam quasi encyclopedicam exposcant. Saepe problemata quae integrum volumen exigerent una alterave brevi paragrapho constringuntur et resolvuntur. Hinc ex una parte necessitas accuratioris rerum expositionis atque verborum proprietatis, quae nonnumquam in schemate desideratur; ex altera vero facilis accusatio obscuritatis et superficialitatis, quam schema vix effugere valet.

Invenimus denique in schemate congeriem materiae valde heterogenaei valoris theologici. Permixtae enim prostant doctrinae certae cum adhuc disputatis et disputandis; doctrinae in pacifica Ecclesiae possessione cum doctrinis de quibus recens dubitari coeptum est; exhortationes pareneticae cum affirmationibus historicis; documenta scripturistica cum descriptionibus, foliorum diariorum more, confectis; phaenomena moralia cum scientificis et technicis; et ita porro.

Iamvero impossibile videtur quod Concilium in has omnes et singulas quaestiones suam maximam auctoritatem doctrinalem pari ratione parique vi interponere valeat ac velit a prima usque ad extremam indiscriminatim schematis paragraphum. Aliud est enim describere condicionem hominis in mundo hodierno, appellando ad quosdam non citatos « idoneos auctores » (ut fit in pag. 6, lin. 24), qui fortasse ab aliis idoneis auctoribus de superficialitate aut errore accusabuntur; aliud, e contra, sermonem facere de natura et finibus Sacramenti matrimonii. Aliud est enthusiasticum optimismum manifestare pro scientiae ac technicae inventis; aliud, e contra, iudicium ferre de moralitate belli aut mediorum ad prolem limitandam!

Unde omnino necesse est ut clare ex textu schematis erui possit quamnam *qualificationem theologicam* singulis quaestionibus Concilium tribuere intendat, eum in finem ut ex vere informata conscientia et Patres suffragium suum ferre et post Concilium fideles assensum suum praestare valeant.

Clarissime ergo iam ab initio solvatur quaestio de qualificatione theologica totius schematis; eo vel magis quod, ut iam nobis dictum est a Relatore, in schemate inveniuntur materiae novae. Quae novitas, si invocatur ad petendam excusationem pro difficultate textus conficiendi, a fortiori invocari debet ad exigendam claram qualificationem theologicam.

Persuasum mihi est non solum nullam inveniri in schemate definitionem dogmaticam, ad mentem declarationis commissionis de fide et moribus diei 6 martii 1964, sed etiam ipsum schema vim theologicam inferioris gradus habere debere ac constitutionem *de Ecclesia.*

Cum ergo unumquodque documentum conciliare ex sua parte potiore et ex sua primaria intentione nomen accipere congruat, schema XIII non potest vocari « constitutio ». Proponerem vocabulum *declaratio* vel *nuntium,* nisi ex usu haec vocabula reservarentur documentis brevioribus iisdemque lapidario concinnatis stylo (velint id meminisse redactores novae « declarationis » de libertate civili in re religiosa!).

Propono igitur titulum *expositio* de Ecclesia in mundo huius temporis: quae quidem vox congruit cum ea quae in ipso schemate inveniuntur, in pag. 6.

17

Exc.mus P. D. LAURENTIUS CASTÁN LACOMA

Episcopus Seguntinus-Guadalajarensis

Hoc schema valde placet, multo magis quam praecedens, tum propter maiorem perfectionem doctrinae, tum propter meliorem ordinem in expositione, tum eo quod res quae antea in appendice continebantur nunc in unum corpus redacta sunt.

Aliqua tamen quae sunt in postremo hoc textu, plerumque potius quoad modum dicendi quam quoad ipsam rem, perficienda censentur.

Inter ea quae perpolienda sunt eminent quaedam dicta circa Ecclesiam quae, ut sonant, secumferunt quamdam iniustam accusationem quam Ecclesiae inimici, et maxime nostri temporis athei, magno cum periculo contra ipsam Ecclesiam vertere possent.

Sic in n. 40, pag. 32, linn. 23-32 admittitur fuisse « in ipsa Ecclesia », « animi habitus a sana " scientifica " indagatione alienos ».

Similiter in pag. 57, n. 74, linn. 6-9 affirmatur « modum cogitandi dogmaticum Ecclesiae » « oppositum » esse « ad scientiarum progressum ».

Haec alio modo dicenda sunt, ostendendo simul partem maxime positivam quam in scientiarum cultu habuit Ecclesia, valde sine dubio de toto humano genere merita in hac re, et distinguendo inter defectus quorumdam hominum catholicorum et ipsam Ecclesiam.

Si hi et alii similes defectus in verbis vitentur, multo maiore fulgore

enitescet doctrina huius schematis quae, in genere admodum placet, et in quibusdam partibus, v. g. quum loquitur de auctoritate publica internationali constituenda ad bellum vitandum et pacem firmandam, maximam laudem meretur.

18

Exc.mus P. D. BERNARDUS M. CAZZARO
Episcopus tit. Pyrgensis, vic. ap. Aysenensis

Ad multa eaque perpulchra, quae in aula conciliari iam dicta sunt in disceptatione super constitutionem pastoralem *de Ecclesia in mundo huius temporis,* liceat mihi, etsi brevissime, aliqua addere:

1. In n. 8 inter varias discrepantias, quibus homo hodie afficitur, enumerari merito potest etiam quae inter singulos cives et statum oritur, eo quod saepe nec singulorum hominum, nec familiarum a publica auctoritate iura agnoscuntur ac in tuto servantur.

2. In n. 11 maiore cum evidentia illustrentur tria elementa fundamentalia: *a*) creatio hominis a parte Dei; *b*) finis huius creationis; *c*) peccatum quod assecutionem huius altissimi finis impedit. Si haec omnia leviter tantum tanguntur, totus textus gravibus lacunis laborat, quia non bene intelliguntur verae causae remotae totius « problematicae » de quibus in tota constitutione pastorali.

19

Exc.mus P. D. IRENAEUS CHELUCCI
Episcopus Ilcinensis

Quod attinet ad constitutionem *de Ecclesia in mundo huius temporis* pauca addere mihi liceat animadversionibus quas suo tempore (3 nov. 1964) officio secretariae oecumenici Concilii mittendas curavi et omnino confirmo. Mihi videtur schema constitutionis esse nimis paraeneticum neque ea auctoritate uti quae Synodo a Spiritu Sancto permotae convenit.

Si comparamus hoc schema cum constitutionibus aliorum Conciliorum Oecumenicorum res patebit luce solis clarior. Conferatur, e. g., Constitutio dogmatica Conc. Vat. I de fide catholica.

Adhibetur praeterea terminologia aequivoca, termini videlicet significationibus prorsus diversis vel oppositis, ut libertas, aequalitas, unde non potest idearum confusio vitari.

De lege naturali autem, de rerum mobilitate, de progressu infinito sermo fit ut a sectatoribus exsistentialismi nulla facta distinctione.

Non placet denique neglectio linguae latinae quae magis offendit, quo magis ab Ecclesia rectus usus commendatur.

Ut aliqua exempla afferam, non intelligitur cur adhibeatur verbum « ob-

trudere » cuius significatio apud bonos auctores est « gettare una persona dietro ad alcuno, ossia far prendere per forza » (pag. 10, n. 33).

« non obstante tanto progressu » pro « quamvis tam magnus progressus habeatur » (pag. 10, n. 35).

« Suffundata » pro suffusa, vel melius, « bonis quibus aetas nostra abundat » (pag. 12, n. 20); « magnanimiter » pro « magno animo »; « persuasus » pro « certa conscientia » (pag. 14, n. 42) etc.

20

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS COGONI
Episcopus Octeriensis

I - Quoad prooemium, proponimus: 1. Quod n. 1, lin. 1, prooemii, sic incipiat: « Caritate Christi compulsa et mandato universalis dilectionis quae " opere et veritate " (*1 Io.* 3, 18) demonstranda est Ecclesia ad totam familiam gentium respicit et cor suum pandit. Proinde gaudium et spes ... etc.).

2. Quod in fine prooemii, n. 3, pag. 6, lin. 20, sic concludatur: « Et sic mandatum caritatis adimplere, mundo offerentes " caritatem veritatis " et caritatem ipsam in veritate exercentes ».

II - Quoad singula capita, praesertim proponimus: 1. In n. 27, pag. 24, post lin. 14, opportunum esset mandatum positivum caritatis erga omnes explicite recolere, quia in hoc « mandato novo » est solutio originaria quaestionum circa necessitates personarum, quam Evangelium proponit, etiam ut circa mala in hoc numero commemorata et quae saepe etiam litteratura marxleninista describit et denuntiat, « visio » et spiritus christianorum melius affulgeant.

Propterea sic addendum esset: « Bona vero et mala omnia quae in mundo hodierno circa personam humanam verificantur, Ecclesia secundum spiritum et mandatum caritatis considerat: bona ut promoveantur et perfecta per Dei et proximi dilectionem reddantur; mala vero ut magis magisque in dies per humanitatis et caritatis opera profligantur ».

2. Item n. 31, pag. 26, post lin. 15, addendum esset: « Ad quae omnia obtinenda in mundo hodierno, incrementum caritatis quae a Christo docetur et mandatur pro omnibus hominibus Ecclesia fovet et promovet omnibus suis viribus et opportunis incoeptis ».

3. Item n. 49, pag. 39, post lin. 6, addendum esset: « ... et hanc quidem missionem caritate Christi compulsa Ecclesia adimplet in mundo, ad " novum mandatum " Eius fideliter exsequendum ».

4. Item n. 54, pag. 42, post lin. 43, addendum esset: « Caritas autem qua Ecclesia " opere et veritate " omnes homines secundum mandatum Christi amplectitur, eius praesentiam in mundo efficaciorem reddit, et dona quae in sacra liturgia et praesertim in sacramento Eucharistico obtinet, amplissime ad omnes expandit.

21

EXC.MUS P. D. VICTORIUS M. COSTANTINI
Episcopus Suessanus

Praemittenda. Examinando novam redactionem constitutionis pastoralis « de Ecclesia in mundo huius temporis », sincera admiratio et laus sponte exurgit erga commissionem quae tam magnum et complexum laborem sustinuit ob argumentorum pondus et ob innumeras fere animadversiones a PP. in praecedenti sessione exhibitas. Quae ergo dicuntur unum finem habent: cooperare ad schema perficiendum et quatenus possibile est perfectum reddendum.

1. In schemate non deest doctrina catholica, nec validae considerationes quoad argumenta, quae magni momenti sunt in hodierna societate. Attamen materia meliore et magis ordinato modo disponenda esset ut immediate argumentum percipiatur; erroneae si quae sunt de eodem theoriae, et haec omnia synthetico stylo exaranda essent, ne prolixitas punctum centrale argumenti diluat.

2. Rerum expositio saepe parum logice procedit; exemplificationes non raro absque ligamine cum textu afferuntur (cf. praesertim in cap. II).

3. Item non raro verba biblica adhibentur ad aliquid exponendum, quae verba tantum a catholicis (et non ab omnibus), intelligi possunt quatenus cum iisdem consuetudinem habent; dum recto sensu, nequaquam a ceteris percipi possunt qui S. Scripturam ignorant. E. g. in pag. 28, n. 35, lin. 26: « Primogenitus in multis fratribus » ... pro non catholicis aperte intelligitur Christum esse primum in familia multorum filiorum (figlio di una famiglia numerosa!).

Iam notatum est — praesertim in quibusdam capitibus (e. g. in II), — quod lingua latina nimis involuta est, ita ut ideae non semper clare percipi possint.

4. Quoad argumenta quae a constitutione attinguntur magis clara verba proferenda essent circa immoralitatem, et immodicam passionem ad otia damnosa et voluptates quaerendas praesertim a iuvenibus, quod periculosa phoenomena socialia de criminalitate inducunt.

Item interdum aliquid clarius adfirmandum esset de naturali officio passiones refrenandi et compescendi, ne videndo bona et illa probando, in praxi tamen quamplurimi deteriora sequantur.

5. Deest in schemate nostro perspicua adfirmatio de obiectivo ordine morali, quia, in supremis principiis, absolutus est et immutabilis ceu in rerum relationibus fundatus.

6. Ad aliqualem uniformitatem et unitatem in schemate habendam censemus singula argumenta proponenda esse unica et constanti dispositione; modo valde synthetico, ita ut omnes veluti in depicta tabula totam rei expo-

sitionem immediate et perspicue percipiant. Ita e. g. — vel alio simili modo — materia disponenda humili nostro iudicio censemus.

1. Homo est ens primarium in mundo, cui reservatur dominium in omnibus rebus creatis. His uti potest rationabiliter quidem cum ipse intelligentia polleat, et eadem intelligentia, ut in compertum est, res perscrutare et dominare potest.

2. In S. Scriptura asseritur quod homo ad Dei imaginem creatus est. Intellectu enim et voluntate donatus est; ideo anima spirituali et immortali donatur (in notis possunt verba S. Scripturae afferri).

3. Praesertim in revelatione christiana homo filius Dei vocatur. Liber est, et quamvis ad malum pronus propter originalem culpam, tamen divina gratia, per mortem Christi nobis concessa, si vult, omnia mala potest superare et virtutibus ornari.

Ut homo perficiatur vitam suam iuxta Christi doctrinam (praesertim in Beatitudinum sermone espressam) conformare debet. Ceteros amare; adiuvare veluti si fratres ipsa persona Christi essent (Sermo de Iudicio univers.) satagat. A Christo liber factus a servitute peccati, in bonis operibus se exerceat diligenter adimplens quae sunt praesentis vitae officia, cogitans tamen de futura civitate.

4. *Ecclesia* habet a Christo mandatum hominibus praedicandi istam amoris et pacis doctrinam, dum et media divina dispensat ad hominis aeternam salvationem procurandam.

Ideo Ecclesia commune bonum pro omnibus hominibus promovet docendo, instituta suscitando, ut per saecula factum est: scholarum fundationes pro pauperibus; hospitalia pro aegrotis, electos homines mittendo apud populos minus excultos (missionarii); leges ad libertatem favendam et oppressos sublevandos, promovens ubique, etc. (quae res parvulis notulis comprobare possunt).

5. Quid nunc docet Ecclesia et quid promovet ad peculiares hodiernas necessitates providendum.

(Et exponitur: quid de familia, de filiorum procreatione et numero; de bello, de armis nuclearibus; etc.)

Tale vel simile schema: esset veluti summarium doctrinae sive pro christianis, sive pro non christianis, qui tamen, hoc modo, bene cognoscerent quid divina revelatio et Ecclesia doceant, etsi fidem christianam non habeant; erit integra praesentatio veritatis quae revera (indirecte saltem) demonstraret quomodo Ecclesia Christi sit et erit semper lumen gentium, et Mater et Magistra omnium.

Schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* erit tunc clarum, obiectivum et completum promptuarium viam rectam omnibus indicans et opus Christi in sua luce sufficienter ponens.

22

Exc.mus P. D. IULIUS VICTOR DAEM
Episcopus Antverpiensis

Quaedam verba facere intendo de n. 19 schematis. Quum de atheistis agitur, non possum quin memor sim horum verborum quae aliquis atheista, abhinc quinque annis, aliqua die mihi protulit: « Quotiescumque profundam et tranquillam felicitatem alicuius credentis comperio, me sentio altis muris circumdari quos dimovere nequeo. Huius vitae condicionis conscientia curas meas auget. Nos atheistae gaudemus quod onus religionis non portare debemus, imo quod alios homines exhortamur ad hoc onus proiiciendum, sed fateor, saepissime de profunditate tranquillitatis animi nostri dubitamus. Miramur saepe magnam et beneficam pacem in qua multi credentes labores suos explent ». Neque possum quin his diebus disceptationis de « Ecclesia in mundo » ante oculos habeam, sicuti omnes in episcopatu fratres, munus nostrum pastorale in magnis urbibus exercendum, ubi tot millia hominum practico vel speculativo atheismo imbuti sunt. Revera, cum grassantem atheismum observamus, cum Sanctissimo Patre omnes angore afficimur. Caritas Christi nos impellit ad latiores vias quaerendas quae ad atheistas ducunt.

Fas sit mihi unum punctum explanare et proponere quo complere possim ea quae em.mus card. Šeper in hac aula dixit de modo agendi christianorum in ordine ad dialogum cum atheistis diversi generis. In n. 18, cuius titulus ideis expressis non adaequato modo correspondet, diversi gradus atheismi practici indicantur; in n. 19 praesertim insistitur in systematica Dei negatione qua a religione, i. e. a fructu quodam suae imaginationis homo liberatur, ita ut omnes vires suas ad oeconomiae progressum impendere possit. Omnia haec fini huius schematis inserviunt; quaedam tamen clariori modo dici possent, distinguendo nempe modo magis systematico inter varia atheismi genera et inter varios modos agendi christianorum in dialogo cum atheistis.

I - 1. Primo loco indicetur atheismus speculativus et militans, qui Deo et religioni omnimodo adversatur atque eo tendit ut hominum conscientias a sua dignitate spirituali detrahat et mundum materialisticum instaurare possit. Hic materialismus philosophico-socialis, qui est revera atheismus systematicus, radices habet in philosophia rationalistica saeculi XVIII et diversa speculatione atheismi marxistici et existentialistici tanquam requisito ad novum humanismum, alitur ac animatur.

2. Secundo loco inscribatur atheismus liberalis et intellectualis, qui fidem religiosam uti signum habet status incompletae evolutionis plurimorum hominum. Hic atheismus a fautoribus suis habetur ut privilegium hominum mente magis evolutorum. Oritur hic atheismus vel e philosophia progressus scientifici vel ex ideologia quae mentem hominis rerum realitati occludit vel e scepticismo absoluto erga omnia quae percipibilia transcendunt.

3. Tertio loco nominetur atheismus practicus, qui oritur ex educatione religione carente vel ex aliqua crisi accidentali, morali vel physica. Hic atheismus quaestionem de Dei cognitione non ponit et Deum ignorat.

II - Non licet nobis idem iudicium proferre de tribus istis formis atheismi; alia forma alio modo tractanda est. Christiani huius memores sint quod inter adhaerentes atheismo liberali et atheismo practico sunt qui quosdam valores culturae christianae uti valde utiles vel bono hominum accommodatos habent vel qui revera patiuntur propter Dei ignorantiam vel qui non tales atheistae sunt quales ipsi sibi esse videntur. Christiani in dialogo rationem huius rei habere debent. Uti em.mus card. Šeper iam indicavit, christiani cum atheistis colloquentes, atheismum modo positivo tractare debent. Hoc autem cognitionem supponit omnium elementorum atheismi et distinctionem inter elementa positiva et negativa. Si christiani revera utilem dialogum instaurare volunt, oportet mentem atheistarum ab intus intellegere conentur et praesertim ea quae ipsi atheistae ut elementa positiva habent.

Fuit tempus quo in campo christiano et in colloquiis cum atheistis potius methodo mere polemica et theoretica utebatur, impugnando nempe atheistarum ideologiam et opera eorumque malas sequelas. Haec methodus adhuc suum momentum habet. Sed in hisce adiunctis urget potius usus methodi magis adaptatae et psychologicae. Haec autem methodus cum prudentia adultis propria adhibenda est. Sunt qui in colloquiis cum atheistis inconsulto ingenuum optimismum manifestant ita ut non amplius distinguant inter atheistas quos in multis nimia liberalitate excusant et atheismum quem ex erronea consideratione psychologica beneficum habent. Christianorum habitudo ad atheistas inspirari oportet profunda reflexione super fidem atque psychologiae hominis non credentis comprehensione. Necesse est ut colloquentes christiani ampla humanitate imbuti et profunda cognitione tam philosophiae quam theologiae fruantur et praesertim ardenti caritate excellant. Christianorum nostri temporis missio est atheistas illuminare et adiuvare eosque caritate circumdare absque spiritu controversiae vel acritudinis. Hoc certe impedire christianos non potest quominus insistant in bona supernaturalia quibus vita hominis ad altiorem dignitatem et ad felicitatem altioris ordinis adducitur. Oportet omnes hominis dimensiones in luce ponantur.

Maximi momenti erit colloquentibus christianis dialogo addere vitae christianae testimonium. Praeter rectitudinem et integritatem moralem, cordi habere debent fidem vivificam, amorem Dei et proximi atque curam de facie vere evangelica Ecclesiae Christi. Neminem eorum fugiat etiam atheistas vocari ad unitatem Populi Dei et praesertim testimonio nostro indigere.

23

EXC.MUS P. D. IUSTINUS DARMAJUWANA
Archiepiscopus Semarangensis

Conferentia episcoporum Indonesiae sequentes animadversiones faciendas esse putat quoad nn. 18-19 constitutionis pastoralis *de Ecclesia in mundo huius temporis*:

1. Pars I, cap. I non videtur locus aptus ad tractandam quaestionem de atheismo. Insuper, argumentatione de hac quaestione in n. 19 et praesertim in n. 19 tam sensu quam modo dicendi impar videtur quaestioni de qua agitur.

2. Pars II « quasdam urgentiores huius temporis necessitates » elucidare intendit (n. 59, pag. 45, linn. 3-4). Merito dicitur quod problema atheismi « inter gravissima huius temporis facta numerandum est » (n. 19, pag. 17, linn. 16-17). Ideo concludendum esse videtur hanc quaestionem recte tractandam esse in parte II, et quidem, gravitatis eius causa, in capite separato « De Deo agnoscendo ac de atheismo », quod fiat Partis II, cap. I.

3. Quaestio tractanda est modo Concilio digniori, nempe: a) *quoad sensum*: argumentum de atheismo modo tam perito ac scientifico referatur ut atheismi fautores reapse proprium iudicium et animi sententiam in eo facile recognoscere possint; b) *quoad spiritum*: dissertatio de hoc problemate nullo modo offendat ipsis verbis quae in n. 28 « de reverentia erga adversarios » dicuntur.

24

EXC.MUS P. D. CAROLUS DE PROVENCHÈRES
Archiepiscopus Aquensis in Gallia

Prooemium. Pag. 5, n. 1, lin. 5: delere « seu Populus Dei »; vel addere: vel Corpus Christi, Templum Spiritus. *Ratio*: indebite in hoc textu (cf. passim) unica imago populi Dei ad designandam Ecclesiam retinetur. Quod non est tam conforme constitutioni *Lumen Gentium*.

Lin. 14 post versus finem, addere: tam naturalem quam supernaturalem. Vel: ad finem tam vitae temporalis quam vitae aeternae. *Ratio*: Scopus constitutionis est omnibus hominibus (cf. lin. 18) sensum historiae humanae qua humanae, non sensum historiae salutis patefacere. Textus non caret quadam ambiguitate.

N. 2, lin. 19: Populi Dei, Ecclesiae videlicet: sufficit: Ecclesiae. Cf. animadversionem circa lin. 5.

Lin. 23: quamvis peccatores sint: non tam recte dicitur, quia sic Deus peccatores diligit quod eorum peccatum destruit. Unde expressio deleatur. Legere: cuius membra a Deo personaliter diliguntur, pro quibus Christus seipsum tradidit et postea resurrexit, peccatum destruens...

Linn. 26-27: *a*) etiam dicitur (*Io.* 17) Christum pro mundo non orasse; *b*) textus Ioannis refert ad voluntatem Dei salvificam; nonnulli in aeternum contra Deum adversentur, non tantum hoc tempore.

Linn. 27-28: uno verbo: non convenit, quia agitur de pluribus sensibus « mundi » qui non possunt sub uno sensu reassumi.

Pag. 5, n. 2, linn. 21-29: Denuo, et quidem ordinatim, scribantur. Notandum est etiam tractari in hac paragrapho de mundo aut inquantum adversetur Deo aut inquantum salvetur, quod directe pertinet ad historiam salutis (quod potius esset obiectum constitutionum de Ecclesia vel de Missionibus), quasi textus timeat aggredi obiectum proprium constitutionis, nempe sensum historiae humanae (civilisatio, cultura) relate ad Regnum Dei.

Lin. 29: « Mundus » est unum ex diversis vocabulis hanc rem significantibus. Dantur etiam « saeculum », « civitas ». Hic additio desideratur, duce Augustino, ubi de doctrina Apocalypsis de duabus civitatibus inter se usque ad consummationem saeculi luctantibus. Civitas hominum temporalis a duabus his civitatibus, Ecclesia et Babylonia, sollicitatur.

Unde addere: « Usque ad reditum Domini sui, totius historiae Regis, Ecclesia seu Civitas Dei, in spe et exspectatione progrediens, non cessabit contra civitatem Principis tenebrarum, armis evangelicis, pugnare. Civitas autem terrena seu civilisatio ab his duabus civitatibus continue influxum recipit atque attrahitur. Ideoque malum in se continet, a gratia autem sanatur ».

Pag. 6, n. 3, linn. 18-20: « Opus Christi continuare » significat Evangelium annuntiare et gratiam communicare ad salutem aeternam hominum. Ex consequenti tantum etiam civitas humana ab hoc illuminatur et roboratur. Scopus Ecclesiae non est civilisatio.

Unde lin. 19, post salvaret, addere: « etiam ex consequenti quoad bonum temporale, ... ».

N. 4, lin. 24: « Idonei auctores »: expressio ingenue scholastica! In gallica versione dicitur: « hommes compétents ». Legere: « Principaliores ... delineari possunt ».

Lin. 26: « aetas » est verbum theologicum (aetas Legis, Evangelii), legere: periodus, spatium temporis ...

Linn. 33-34: Phrasis inutilis!

Pag. 8, n. 5, linn. 1-4: Haec methodus propria est scientiarum. Non potest universaliter extendi, theologiae v. g.

Unde linn. 2-4: legere: « ... componendas, omissis ubi necesse fuerit accidentalibus, ita ut veritates theologicae ac metaphysicae, quae tempori non subiciuntur, melius elucescant, ea autem quae cum tempore modificantur, novo modo explanentur ».

Pag. 9, n. 8, lin. 11: verba: « ut ad sufficientes syntheses perveniat » deleantur. *Ratio*: nihil novum addunt sed insinuare possunt « syntheses » non veritati mensurari, sed relativismo et historicismo subici.

Pag. 10, n. 9, lin. 3: aequalitatem, addere: quoad essentialia iura homi-

nis. *Ratio*: quia aequalitas quandoque intelligitur ac si complementaritatem evacuaret.

Pag. 12, n. 10, linn. 7-8: pro: signa, legere: quae sint signa vera praesentiae Dei. *Ratio*: fides legere debet etiam signa spiritus nequitiae.

Lin. 13: loco: fides, legere: sed fides, ex qua procedunt orationes ... *Ratio*: etiam quoad hoc oratio est necessaria.

Cap. I, pag. 13, n. 11, lin. 21: loco « Homini » legere: Homini, suadente diabolo, ... *Ratio*: fere numquam de diabolo in nostro textu agitur.

Lin. 33: post: per id etiam, addere: ut instrumentum.

Pag. 14, n. 12, lin. 8: loco: « fides », legere: « Scriptura ». *Ratio*: fidem sumere in hoc sensu valet pro loquela, non pro textu Conciliari.

Linn. 17-18: pro: « in meditatione ... exercentur », legere: quibus ad Deum invisibilem desiderandum attrahitur. *Ratio*: nihil textus dicit de siti Dei, cum etiam apud non christianis permultae dentur expressiones desiderii Absoluti.

Pag. 15, n. 15, linn. 24-29: deleantur, quia non sunt ad rem. *Ratio*: primo quaestio fuit de natura libertatis. Hic agitur de libertate filiorum Dei ex gratia. Inter hos duos sensus datur analogia tantum. Textus uti sonat est confusus.

Pag. 16, n. 16, lin. 1: loco « ex seipso », legere: naturali inclinatione. *Ratio*: aliud est constitutivum, aliud ordo ethicus et psychologicus (se dando invenire se).

Lin. 3: deleatur. Loco, legatur: summum mandatum datur: « Diliges Dominum tuum, etc. ». *Ratio*: ubinam in scriptura tale mandatum sine complemento invenitur? At tendentia adest, « amorem » substantificandi, quae est perversio christianismi (v. g. Feuerbach). Caute procedendum, scil. etiam deviationes mundi huius temporis discernendo.

N. 17, lin. 25: pro: plene, legere: recte. *Ratio*: homo vivet immortaliter, etiam si Deo sese avertit. Agitur hic de ordine libertatis et moralitatis, non de ordine ontologico.

Lin. 26: deleantur verba: « Haec ... facit ». Loco, legatur: « Hac amoris ratione dirigitur ». Eadem ratio.

Lin. 32: referentia ad *Io.* 10, 18 deleatur, quia non est sensus obvius.

Pag. 17, n. 18, lin. 4: ita tamen, addere: plerumque.

Lin. 5: pro: substituantur, legere: valent. *Ratio*: aliquando haec bona Deo praeferunt, agitur de idolatria; aliquando, Deus Salvator hoc bonorum amore utitur ad animas attrahendas ad se.

N. 19, lin. 36: pro: quae universali ..., legere: quae rationi et universali ... *Ratio*: secundum Concilium Vaticanum I, *ratio* humana potest Deum cognoscere. Hoc negare, est fideismus, hodie sat diffusus. Ratio ut imaginem Dei reflectans, non est athea!

Pag. 18, lin. 2: legere: ad hunc mundum recte aedificandum. *Ratio* patet.

Lin. 3: loco « libertatem », legere: ius. *Ratio*: non favorem mendicamus, sed ius ex natura humana profluens affirmamus.

Linn. 4-5: verba « communitatem ... congregatorum » deleantur. *Ratio*: non datur ratio quare privilegium in mundo sibi Christiani vindicent. Ius valet etiam pro aliis communitatibus religiosis.

N. 20, lin. 14: loco: vere, legere: plene. *Ratio*: etiam pro ratione sine fide veritates aliquae de homine clarescunt.

Lin. 19: verba « fontem atque » deleantur. *Ratio*: fons humanae naturae est Deus Creator, non Verbum qua incarnatum.

Lin. 33: pro: fides, legere: Scriptura vel Doctrina fidei. Cf. animadversionem circa pag. 14, lin. 8.

Cap. II, pag. 21, n. 22, linn. 17-18: legere: natura sua ad vitam socialem vocatur, sine qua individuus ... *Ratio*: « ordinatur » indicat ordinationem ad finem. At societas non est finis personae nisi in quantum haec est individuum.

Lin. 20: legere: prosperis.

Pag. 22, n. 24, lin. 29: post: evolutione, addere: quae ex ipsa natura humana procedit, alienus ... *Ratio*: non directe omnis progressus culturalis potest Spiritui Sancto attribui. Ipsa natura rationalis hominis est etiam fons progressus. Textus aliquando cadit in supernaturalismum.

Pag. 23, n. 25, linn. 6-7: deleantur, quia non ad rem. N. 26, linn. 8-11: deleantur. Legere: Principia memorata etc. *Ratio*: haec verba possunt non recte interpretari, mundus non est animale. Talis conceptio invenitur apud aliquos philosophos pantheisticos.

Lin. 21: legere: fiat.

N. 27, lin. 39: pro: euthanasia, legere: diversa homicidia ... *Ratio*: euthanasia certe est crimen sed tamen non semper eiusdem gravitatis quam alia crimina enumerata, attentis motivis subiectivis. Haec simplex enumeratio posset aliquos scandalizare.

Pag. 24, lin. 6: legere: haec omnia et alia huiusmodi. *Ratio*: enumeratio non est exhaustiva.

Lin. 10: Gaudium etc. ...: stylus emphaticus!

Linn. 11-12: loco: « tam individualem quam collectivam » legatur: tam personarum quam coetuum. *Ratio*: praecisius dicitur.

Lin. 13: verba: « quae Christus est » deleantur. *Ratio*: hoc non est verum de quacumque veritate.

N. 28, lin. 19: verbum « mentis » deleatur. *Ratio*: caritas respicit Personas, non errores. Intelligere alios modos sentiendi pertinet ad sic dictum « esprit de finesse ».

Pag. 25, n. 30, linn. 5-6: deleantur. *Ratio*: nihil addunt.

Lin. 17: addere: « Adhuc longe abest ut inaequalitas iniusta praetextu coloris et stirpis aboleatur. Immo sunt nonnulli qui talem inaequalitatem perverse iustificare conantur ». *Ratio*: mentio racismi est necessaria.

Pag. 26, n. 31, lin. 13: legere: iam agnoscunt. *Ratio*: ad indicandum omnes nationes ad hanc agnitionem tendere debere.

N. 32, lin. 20: legere: Deum colendo et seipsum. *Ratio*: quia vocatio respicit ad Deum et ad proximum.

Lin. 23: pro « solidaris », forsan melius « socialis »? *Ratio*: gallicismum nimis sapit. In « socialis » habetur « socius ».

Lin. 32: legere: e fraterna coniunctione ad verum bonum commune promovendum ... *Ratio*: ex se coniunctio non est valor. Specificatur a fine bono. Habemus exemplum totalitarismi, quod est coniunctio in pessimum.

N. 33, lin. 41: legere: sponte accommodantur: *Ratio*: haec accommodatio non est semper desiderabilis. Oportet quandoque statum ipsum principiis accommodari.

Pag. 27, n. 34, lin. 31: « concretae ». Pluries in schemate invenitur adiectivum « concreta », semper inter « ... » positum. Hoc vocabulum, saltem in Gallia, in pastorali sermone hodierno cum sensu particulari utitur, quem sensum definire oporteret, ut ab omnibus recte intelligetur. Nescio si in pluribus nationibus talis sensus communis est.

Lin. 41: legere: sociale.

Pag. 28, lin. 1: legere: veras rationes. *Ratio*: dantur falsae rationes vivendi et sperandi.

N. 35, linn. 10-11: legere: iam nunc ad gloriam filiorum Dei, vitam SS. Trinitatis participantium ab Eaque... accipientium invitati. *Ratio*: omnes vocantur. Sed ii qui in peccato vivunt vitam SS. Trinitatis actualiter non participant.

Lin. 22: post: manducavit, addere: « in propria patria vixit, eius legibus subditus, ea quae sunt Caesaris Caesari reddens. *Ratio*: patet.

N. 36, lin. 26: legere: fide viva vel: fide et caritate accipiunt. *Ratio*: agitur de fide salvifica.

Cap. III, pag. 30, n. 37, lin. 2: « sive in Deum ... non credent » deleantur vel mutantur secundum Gallicam versionem. *Ratio*: sub luce fidei quaestiones non sunt omnino eaedem, ac sine fide.

Lin. 4: legere: societa*tum,* vel societa*tis.*

Lin. 6: loco: « pro omnibus ... perobscura remanent » legatur: Haec problemata quae rationi impervia videntur, etiam pro fidelibus obscura remanent. *Ratio*: non est eadem obscuritas ignorantiae et obscuritas fidei!

Lin. 11: pro: curiositati, legere: interrogationi.

Lin. 35 usque ad pag. 31, lin. 10: non sunt tam clarae, dum confundunt finem operantis et finem operis. De fine operantis numquam fuit problema; quaestio agitur de fine operis seu de valore obiectivo civilisationis. At quoad hoc textus nihil dicit. V. g. lin. 2, pag. 31: multi labores non sunt vere utiles.

Pag. 31, lin. 11: legere: opera ordinis technici maxime. *Ratio* patet.

Linn. 13-14: loco « cogitationem », legere: imaginationem. *Ratio*: ab homine cogitantur talia instrumenta.

N. 39, lin. 21: legere: in *et a* creaturis. *Ratio*: ex creaturis mens hominis ad ipsum Deum ducitur.

Lin. 22: legere: cooperari et quantum ad ea quae Regnum Christi respiciunt et quantum ad ea quae ad ordinem temporalem pertinent. *Ratio*: opus principale Dei, non est cultura, sed opus salvificum.

Lin. 33: legere: omnes illae novitates, etiam de se temporales ... *Ratio* eadem.

N. 40, lin. 39: loco: pro credente, melius: Pro Christi fideli, vel Pro discipulo Christi.

Lin. 13: legere: leges physicas, sociales, et morales ... *Ratio*: quia etiam pertinent ad naturam humanam tales leges.

Lin. 24: loco: in ipsa Ecclesia, legere: apud nonnulla Ecclesiae membra. *Ratio*: res sic rectius dicitur.

Linn. 23-26: complexitatem historiae ignorant. Aliae causae erant, v. g. rationalismus.

Lin. 35: loco « nullus credens est qui non », legere: nullus Deum agnoscens est qui non. *Ratio*: sunt theistae qui tamen fidem theologalem non habent.

Lin. 37: pro: in Deum credunt, legere: qui Deum agnoscunt. *Ratio* eadem.

Pag. 33, n. 41, linn. 11-12: deleantur. Lin. 13: Haec quae sequuntur asseverari possunt. *Ratio*: obscuritas fidei non est ignorantia.

N. 42, linn. 16-17: pro: « diudicandae, etc. », legere: sive immediate inquantum sunt spirituales, sive mediate inquantum sunt temporales ad veram hominis perfectionem conferunt. *Ratio*: Distinctio ordinum sic affirmatur. At « incrementum » potest esse in malum. Unde rectius dicitur perfectio.

Lin. 18: legere: cum recte agit. *Ratio* patet.

Linn. 24-27: loco: « Omne opus ... congruunt », legere: « Quod primum valet de ordine gratiae. In ordine autem temporali, omne opus bene factum, pulchritudinis cultus, contemplatio Dei in et a mirabilibus suis, quaecumque hominem iuvant ut altiores suas facultates augeat, haec omnia, etiamsi non procedunt sub motione gratiae, valorem positivum habent, quamquam non sit salvificum, et pro quanto cum divina voluntate congruunt ». *Ratio*: de se omne opus bonum, bonitate scil. naturae, non est adhuc salvificum. Ordo gratiae et ordo culturae non confundi possunt.

Lin. 30: legere: naturam, sed sauciatam sanat et perficit. *Ratio* patet.

Linn. 31-36: deleantur, sunt vera, sed non ad rem, dum tractant de vocatione christiana ad sanctitatem.

Pag. 34, n. 43, lin. 12: legere: ... sponsionis, hos omnes bonos fructus naturae nostrae, postquam ... *Ratio*: agitur de assumptione valorum humanorum in Regnum Christi.

N. 44, lin. 36: addere: « sed antea, decursu temporis, haec sancta Civitas Ierusalem, scilicet Ecclesia, in spe peregrinans, adiuvante Christo victore, contra regnum antiqui serpentis, adhuc praeliare debebit ». *Ratio*: te-

stante Sancto Paulo et Apocalypsi, hoc praelium pertinet ad historiam salutis et etiam ad historiam mundi.

N. 45, lin. 37: loco: fides, legere: Scriptura. Cf. animadversionem circa pag. 14, lin. 8.

Pag. 35, lin. 2: loco: in persona Christi, rectius legatur: in Christo.

N. 46, lin. 20: dare referentiam, ad hymnum Epiphaniae scilicet.

Pag. 35, n. 47, lin. 38: legere: historiae, sive quantum ad terrestria sive quantum ad caelestia, qui ... *Ratio*: haec praecisio videtur necessaria ad indicandum historiam humanam etiam ultimatim ad Christum referri, sed modo proprio.

Cap. IV, pag. 38, n. 48, lin. 12: « Populo Dei », cf. animadversionem circa pag. 5, lin. 5.

Pag. 39, n. 49, lin. 1: pro: existentiae, simplicius: vitae. Linn. 2-6: denuo scribantur, v. g.: Pro homine summa realitas est ipsa Deitas, scil. Sanctissima Trinitas, ad quam participandam a Verbo Dei incarnato, homine Christo Iesu, omnis sanctitatis fonte attrahitur. In hanc vitam Christi, Ecclesia, quae a missionibus Verbi incarnati et Spiritus Sancti procedit, nos intrare facit, dummodo libere respondeamus. *Ratio*: hoc videtur rectius. Quia finis incarnationis et missionis Spiritus est participatio vitae S. Trinitatis. Haec « deificatio » est summa vocatio hominis.

N. 50, lin. 17: legatur: historia culturae cum historia salutis, quamvis sit ab ea distincta, connectitur, et ... *Ratio*: rectius res exprimitur.

Item: lin. 18: pro: in se, legere: ad se; lin. 19: pro: includit, legere: assumit.

N. 51, lin. 25: pro: comprehendat, legere: assumat.

Pag. 40, linn. 15-16: « Quod ... homo » deleantur, quia inutilia.

N. 52, lin. 19: loco: ex inclusione ... in ordine, legere: ex assumptione ... in ordinem ...

Lin. 32: pro: errores, legere: deviationes, vel: perversiones. *Ratio*: raro datur doctrina de hoc, sed malum est in modo vivendi.

Pag. 41, lin. 13: legere: officia sua ex consequenti ... *Ratio*: ad praecisionem.

N. 53, linn. 35-36: loco: « ut legem divinam ... curet », legatur: « spiritum Evangelii in vitam civitatis terrenae infundendum curet ». *Ratio*: « Lex divina » habet sensum strictiorem. Textus theocratiam innuere posset.

Pag. 42, n. 54, lin. 24: « concreta ». Cf. animadversionem circa pag. 27, lin. 31.

Pag. 43, n. 55, lin. 5: legere: veritatem et non Veritatem.

Lin. 12: rectius legere: et recte interpretari. *Ratio*: sunt falsae interpretationes.

Lin. 19: legere: hominis et mundi prout ... Lin. 20: « abstractis ». Valet quoad hoc verbum animadversatio quoad verbum « concretus » facta; cf. circa pag. 27, lin. 31.

Lin. 21: « concreta » cf. animadversationem circa pag. 27, lin. 31.

N. 56, lin. 25: Populus Dei, cf. animadversationem circa pag. 5, lin. 5.

Linn. 30-31: non recte dicitur lex salutis in humanitatem qua peccatricem incarnari.

Linn. 33-34: pro « apparuisse quibusdam rugis maculatam » legere: « eorum defectibus et peccatis apparuisse maculatam, dum in nobis non in se maculatur Ecclesia ». *Ratio*: aliud discernit fides, aliud simplex humana consideratio super vultum Ecclesiae, quae in se sancta est.

Item: lin. 36, legere: Ut de membrorum eius infirmitatibus ...

Pag. 44, n. 58, lin. 22: loco: « propriis infirmitatibus », legere: eorum infirmitatibus.

Lin. 33: « concretis », cf. animadversionem circa pag. 27, lin. 31.

25

Exc.mus P. D. GERARDUS HENRICUS DE VET
Episcopus Bredanus

Nomine Conferentiae Episcopalis Neerlandicae, proponere velim:

Ne vestro tempore immerito abutar, laudationem textus non iteror, sed pleno corde confirmo. Tantum aliquas meliorationes proponere velim.

1. Melius esset explanandum, quod ex una parte salus hominis non dependet ab historia humana terrestri, ab instauratione humana mundi et promotione populorum, sed est donum gratuitum Dei in Christo, ex altera parte tamen quod salus illa gratuita humana nunc iam manifestatur, licet subobscuro modo, etiam in ipsa illa historia humana. Verum est quod instauratio humana mundi et societatis humanae non idem est ac crescentia Regni Dei in hoc mundo, sed ex altera parte ipsa salus Dei gratuita nos urget ad instaurationem illam humanam, quae est quasi signum operositatis gratiae sanantis praesertim mediante vita morali hominum, sine qua humanisatio mundi et societatis humanae remaneret manca. Nervosius proinde est indicandum quod hoc schema respicit praesentiam Ecclesiae in mundo non tantum propter varias magnas mutationes hodiernas, quae propria problemata gignunt, sed quia Ecclesia, realitas quidem transcendens, *natura tamen sua* intime connectitur cum mundo. Salus hominis ad totum hominem, viventem in et cum mundo, attinet et non tantum ad animam quasi e mundo extractam. Mutuam inclusionem mundi et Ecclesiae, salva tamen transcendentia Ecclesiae ut populi Dei explicite in Christo coadunati, meliore modo in lucem ponendam esse puto.

2. Schema, quod de facto nondum est dialogus Ecclesiae cum mundo, sed praeparatio interna ipsius Ecclesiae ad hunc dialogum, benevolentiore modo — realitate tamen peccati et ambiguitate mundi minime neglecta — deberet auscultari obscurum licet profundum conamen plurium hominum. Hi authentice quaerunt sensum vitae humanae, licet existentialiter ut ita

dicam incapaces sint qui explicite agnoscant Deum. Dicta in schemate de atheismo sunt vera sed unilaterialia, respicientia tantum unam formam atheismi, nempe antitheismi militantis. Recognoscendum esset, quod dantur et aliae formae atheismi et agnosticismi, in quibus multi homines larvato modo revera quaerunt unum Absolutum, quod nos nominamus Deum.

3. Demum tantum insistere velim in quaedam iam dicta ab aliis Patribus, nempe, quod hoc schema ab initio, v. g. sub numero decimo, deberet dicere quid sit valor omnium dictorum, praesertim in secunda parte huius schematis. Agitur enim de positione christiana et evangelica relate ad situationes mutabiles et fluctuantes. Hic et nunc talis vel talis positio christiana (vel et pluralismus solutionum christianorum) potest esse moraliter obligatoria. Mutatis tamen circumstantiis nova positio christiana potest urgere. Si ergo schema nostrum non explicite affirmat positiones (praesertim partis secundae) non esse semel pro semper definitivas, sed hic et nunc sub lumine fidei necessarias datis conditionibus hodiernis, tunc periculum adstat quod in posterum, conditionibus mutatis, recursus ad hanc Constitutionem pastoralem possit *refrenari* ulteriorem evolutionem et necessitatem aliae positionis christianae. Historicitas proinde horum problematum magis in lucem est ponenda, et proinde etiam historicitas positionum christianarum hac in re.

4. Demum, mirum est quod problema oecumenicum non intrat hoc schema. Dum agitur de praesentia Ecclesiae Christi in mundo magna ex parte non christiano, ipsa haec praesentia hominibus problema ponit christianismi scissi. Ipsum proinde « bonum nuntium » evangelicum mundo scisso, quaerenti unitatem, sese praesentat scisso quodam modo, quod valde effrenat vim convictionis huius Evangelii. Schema nostrum hoc problema silere nequit.

26

EXC.MUS P. D. ALBERTUS DEVOTO
Episcopus Goyanensis

Tria notanda circa primam partem schematis, quae quidem multa elementa valde bona habet: 1. De modo tractandi hanc primam partem ad mentem Encyclicae « Ecclesiam Suam »; 2. de modo loquendi circa atheismum ad mentem eiusdem Encyclicae; 3. Quaedam animadversiones particulares ad ipsum textum totius primae partis, quae ratione brevitatis et claritatis, scripto tradam Secretariae Generali.

Ad 1. Anno elapso in hac ipsa aula saepissime facta est mentio de prima Encyclica Papae Pauli VI.

In hac autem quarta sessione conciliari sermo de hac re vix auditus est, et quamvis in schemate nonnunquam mentio fiat, tamen schema constitutionis pastoralis de qua nunc agimus, mihi videtur non respondere exspectatione in ipsis Litteris Encyclicis expressis verbis notata.

a) « Exsistit... quaestio de colloquio serendo cum huius aetatis hominibus, cuius quaestionis erit Concilii definire, quae sit amplitudo, et implicatio, eamque quantum poterit melioribus expedire modis » (*A.A.S.*, 56, p. 613);

b) « Nonne Concilium ipsum ex eo, quod sibi proposuit, pastorali munere, illud contendit iure meritoque, ut christianus nuntius influat in verba, in cogitationes, in sensa hominum, qui in terrarum orbe hodie vivunt et animis aestuant? Antequam mundum ad fidem traducamus, immo vero ut traducamus, ad mundum oportet accedamus cum eoque loquamur » (*A.A.S.*, 56, p. 640 s.);

c) « Quoniam hominum coetui nulla salus afferri extrinsecus potest, opus est utique, ut primum — non secus atque Verbum Dei, quod seipsum fecit hominem — eorum vitae formas induamus, quibus Christi nuntium delaturi sumus » (*A.A.S.*, 56, p. 646);

d) « Singularem novitatem huius aetatis nostrae animadvertens, Ecclesia simplici cum fiducia inter rerum vicissitudines progreditur et homines ita quasi affatur: " penes me ea sunt quae quaeritis, quibus indigetis ". His autem verbis non terrenam felicitatem pollicetur, sed opem porrigit, lucem dicimus et gratiam, qua ad illam, quo melius fieri potest, perveniatur: atque homines de vita futura, quae naturam exsuperat, docet. Cum iis etiam, de veritate, de iustitia, libertate, rerum progressione, concordia, pace, cultura, sermocinatur. Quarum rerum reconditam vim Ecclesia optime novit, quippe cui a Christo ea sit patefacta » (*A.A.S.*, 56, p. 649).

Ex textis allatis, quae tantum fragmentario modo enuntiavi, clare apparet, totam primam partem schematis modo magis evangelico conceptam esse debere, scil. cum illa mirabili simplicitate quae in verbis Domini patefacit, quamvis de rebus transcendentalibus, sit eius sermo.

Sine dubio, hic modus loquendi in colloquio cum mundo hodierno aptior apparet quam modus, ut ita dicam, in quo quaedam superioritas appareat: forse modus nimis intellectualis.

Revera Ecclesia plenam habet conscientiam, eam esse in possessione veritatis, sed simul scit vim eius Nuntium ad homines nostri temporis, non in sollemni modo loquendi consistere, sed in ipsa veritate.

Propono igitur ut in revisione textus schematis, post in aula discussionem, prae oculis habeatur haec simplicitas evangelica in sermone, ut locutiones cum ea non concordantes deleantur vel mutentur.

Ad 2. Loquendo de atheismo in mundo, dicit Paulus VI: « ... pro pastorali sollicitudine in mente atheorum huius aetatis causas oportet deprehendamus, ob quas conturbantur Deumque esse negant. Eas implicatas et multiplices esse facile intelligimus, ita ut prudenter de iis sit iudicandum eaedemque efficacius refutandae » (*A.A.S.*, 56, p. 652).

Et etiam: « ... non desperamus atheos quondam cum Ecclesia in colloquium posse venire, fructuosius sane quam id quod nostra habetur aetate » (*A.A.S.*, 56, p. 654).

Primo loco adhaereo eis quae in aula dicta sunt ab em.mo Šeper, circa atheismum.

Desideratur ut in textu schematis clarior appareat sincera voluntas Ecclesiae cum atheis aliquomodo ineundi dialogum, praesertim ex diligenti studio causarum, de quibus Summus Pontifex in Encyclica alloquitur.

Ad 3. Ut iam dixi, animadversiones particulares ad textum, scripto tradam.

Animadversiones particulares ad textum.

Prooemium et pars introductiva. Pag. 5, lin. 1: omittantur verba « caelum et terram », quia innecessaria sunt et hodie inusitata.

Pag. 6, linn. 23-25: omittatur locutio: « Idonei auctores... modo delineant »; sunt etenim innecessaria, siquidem visio mundi hodierni ut iacet « viri idonei » non requiri.

Pag. 7, lin. 7: mutetur « novum bellum », per « possibile bellum », nam verbum « novum » quandam necessitatem indicare videtur.

Pag. 7, lin. 23: locutio « ope cognitio historiae » ita mutetur: « ope cognitionis in diem profundioris circa civilizationes antiquiores ». Locutio ut in textu iacet nimis vaga est.

Pag. 8, linn. 29-33: tota paragraphus omittatur, nempe: « Plures passive... dirigere aggrediantur ». *Ratio* est quod textus prorsus innecessarius, quia nihil novum.

Pag. 8, linn. 37 s.: locutio « ita non pauci ad *vividiorem* sensum Dei accedunt », omittatur vel in aliam mutetur, quia res, ut iacet, non ita certa videtur. Estne vera?

Pag. 9, lin. 6: omittantur verba « saepe inordinate peracta », quia tam facile non videtur affirmandum esse.

Pag. 9, lin. 33: locutio « ... sed insuper... statuat », mutetur in aliam, ne videatur hunc intentum melioris conditionis humanae aliis temporibus non exstitisse.

Caput I. Pag. 13, lin. 22: verba « Cum omni carne » substituantur aliis verbis clarioribus.

Pag. 13, linn. 20 s.: non clara apparet connexio inter elementa huius paragraphi.

Pag. 13, linn. 32 s.: mutanda est locutio, ne appareat primo visu, solummodo « per corpus » hominem cum aliis communicari posse.

Pag. 14, lin. 39: post verbum « realitatem », addatur « transcendentem » ut clarius appareat sensus locutionis.

Pag. 15, linn. 3 s.: comma « Huius legis lumine, christiani cum omnibus hominibus coniuncti... » mutanda videtur. Estne clarus legem naturalem christianorum privilegium exclusivum non esse?

Pag. 15, lin. 11: omittatur locutio: « quo bono ceterum multi coaevi nostri ardenter afficiuntur ». Nam verba sic posita quemdam « opportunismum » insinuare videntur.

Pag. 15, linn. 36 ss.: tota paragraphus, quae incipit a verbis « In his » reconsideranda videtur. Nam quamvis res in se vera sit, non videtur modo tam simplici enuntiari posse. Ergo melius omittenda?

Pag. 16, lin. 17: verba « coram morte omnis imaginatio deficit, Populus tamen... », aliquomodo insinuare videntur tantummodo christianos habere responsionem ad hunc problema. Quod quidem tam simplici modo, dicere non potest, sine iniuria aliis religionibus saltem.

Pag. 16, linn. 33 ss.: n. 18 cap. I, nimis negativus apparet, et nihil positivi in eo dicitur. Ergo omittendus?

Pag. 17, linn. 22 ss.: paragraphus quae a verbis « Secundum unam... » nimis artificiosa, ut in textu iacet, apparet.

Cap. II. Pag. 22, linn. 28-31: melius videtur, hanc paragraphum « Dei Spiritus... » ad finem capitis transire, ubi de elementis theologicis loquitur.

Pag. 23, linn. 6, 7: locutio « Christus ipse... » innecessaria videtur, ut confirmatio verborum praecedentium, siquidem res nimis clara et evidens.

Pag. 23, linn. 28, 29: mentio parabolae evangelicae « In parabola dives... », etiam innecessaria videtur. Locutio praecedentis nimis clara est: e contrario simplex mentio parabolae lectores versatos supponit.

Pag. 23, linn. 32 ss.: post verba: « ... omnino hominis », addantur verba: « sive pauperes, sive senes, sive infirmos » et statim fiat citatio Evangelii « Quamdiu fecistis... ». Exempla in textu posita opportuna in documento conciliari non videntur.

Pag. 26, linn. 2 ss.: omittantur verba inde a « Onesimus, de quo... » ad « ... devicta erat ». Mentio facti non opportuna videtur, et praesertim in temporibus ubi servitus a longe abest.

Pag. 26, linn. 20-21: comma « Cum homo... incidit et languescit », melius omittendus videtur, tamquam quasi ingenua et simplex.

Pag. 26, linn. 24-29: paragraphus « Ideo humana libertas... » recognoscenda videtur ad vitandas expressiones nimis simplices.

Pag. 26, linn. 37 ss.: omittatur paragraphus quae incipit a verbis « Cum multa... » usque ad « ... societatum curam habeant », siquidem totum hoc iam dictum est antea.

Pag. 27, linn. 5-19: etiam haec paragraphus multas habet repetitiones. Sufficiens est ut totus reducatur ad unam duasve locutiones breves.

Pag. 28, linn. 8 ss.: comma « omnes enim... », sine dubio esset si clare diceretur: « ... Omnes sunt filii eiusdem Patris qui in caelis est ». *Ratio* nimis clara.

Pag. 28, linn. 9-10: « iam nunc vitam SS. Trinitatis participantes... », non videtur tam facile posse affirmari de omnibus hominibus. Ergo locutio acclaratione indigere.

Pag. 28, linn. 22 ss.: non opportuna videtur mentio factuum nimis prolixa: « Nuptiae Canae... Domus Zacchaei... ».

Cap. III. Pag. 30, lin. 11: « omni nostrae *curiositati* respondit ». Verbum « curiositas » non videtur appropriatum, cum de rebus transcendentibus, ut sunt ea de quibus in paragrapho praecedenti, loquitur.

Pag. 30, linn. 32-33: « Quod quidem... ad effectum non perducet » videtur verba addenda esse, quibus significetur hunc effectum perducere, tantummodo imperfecto modo, ut clare appareat limitatio humanae creaturae.

Pag. 32, in fine, et 33: in hac paragrapho, scil.: « Quod testimonium... » exempla particularia (optima quidem ad praedicationem), in documento conciliari omittenda sunt.

Pag. 31, linn. 19 s.: locutio « ... et fructus illius ineffabilis consilii Dei, ... » hoc modo mutetur: « et fructus amoris Dei... ».

Pag. 31, linn. 23 s.: « Sicut filiorum... Deum glorificant ». Locutio minus appropriata videtur: comparatio etenim ad errorem facile inducere potest. Melius omittatur.

Pag. 31, linn. 33-35: verbis: « ut scilicet omnes... » usque ad « bono congruant », mutetur ordo, ut melius appareat parallelismum cum verbis Apostoli: homo - Christus - Deus.

Pag. 32, linn. 30-32: « De quibus casibus... nunquam iterentur ». Locutio, ut in textu iacet, videtur aliquomodo ingenua. Res tam gravis exigit verba quae sapiunt propositum tantum a personis modo individuali factum.

Pag. 35, lin. 20: « Diabolo qui Eum... ». Mentio explicita tertiae tentationis — quae quidem ad rem facit — opportuna videtur.

Cap. IV. Pag. 38, linn. 5-7: « Ipsa (Ecclesia) enim hominem... fini respondeat ». De necessaria cooperatione homine ad hanc liberationem obtinendam sermo fiat, vel melius dicatur: « ... ut hominem a superbia simul et a desperatione liberetur *adiuvat*... ».

Pag. 40, lin. 4: locutio « ... nullius generis... dominationem », omittatur. Haec iam dicta sunt.

Pag. 40, lin. 16: quisnam est sensus verborum « Gloria Dei, vivens homo » relate ad praecedentia?

Pag. 41, lin. 8: « ... quos sane mirari debemus... ». Omitti potest. Respondet enim ad contextum totius Evangelii.

Pag. 43, linn. 16 ss.: « Quodcirca notetur... ». Haec verba maximi momenti sunt, nam conditionem ponunt multis rebus de quibus in hoc schemate. Prorsus necessarium est ut non pauca quae in decursu schematis dicuntur huic affirmationi non opponantur. Meo iudicio haec est melius animadversio generalis quam particularis.

Pag. 43, linn. 36 ss.: « Ut de eius infirmitatibus... ». Res quidem valde implicata, et paragraphus non est satis clara. Loquatur tali modo, de re non pauci momenti, ut non videatur ingenua iustificatio.

27

Exc.mus P. D. FRANCISCUS ESTEVES DIAS

Episcopus Lusitanianus

Cf. pag. 898 F.

Specimen additamenti. Post n. 19, emendandum iuxta suggestiones a Patribus prolatas, addatur novus numerus sequens: 19-bis (*Problema Communismi*). « Quaecumque forma atheismi, utpote Ecclesiae doctrinae contraria, est respuenda. At forma quae iam inde a saeculo elapso ad nostra usque tempora maximum influxum exercet in damnum christifidelium, necnon et cuiusvis religionis asseclarum, ideoque pastores Ecclesiae anxios efficit, ea est quae sub nomine socialismi marxistici seu communismi late grassatur, quaeque sub specie progressionis oeconomicae et socialis plurimos miserrime decipit.

Communismus enim ex negata existentia Dei omnisque religiosi ordinis, maxime supernaturalis, logica necessitate, ex historia comprobata, fertur ad multimode impetenda ipsa fundamentalia principia ordinis naturalis. Nam, ut potiora tantum attingantur, spiritualitatem et immortalitatem animae humanae negat; libertatem veri nominis, praesertim in re religiosa, detrectat, genuinam dignitatem personae, familiae et coniugalis connubii in multis violat, legis moralis ac iuris normas stabiles et immutabiles nullas agnoscit, sed pro ipso, iustum et morale est quidquid iuvat dictaturam suae factionis (cf. interventionem em.mi card. Wyszyński, die 20-9-1965); ius proprietatis privatae non admittit; luctam classium socialium tamquam necessarium medium habet ad bona terrestria consequenda; Statum ita totalitarie concipit ut nullus fere relinquatur dignus locus individuis singulis vel societatibus intermediis. Unde communismus non tantum quia atheismi tabe inficitur est respuendus, sed etiam ob praedictos gravissimos errores quibuscum indissolubiliter connectitur, intrinsece perversus ab Ecclesiae Magisterio est declaratus (cfr. Litt. Enc. *Divini Redemptoris* Pii XI).

Maiore adhuc de causa doctrina communismi perniciosa est habenda, quod nostris praesertim temporibus, plurimis in locis, ad praxim ipsa deducitur adhibitis omne genus instrumentis potestatis civilis et politicae, et sic sive vi sive callidis artibus propagatur et imponitur. Exinde fit ut, cum per communismum iura Dei ac iura hominum conculcentur, ipsa Ecclesia catholica, quae eius doctrinam et praxim admittere non potest, in exercitio suae divinae missionis iniuste impediatur et in suis membris tristissimae subiiciatur persecutioni.

Ob has rationes Ecclesia catholica, tanta animarum ruina permota, numquam non destitit a communismi doctrinis et praxi, iteratis quoque condemnationibus et monitis, christifideles avertere. Etiam in praesens, idem ferre iudicium per hanc Oecumenicam Synodum, gravissimo pastorali suo officio obligatam se sentit. Unde, dum tota ipsa compatitur in suis membris

qui multimodam communismi persecutionem patiuntur, veritates sive revelatas sive naturales a communismo impugnatas sollemniter confirmat. Filios suos, immo et omnes homines rectae conscientiae, vehementer obtestatur ut communismi errores et praxim reiiciant, neve fallaci spe decipiantur se suam fidem religiosam cum communismi placitis, ne in oeconomica quidem vel sociali re, licite componere posse. Proclamat viam ad veri nominis progressionem, quemadmodum iam plurium constat populorum lugenda experientia, non in doctrinis praxique communismi patere, sed in sanis principiis politicis, lege divina sive naturali sive positiva informatis. Hortatur denique omnes ad quos competit ut, ope iustitiae et caritatis, e medio tollantur iniquae illae civilis consortii condiciones, quae proh dolor communismo viam sternunt ».

28

Exc.mus P. D. IOSEPH BARTHOLOMAEUS EVANGELISTI

Archiepiscopus-episcopus Meerutensis

Schema hoc de multis problematibus huius mundi loquitur, sed nimis naturalistice, et non raro nimis timide. De indole eschatologica mundi fere nihil clare dicitur. Attamen aliquid, breviter certe, sed clare omnino dicendum videtur de hoc mundo *sub luce aeternitatis,* « praeterit enim figura huius mundi », de peccato, de Redemptione per Christum, de iustificatione, de morte, de iudicio, de inferno et de Paradiso; nos enim sumus sal terrae, quod si sal evanuerit, in quo mundus salietur? Similes ergo simus homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera.

1. Vita praesens, nisi in luce vitae aeternae consideretur, est enigma insolubile. Inter alia problemata, quae aliqualem solutionem a nobis postulant pro mundo huius temporis, est problema boni et mali. Mali homines saepe triumphant, boni vero haud raro opprimuntur.

2. Hinc necessitas iudicii post mortem et perfectae iustitiae in altera vita.

3. Creatio, Redemptio et iustificatio sunt procul dubio opus immensi amoris Dei, qui nos posuit in hoc mundo ut illum redamemus per filialem observantiam mandatorum suorum.

4. Qui Patrem caelestem amant, aeternam merentur mercedem in Regno Dei. Qui autem Dei amorem respuunt et sine poenitentia, in Dei inimicitia ex hac vita discedunt, finem suae existentiae assequi non possunt, sed aeternis punientur suppliciis, sicut in Evangelio pluries affirmatur.

His praemissis, in pag. 33, post lin. 10 vel alio convenienti loco novam adderem paragraphum de hac re, quae plus minusve hoc modo exprimi posset: « Tenet autem Ecclesia Catholica omnia in hoc mundo tandem aliquando transitoria esse, vitamque praesentem ad aeternam esse ordinatam. Cum vero humana persona physica libertate gaudeat, ad creaturam magis quam ad Creatorem se convertere valet atque ita peccatum committere potest et crea-

toris inimicitiam incurrere. Si autem in hac inimicitia homo usque ad mortem perseverat et sine poenitentia ex hoc mundo discedit, post iudicium, quod mortem sequitur, aeterna beatitudine privabitur, quippe qui Dei amorem reiecerit, atque aeternis damnabitur suppliciis; nemo enim potest impune Dei dona respuere ».

[*Subscripsit etiam*] E. Hunkeler, arch. Kansas City.

29

EXC.MUS P. D. IOSEPH FADY
Episcopus Lilongwensis

Chap. I, nn. 14 et 16. *Proposition*: Faire des n. 14 et 16 un seul numéro sous le titre « conscience sociale de l'homme ». *Raison*: Le texte est trop long et se répète.

Voiçi le texte que je propose: Au plus profond de son être — dans sa conscience — l'homme découvre la présence d'une loi qu'il ne s'est pas donnée lui-même et qui lui dit: fais ceci; ne fais pas cela. Cette loi, inscrite dans le cœur de l'homme, le jugera. Cf. *Rom.* 2, 15; *Jérém.* 31, 33.

Le Christ a ramené cet impératif à ce commandement unique: Aime Dieu ... et ton prochain. A sa suite St. Paul répète: Tout commandement se résume en cette parole: tu aimeras ton prochain comme toi-même ... La plénitude de la loi est donc l'amour. *Rom.* 13, 9-10.

La foi chrétienne nous ouvre à ce propos des perspectives que notre raison n'aurait jamais pu découvrir: Dieu est à la fois Un et Trine. Et Dieu est Amour.

Créé à l'image de Dieu, l'homme en porte la marque: l'homme naît dans une communauté, dans une société. Or l'unité de cette communauté, de cette société est assurée par l'amour.

Ceci est d'une extrême importance pour des hommes de plus en plus dépendants les uns des autres dans un monde cherchant sans cesse à s'unifier davantage.

A nous chrétiens de prêcher d'exemple et non de mots seulement.

N.B. Ne faudrait-il pas donner à ce schéma la forme d'une déclaration?

Cap. 1, n. 19 (De atheismo). *Réflexions pastorales*. Comme l'a fait remarquer le R. P. Arrupe S.J. le problème de l'Athéisme n'est pas avant tout un problème intellectuel, philosophique.

La grande masse des athées est constituée par les bourgeois, les paysans, les ouvriers. Les arguments philosophiques ne les touchent pas. Une approche purement intellectuelle porte à faux. Les plaindre ne fait que les irriter. Ils ne sont pas malheureux dans leur athéisme. (C'est là évidemment leur grand malheur, dont ils ne se rendent pas compte)

Ils ne sont pas — en général — hostiles à l'Eglise, sauf s'ils ont devant

eux des exemples de chrétiens médiocres, égoïstes qui leur donnent une fausse notion de ce qu'est le vrai christianisme.

Avant de retourner en Afrique après la 3e Session du Concile en 1964, j'ai eu l'occasion de contacter de ces athées et écouter leurs réflexions. « Ils n'ont pas besoin de Dieu ». « Ils ne se posent pas le problème de survie de l'âme ». « Il prennent la vie telle qu'elle est ».

On ne sait vraiment pas comment « toucher », comment « atteindre » ces hommes et femmes, jeunes gens et jeunes filles, élévés dans cette atmosphère « neutre » « athée » mais pas necessairement hostile. Mais « qu'on les laisse tranquils ».

Il y a cependant une lueur d'espoir. Ils vivent dans une attente: Ils espèrent pouvoir faire un voyage en Espagne aux prochaines vacances, ils espèrent pouvoir acheter une petite voiture pour les sorties du dimanche et aux vacances; ils espèrent pouvoir se procurer un meilleur logement, une maison de campagne, des meubles, une télévision. Ils vivent de petits espoirs dont ils se font un bonheur anticipé. Bref ils attendent quelque chose. Ils ne sombrent pas dans le pessimisme. Il y a beaucoup de petits « bonheurs » dans leur vie quotidienne qui leur fait oublier la monotonie de la vie. On fume sa pipe, on boit un bon verre de bière; on sort avec son ami ou son amie; on lit son journal, etc.

Mais tout cela reste dans le cadre purement « naturel ».

Comment porter cet espoir, cette attente sur quelque chose de plus durable, de plus réel, de plus sûr, sans pour autant condamner les bonheurs purement terrestres? L'homme semble être plus sensible à l'Espérance qu'à la Charité. Commencer par l'Espérance et aboutir plus tard à la Charité. Faire aboutir l'homme à ce cri de St Augustin: Inquietum cor donec requiescat in Te.

Donc: Prêcher comme le Christ, le royaume de Dieu, « quaerite primum ... » et les autres petits bonheurs seront donnés par surcroit.

Avant de revenir à Rome pour la 4e Session, j'ai fait une tournée pastorale au nord d'un poste de Mission en vue d'une fondation. Il y a déjà quelque 2-2.500 Chrétiens et catéchumènes dispersés dans des villages perdus dans la brousse et je cherchais un endroit favorable pour l'établissement d'un poste. Pendant trois jours j'ai parcouru le territoire en question. Partout accueil enthousiaste de la part des chrétiens et des païens: Voici quelques textes glanés parmi cette population qui font un singulier contraste avec les réflexions de nos « Européens ».

Dans chaque village la population vient à la rencontre de la voiture d'« une jeep » en jetant des fleurs et improvisant des chants, comme p. ex.: « L'Eglise catholique nous enseigne la vérité. Venez, regardez et vous constaterez notre joie » bis.

Dans un village, devant la chapelle en paille, un homme d'âge mûr sort un papier, jauni au soleil et il lit: « Nous *éclatons* de joie ». Le verbe éclater en l'occurance exprime l'éclatement d'un pneu trop gonflé. « Nous avons

besoin de Dieu ». « Nous autres catéchumènes, nous frappons à la porte du bercail ».

Comment faire naître ou renaître dans l'âme de nos athées ce « besoin » de Dieu?

Comment leur donner une *Espérance,* une *Attente?* Et avec cette *Espérance* et cette *Attente,* l'Enthousiasme?

Le Juifs attendaient l'arrivée du Messie. Et nous, chrétiens, attendons nous vraiment le retour du *Christ?*

30

EXC.MUS P. D. ANGELUS FERNANDES

Archiepiscopus tit. Neopatrensis, coad. c.i.s. Delhiensis

In genere. 1. Propositum schematis est mentem dirigere ad realitates principales mundi huius temporis. Inter has sine dubio est problema principale pro maiore parte humanitatis, scil., progressio integrata humana, etiam quoad bona materialia quod attinet. De hoc sermo fit saepe in textu, et aliquoties fusiore modo. Nihilominus, perspectiva quae emerget ex lectione totius documenti non secumfert hanc visionem rerum.

2. In parte theologica non videtur sufficienter commemorari influxus peccati originalis in mundo. Ideoque deficit etiam integratio muneris Salvatoris cum munere Christi ut Lux Mundi.

3. Ita insistitur in munere Christi Regis Regum et Domini Dominantium, recapitulantis omnia in semetipso, ut vix appareant amor eius ineffabilis spiritusque servitii erga peccatores huius mundi: « Non veni ministrari sed ministrare, et dare animam pro multis ». Si haec meliorem locum in schemate haberent, clarius visio Ecclesiae Christi in servitium hominis appareret.

4. Theologia quae efformatur in parte prima schematis locuplex adhuc fieri potest, et applicatio quae fit in secunda parte magis cum ea cohaereri debet. Tractatio aliquatenus ethica et sapiens iurisprudentiam internationalem non videtur sufficienter cum ea harmonizari vel componi.

5. Saepe in textu notatur necessitas deveniendi in normas practicas speciatim aetati nostrae accommodatas. Nullibi tamen postulatur *structura,* ex necessitate rerum promanans, ut Ecclesia revera visionem et motionem continuatam in mundo huius temporis praesentet et exerceat.

De prooemio. 1. Pag. 8, n. 6: forsitan in fine huius paragraphi addi potest aliquid huiusmodi « quin spiritum materialismi suo ingenio alienum suum facere velint ».

2. Pag. 8, lin. 25: addantur haec vel verba similia « dum genitores, insufficienter parati, inermes conditionem rerum aspiciunt ».

3. Pag. 9, n. 8: quaeritur utrum commemorari debeat inter discrepantias

conflictus saecularismum inter et religionem, dimensionem, scil., horizontalem et verticalem.

4. Pag. 9, n. 9: dum in textu notatur desiderium progressionis ex parte nationum evolventium, non videtur sufficienter in lucem poni desiderium illud late sparsum ex parte multorum divitum ut humanis suis fratribus adiuvent, quod desiderium etiam apud iuvenes viget.

5. Pag. 10: inter quaestiones enumeratas, quae sunt ordinis socialis non apparent, dum revera ponuntur, praesertim in nationibus evolventibus etiam divitibus in eis viventibus, v. g., cur distributio magis iusta bonorum mundi non in effectum deducitur ab illis qui tam alte loquuntur de religione et fraternitate, dum eodem tempore non erubescunt de populatione diminuenda sermonem facere. Ita etiam, quomodo explicatur haec deordinatio in religionem profitentibus? Quid est verus progressus humanus?

De Expositione Introductoria. Ut expositio perfectior evaderet, sequentes proponuntur quaestiones.

1. An simul ac phaenomena hodierna etiam « noumena » commemorari deberent, eo vel magis quod super elementa stabilia structura mundi melioris aedificanda est?

2. Inter haec elementa stabilia: *a*) Estne numeranda ipsa Ecclesiae realitas eiusque renovationis conatus?

b) Ita etiam conamina in campo religioso ex parte acatholicorum?

c) Conatus etiam ordinis magis humani per multos annos constantes in U.N.O.?

d) Si praxis religionis in quibusdam mundi regionibus decrevit, apud Orientem res aliter se habet, praesertim apud Hinduistas, Buddhistas et Mahumetanos.

e) Etiamsi forsitan sit consectaria decrescentiae religionis, nonne in textu explicite commemorari debet factum « commercializationis sexus » et non tantum deordinatio moralis quae semper locum habuit?

3. In n. 4 solummodo « angores » videntur in lucem poni et non « spes ».

4. In n. 6 praeoccupatio videtur esse quasi unice de mundo evoluto, dum de facto mundus pro maiore parte est in statu evolutionis. Hic forsitan esset locus aliquid dicendi de motione « independentiae » quae magnum influxum habuit et habet praesertim in regionibus antea colonizatis. Similiter de « racismo » de quo silere non expedit. Ita etiam de facto « non-violentiae » ut medium ad influxum humanum inducendum.

5. In n. 7 praeterquam omissio de parentum reactione de qua iam animadversiones misi, notare liceat haec circa paragraphum secundam.

Praeter illos qui passive se gerunt vel in directionem bonam rerum se ingerunt, sunt etiam in dies plures qui active et positive laborant ut hae mutationes de quibus sermo fit, quam latissime spargantur praesertim per varia communicationis media.

6. Ad n. 8 quod attinet, in lin. 6 addantur haec vel similia verba post verba « saepe inordinate peracta »: « quin conscientiae hominum integratur ».

Quaeritur utrum idem est dicere « disaequilibrium » (quod non existit in lingua latina) et quod « rumpitur aequilibrium »? Nonne melius esset aliud vocabulum usurpare, v. g. « discrepantiae »?

De Parte I, cap. I.

1. Pag. 16, n. 16, lin. 2: haec additio suggeritur vel aliquid simile: « Proindeque conscientiae humanae sociali alienum est ingentem numerum hominum in existentia infrahumana relinquere ».

2. Pag. 18, n. 20: in hac paragrapho quaedam addenda videntur de Christo in seipso unificante etiam vitam communitariam hominis, scil., Christus non solum ut principium et finis pro individuo apparere debet, sed etiam pro tota humana communitate, et sic melius fieret transitus ad cap. II.

De Parte I, cap. II.

1. In hoc capite, tum in n. 21, tum in loco suo proprio, magis in lucem ponenda videtur iustitia socialis internationalis quae, saltem pro populo ad quos alloquimur, plus dicit quam caritas socialis. In saeculo elapso, et in prima parte huius saeculi, Summi Pontifices in iustitiam socialem, praesertim intra fines uniuscuiusque nationis insistebant. Praecipue post Encyclicas *Mater et Magistra,* et *Pacem in Terris,* Concilii est magis in iustitiam socialem insistere quae apud nationes mundi locum habere debet, et non solum inter individuos et parvos coetus.

2. Pag. 23, lin. 26: haec verba addantur: « Quid in vitae usu nobis exigat investigandum est, et firmiter in actum deducendum novis etiam structuris, si hoc necessarium sit.

3. Pag. 23, lin. 28: Verba haec addantur: « Nec sinat eum in conditionibus infrahumanis exsistentiam ducere ».

4. Pag. 23, lin. 35: « Esuriens » mutetur in « esurientes » ut dimensio socialis huius visionis clarius appareat.

5. Pag. 23 et 24: circa sectionem secundam « de Viis Sequendis »: Placet ut sermo incipit cum reverentia erga personam humanam sed in hac parte necessarium esse videtur ut aliqua verba proferantur de obligationibus iustitiae inter personas. In mundo enim hodierno loquela saepe fit de iuribus sed non tam frequenter de obligationibus. Hic etiam sermo fieri potest de iustitia sociali internationali quae inter nationes exsistere debet.

6. Pag. 24, lin. 5: addantur haec vel similia: « vel, quod peius est, ipsa inopia laboris quae conditiones inhumanas inducit ».

7. Pag. 24, lin. 17: sensus istius phrasis « in nostris societatibus » non facile colligitur.

31

Exc.mus P. D. GEORGIUS BERNARDUS FLAHIFF
Archiepiscopus Vinnipegensis

N. 12. Textus, ut iacet, adhuc sapit Manichaeismum. Statuitur enim inter corpus et animam in homine discrimen omnino exaggeratum et insinuatur discordia ex « pravis desideriis » corporis orienti. Atqui discordia in homine ex pravitate spiritus originem suam sumit. Insuper omnino vitanda est spiritualizatio hominis. Maxime deploranda est accommodatio arbitraria verborum Domini quae habetur pag. 14, linn. 5-6. Emendationes ergo propono sequentes:

Pag. 13, lin. 34: loco « et ipsum corpus in se bonum est » scribatur « corpus humanum bonum est ».

Pag. 14, linn. 3-7: omnino reformentur modo sequenti: « Attamen, homo, utpote compositum integrum a Deo creatum et creatura nova a Christo restituta, libertate sua ita uti debet ut in omnibus Christum induat, tali modo ut de homine singulariter et collective sumpto dici possit: " Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna et laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni " » (*Apoc.* 6, 13).

Pag. 14, lin. 9: loco « spiritualiter transformatum » scribatur « claritate caelesti fulgens ».

32

Exc.mus P. D. IACOBUS FLORES MARTIN
Episcopus Barbastrensis

Cum tot tanta scripta fuerint de re oeconomica et sociali, ita ut vere dici possit Ecclesiam suam doctrinam perhibuisse universo mundo, nec facile sit ad compendium reducere, nisi dicta et facta a Leone XIII et deinceps, fiat tamquam corpus doctrinae exhiberi mundo crederem hoc melius:

1. Quidem ut fiat proclamatio necessitatis huius doctrinae pro omnibus necessaria: iuxta dicta et declarata a Ioanne XXIII in Enc. *Mater et Magistra*: Doctrina haec doceri debet in seminariis, in collegiis, immo et in scholis elementaribus et in omnibus gradibus studiorum.

Fiat etiam catechismus non nimis amplus, sed sufficiens ut principaliora principia exhibeantur et mentes christianorum edoceantur de fundamentali errore *capitalismi et marxismi.*

Doceatur insuper et commendentur studia socialia a societate christiana facienda ut appareat Ecclesiam praeoccupatam esse de re sociali.

Commendentur speciatim illa fundamentalia: distributio christiana bonorum; lucta contra famem; de latifundiis; de navitate oeconomico-sociali; de moralitate et de navitate in labore professionali; de obligatione respublicas quam perfectissime et iustissime gerendi...

Non videtur possibile ea omnia quae Romani Pontifices tam pulchre, tamque perfecte docuerunt in paucis paginis comprehendere quin sit aliquid mancum et imperfectum.

Crederem omnino necessarium, cum tot hodie in omnibus nationibus scandala dentur ab iis qui rem publicam gerunt, et in multis contra iustitiam sive socialem, sive propriam iustitiam commutativam, necessarium videtur ut Ecclesia et extollat collaborationem necessariam ab omnibus catholicis praestitam, sive necessariam exemplaritatem in perfecta et aequa onerum, laborum, et actionem catholicorum. In omnibus debemus perfectos esse, in omnibus luceat lux iustitiae et caritatis.

Et hoc pertinet certe ad vitam Ecclesiae in mundo huius temporis et ad perfectionem nostrae actionis in favorem totius populi et totius mundi.

Quam magna exemplaritas fulgebit pro Ecclesia si eius filii, specialiter praeparati pro hac re posset essent qui omnia dirigeret in mundo sub luce Christi, lumen gentium.

Necessarium duco, ut ait card. Cardijn, petere ab Ecclesia participatio magna in promovenda iuventute operaria, methodo illa a Cardijn statuta JOC et ab ipso Ioanne XXIII canonizata in Encyclica *Mater et Magistra,* per formam « videndi, iudicandi et agendi », quod optima methodus proclamatur pro enthusiasmo repleantur viriles et alacres in promotione sociorum operariorum, qui tamen in mundo, licet progressus in campo salariorum et promotionis socialis multum progressi sunt, attamen multum adhuc faciendum. Hodie nos debemus promovere illum dictum « Iuvenes Operarii unionem promovete omnium vestrum et vis erit magna ». Haec iuvenum educatio debet esse omnino virilis, ad actionem, in unione cum omnibus fratribus operariis ut sit vere et realiter aliquid magnum inter omnes et obtineamus veram et fructuosam elevationem, realem, conflictando et defendendo illos, cum omni fiducia ab omnibus iniustitiis quae adhuc committuntur, contra eos ab ipsis dominis, possessoribus divitiarum, ita ut appareat semper illud impossibile amplius, explotatio hominis laborantis, ab illis qui divitias detinent, contra iustitiam.

* * *

In genere forte nimia obiecta tractat et non est possibile profunde et exacte omnia.

Speciatim vellem notare aliqua quae forte nimis absolute sint dicta et ideo possunt dici falsa: n. 30, pag. 25: De fundamentali inter omnes homines aequalitate. Primum necessarium esset statuere quid hoc nomine dicatur: Fundamentalis inter omnes homines aequalitate: excluditur certe in pluribus aequalitate: in aetate, in statura, in capacitate intellectuali, in virtute, in charactere, in possibilitate operandi, faciendi, iuxta qualitates diversas: iuxta capacitatem exercendi artem... caecutiens non potest facere quae homo qui habeant optimum visum... Si ergo agitur de fundamentali aequalitate deberet statui quae sit fundamentalis; nam aliquae aliae multae res in

quibus non sumus aequales sunt non parvi momenti et aliquis diceret fundamentalem.

Certo debet statui: in his quae sunt ad Deum, quoad originem et finem ultimum; quoad possibilitatem vitam homine dignam habendi, circa responsabilitate, etc. Sed non datur aequalitas in aliis inter hominem et mulierem... homo habet sua iura, homo habet suas speciales qualitates, mulier debet esse mater, et portare in utere suo per novem menses filium, dein est, saltem ut videtur aptius pro filio enutriendo, fovendo, educando... quod per se exigit specialem destinationem et laborem... Forte posset dici quod non obstantibus his omnibus ipsa capacitatem habet quasi eadem ac homo, et non poterit excludi... lingua etiam offert discriminationem aliquam: qui linguam nescit vel male loquitur in illa non potest legitime et apte illam linguam docere, etc. ... condicio socialis per se non excludit sed potest esse ut de facto adhuc non possit haberi in tali vel tali fiducia ac alii, e. g. gitanos... vel ob odorem pravum alicuius corporis...

Ergo melius dicatur in his quae evidenter Deus vult debemus aequalitatem quaerere...

In his ergo contineri debemus intra certos limites, et ante omnia ne dicatur quod: Omnis ergo discriminandi modus, damnandus et sensim removendus est. Forte posset dici: in fundamentalibus...

33

Exc.mus P. D. ALOISIUS FRANCO CASCÓN

Episcopus Nivariensis

Ecclesia a Christo condita est, non ut solutionem humanam aut philosophicam quaestionibus mundi inveniret, sed ut mundus vitam in Christo habeat et abundantius habeat. Id est, Ecclesiae officium grave est nuntium Christi omnibus hominibus ferendi.

Ex hoc igitur conspectu et ex huius nuntii lumine omnes progressus et omnes quaestiones prospicere debet.

Ecclesia quidem descendere nequit ex ordine supernaturali ubi eius divinus Conditor locavit; eius vox nec mere humanistice aut philosophice sonare debet ut vincat et alliciat avulsos. Eius vox magnum esse debet *Kerygma,* quod omnia mundi problemata illustret lumine nuntii Christi. Eius sollicitudo esse debet ut Christum tamquam mundi lucem ostendat, qui de celsitudine suae missionis et ex ultimo universi atque humanitatis fine omnes hominum quaestiones illuminat.

Praeter hanc causam memoratam, quae ex ipsa natura Ecclesiae oritur, significare volumus mundum minime ab Ecclesia spectare humanae suorum problematum solutiones. Mundus namque sperat responsionem kerygmaticam. Lux Christi mundo communicanda ut superne ducatur per sua problemata, non ut in ordine temporali ducatur.

Verum est Magisterium Romanorum Pontificum lucem ex Nuntio Christi accepisse et mundo praebuisse ut superne se duceret per has horrendas ambages; sed oporteret — et ex eo opimi fructus procerent —, ut Concilium modo sollemni declarationem proferret et denuo lucem Christi in mundum proiiceret ad problemata nostrae aetatis.

Schema XIII, sive *de Ecclesia in mundo huius temporis,* hoc intendit. Sed quaestionibus pertractatis nimis cingitur. Quinque tantum quaestiones attingit et interdum timide et ignave. Liceat nobis indicem complere his quaestionibus, quae, mea humili sententia, exponi deberent.

1. *Publicae immoralitatis dissolutio.* Tempus est affirmandi mundum hodiernum in « amoralismum » incidisse, sensum peccati amisisse. Problema ingens ordinis moralis, quod paene omnes homines attingit. Huius amoralismi significationes cunctas activitates hominum amplectuntur. Immo populus ipse christianus, qui subsidium morale generis hominum esse debet, in hanc conditionem magno numero incidit: christianismum sine Christo optat.

Concilium apprime pastorale, ut nostrum est, quod schema problematibus nostri temporis destinat, non decet hoc problema silere, quod adspectus calamitosos praebet vitae religiosae Ecclesiae.

2. *Iniustitiae sociales.* Unum e signis peculiaribus mundi hodierni sociale est. Aetatem vivimus magnarum proiectionum socialium, atque progressus et exitus immensi sunt.

Agnoscere tamen debemus magnum problema esse atque magnum peccatum mundi nostri temporis peccatum iniustitiae.

Schema de hac quaestione quidem agit, sed timide et ad partem tantum, non ex integro exponit. Loquitur tantum de iniustitiis in mundo laboris, inter conductionem et operarios cum de salariis agitur. Sit, hoc problema solvi debet ut inter patronos et operarios *familia organica conductoria* constituatur. Talis est finis in hoc adipiscendus.

Sed praeterea hoc problema alias activitates hominum tangit et, meo iudicio, tacere non debemus. Ex multis haec commemoro:

Mundus « professionalis ». Professionales liberi ab infractionibus iustitiae socialis non sunt. Stipendia, non raro arbitraria, quae a clientibus postulant, mensura iustitiae non sunt perpensa. Nec tantum mercedes quas ipsi per se exigunt, sed etiam pactiones cum sociis factae malum sociale indefensis civibus inferunt.

Mundus commercialis. Neque mercatorum activitates iustitiae sociali mentiuntur. Nimia avaritia mensura est suorum propositorum. Inde est ille cursus urgens pretiorum in mercatu, qui vitam civium debilium impossibile reddit.

Administratio aerarii publici. Administratores aerarii publici non sunt domini, ideo arbitratu suo administrare nequeunt. In administratione bono civium consulere debent. Debent igitur gradus servare iure naturali et divino

positos. Communiter nequeunt opes publicae operibus luxus et superogationis destinari, cum cives primis suis necessitatibus satisfacere non valent. Magnum est hoc peccatum administrationis publicae et exemplum indico: superbum diversorium (hotel) pecunia aerarii exstruere cum turba civium in cavernis fere vitam agunt.

Haec omnia ambitus iustitiae socialis non excedunt. Et, opinor, ut Concilium clamat et dilucidat iniustitias laboris in lumine Christi, ita faciat in iis non minoris momenti.

3. *Atheismus ideologicus et militans.* Magna omnium temporum haeresis; motus qui secum fert pugnam in religionem, atheismus ideologicus et militans est. Plures locuti sunt.

Conceptus materialis et dialecticus universi, hominis, historiae impetu irruente in mundum hodiernum invadit ut plane dominetur. Hoc dicere possumus problema ideologicum, quod hodie in genere humano pugnat materialismum esse ex una parte, ex altera spiritualismum. Ecce magna quaestio hodierna.

Hoc Concilium negligere nequit. In schemate quidem est, sed ut saepe dixi timide et per transennam.

Mea sententia est un sollemnis declaratio huius hodierni foenomeni fiat.

Memores esse debemus mentem « communistarum », hoc principio fultam, novum creavisse conceptum iuris, hominis et reipublicae. Neque negligamus multa milia milium hominum sub eius regimine atque potestate vitam agere; cuius potentia in societate hodierna ita praepotens est, ut omne genus hominum sibi subiicere cupiat.

Iterum iterumque dicimus necessariam sese declarationem Concilii super hoc ingenti problemate, quod maius omnium temporum iudicamus in ordine religioso.

4. *Apostasia turbarum vel indifferentia religiosa.* Saeculo superiore excedente et hoc nostro oriente multum de turbarum apostasia loquebatur. Tunc de mundo laboris erat sermo, qui, illectus promissis « marxistarum » ab Ecclesia defecerat et eam inimicam habebat. Hodie hic conceptus in immensum extendi debet. « Indifferentismus » religiosus mundum professionalem, industrialem, intellectualem, universitarium invasit, et ipse mundus ruralis in periculo est in hunc lamentabilem statum incidendi.

Signum certum habemus in examine eorum qui in qualibet dioecesi, vel paroecia officiis fundamentalibus christianis satisfaciunt. Computum obiectivum et verum Sociologiae Applicatae admirationes extolleret, si comprobationem non fecimus. Ad viginti vel triginta ex centum quoque numerus adimplentium tantum pervenit, quin cogitemus regiones ubi talis numerus non expletur. Ceteri a religione avulsi vivunt. Minimum igitur numerum habemus. Maxima pars populi catholici prioribus exigentiis suae religionis non satisfacit, nec sensu christiano suam vitam ordinat. Verum si iudicare volumus, hoc cognoscere debemus.

Cuius rei plurimae sunt causae. Remedia adhibenda eiusdem ordinis sunt, sed prae tempore perpendere nequimus.

Conclusio: Sentimus, Concilium in primis pastorale, haec problemata silere non posse. Ipse populus Dei e manibus nostris effugit, ipsumque inimicus nobis eripere intendit. Nobis huius populi Pastoribus onus et munus est eum salvandi atque ipsos inimicos Christo lucrifacere.

34

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS FRANIĆ

Episcopus Spalatensis et Makarskensis

Liceat mihi has notulas de prima parte textus schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* humiliter submittere pro I parte textus.

1. *Ad n.* 2. Linn. 21-29, explicatur terminus « mundus ». Cum in lin. 18 dicatur sermonem directum esse « ad universos homines » non videtur conveniens explicare terminum « mundus », nam explicatio in textu est defectuosa, incompleta: loco « in mundo huius temporis » melius esset simpliciter dicere « hac nostra aetate » vel « *De Ecclesia huiusce nostrae aetatis* ».

2. *Ad n. 3.* In linn. 11-12 ponitur « homo totus et quidem in capite nostrae explanationis », ergo tamquam punctum centrale, tamquam vertex. Tamen, prout in textu exprimitur, talis est potius homo humanisticus. Ioannes XXIII initio *Pacem in terris* proponit homines salvare sed homines « prout sanguine Christi Iesu redempti sunt, superna gratia filii et amici Dei sunt facti, aeternae gloriae instituti haeredes sunt ». Ponatur « totus homo » sed christianus!

3. *Ad n. 4*: in linn. 26-32: videtur nimis concedi transformationibus in modis cogitandi et agendi. Non multum prodest immorari in istis mutationibus, sed potius ad immutabilia animum dirigere, ne homo adducatur cogitare « nullam esse *veri rectique* legem dum tamen haec lex est transcendens, necessaria, universalis et aequabilis in omnes, uti dicit Ioannes XXIII in *Mater et Magistra.*

4. *Ad n. 5*: in linn. 41 ss. describitur factum, nempe transitionem generis humani ad notionem magis dynamicam ita, ut « plurima... rursus examini et analysi subiicienda sunt ». Loco « plurima » sufficeret ponere « quaedam » vel « aliqua », nam tali descriptione in textu schematis revera magna laus tribuitur evolutionismo.

5. *Ad n. 7*: in textu, et quidem linn. 35-37, meritum tribuitur mutationibus nostrae aetatis. Earum enim ope vita religiosa purificatur a superstitionibus, maior in dies personalis adhaesio verificatur et non pauci « ad vividiorem sensum Dei » accedunt. Si coniunguntur haec verba in linn. 25-27, in quibus simpliciter dicitur quae a maioribus tradita sunt non amplius aptari « statui rerum hodierno » et si attenditur ad verba « sensum Dei »

lin. 38 et ad haec alia verba, sine dubio reperitur quanta hic in modo loquendi evolutionismo exaggerate in laudem tribuantur.

6. *Ad n. 8*: continuatur prolixa phaenomenologica descriptio status rerum acervando ideas quin indicetur via recta sequenda seu directio in qua solutio est quaerenda. Utique, est pars expositiva, sed haec in solemni documento supremi Magisterii, nimis est protracta, opprimens lectorem et parvam lucem infundens. Propono ut haec pars brevior fiat.

7. *Ad n. 9*: secundum textum, et quidem linn. 10-12, reassumitur numeratio interrogationum quae sunt profundiores ac universaliores, et sunt: evolutio personae et eiusdem libertas.

Notum est omnium quaestionum summam pro modernis hoc modo exprimi: « Per gli uomini moderni la personalità e la libertà è tutto » (MALTA, *op. cit.,* pag. 38). Hi enim sunt valores potius vitales.

Profundiores tamen dicerem quaestiones et appetitiones quas Ioannes XXIII in fine III partis *Mater et Magistra* evolvit. Homines sentiunt « res ad animum ad moresque attinentes ceteris omnibus esse anteferendas ». Sentiunt homines fictionem imaginis vitae felicis in terra. Incipiunt homines facultates suas esse finitas agnoscere « atque quae sint animi studiosius quam antea expetere ».

Mirum ergo est in schemate non inveniri dictum humanum animum sentire necessitatem in hoc quod « moralem legem omnino postulat, in religione innixam » (*Mater et Magistra,* in parte III). Mirum est in schemate numquam appellari ad ordinem moralem obiectivum, sine quo moralis consistere nequit.

Insistendum est in sapientissime dictis a Concilio in decreto conciliari « Inter mirifica », nempe: « Il Concilio dichiara che tutti indistintamente gli uomini devono salvare il primato dell'ordine morale oggettivo ». Item Paulus VI nuper dixit: « Non possiamo non rimanere fuori e fedeli ad una concezione del mondo e ad un corpo di dottrine e di precetti non solo immutabili, ma perennemente attuali » (*L'Osservatore Romano,* 26-6-1965).

8. *Ad n. 10*: in linn. 13-14 dicitur fidem posse et debere « auxilium decretorium praebere ». Hoc non videtur convenienter dictum. Ecclesia namque principia ac methodum scientiarum veretur (DENZ. 3019, 2766-7) at eius munus directivum in earum campo est potius indirectum (DENZ. 2859), ergo nequaquam illa vocatur ut *decretorio* modo interveniat.

In linn. 20-22 termini « sub hoc lumen reducere » et « cum fonte suo divino coniungere » optime tendentiam ad confusionem indicant. Confusionem duorum fontium cognitionis, index et duorum ordinum: naturalis et supernaturalis.

9. *Ad n. 11*: in toto textu huius n. 11: ne verbum quidem fit de anima. Neque memoratur, quamvis traditionalis doctrina imaginem Dei in homine repetebat ex parte animae eiusque actuum (S. THOMAS, I p. q. 93). Nec aliquid dicitur de imagine supernaturali mediante gratia. Nihil doctrinale, nihil

aliud nisi nudos textus adducuntur, ergo quae methodus positiva et historica permittit.

10. *Ad n. 12*: doctrina traditionalis dignitatem corporis humani repetebat ex dignitate animae praesertim gratia ornatae, ergo ex eo quod corpus ut templum Spiritus Sancti aestimatur. In textu huius schematis dignitas corporis repetitur ex consideratione psychologica (sine mentione animae) et eschatologica.

11. *Ad n. 13*: neque hic, ubi directe memoratur « anima », eiusdem dignitas ex inhabitante gratia Dei repetitur. Gratia nec memoratur. Anima consideratur solum secundum actus, et quidem prout ad negotia concreta dirigitur, ad negotia huius mundi. Nota « saltum idearum » v. g. in linn. 24-30. Quot propositiones, tot novae ideae, cum vix visibili interno nexu!

12. *Ad n. 14*: ad linn. 31-40, in subiecto, intus, ubi « abyssalis realitas attingitur » (linn. 38-39), ergo in immediato occursu cum Deo omnia decernuntur, i. e.: suprema instantia est subiectum seu homo cui Deus revelatur tamquam subiectum; ex aliquo philosopho moderno (Buber) assumitur idea dialogi seu « Ego » et « Tu »; sic principiis ac normis universalibus, aeternis, immutabilibus vix valor datur.

13. *Ad n. 15*: numquid solum « multi » et quidem « coaevi nostri » prout dicitur in lin. 11, et non alii etiam prius ad libertatem affici dicendi sunt?

Ex hoc numero, praesertim linn. 11 et sequentibus habes quomodo nec humana libertas concipitur nisi ex plena eius actuatione. In textu adest confusio quaedam inter psychologicum, et moralem conceptum libertatis. Tales autem conceptus bene sunt distincti.

Traditionalis doctrina est hominem per libertatem potestatem suarum actionum obtinere (DENZ. 3245), libertatem autem per seipsam non sufficere ad bonum faciendum (DENZ. 725). Mirum, in textu huius numeri nihil dici de necessitate gratiae ad faciendum bonum salutare. Et quid est quod libertatem humanam sublimem reddit plus quam gratiae elevatio? In fine periodi, linn. 27-28 denuo ad Spiritum fit recursus, numquam tamen de gratia seu dono permanente sermo instituitur.

14. *Ad n. 16*: quod hic dicitur in lin. 31, nempe hominem sine aliis nec vivere nec suas dotes explicare posse repetitur pluries, v. g. infra n. 22; linn. 17-19. Aliud est dicere « nec vivere » aliud autem « nec bene vivere ». Hoc valet, non vero illud. Non videtur verum esse hanc relationem hominis ad alios constituere ipsam eius essentiam, nam hominis essentia constituitur per elementa in se, prius autem est rem concipere in se quam in relatione ad alios (S. THOMAS, *C. G.*, III, cap. 129). Homo prius habet in se valorem quam habeat ex relatione ad alios.

In linn. 1-2 (pag. 16) textus loquitur de homine: « *Nonnisi* se dando invenire se possit ». Ergo, non concipitur homo in se, sed homo concipitur prout seipsum « donat », « tradit » etc. Haec idea mutuatur ab existentia-

listis. Et Sartre dixit hominem non habere essentiam in se, sed facere suam essentiam.

15. *Ad n. 17*: in lin. 26 dicitur: « Haec amoris ratio eum subsistentem facit ». Ergo, homo non constituitur in se per aliquid onticum, immutabile, sed per activitatem, per amorem. Hoc falsum videtur: Homo enim quia est persona seu ens rationale, individuale, subsistens primo et per se propter bonum suum et finem proprium, existit.

Ad hoc notanda etiam alia. Terminus « subsistens » habet iam suum traditionalem sensum qui alius est ab hoc sensu quem in textu illi tribuitur. Numquid illi homines qui amoris incapaces sunt, puta neonati, mente capti et alii minus habentes, non sunt homines, personae sui iuris, individua subsistentia? Et tamen amorem non possunt exercere.

Nostrum schema abstinet a metaphysica, sed haec eius « antipathia » vincenda est.

16. *Ad n. 18*: in pag. 17, linn. 10-14 ponitur homo quaerens sensum suiipsius. Homo ponit sibi interrogationem de propria existentia. Et tunc sequitur in lin. 13: « Cui quaestioni solum Deus respondet », Deus nempe qui hominem ad altiorem cogitationem et humiliorem inquisitionem vocat.

Quid hoc sibi vult? Per hoc rationis seu cognitionis vim minuitur, affectui ac intuitioni primum locum datur. Tamen, docentur clare quid homo cognoscere et demonstrare necessaria scitu potest. Unde recolenda est omnibus nota doctrina de viribus humanae rationis (Denz., *Ind. Syst.* A. 1).

17. *Ad n. 20*: optime sane. Verum est dicere: Christus est Deus et Christus est homo, seu: perfectus in deitate et perfectus in humanitate (Denz. 301-302). Sed quamvis redactores huius schematis utantur terminis abstractis, quoad sensum translatis, minus usitatis, parum intelligibilibus, poeticis etc. tamen ne in uno quidem loco de distinctione naturae vel personae mentionem faciunt. Tamen, quae dicuntur in hoc n. 20 vera sunt solum supposita veritate utriusque naturae in Christo et unione in persona et hypostasi (S. Thomas, III, q. 16, art. 2).

18. *Ad n. 22*: redactores schematis provocant ad S. Thomam, et quidem *1 Eth.* 1 sect. 1, ut possint asserere hominem sine societate nec vivere posse, et inde nos debere essentiam hominis ut socialem concipere et hominem definire non in se sed in relatione ad societatem. Sine parentibus namque homo *nequit vivis adnumerari,* at sine societate civili nequit « *bene* vivere », uti loquitur S. Thomas.

Essentia, natura, definitio hominis danda est considerato homine in se. Valores individuales sunt fundamentum, origo et finis valorum socialium qui eidem homini conveniunt, est enim homo quam societas quaelibet senior. Nisi homini qua individuo per prius convenirent valores individuales, eidem nec valores sociales convenirent.

19. *Ad n. 17*: in lin. 27 legitur rationem in primis tenendam esse existentiae, ac si existentia esset summus valor. Nonne forsan scala valorum

iuxta doctrinam christianam alio modo esset instituenda? Nec existentia nec aliquis valor creatus potior est valore animae, valore spirituali, gratia sanctificante. Numquid hominem non reveretur qui imprimis rationem habet bonorum spiritualium proximi? Quid igitur dicendum de illis qui curae animarum dedicantur? Quid de contemplativis? De ordinibus religiosis? Quod secundum rationem temporis (genetice) prius est non sequitur axiologice esse prius. Haec omnia exprimi quoque debent.

20. *Ad n. 29*: utique, Dominus vult ut semper ignoscamus, sed, cum inimici christianismi obiiciant christianismum hoc principio ductum tolerare et ignoscere iniurias sociales et politicas, semper opportunum videtur aliquibus verbis dicere aliud esse dimittere offensam, aliud vero dimittere debito iustitiae, v. g. debito pecuniae (quod, ultimum, non praecipitur).

21. *Ad n. 30*: in linn. 16-17 propugnatur ius mulieris « ad parem educationem et animi culturam ». Numquid pro utroque sexu eadem seu aequalis educatio? Nonne potius adiungendum, v. g. sic: « prout eiusdem sexui congruit »? Magis caute idem dicendum. Docet Ecclesia discrimen sexus « in educatione atque institutione tenendum » esse (DENZ. 3698).

22. *Ad n. 32*: in linn. 18 et 20 textus revertitur ad ideam supra iam allatam in n. 15. Homo, dicitur ibi, potius fit quam nascatur liber, sed neque fit liber nisi « seipsum pro aliis impendendo ». Numquid aegroti, senes, infantuli etc. libertate minime gaudeant? Numquid ignota est differentia inter libertatem psychologicam et ethicam seu moralem? Libertas pertinet ad meam essentiam, primo ut valor meus individualis. Prius est valere in se quam aliis impendi.

23. *Ad n. 35*: ultima verba lin. 16. Haec verba, aphoristice dicta, quasi prohibent ne cum S. Paulo mentem dirigam ad « me » (*Gal.* 2, 20). Optimum sane est accentum ponere in relationes hominis sociales, sed ne quid nimis. Aliqui essentialiter concipiunt vitam aeternam tamquam occursum et dialogum in convivio (dialogo a contrario). Traditionalis doctrina docet beatitudinem essentialem consistere in fruitione divinae essentiae, visione et dilectione Dei, cui aggregantur beati homines (DENZ., *Ind. Sent.* L. 3 a).

24. *Ad n. 42*: ad linn. 15-16. Christianismus ita proponitur, ut de eius subiectione ad Patrem sileatur. Verum est hominem ad Christum ordinari; bonum est pariter posse cum protestantibus colloqui et ad christologiam attendere, at, semper servanda vera axiologia, iuxta quam « caput Christi Deus » (*1 Cor.* 11, 3). Omnia sunt Christo subiecta « sine dubio praeter eum, qui subiecit ei omnia » (*1 Cor.* 15, 17). Christo omnia subiecta erunt, sed Christus subiectus erit ei qui subiecit sibi omnia (*1 Cor.* 15, 28).

Quid sibi vult dictum « modo quidem communitatis proprio » in lin. 34 huius numeri? Numquid individualis beatitudo evanescit vel individualitas immergetur in « socialitate »?

25. *Ad n. 45*: quoad verba « ultimam suam significationem habent in persona Christi » quae in pag. 35 lin. 1 adducuntur oportet prae mente

habere ea quae diximus in nota ad num. praecedentem, seu sensu verborum S. Pauli qui ultimam significationem exprimit dicendo: « Ut sit Deus omnia in omnibus » (*1 Cor.* 15, 38), postquam ipse Christus Patri subiectus fuerit eique omnia subiecerit.

26. *Ad n. 46*: hic numerus iungendus est cum numero praecedenti. Plura sunt notanda.

a) Undenam in textu n. 45 repetitur universalis dominatus Christi? Ex eo quod Spiritus Dei regit saecula, ex eo quod Spiritus Dei totum universum ad Christum trahit; ex eo quod Christus est idem ille qui est « sapientia Dei », idem ille cuius sunt tempora et saecula etc. Quidam theologi moderni valde emphatice loquuntur de aliqua redemptione universali, de finali omnium rerum reconciliatione. Unde in n. 44 linn. 18-20 dicitur de mysterioso modo quo totum universum sortis hominis particeps factum est. Conceptus redemptionis alius est ac conceptus doctrinae traditionalis; vel, quod in conceptu traditionali est principale non assumitur vel assumitur ut secundarium, et quod est secundarium sumitur ut principale. Oportet ergo serio aliquid dicere de redemptione obiectiva a peccato originali, quod peccatum semper progreditur in hoc mundo.

b) Traditionalis doctrina dominatum Christi repetit ex unione hypostatica. Item, eadem doctrina creationem tribuit Christo ut Deo, non ut homini. Item, haec doctrina bene distinguit quae Christo ratione divinae et quae ratione humanae naturae conveniunt.

c) Econtra hic Christus consideratur ut *unum* et non attenditur ad naturarum distinctionem ut criterium ad efformanda iudicia de Christo. Non amplectitur traditionalis modus loquendi, sed, vel aut adducuntur nudi textus Scripturae iuxta methodum pure positivam, vel alii termini inveniuntur qui antiquis deberent succedere.

d) Haec omnia valde gravia sunt. Pius XII in Encyclica *Sempiternus Rex* anno 1951 non solum voluit commemorationem facere Concilii Chalcedonensis, sed etiam voluit monere nostros coaetaneos, ne fallaci philosophiae ac ambiguis verbis seducantur, quia semel pro semper expressum et definitum est in Christo esse duas *naturas* et unam *personam*. Idem problema optime tractat novissima Encyclica *Mysterium fidei* Pauli VI feliciter Ecclesiam pascentis, qui docet nos « disciplinatis » verbis uti debere.

e) In hoc numero, prout ex titulo concluderetur, Christi dominatus deberet repeti titulo redemptionis, nam dicitur « regnavit a ligno Deus ». Undenam revera repetitur? Ex eo quod Christi dominatus « nullatenus imperio rectorum huius mundi assimilatur », ergo ex parte modi gubernandi. Et talem modum gubernandi textus extendit ad gubernium uniuscuiusque animae. Haec sat inaudita sunt. Id quod in regno Christi est proprietas assumitur ut essentialis et propria ratio. Quid tunc remanet de traditionali conceptu redemptionis? De notione eius qua satisfactoriae ac piacularis.

27. *Ad n. 50*: quam hodie dicunt opus redemptionis non posse exprimi terminis temporalibus. Illi volunt conceptum redemptionis ad universalismum

quemdam cosmicum extendere. Iidem creationem, conservationem ac gubernationem identificare tentant.

Notare debemus ordinem creationis esse ordinem in se naturalem, ordinem redemptionis vero supernaturalem. Insuper ordo redemptionis est tempore posterior, unde qua ratione id quod est posterius assumit id quod est prius? Qua ratione id quod est posterius potest « includere » id quod est prius?

Habentur quidam theologi qui non plene distinguunt materiam et spiritum; qui totam humanitatem in Christo actualiter putant incorporatam: qui totam naturam dicunt a Christo assumptam. Facile esset concludere ad aliquem pantheismum theologicum. Videas veram doctrinam apud S. Thomam, III P. q. 3 et 4.

28. *Ad n. 51*: denuo occurrit idea de ordine redemptionis qui ordinem creationis « comprehendit ». Certum est conceptum creationis esse magis extensum, unde potius dicendum contra: ordo redemptionis in ordine creationis includitur ut minus extensum in magis extenso (saltem temporaliter).

Ad linn. 29 et 32: ex illis videtur Ecclesiam nihil posse extra ordinem religiosum et illius non esse iudicare de temporalibus « nisi » (lin. 32) in referentia ad Regnum Dei. Hic clara est doctrina iuxta quam dicendum esset Ecclesiam nec indirectam potestatem habere in temporalia sed solum « directivas » ostendere posse, vias indigitare, consilia dare et ita porro. Vide doctrinam apud Denz. *Ind. Syst.* G 6 d, et videbis Ecclesiam aliud docere.

Nota verba lin. 7 pag. 40 in eodem numero. Ne aliquis concludat Ecclesiam duci « opportunismo » vel promptam esse ad « transactiones » cuiusvis generis ac « accommodationes » etc., insistendum esset in eius missione universali, in auctoritate accepta, in aureis verbis Pii XII: « Quod immutabile est nemo turbet et moveat » (Opera VIII, pag. 233).

29. *Ad n. 52*: denuo in lin. 19 repetitur ordinem creationis includi in ordine redemptionis, ergo duos ordines confundi. Aliquibus nimis cordi est tales ideas propagare, unde continuo illas repetunt. Hi tamen ordines principio, mediis et obiecto distincti sunt et numquam confundendi.

30. *Ad n. 53*: nimis categorice dicitur pag. 42 linn. 9-10 laicos in *tota* vita Ecclesiae *activas* partes habere debere. In administratione omnium sacramentorum? In eligendo Summo Pontifice? In suprema hierarchia?

Inter alios locos confusos submisse etiam textum huius numeri esse puto, praesertim in fine pag. 41 et sese extendentem ad lin. 8, pag. 42. Quid e. g. significant verba: « auctoritatem Ecclesiae obligare »?

Conclusio. Peto ergo humiliter, ut haec pars I schematis etiam in luce observationum quas attuli aliquantulum corrigatur.

35

Exc.mus P. D. BRUNO FRATTEGIANI
Archiepiscopus Camerinensis

Schema multum placet, quamvis lingua latina horrida sit et barbara. Saepe ut latinum intellegerem textum gallicum in auxilium advocare debui. Cur autem Concilium hanc linguam non usurpet, omnibus quidem notam et in relationibus internationalibus officialem? Quaerit humanitas et benignitas (la cortesia) ut cum alicui scribo, eius lingua utar, siquidem eam calleam. Quod si minus ad rem pertinere videatur, utpote quae in casu innumeros populos innumerasque linguas respiciat, tunc praecipuae linguae seligantur quae simul sumptae omnibus fere hominibus bonum nuntium Ecclesiae afferre valeant. Utique versio latina authentica servetur in actis una cum textibus in linguis selectis (melius, meo modesto iudicio, in una lingua gallica). Aliter se gerere idem esset ac si diceremus: « ego sic loquor. Si quae sciendi cupiditas te capescat quid ego dixerim de te et pro te, quaere interpretem ...! ».

Ad versionem latinam quod attinet quosdam notabo errores (aliquando forte tantum materiales) vel incongruentias quae mihi legenti occurrerunt (nondum potui videre cap. III, IV, V):

Pag. 5, lin. 29: cum obiectum praecipuum periodi sit *mundum,* illud « Christum lucem mundi » grammatice sonat quasi esset appositio ipsius obiecti. Sensus quidem est clarus sed nexus grammaticalis est aequivocus.

Pag. 10, lin. 10: *personae* atque *coetus* in casum genetivum debent verti: *personarum* atque *coetuum.* Secus hi duo termini sunt appositio ad terminum praecedentem: appetitio.

Pag. 10, lin. 22: *in ipso homine* inducit dubium de subiecto propositionis; cum autem subiectum sit homo (de hoc tantum ex textu gallico certior factus sum!), debet dici: *in se* (*ipso*).

Pag. 12, lin. 14: *decretorium* (hic et pag. 22, lin. 29) est omnino ineptum ad vertendum gallicum *décisif.*

Pag. 14, lin. 11: signum citationis (« ... ») post *Salvatorem meum* transferatur.

Pag. 14, lin. 41: videtur necessaria in fine citatio expressa textus evangelici.

Pag. 16, lin. 34: *pro* melius scribitur *proh.*

Pag. 23, linn. 16-17: *minus* et *non,* utpote duplex negatio eliduntur; posset dici: *eo vel magis hodie.*

Pag. 23, lin. 21: *fit* debet esse *fiat.*

Pag. 23, lin. 25: post *quid* videtur necessarium subiectum, v. g. *hoc.*

Pag. 24, lin. 1: *mente* corrigatur *menti.*

Pag. 24, lin. 10: *Populi* corrigatur *Populo.*

Pag. 24, linn. 37-38: termini *ignavia* et *succumbere* sunt omnino inepti ad vertendum textum gallicum.

Pag. 25, lin. 18: particula interrogativa *nonne* expectat responsionem affirmativam, dum proh dolor hic cruda facta requirunt negativam. Debet ergo dici *num.*

Pag. 26, lin. 8: *admitti* est simpliciter inintellegibile. Sed agitur fortasse de mero errore materiali pro *adniti.*

Pag. 31, lin. 4: versio termini gallici *employé de bureau* erit forte satis docta et elucubrata, sed mihi videtur tantum impotentiam latinae linguae ad res hodiernas exprimendas demonstrare.

Pag. 31, lin. 26: *sed contra* cum iis quae praecedunt ad rem non facit (*tantum abesse ut*); requiritur *quin etiam* vel *quin immo.*

Pag. 32, lin. 3 et lin. 14: *vereri* in contextu sat proximo vertit duo vocabula omnino diversa: *redouter* et *respecter.* Secundum *vereri* est procul dubio ineptum.

Pag. 32, lin. 41: *Indius* non vult initialem magnam quia est adiectivus.

Pag. 34, lin. 9: *oppignerare* est ridiculum.

Pag. 34, lin. 12: *sponsio* non est idem ac responsabilitas.

Pag. 35, lin. 6: *Dei Sapientia* est aequivocum; potest enim esse, ut inepte vult, appositio subiecti, sed etiam ablativum mediale. Potest forte praemitti *utpote,* sed in contextu pulcherrimum non est (sed ubi hic pulchritudo?).

Pag. 35, lin. 20: addatur citatio.

Pag. 40, lin. 17: addatur citatio.

Pag. 41, lin. 11: *dolosa* est prorsus ineptum.

Pag. 41, lin. 34: *animadvertentur* est inintellegibile contra optimum gallicum *on se rappellera.*

Pag. 42, lin. 9: *animare possint;* an non sufficit *animent?*

Pag. 43, linn. 37-38: *et ... non*: melius *neque.*

Pag. 49, lin. 19: *neque ... neque ...* post negationem negant negationem! Sufficit forte dicere *sive ... sive.*

Pauci tantum flores ex iis quos prava latinitas germinare sivit in fulgenti prato (parcatis Arcadiae!) schematis nostri benedicti.

36

Exc.mus P. D. ANTONIUS FUSTELLA

Episcopus Tudertinus

Adhaerens propositioni exc.mi Bengsch die 29 sept. in Concilio prolatae et recolens quae in scriptis die 30 sept. anni elapsi huic Commissioni exhibui, sequentia audeo proponere.

Observationes generales. 1) ut schema nostrum cum aliqua facilitate etiam ab imperitis in re theologica et a rudioribus legi possit, sive in ideis quam

in verbis simplicitate et humilitate polleat: ne multa atque profundiora, sed clara et perspicua quaeramus; 2) ideae et verba evangelica sint, etiam si a non paucis ut ordinarium et parvi momenti schema sic constitutum habeatur: inter tot opiniones mere humanas vox diversa et nova revera exstabit. Valet repetere « non erubesco evangelium ».

Structura schematis. Ipsa structura schematis bona et tenenda videtur. Tamen duae partes quibus constat aliter describi possent: e. g. mea opinio est sequens: I pars: quid Ecclesia mundo huius temporis dicit; quaenam sua sponte vel motu proprio Ecclesia mundo dicat; II pars: quid affirmationibus et angoribus mundi huius temporis, quae aliquando ut quaestiones vel quaesita a mundo Ecclesiae proponuntur, Ecclesia dicit vel respondet; quaenam nempe interrogationibus, tacitis vel explicitis, mundi nostri temporis Ecclesia respondeat.

Prima pars. Praeliminaria. Veritates essentiales evangelicae exponantur, maxime quas homines et societas nostri temporis vel ignorant vel parvi pendent vel in discrimen adducunt vel etiam negant; quarum tamen et in homine et in societate vera necessitas inest.

Ecclesia se praebeat ut societas habens magnas veritates sibi a Deo commissas: eas humiliter et fidenter proponat, ut magistra quae de incipiente hominis adhaesione iam gaudet, expectans in fiducia et patientia quod ipsa veritas paulatim et gradatim homines ad plenum Dei cultum alliciat. Se praebeat nempe ut societas aperta, in cuius domum omnes ingredi possunt ad videndum et audiendum et iudicandum, ita ut aliqua vel pauca vel multa et etiam omnem veritatem sibi acquirere possint ut incohative vel plene in Deum tendant.

Quomodo practice evolvi posset: vita personalis et socialis hominis est complexa atque difficilis: quae difficultas a fragilitate et mutabilitate et inconstantia ipsius pendet, sed maxime ab inordinatione peccati originalis uniuscuiusque hominis. Ecclesia declarat quod omnis homo veniens in mundum habet suum proprium peccatum originale, quod est uti novum centrum ex quo malum iterum iterumque in mundum se diffundere hominesque dominari conatur. Quod malum, ut ita dicam nativum, postea et a peccatis personalibus et a malo iam in mundo diffuso augetur: et ita omnis homo revera centrum diffusivum mali evadere potest. Quod malum de se tendit ad destructionem hominis, ad primam et secundam mortem.

Venit a Deo Iesus Christus salvator noster: passio et mors eius vincit peccatum et mortem in tota humanitate. Omnis homo Christo adhaerere potest et se salvari a morte mundi huius: haec salvatio tamen luctam et pugnationem et sacrificium ab omni homine postulat, ut iam Christus in se ipso fecit. Quae salvatio in Ecclesia cum gratia Dei obtinetur; ipse homo, de quo Deus magnam salvationem fecit, est sacer: creatus a Deo, in Deum tendit ut ipsum in aeternum possideat. Utpote sacer speciali providentia divina curatur, atque constituitur in autonomia et independentia coram aliis hominibus, magna libertate spirituali gaudet. Eius constitutione ex limo

terrae et insufflatione Dei, inter caelum et terram ponitur, atque permultae eius vitae difficultates insinuantur; mundus in quo homo vivit a Deo creatus est eiusque gubernationi subiicitur. Ex ipso mundo homo, cum labore et poena, sibi necessaria trahit; potest etiam dici quod mundus sit dominium et domus in quibus, Dei voluntate, homo totam vitam vivit cum aliis hominibus.

Ad modum conclusionis istius partis aliqua descriptio, et si placet iudicium, de nostri temporis conditione religiosa haberi posset, quae sic procedat: Ecclesia gaudeat de his qui sibi adhaerent, eosque ad fidelitatem et ad plenam vitam christianam invitat; repetat suum vivum desiderium ad unitatem faciendam inter christianos omnes, atque incoeptum oecumenicum iterum commendet; dicat quod iterum sua facit quae in alio loco de religionibus non christianis ab ipso Concilio exprimuntur ut via ad Christum, quamvis longa et multo imperfecta; doleat de atheismo, ut de stultitia quae mundum ipsum pervadit: dicat clare quod nunquam in atheismo, a quo mundus regi vult sine et contra Deum, ipsa videbit « veritatem », ideoque ei nunquam adhaerebit! quibus dictis, exponantur orientationes pastorales ad communistas illuminandos in re religiosa.

Secunda pars. Praeliminaria: ideae evangelicae, cum aliquibus explicationibus ex iure naturali, dicantur de singulis capitibus: si possibile est abstineatur a proponendis sic dictis « concretizzazioni » catholicis, quae nempe repraesentant quomodo evangelium in unoquoque « ambiente » culturali se praebet; sic procedendo, relinquitur singulis populis ratio vivendi evangelium secundam propriam inclinationem, in pleno respectu omnium quae ab evangelio et a constitutione Ecclesiae proveniunt; non omnia declarari poterunt: in multis rebus, de quibus a mundo Ecclesia quaeritur ut ita dicam, non dabitur plena atque completa solutio, sed aliquando indicia, suggestiones, negationes, invitationes ad non procedendum in via incepta etc., de quibus ulterior inquisitio aliam lucem dare poterit. Non est nempe possibilis lux semper splendens, quae totam viam illuminat, pluries tantum parva lux quae singulos passus indicat habebitur: at in illa parva luce, ut a Deo veniente, paulatim ad aliam lucem veniemus.

N.B. Singula capita istius partis ad pauca principia generaliora reducantur: de singulis non puto necessarium dare « solutionis specimen », post tam multa et pulchra exposita in ipso Concilio. Vellem tantum ut dicta sint clara et perspicua, etiam si pauca: meo iudicio si communes sponsi nostrarum paraeciarum legerent quae in praesenti schemate de matrimonio et familia dicuntur, certo quid tandem aliquando de eis Ecclesia cogitat cognoscere non possent.

37

EXC.MUS P. D. MICHAEL GONZI
Archiepiscopus Melitensis

In hoc schemate, n. 19, iure meritoque fit mentio de atheismo: circa hoc tamen duo animadvertenda videntur.

Prima animadversio. Quamvis atheismus sit problema valde vetus, his tamen temporibus, publicitatem et vim assumpsit, quas numquam habuit, ut Summus Pontifex monstravit in suo alloquio diei 8 maii elapsi: hoc sensu ergo atheismus habendus est tamquam periculum in mundo huius temporis.

Quare loquendi locus de Atheismo aptior esset in parte II schematis, quae agit de quibusdam problematibus urgentioribus; vel melius in Expositione Introductiva, ut habeatur tamquam motivum praecipuum ob quod Ecclesia suum esse putat mundum hodiernum alloqui.

Secunda animadversio. Atheismo similis est, et forsitan aeque perniciosus, Laicismus, quo intelligitur illa mentis habitudo, iuxta quam fides in Deum et officia religionis, quamvis non negentur, tamen considerantur tamquam negotium omnino privatum, ita ut in regimine civitatis et in vita publica nulla ratio de iisdem habenda sit. Hinc necessario sequitur ut, ubi hoc systema viget, conceptus vitae humanae, societatis, matrimonii, educationis, moralitatis, etc. valde discrepet a conceptu christiano, et omnia reducantur ad placita naturalismi.

Cum talis laicismus hodie passim doceatur et promoveatur, cumque totius schematis finis sit auferre divortium, ubi extat, inter fidem et vitam hominum, mentio de eo facienda videtur, simul cum atheismo, inter problemata urgentiora huius temporis.

[*Subscripsit etiam*] Em. Galea, ep. tit. Trallianus in Asia, aux. Melitensis.

38

EXC.MUS P. D. IOANNES GRAN
Episcopus Osloensis

I - *In genere.* 1. Partem magnam quam opiniones et impulsus a catholicitate alieni in illa principia vitae humanae elaboranda habuerunt, quae hoc schema proponit, insufficienter, mea sententia, textus noster agnoscit. Multum factum est et multum fit, praesertim in internationalibus coetibus et nonnullis populis. Textus noster iussis abundat: debet, oportet, etc. quasi nos primi essemus qui talia affirmarent. Deest humilitas et deest veritas, quarum ambarum Paulus Papa VI coram Unitarum Nationum foro nobis exemplum nuper praebuit. Optandum est textum in hoc spiritu emendatum iri.

2. Sed praecepta quaedam omitti non possunt, et non omittentur. Quaestio est igitur utrum toto mundo an fidelibus tantum nos loqui in hoc schemate oporteat. Puto: Fidelibus. In encyclica sua *Pacem in terris* tractavit Ioannes Papa XXIII de una, bene definita quaestione, scil. de pace, et orationem ad cunctos homines bonae voluntatis optime direxit. Sed nos nimis complexas quaestiones pertractamus. Ad catholicos potius sic loquamur ut alii etiam audire possint. Ne quidem ad alios christianos loquamur ut magistri. Catholicis christifidelibus fortiter quod dicendum est dicamus. Si nuntius hic fructum afferat, dein ad mundum persuabiliter loqui forsan poterimus. Sed primum humilitatis exemplum praebuerimus.

3. Quem titulum textui imponere? « Constitutio pastoralis » appellatur. Ita prorsus si titulo responderet, nempe si principia enunciaret de Ecclesiae vita in mundo huius temporis, et si pastoralis esset tanquam gregi directa. Si autem ad mundum totum de tot et tantis materiis diversis loqui oporteat, alius titulus imponatur!

4. Etiam si ad catholicos praesertim dirigatur, stylo magis « laicali », ut ita dicam, textus scribatur, stylo minus scolastico, sine concatenatione locorum e Scriptura sumptorum: Scriptura solum ad litteram referatur quando contextus id vere exigat.

5. Hic textus ut regula conscientiae a catholicis recipietur, et ideo nos oportet sine ulla ambiguitate loqui et non propriam incertitudinem in arduis materiis cum scrupulosarum conscientiarum detrimento sub incertis et indefinitis sententiis celare. Debemus tantum loqui cum id sine ulla ambiguitate facere possumus.

6. Peto ut nullum anathema adversus communismum fulminetur *a*) quia Iohannes Papa XXIII non ad anathematizandum Concilium nostrum convocavit, *b*) quia talis condemnatio fratribus nostris apud communistas degentibus nocere poterit, *c*) quia anathemata saepius sterilia manent et *d*) quia nemo Ecclesiae catholicae in hac materia doctrinam nescire censetur.

7. Et tandem me de opportunitate hanc constitutionem durante hac sessione promulgandi aperte loqui liceat. Schema maturum non est ad tam praecocem promulgationem. Eo magis textus aliquis tempus requirit, quo fortior et brevior optatur, et constitutione indigemus in qua singula verba significationem prae se ferunt et nullum verbum inane invenitur. Ergo hoc postulo ut commissioni mixtae huic schemati addictae tantum tempus concedatur quantum oportebit ut textus perficiatur. Dein textus emendatus mittatur Patribus conciliaribus ut vel directe vel per novum Synodum universalem episcoporum sententiam suam exprimere et votum suum dare possint. Sic poterunt etiam conclusiones tam commissionis de mixtis matrimoniis quam commissionis de fecunditate in matrimonio in constitutione *de Ecclesia in mundo huius temporis* contexi. Et sane optandum est novum Synodum Episcoporum aliquam maximi momenti tractationem suscipere ut haec nova institutio suam formam quam primum inveniat.

II - *Ad capitorum consecutionem.* 1. Textus ultra modum prooemia continet: Prooemium (1-3), Expositio introductiva (4-9), Partis primae prooemium (10). Promptius veniatur ad expositionem!

2. Propositum est ut quod nunc est cap. IV primae partis tribus praecedentibus capitibus anteponatur, quod mihi placet. Est enim materia de qua tractatur in schemate « Ecclesia in mundo huius temporis », non « Mundus huius temporis ut sic ». Cap. I, II, III, partis I in praesenti redactione nimis verbosa sunt et perlonga: reducantur ad essentiale et ponantur post caput « De munere Ecclesiae in mundo huius temporis ».

3. Quod ad partem secundam attinet proponitur ut cap. IV (De vita communitatis politicae) ut cap. II ponatur. *Ratio*: communitas politica immediate post familiam rationabiliter tractatur, cultus autem humanus et vita oeconomica-socialis in huius communitatis politicae dependentia apparent, ut etiam in rerum natura evenit.

III - *Adnotationes ad capita singula.*

A - Pars I, cap. I. N. 11 (pag. 13, linn. 6-24). Maior claritas et melior cohaerentia optantur in textu, v. g. homo imago Dei est *a*) ut individualis creatura (facultates spirituales) et *b*) ut socialis (interpersonales relationes, Deus Trinitas).

N. 14 (pag. 14, lin. 33). « Homo non fallitur ... cum seipsum non tantum ... aut anonymum elementum civitatis humanae » non bene sonat. Deleatur « aut anonymum elementum civitatis humanae »: sufficit hic affirmare hominem non esse particulam naturae. Problema de relationibus inter hominem et civitatem humanam complexum satis est et alibi tractandum.

N. 16 (pag. 15, lin. 41 ad pag. 16, lin. 1). Textus nimis scolasticus est.

N. 17 (pag. 16, linn. 14-16). Sententia de technica arte et biologia deleatur ut non necessaria.

N. 19 (pag. 17, lin. 15 ad pag. 18, lin. 12). Numerus non valde placet. Oporteret *a*) res proprio nomine vocare et formulationem « secundum unam ex his ideologiis » delere, *b*) clarius atheismi marxisti militantem indolem agnoscere, cum sit quasi-religio et anti-religio, *c*) numerum addere (18 bis) de « existentiali vacuo » et nihilismo quibus multi iuvenes, in occidentali praesertim mundo, laborant et quae originem saepe habent in quodam abusu scientiarum ultra debitas limites, quasi locum philosophiae tenere possent.

N. 20 (pag. 18, linn. 13 s.). Laici, etiam catholici, vix intelligere poterunt quare de Adam hic tractatur, nisi dicatur Adam lingua hebraica « hominem » significare. Christi titulus ut novus Adam clarior evenit: Christus perfectus homo est.

Concatenatio biblica in fine huius paragraphi fastidiosa lectori nostri temporis videbitur. Praedicationis modus dicendi vitetur.

B - Pars I, cap. II. N. 27 (pag. 24, lin. 9). A Concilio declarationem de libertate religiosa exspectamus. Aut de hac materia hic tractandum non est, aut ad declarationem referendum.

N. 31 (pag. 25, lin. 26). « Quandam aequalitatem » non satis est ut finis totius progressus in caritate sociali. Verum est perfectam aequalitatem ab hominibus obtineri non posse, sed semper altius progrediendum est. Modus proponitur: increscentem aequalitatem.

N. 31 (pag. 26, linn. 5-6). De spiritualibus in textu dicitur « omnium altissimis » (in gallica versione: « profondes »). Melius esset dynamica formulatione uti, ad spiritualia enim res humanae ordinantur. Modus: ad quas aliae ordinantur.

N. 36 (pag. 28, linn. 21-22). « Nuptiis Canae interfuit » superfluum et paululum risibile ut argumentum de Verbi vera coniunctione humana. « In domum Zachaei descendit » ut nimis particulare deleatur. Cetera placent.

C - Pars I, cap. III. N. 38 (pag. 30, lin. 24). « Universitati rerum dominari » elationem sapit, cum universus realiter tam immensus (in « lucis annis » computatus) invenitur.

N. 38 (pag. 31, linn. 11-14). Superfluum est — et nimis particulare — de spatialibus itineribus loqui. Loco ponatur magis generalis sententia de homini innata propensione ad semper magis sciendum et longius attingendum.

N. 40 (pag. 32, lin. 23). « Liceat » hic non placet. Opus non est Concilio quasi licentiam petere. Modus est rhetoricus, sed simplicissima locutio semper preferenda videtur.

N. 40 (pag. 32, linn. 17 et 36). Nimis theologicae sententiae in contextu, praesertim « Creatura sine Creatore evanescit » (lin. 36).

N. 42 (pag. 33, linn. 23-28). Textus exemplum praebet inutilium biblicarum reminiscentiarum, quae sunt a modo dicendi in hoc textu alienae.

N. 44 (pag. 34, lin. 22). « Non sine influxu Maligni » superfluum videtur et sine significatione lectori nostri temporis.

N. 45 (pag. 35, linn. 4-14). Novum exemplum biblicae concatenationis non congruentis cum huius documenti proposito.

D - Pars I, cap. IV. Ut supra dictum est (II, 2, pag. 2), translationem huius capitis peto, ut fiat cap. I partis I: in hoc enim de propria schematis materia ex professo tractatur, scil. de munere Ecclesiae in mundo huius temporis.

N. 48 (pag. 38, linn. 9-10). « Ordo creationis » et « ordo redemptionis » nimis technicae locutiones sunt. Modus proponitur: « Creatio » et « redemptio ».

N. 51 (pag. 39, lin. 28). Providendum est ne quidam textu abutantur ad Ecclesiam longe a negotiis humanis relegandam.

N. 51 (pag. 40, linn. 16-17). Gloria Dei, vivens homo. Si citatio est, dicatur.

N. 52 (pag. 40, lin. 28). « Vita religiosa » fere technicam significationem habet, scil. de vita in aliquo statu ad perfectionem acquirendam.

N. 53 (pag. 41, linn. 38-42): *a*) fortius exprimatur laicorum legitima autonomia in propriis officiis, et simul *b*) clarius abusus possibiles denuntientur.

N. 53 (pag. 42, lin. 12). « Interventus Eius audient » non bene sonat (gallica versio magis cohaerens est: « entendre Ses appels »): aut de docilitate erga Spiritus interventus (impulsus) loquatur, aut de Eius voce audienda.

N. 53 (pag. 42, lin. 16). Confusio cum pane eucharistico evitetur.

N. 54 (pag. 42, linn. 21-43). Clarius distinguendum est inter munus episcoporum et munus sacerdotum. Praeterea munus sacerdotale non exclusive liturgicum et sacramentale est, curam animarum etiam secum fert. Non hic tantum sed passim tacet schema de sacerdotis pondere in dialogo inter mundum hodiernum et Ecclesiam. Doctrina de sacerdotis munere altius investiganda est.

N. 56 (pag. 43, lin. 25 ad pag. 44, lin. 6). Magis viriliter et verius loqui tione « bonis autonomiae ». Praeterea non facile apparet quo modo Ecclesia hic a mundo huius temporis iuvatur.

N. 56 (pag. 43, lin. 25; pag. 44, lin. 6). Magis viriliter et verius loqui oportet de temporum vicissitudinibus et de Ecclesiae rugis. Satis non est « quasdam » rugas concedere, et ceterum adversarios reos habere. Sicut ad minimum proponitur ut « quibusdam » deleatur et de « rugis » simpliciter loquatur.

N. 56 (pag. 43, lin. 35). Num Ecclesia Concilium convocavit? In Concilio est Ecclesia congregata. Modus proponitur: Ut in faciem ... effulgendum curaret, hoc Concilium, *ad instar tot praecedentium Conciliorum,* in Spiritu Sancto convocatum est.

IV - *Lapsus preli.*

N. 22 (pag. 21, lin. 20): prosper*is* loco prosper*it*.
N. 57 (pag. 44, lin. 14): Christ*ia*ni loco Christ*ina*ni.
N. 77 (pag. 61, lin. 20): coet*uu*m loco coet*u*m.
N. 90 (pag. 72, lin. 1): *ad* obtinendum loco *ab* obtinendum.
N. 91 (pag. 72, lin. 24): *ab* unoquoque loco *ad* unoquoque.
N. 91 (pag. 73, lin. 15): interpunctio deest post impendebit.
N. 92 (pag. 74, lin. 6): nunt*ii* loco nunt*iis*.
N. 94 (pag. 74, lin. 40): progredien*t*es loco progredien*th*es.
N. 102 (pag. 81, lin. 5): offic*ii* loco offic*iis*.

39

Exc.mus P. D. IUCUNDUS M. GROTTI

Episcopus tit. Thunigabensis, prael. Acrensis et Puruensis

Pag. 5, lin. 14: « finem nonnisi sub umbris clarescentem »: dictio sat obscura.

Lin. 26: « sub signo Maligni »: dictio vaga et debilis. Adest certe allusio ad *1 Io.* 5, 19. Textus autem latine ita sonat: « mundus totus in maligno positus est »; graece autem: « ...ἐν τῷ πονηρῷ κεῖται ».

Concilium Trid., sess. VI, cap. 1 (noviss. DENZ., 1521) habet: « sub potestate diaboli ». Et quidem recte, nam etiam Malignus est dominus, habens potestatem, cum Dominus Iesus dixerit nos non debere *duobus* dominis servire. His consideratis ergo scribi posset: vel « sub potestate » vel forsan melius « sub servitute Maligni ».

Linn. 26-27: « hoc tempore »: est ambiguum, quia intelligi posset de solo praesenti nostrorum annorum tempore. Fortasse scribi posset: « omni tempore » vel quid aptius.

Lin. 27: « donec in fine et ipse (mundus) per fidem salvetur ». Ut patet ex notula 2, appellatio seu allusio fit ad *Io.* 3, 17-18, ubi inspirate dicitur Christum missum fuisse ut salvetur mundus per Ipsum, certe tamen quoad ea familiae humanae membra quae creditura erunt; quae vero credere renuent, condemnabuntur, ut ex notissimis aliis evangelicis locis patet. Econtra e constitutionis textu ansa interpretationi praebetur iuxta quam « totus » mundus in fine per fidem salvabitur: quod aequivaleret negationi inferni seu duarum mundi categoriarum, quas Dominus iudicabit (cf. *Mt.* 25, 31-46).

Pag. 6, lin. 5: « erga hominum familiam ». Quia populus Dei est et ipse portio, et quidem electa, hominum familiae, fortasse inseri deberet verbumculum et dici: « erga *omnium* hominum familiam », vel quid simile.

Lin. 7: « ex Evangelio ». Fortasse largius accuratiusque dici posset: « ex Divina Revelatione » sicque nihil determinaretur at et nihil excluderetur, sive Antiqui sive Novi Testamenti, sive traditionis divino-apostolicae.

Lin. 13: « Episcopi, in communione cum Summo Pontifice ». Fortasse melius est ut simpliciter dicatur: « Vaticana haec synodus » vel quid simile, ad vitandam falsam interpretationem, iuxta quam Episcopi (qui certe omnes sunt in communione caritatis et oboedientiae cum Papa) omnia decernunt, Summo Pontifice in suo palatio degente, nesciente et non agente. Econtra, ut patet etiam ex notulis, ipse Paulus VI haud pauca contulit.

Lin. 18: « ducente Spiritu Sancto ». Iam supra, linn. 8-9, modus iste dicendi usurpatus est. Forsan, elegantiae causa, deberet in alium commutari: e. g. « Paracliti Spiritus ductu » vel quid simile.

Linn. 23-24: « Idonei auctores ». Modus iste loquendi in Conciliorum textibus vel est parum usitatus vel inusitatus omnino, ideoque ponderandum est an debeat in alium converti. Propositione conveniente aptata, scribi forsitan posset: « ipsis aientibus in re peritis », vel quid simile.

N. 10. Adsunt quidam dicendi modi qui vel perspicuitate carere videntur vel saltem elegantia: « auxilium decretorium »; « eos e contrario officio circa ea »; « suffundata bona »; « bona ... cum fonte suo divino coniungere intendit ».

Quoad ultimum, fortasse melius esset dicere: « bona ... et quomodo cum fonte suo divino coniuncta sint ostendere intendit ». *Ratio*: nam omnia bona iam sunt cum fonte suo divino coniuncta: unde nil praestandum manet nisi ut *ostendatur* ea esse taliter coniuncta.

N. 11. *a*) « Quid est homo? » Dedecet fortasse documentum conciliare

se exprimere hoc modo. Hoc sapit potius sermonem oratorium. Etiam priores formae Bullae dogm. de Immaculata Conceptione ita oratorie se exprimebant, at stylus ille derelictus est praecise quia nonnulli episcopi animadverterunt eum non congruere solemnitati tanti documenti.

b) « libera », in lin. 15, certe pro « libere ».

c) « ad stirpem humanam propagandam instituta ». Idem geneseos locus qui invocatur, si coniungatur cum locis cap. 2 et 3, pandit mulierem a Deo excitatam esse ut « sociam » et « adiutorium » viri: et textus non dicit talem societatem et adiutorium ordinari tantum ad generationem. Ideoque locus documenti forsan ditior reddi deberet per additionem huius societatis et adiutorii, quin simpliciter dicatur consociationem viri ac mulieris ad stirpem humanam propagandam institutam esse.

N. 13. In linn. 25-26 adest dictio quae forte est parum clara: « ... supplemento animae indiget ... ».

N. 16. « Ut ea ipsa relatione constituatur »: cum constitutio haec pastoralis etiam ad eos qui scholastica theologia vel terminologia ieiuni sunt ordinetur, haec assertio fortasse deberet clarius exprimi vel saltem quibusdam verbis illustrari.

N. 17. *a*) lin. 20, cum contineat verba Divinae Scripturae, debet etiam congrua notula ornari, qua ad textum appellatur. *b*) lin. 26: « eum subsistentem facit » est dictio obscura.

N. 19, linn. 30-38, gravissimum argumentum de pseudo-argumentis atheismi et de veris argumentis religionis brevissime et omnino insufficienter expendit, et quidem in hoc schemate quod, relate ad alia permulta, certe minoris momenti si ad supra dicta argumenta referantur, fuse disserit.

Perpendendum est an necessarium vel saltem valde utile sit quod pseudo-argumenta illa ac vera argumenta ipsis opposita, licet presse, exhibenda et illustranda sint. Quoad vera argumenta, unum dumtaxat adducitur, ex multorum martyrio, quod certe momentosum est at unicum et fortasse non omnino irrefragabile ad ostendendam falsitatem atheismi et veritatem existentiae Dei.

N. 20. In toto hoc numero 20 plura dicuntur quae perspicua sunt magno exegetae biblico vel theologo aut patrologo, non autem iis ad quos omnes constitutio haec *Pastoralis* dirigitur. E. g.: *a*) de reconciliatione Deo et inter nos a Christo peracta; *b*) de ereptione a servitute diaboli et a peccato per Christum praestita ... dum homines vulgares vident mundum esse adhuc totum sub diabolo et in peccato ...; *c*) de adeptione vitae aeternae *nonnisi* (lin. 35) per partecipationem ad passionem, mortem et resurrectionem Iesu, scil. ad mysterium paschale quod in baptismate et *Eucharistia* repraesentatur. Ergo, dicet quis: Qui non recipiunt baptisma et *Eucharistiam* non salvabuntur? Haec omnia sunt difficilia, licet vera dummodo bene explicentur: debent ergo explicari in tanta pastorali constitutione; *d*) de gravissimo doloris problemate, quod in Christo illuminatur: e contra, si res non explanentur, nulli-

mode patet quomodo in Christo illuminetur dolorum massa vel gravitas quae praesertim ab innocentibus sustinetur etc.

N. 24, lin. 26 non est clarum an verbis « ad vitae privatae protectionem » includatur protectio tempore aegritudinis et senectutis. Si de facto duo haec summi momenti illis verbis non includuntur, videntur addenda, post verba « habitationem ». Videndum insuper est an *ibi* addi debeat, inter hominum iura, ius ad congruentem institutionem seu culturam.

N. 27, lin. 32, post « senex » inserendum videtur: « vel invalidus, vel aegrotus, vel parvulus ».

N. 27, linn. 9-10 legitur aliquid mirum, quod despectivum videtur erga religionem catholicam, et quod non admodum congruit cum contextu. Legitur enim: « Item reverentia pro persona exposcit ut " ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur " ».

Transeat si dicatur: « ad amplectendam *quamcumque cultus formam* ». Cur ergo dicitur tantum: « fidem *catholicam* »? Numquid quis potest invitus cogi ad amplectendum protestantismum ...?

Insuper perpendendum an locus ab linn. 9 ad 14 bene sit exaratus et an sit bene connexus cum praecedentibus et in seipso.

N. 29. Licet lin. 28 sermo sit, in genere, de « omnibus » inimicis, tamen non incongrue addenda esset quaedam specificatio, ne quis de facto textum intelligat de consuetis « personalibus » inimicis. Explicite ergo, praesertim hodie, nominandi videntur inimici veluti « sociales », ut sunt adversarii *intellectuales, politici* interni et externi (scil. pertinentes ad alias factiones vel exercitus), *spirituales.*

N. 30. Inter haud pauca elementa theologica quae in hoc schemate desiderantur, et in illud inserenda videntur, adest procul dubio *redemptio,* de qua hic sermo omnino fieri debet, cum sit unum e potissimis fundamentis aequalitatis inter omnes homines. Unde, lin. 4, post « ad imaginem Dei creati », addendum est: « omnesque praetioso Christi *sanguine redempti* », vel alio modo, servata tamen huius summae veritatis substantia.

Insuper, lin. 8, inter discriminandi modos, addendus videtur: « aut cultualis (vel: religiosus) », quia et de religione statim fit sermo, et quidem iure.

Tandem, lin. 13, extollitur aequalitas inter virum et mulierem. Considerandum tamen est textus vulgatissimos Pauli ad Corinthios et ad Ephesios loqui de viro tamquam de *capite,* de femina tamquam de reliquo corpore, comparationemque inducere inter Christum (Deum) et Ecclesiam (creaturam). Bene ergo perpendantur quae ibi dicuntur, et videndum an sufficiat considerationem simpliciter addere de « indole complementari ».

N. 31, linn. 1-5, cum Paulus invocetur, addenda est citatio.

Nn. 35-36. Cum sermo est de fundamentis theologicis vitae socialis ac de unione Verbi ad humanitatem, vel omnino praetermittuntur vel subobscure admodum innuuntur veritates quaedam theologicae summi momenti:

1. Vix aut ne vix quidem illustratur imago Dei, scil. SS. Trinitatis, in vita sociali: dum econtra omnis vita socialis, seu omnis societas deberet esse

reproductio terrena Trinitatis caelestis. Caput esse deberet velut pater, omnes deberet tractare ut filios, ac inter omnes vigere deberet amor omnes ad unum redigens, omnesque ad agendum ad intra et ad extra impellens.[1]

2. Fortasse nihil omnino hic dicitur aut innuitur *de Corpore Christi Mystico,* in quo omnes (licet non eodem modo) sunt unum cum Christo et cum fratribus, et aliqualiter cum ipso cosmate, vel saltem ad talem unitatem vocantur et suaviter fortiterque impelluntur.[2]

N. 37, linn. 1-5 indicantur quaestiones et problemata ac lin. 6 asseritur ea « pro *omnibus* hominibus ... *perobscura* ... » remanere. Numquid vox illa « perobscura » est exaggerata? Etiam posita revelationis luce, omnia illa remanent « perobscura »? Fortasse verum est, at bene est perpendendum.

Nn. 38-47. Multa quae his nn. 38-47 continentur non videntur bene ordinata et consequenter illa forsan carent perspicuitate, tantopere optanda.

Sic, n. 38, iterum fit appellatio ad doctrinam de imagine Dei, et nullimode aut parum aut modo umbratili ad doctrinam *de intima ad Deum-hominem unione,* seu de Incarnatione, Redemptione, Corpore mystico, Baptismate, Eucharistia, etc.

Quis fortasse respondet n. 38 sermonem versari circa quoslibet homines, etiam non christianos: at cur n. 39 incipit per verba: « Christiani itaque ... »? Et, de facto, in fine n. 39, sermo de Christo est, licet sine perspicuitate.

Plura, insuper, his nn. 38-47, vix apparent inter se connexa: unde textus debet multoties legi, cum spe adveniendi ad quandam intellectionem: quae spes haud raro frustratur.

N. 38, lin. 34: non videtur clarus assertionis, extra suum contextum biblicum, sensus: « Deus autem noluit ut vacua essent sapientiae suae opera ».

Linn. 35-36: fortasse magis consulto loquendum est de *matre et patre* et non de sola matre, eo vel magis quod sola mater vix valet validam personalitatem (plenam) liberorum efformare, ut patet in liberis qui sine patre, una alterave de causa, creverunt.

N. 40, lin. 17, post « qui » fortasse addi debet: « omnes illustrat et omnibus vires suppetit (quique omnia ... »).

Lin. 20: Nonne melius esset dicere « Deus Revelationis » quam « Deus Sacrae Scripturae »? cum omnino certum non sit universam fidem (« fidei adversabuntur ») in una Scriptura contineri.

Linn. 30-32 nonne possent, absque ullo inconveniente, omitti saltem quoad verba: « neque errores exclusive catholicorum fuerunt ». Consequenter, « doleamus » deberet transformari in: « dolendum est ... adnitendum ... ».

Lin. 40: inserenda est citatio, quoad illum illustrem indium, nisi sit effatum populare.

Lin. 1: loco « sed » poni posset: « licet forsan ».

---

[1] Cf. C. M. Berti, O.S.M., *Methodologiae theologicae elementa,* Desclée, 1955, pp. 79-92 et alibi passim.

[2] Cf. etiam animadv. ad n. 30 (de Redemptione).

N. 42, linn. 16-17: Estne vera et accurata, prout sonat, illa lex: « ... actiones hominis diiudicandae sunt quatenus ad hominis incrementum conferunt? » Si diceret textus: « ad plenum ... » vel « ad perfectum » vel saltem: « ad verum ... », stare posset.

Lin. 33: « his in terris » facultates nostrae possuntne, licet a Spiritu Sancto, *penitus* transfigurari? Hoc accidere poterit in quibusdam Sanctis, qui ad unionem transformantem, seu ad nuptias mysticas devenerunt, at non in quibuscumque hominibus, licet christianis etc.

N. 43, linn. 2-3: en forsitan omnia quae de corpore mystico dicuntur in toto hoc capite!

N. 44. 1. Laicus qui hunc numerum pastoralem leget, forte non multum illum intelliget: econtra, cum de re difficili at pulchra agatur, fortasse deberet melius illustrari.

2. Nonne apte huc introduci deberet id quod Ecclesia praestat, in his terris, ad hanc renovationem per quaedam Sacramenta et quaedam *Sacramentalia?*

N. 45. Numerus iste continere videtur plura, sit venia verbo, « vaporosa ». Quid significat, praesertim pro laico legente constitutionem pastoralem, quod « ... Spiritus Dei ... *omne genus humanum* ... totum universum ad Christum attrahit »?

Qui res conspicit absque euphoria, videt omne genus humanum trahi *ad peccatum,* ad carnalia, ad pecuniam, ad superbum dominatum, ad peiora cotidie, saltem quoad multos et multa. Nonne hoc lugentes conspiciunt animarum pastores? Quid ergo significat « omnia ad Christum trahi »? Non dico hoc esse falsum, at hoc indigere vel delimitatione vel explicatione.

Omnes illae citationes biblicae sunt certe pulchrae, at videntur « affastellate », et possent per alias praetermissas obscurari: cf. de iudicio universali cum inferno aeterno pro iis qui bona opera non praestiterunt ...; item cf. ea quae de pusillo grege et de paucis electis pariter in Evangelio dicuntur.

N. 46. Etiam numerus iste continere videtur « vaporosa ». Linn. 29-35 videtur exaggerari, sicut et in schema de libertate religiosa, libertas quam Deus et Christus dat.

Nam Dominus Iesus non semper mitissime stetit ad corda et pulsavit, sed aliquando clamavit et percussit et subvertit, sicut se gessit cum vendentibus in templo. De hoc aliisque, hic et in schema de libertate religiosa, semper servatur altissimum silentium.

Insuper, per Ecclesiam, inde ab apostolis, non tantum solvit sed et ligat, denegatione veniae et poenis in hac vita (et in altera vita).

Tandem estne universaliter verum, ante et praesertim post Christum, Deum pure hominem relinquere in manu consilii sui? Nunquid simpliciter dici potest superiores nos relinquere in manu consilii nostri ...?

Quis laicus dicet: Deus liberos nos relinquit, et tamen facit ... id quod vult ... aegritudinibus, variis flagellis, morte temporali et aeterna ... Estne plene liber filius cui a patre dicitur: « Si non studebis, proiciam te e domo » ...?

N. 47. Quae dicuntur sunt pulchra, at textibus biblicis extra contextum positis, oratoria videntur.

Quomodo dici potest, absque evidenti exaggeratione, et lugenda realitate, Christum esse plenitudinem adspirationum *omnium* cordium? Utinam hoc esset!

Conclusio: totum ergo hoc caput, praesertim quoad elementa theologica, debet ditius fieri, expoliari ab exaggerationibus omniaque debent valde ordinatius proponi et omnimoda perspicuitate, etiam pro laicis, disponi.

N. 49, lin. 19. Addendum videtur: « ad Dei Patris gloriam » ac legendum: « Unicus finis propter quem vivit, est, ad Dei Patris gloriam, Christi propositum exsequi ... ». *Ratio est*: quia ut legitur in oratione Domini nostri Iesu Christi summi atque aeterni sacerdotis, cuius munus Ecclesia prosequitur, duplex est finis vitae Christi, ideoque et Ecclesiae, nempe gloria Dei et mundi salus, qui alter finis ordinatur ad priorem.

Lin. 32. Aliquid addendum videtur, ac legendum: « ... Deus, qui hominem ad imaginem suam creavit, eumque incarnationis mysterio arctius sibi copulavit ac dein pretioso Filii sui sanguine redemit, his ... ».

N. 50, lin. 10. Fortasse loco: « novissimis temporibus » dicendum: « cum temporum plenitudo advenisset ». *Ratio est*: quia « novissima tempora » bene dicebantur per respectum ad saeculum quo Novum Testamentum fuit conscriptum; nunc vero, pro nobis ac populo nostro ad quem sermo dirigitur, illa tempora iam sunt « antiqua » et nullimode novissima. Legi igitur posset: « Deus enim qui, cum temporum plenitudo advenisset, in Verbo Incarnato se revelavit ... ».

N. 53, linn. 34-42. Fortasse sunt satis emendandae, sive ut res maiori decore proponantur, sive ut potius in forma positiva quam negativa exhibeantur, sive tandem ut dictio illa removeatur valde difficilis intellectu: « propria negotia in se recipiant ».

Locus, talibus alineis interclusus, ita ergo emendandus videtur, ut clare dicatur Ecclesiae Pastores, per seipsos aliosque ecclesiasticos viros apprime peritos, sedulo adlaborare debere ut, sub magisterii ductu ac Spiritus Sancti afflatu, in dies latius profundiusque divinos humanosque fontes perscrutentur, sicque quaestionibus, etiam novis gravissimisque, prae viribus perspicuum suasivumque praebeant responsum.

Ipsi autem laici, dum has a pastoribus eorumque primis cooperatoribus talium problematum solutiones quaerunt ac petunt, ne ab illis immediata exigant responsa, at potius humili ad Patrem luminum precatione, suaque scientia et experientia, suorum pastorum aliorumque sacerdotum validi adiutores fiant: laici, enim, sunt et ipsi verissima illius Ecclesiae membra, quae secundum se totam sicut et Christi Sponsa est, ita et mater atque magistra.

N. 55, lin. 8. Loco: « peculiariter eorum auxilio indiget qui viventes in mundo, varias institutiones ... » videtur simpliciter dicendum: « peculiariter laicorum auxilio indigent ... ». *Ratio* est: nam Dominus rogavit Patrem

ut Pastores non tolleret de mundo (ergo et ipsi vivunt in mundo!) sed ut servaret eos a malo (cf. *Mt.* 10, 16; *Lc.* 10, 3; *Io.* 17, 15).

N. 56, linn. 29-30: Fortasse sunt emendandae ut, relicto loquendi modo antiqui Foederis, novi Foederis dictiones assumantur ideoque loco: « populi ad terram promissam peregrinantis » dicendum videtur: « populi ad caelestem gloriam promissam peregrinantis » (cf. *Lc.* 24, 26), vel alio aptiori modo.

Linn. 31-32: Bene perpendendae sunt, ne, ut dicetur ad n. 58, Ecclesia, ex ipso nostro ore, iterum iterumque probro afficiatur. Ideoque in linn. 33-34 videndum est an simpliciter dici debeat Ecclesiam apparuisse quibusdam rugis maculatam. Melius enim videtur semper dicere Ecclesiam, in terris peregrinantem, quoad nonnulla membra eius, quae esse poterunt etiam permulta, rugis fuisse aut esse maculatam. Linn. vero 36 ad 2 sequentis paginae fortasse magis consulte auferri deberent, nam omnes omnino homines sciunt et scribunt et proclamant membrorum Ecclesiae infirmitates et non est necesse ut nos ipsi ea comprobemus, atque brevitate sermonis veluti exaggeremus (« generalizziamo »).

N. 58, linn. 21-22. Loco: « non obstantibus propriis infirmitatibus ... » dicatur: « non obstantibus quorundam membrorum suorum infirmitatibus ... ». *Ratio* est: ne tota Christi Ecclesia, etiam ex ore nostro, iterum iterumque veluti probro afficiatur. Ex eo enim quod quaedam membra putrida fuere aut sunt, nullimode sequitur universam Ecclesiam, cuius sanctissimum caput est Christus et paene innumera complectitur membra, in caelis et in terra atque in purgatorio (una enim prorsus est Ecclesia), sanctitate micantia, esse infirmam.

40

Exc.mus P. D. GREGORIUS HADDAD

Episcopus tit. Palmyrensis Melchitarum, aux. Berytensis Melch.

I - *De iis ad quos dirigitur schema.* D'après la relation générale, n. 2, le désir de la majorité des Pères est que le Schema, ou le Concile, *s'adresse à tous les hommes sans exception* (p. 89); il ne s'agit pas d'un dialogue à l'intérieur de l'Eglise au sujet du monde, « de mundo », mais d'un dialogue de l'Eglise avec le monde, « cum mundo ».

Or cette précision au sujet des destinataires ne semble pas avoir informé tout le texte: souvent le Schema paraît s'adresser aux Catholiques, pour leur donner des directives pastorales ou morales. D'où une ambiguité permanente qui fait que le texte indécis ne satisfait plus aux exigences du dialogue avec le monde des hommes sans exception, quant à l'adresse, au but, à la méthode d'approche et d'exposition, et au langage employé.

a) *Quant à l'adresse,* il faudrait que ce soit dit plus clairement, que le Concile dialogue *avec* le monde, avec les hommes en tant qu'hommes, sans regard à leur foi religieuse. D'où:

I. La mention des destinataires (n. 2, lignes 16, 17) « iam non tantum ad Ecclesiae filios, omnesque Christi nomen invocantes, sed etiam ad universos homines incunctanter sermonem convertit », semble garder l'ambiguité, et indisposer les non chrétiens, par cette première catégorisation des hommes selon leur foi.

Notre 1ère proposition est de supprimer: « iam non tantum » jusqu'à « sed etiam », et dire directement: « ... sategit ad universos homines... convertit ».

II. Pour éviter de donner l'impression que l'Eglise se tourne vers les hommes pour leur « faire un sermon », pour les endoctriner, alors qu'en vérité elle ne veut qu'établir ou renouer le dialogue avec eux, il faudrait ajouter directemente là ce qui préciserait cette adresse.

Notre 2ème proposition est d'ajouter là ce qui est dit au n. 3, p. 6, ligne 6: « instituendo cum familia humana de variis illis problematibus colloquium ».

III. De même il faudrait supprimer ce qui, dans le reste du Schema semble de nouveau s'adresser aux Chrétiens, ex.:

Troisième proposition: supprimer la fin du n. 36: « Ita christiani, sub lumen fidei... apponant ».

D'abord parce que tout le Schema s'adresse aux Chrétiens (doublement concernés, doublement dans le dialogue): directement en tant qu'hommes, avec les autres hommes; indirectement, en tant que chrétiens, parce qu'ils sont d'Eglise, et qu'ils ont à être témoins.

IV. Le chap. IV de la 1ère partie doit être revisé en conséquence: il doit être non normatif, disant aux chrétiens ce qu'ils doivent faire, mais comme le reste du schéma, indicatif, « expositif », disant ce que pense l'Eglise de la signification des activités pour « des hommes qui sont chrétiens ». De même partout ailleurs, d'où:

Quatrième proposition: n. 52, p. 40, lignes 21 et 22: au lieu de: « a christianis... vivificari et... ordinari debent », il faudrait dire: « a christianis... vivificati et... ordinati sunt ».

Cinquième proposition: n. 52, p. 40, ligne 34: au lieu de « memores esse debent » il faudrait dire: « memores sunt ».

Sixième proposition: n. 52, p. 41, ligne 11: au lieu de « opponatur » il faudrait dire: « opponuntur ».

Septième proposition: n. 53, p. 41, ligne 22: au lieu de « testificari debet » il faudrait dire: « testificatur ».

Huitième proposition: n. 53, p. 41, ligne 34: supprimer simplement: « Quocirca sedulo animadvertentur ».

Neuvième proposition: n. 53, p. 41, lignes 38 et 41: au lieu de « censeant », et de « recipiant » il faudrait dire: « Non censent » et « recipiunt ».

Dixième proposition: n. 53, paragraphe final en entier à supprimer.

Onzième proposition: n. 54, p. 42, ligne 30: supprimer simplement: « sicut oportet ».

Douzième proposition: n. 57, p. 44, lignes 2 et 9: il faudrait remplacer ces deux lignes par ce qui traduirait: « Les Chrétiens, se souvenant donc que leur seul modèle est le Christ, s'efforcent d'avoir dans leur cœur les sentiments... ».

Treizième proposition: n. 59, p. 47 finale à supprimer, depuis « ut circa » jusqu'à « quaerenda ».

Quatorzième proposition: Tout le chapitre premier de la 2ème partie est à supprimer; d'abord parce qu'il s'adresse aux chrétiens spécialement; ensuite parce que sa partie la plus actuelle a été réservée par le Pape: Il vaut mieux attendre la fin des consultations du Pape, pour le promulguer à part, en y incluant les conclusions du Pape.

Quinzième proposition: n. 74, p. 57, lignes 24 et 27: au lieu de: « vivant » et « studeant » il faudrait dire: « vivunt » et « student ».

Seizième proposition: n. 74, p. 58, ligne 59: au lieu de « Aestimentur » il faudrait dire: « Aestimantur ».

Dix-septième proposition: n. 85, p. 66, lignes 27 et 32: au lieu de: « Habeant » et « imbuatur » il faudrait dire: « Habent » et « imbuetur ».

Dix-huitième proposition: n. 88, p. 79, lignes 16 à 23: à supprimer, à cause, en plus, du ton paternaliste du paragraphe; par ailleurs, les chrétiens sauront tirer les conclusions pour eux-mêmes, sans qu'elles ne soient mentionnées.

Dix-neuvième proposition: n. 95, p. 75, lignes 23-27: supprimer, à cause, en plus, de l'esprit de « bienfaisance » qui s'en dégage.

Vingtième proposition: n. 102, p. 81, lignes 8-18: à supprimer depuis « cura ».

Vingt et unième proposition: n. 103, p. 81, lignes 31-34: à supprimer en entier, à cause, en plus d'un œcuménisme « vieux jeu » qui s'en dégage.

Vingt deuxième proposition: n. 104, p. 82, ligne 13: à ajouter après « laicas », « et omnes inhabitantes ».

Vingt troisième proposition: n. 105, p. 82, ligne 30 ad 83, ligne 6: à remplacer par une nouvelle adresse à tous les hommes indistinctement.

Vingt quatrième proposition: n. 105, p. 83, lignes 14-24: à supprimer entièrement, selon que la finale n. 106 en entier peut rester, comme un appel aux chrétiens à se joindre au dialogue.

V. Les passages qui de nouveau divisent les hommes par rapport à leur foi ou manque de foi doivent être éliminés.

Vingt-cinquième proposition. Ainsi les nn. 18 et 19 qui parlent de l'athéisme sous ses différentes formes *doivent être supprimés*: c'est un tout

autre dialogue qu'il faut engager avec eux et *un schéma spécial* peut leur être réservé.

Tout au plus l'athéisme peut-il être décrit (ni jugé, ni condamné, ni même interpellé) plus longuement (au n. 7 fin) comme l'une des caractéristiques et l'un des problèmes de notre siècle.

b) *Quant au But.* Il faudrait que ce but soit dit plus clairement dans le prologue et que le reste du schéma ne trahisse pas ce but. Cela est nécessairement corrélatif aux destinataires du schéma.

Vingt-sixième proposition. Suite à notre 2ème proposition, nous trouvons que le texte du schéma qui dit le but (n. 2, p. 5, lignes 19-20) doit être un peu plus développé et qu'un numéro entier lui soit consacré en réunissant ce qui est éparse dans le schéma. Le Concile dit comment l'Eglise se propose: d'établir ou de rétablir le dialogue entre tous (n. 3, p. 6, ligne 6); d'exposer comment elle conçoit en soi sa présence au monde (n. 2, p. 5, ligne 20); d'exposer comment elle conçoit en soi son activité dans le monde (ibidem); de rendre témoignage à la Vérité qui est en elle (n. 3 fin); de sauver, non de condamner (ibid.); de servir, non d'être servie (ibid.); d'exposer sa réponse aux problèmes d'aujourd'hui (n. 3, p. 6, lignes 6, 7; n. 9 fin); de discerner dans les événements, dans les requêtes et les aspirations des hommes de notre temps les signes de la présence de Dieu et d'entendre ses appels (n. 10, p. 12, lignes 6, 7); d'éclairer par la foi les problèmes et orienter l'esprit vers des solutions qui tiennent compte de la réalité la plus haute: la vocation intégrale de l'homme (n. 10, p. 12, lignes 17-21).

Vingt-septième proposition. Il faut que ce schéma explique plus clairement, dans un numéro qui ferait suite au numéro sur le but, pourquoi l'Eglise ne peut pas et ne peut plus dans notre temps ne pas engager le dialogue: parce que l'Eglise est *déjà de fait* dans le monde, en dialogue existentiel; parce que d'après son être profond, continuant l'Incarnation du Christ, elle est déjà incarnée dans le monde, donc *en dialogue fondamental*; « parce que beaucoup regardent vers l'Eglise » (n. 9, p. 10, ligne 40); parce que les chrétiens ne situent pas toujours de fait le dialogue au niveau réel; parce qu'ils ne sont pas toujours, dans le dialogue, à l'écoute du monde; parce que beaucoup de malentendus et d'ambiguités faussent la compréhension de l'Eglise et donc du dialogue possible et nécessaire avec elle.

Conclusion de ce numéro: aussi l'Eglise se sentirait-elle fautive devant l'humanité si elle ne faisait pas tout ce qui est en son pouvoir pour renouer et approfondir le dialogue et pour « témoigner » et « rendre compte de l'espérance qui est en elle » (*1 Pt.* 3, 15). ... Alors viendrait « l'exposé préliminaire » sans presque aucun changement, i. e. du n. 4 au n. 9.

Ad n. 11, pag. 13. L'Economie du Mystère, depuis son origine jusqu'à sa consommation, nous présente l'homme comme créé « à l'image et à la ressemblance de Dieu ». Parole inépuisable dans sa signification intime et dans son dynamisme, car elle révèle la dignité essentielle de l'homme capable

d'une communion ontologique avec le Dieu Vivant, voué à la communion avec tous ses prochains, donateur de sens et de valeur nouvelle à la création tout entière de par son œuvre inventive et responsable. C'est dans le Christ et par le Christ que ce lien intime et indestructible entre l'être humain et son Créateur a été renouvelé et pleinement assuré, de telle sorte qu'en Lui la vie de l'homme et la vie de Dieu sont à jamais inséparables.

Ad n. 42, pag. 33. Dans l'activité, la joie, la souffrance des hommes se tisse, mystérieusement, la figure du monde à venir. L'image de ce monde passera; par la pleine révélation de Dieu en toutes choses, la création connaîtra sa Pâque, sa Transfiguration finale, la finitude du créé revêtant la Gloire de l'Increé. Le chrétien confesse ceci de par toute son existence de baptisé, en d'autres termes, en tant que porteur de l'Energie de l'Esprit, qui opère en profondeur la déification du cosmos, manifestée en anticipation par le Christ ressuscité.

Ad n. 69, pag. 53. La culture révèle aujourd'hui, avec plus de gravité que par le passé, sa signification profonde pour le destin de l'homme et de l'humanité. Loin de constituer un type d'activité parmi d'autres, elle représente une fonction intégrale de l'homme; elle donne à l'homme la mesure de sa grandeur; elle confère une forme intelligible à sa condition à la fois terrestre et créatrice. C'est par la culture que l'être humain, transcendant sa durée individuellement limitée, communie avec le passé, épouse le présent, invoque et prépare l'avenir. Il s'oppose ainsi, grâce à la culture, aux puissances de négation: l'activité culturelle revêt, dès lors, une signification particulièrement importante quant à la responsabilité morale, historique et spirituelle de l'être humain.

Ad n. 70, pag. 54. Le chrétien n'hésitera pas à reconnaître à la culture une certaine valeur charismatique ou prophétique. Elle permet en effet à ceux qui s'y engagent avec cette conscience, une remise en question du monde, chaque fois que celui menace de succomber à la tentation du déterminisme, de l'efficacité, de la suffisance. Porteuse des signes et des symboles capables d'ouvrir aussi bien l'esprit que ses expressions sensibles à une lumière supérieure, la culture entretient le sens de la gratuité, l'originalité et la spontanéité en lesquelles, plus que dans le raffinement esthétique, ou la hâte de la consommation, il faut voir l'éternelle noblesse de l'homme.

41

Exc.mus P. D. PAULUS HALLINAN
Archiepiscopus Atlantensis

Enucleando doctrinam de mulieribus, schema constitutionis pastoralis *de Ecclesia in mundo huius temporis* tria principaliora iure notat: situationem nempe praesentem mulierum (n. 9, pag. 10, linn. 2-3), ortum mulieris secundum *Gen.* 1, 27 (n. 11, pag. 13, linn. 15-19), atque abusus quosdam

hodie adhuc vigentes (n. 30, pag. 25, linn. 13-17). Parum autem agitur de eorundem dictorum applicatione ad concreta « urgentioraque problemata » in parte II schematis. Exigitur tamen talis applicatio practica ut influxus vitalis mulierum in societate moderna in actum revera deducatur, immo et amplificetur. Secundum talem igitur necessitudinem applicationis concretae, proponitur, e. g., ut in n. 11 (cap. I, partis I schematis) post verba: « Quae consociatio viri ac mulieris, ad stirpem humanam propagandam instituta, primam quoque formam efficit communionis personarum », sequentia vel similia adiiciantur: « Talis est communio non servitudinis vel servilitatis, qualis inter dominos eorumque servos seu subiecta vigere solet, sed communio harmoniae indolisque complementaris, i. e. communio reverentiae, amoris, atque responsabilitatis mutuae ».

Certo certius illa tria in schemate enuntiata cum veritate christiana recte concordant, simulque nobilia et urgentia sunt. Ex eo autem quod mulier, quae munere servae aut concubinae antiquitus tantum fungebatur, iamiam generatim agnoscitur tamquam vera persona humana dignitate, iuribus, officiisque propriis praedita, multo plus a nobis hodie expostulatur. Ne prorogemus ad Ecclesiam saeculi xx locum secundi ordinis mulieribus olim assignatum; ne continuemus tantum serius nos adiungere ad progressum socialem, politicum et oeconomicum — qui progressus quasi ad apicem hodie pervenit. Papa Pius XII partem propriam tum in Ecclesia tum in societate a mulieribus, sive nuptis sive innuptis, assumendam clare delineavit. In sua Encyclica *Pacem in terris* Papa Ioannes XXIII sequens principium — quod in constitutione dogmatica *de Ecclesia* (cap. IV, n. 32) ab hoc Concilio nunc etiam enuntiatur — aperte declaravit: « non datur enim in Christo aut in Ecclesia ulla inaequalitas ratione stirpis aut nationis, condicionis socialis aut *sexus*... Omnes enim vos " unus " sunt in Christo Iesu » (*Gal.* 3, 28).

In nostra autem societate, mulieres multis in locis multisque sub aspectibus stigmata inaequalitatis adhuc secumferunt. Hoc clare apparet respectu condicionum, stipendiorum, horarumque laboris, itemque respectu legum matrimonia atque iura ad proprietatem privatam moderantium. Porro haec inaequalitas maxime se manifestat in illo modo paulatim lenteque progrediendi, « gradualismo » nuncupato, qui quasi in omnimodam inactivitatem se vertit quique valde limitat participationem mulierum in illis magnis motibus hodiernis qui educationem pro omnibus prorsus hominibus, iustam pacem, redintegrationem egentium, atque debitam caritativam tutelam tum iuvenum tum seniorum tum pauperum tum domibus orbatorum tum victimarum iniustitiae debilitatisque humanae nervose obtinere contendunt. Quaedam nationes viam streverunt, sed etiam apud illas ideale indolis complementaris viri ac mulieris nondum factum est fundamentum et norma ordinis socialis.

Sincere quaeri potest utrum Ecclesia tamquam verum ducem in hac re semper se gesserit secundum voluntatem Christi qui suam expectationem pro Ecclesia verbis gestisque clare manifestavit. Procul dubio historia Ecclesiae

narrat continuum luctum ad mulierem e loco inferioritatis liberandam. Magnae quidem sanctae mulieres virginesque devotae, immo et quaedam theologae, historiam ecclesiasticam decorant, simulque iugis defensio muneris mulieris in sinu familiae atque praesertim tutela illius privilegii singularis uni Mariae, Dominae nostrae et unicae creaturae Dei perfectae concessi. Ecclesia tamen solummodo lente damnavit oppressionem mulierum in statu servitudinis ipsisque iura ad suffragium et aequalitatem oeconomicam vindicavit. Praeprimis autem Ecclesia nimis lente mulieribus agnovit possibilitatem seligendi vocationem diversam quam illa matris aut sororis religiosae. Revera, inter sanctas mulieres Ecclesiae tres tantum categoriae officiales inveniuntur: martyres nempe, virgines, et illa denominatio omnino indeterminata et negativa: « nec virgines nec martyres ».

Ad principia dein enuntiata in parte I schematis magis clarificanda atque roboranda, sequentes emendationes proponuntur inserenda schemati:

In parte I, cap. IV, in fine 3 paragraphi, haec addantur: « Ecclesia, dum plenam aequalitatem inter virum et mulierem vigentem alte proclamat, suam mentem non solum verbis sed etiam factis, non solum doctrinis abstractis sed etiam fraterno testimonio manifestare debet. Officia igitur liturgica mulierum, quae dimidiam partem populi Dei efformant, hoc modo determinentur: 1) mulieres munia lectoris et acolythae in sacris peragendis adimplere valeant; 2) mulieres, post congruum studium peractum debitamque formationem receptam, in Ordinem Diaconatus assumantur ut Verbum Dei populo annuntiare atque Sacramenta ad talem Ordinem spectantia, praesertim Baptismum solemne Sacramque Eucharistiam, administrare queant. Invitandae sunt etiam mulieres ut, congrua peritia adepta, officio magistrarum consiliarumque in re theologica incumbant. Praeterea, locus amplus mulieribus tribuatur in omnibus campis apostolatus laicorum, qui, post finem huic Concilio impositum, latius patere praevidebuntur. Oportet insuper ut mulieres vitam religiosam ducentes tum in Dicasterio Romano pro Religiosis tum in Codice Iuris Canonici revisenda plene repraesententur earumque consilia in omnibus negotiis propriam rem tangentibus saltem audiantur. Haec concordant cum verbis Summi Pontificis Papae Pauli VI mulieribus religiosis adloquentis quando munere Ordinarii apud Sedem Milanensem adhuc fungebatur: Vos vicinius ad altare, ad Ecclesiam, ad animas accedere debetis ut in unum congregetur totus populus Dei.

Omnis opportunitas mulieribus, tum religiosis tum laicis, pateat oportet ut propriae earum dotes in servitium Ecclesiae suscipiantur. Partes quas agunt auditrices in praesenti Concilio tantum initium talis processus indicent ».

In parte II, cap. I, n. 60 schematis, in fine 2 paragraphi, haec addantur: « Item mulieres innuptae eosdem praestantes valores familiales promovent testificando modo sibi proprio de universali vocatione ad sanctitatem (cf. const. *De Ecclesia*), praesertim secundum mentem Papae Pii XII aliorumque Summorum Pontificum ».

In parte II, cap. IV, n. 86 schematis, par. 2, *mutanda* sunt verba « iura personae in vita publica » ita ut legantur: « iura virorum ac mulierum ».

In parte II, cap. V, n. 95, par. 2, post verba « sed omnis populi Dei est », sequentia addantur: « tum virorum tum mulierum secundum propria utriusque ingenia ».

* * *

N. 30, pag. 25. Quamquam discriminatio ratione stirpis exercita pluries in hoc schemate commemoratur, non tractatur tamen cum ea claritate et vi quacum tractari deberet propter terribilem iniustitiam hodiernam. Profecto ob discrimina familiarum perturbatarum et gentium bellantium postulantur verba exemplaque Christi Domini atque Eius Ecclesiae.

Urgentius etiam animadvertendum est non iam licere negligere partes stirpe minores ad aequalitatem opportunitatum clamantes, partes maiores ab infensis auctoritatibus publicis oppressas, immo nationes novas integras dignitatem, libertatem, progressum flagitantes, colore, vel stirpe posthabita. Ecclesia atque hoc Concilium, prophetae instar, incessanter alta voce protestari debet.

Quaedam nationes quidem hanc discriminationem legibus, institutione publica, exemplis refrenare conatae sunt. Multae quoque ecclesiae et synagogae alta officia sua impleverunt, nam fideles suos, nedum in angiportibus metus et odii caece subsequerentur, super latis viis veritatis et iustitiae duxerunt. Si autem huiusmodi discriminatio in dies exstirpari debet, oportet omnis potentia socialis incessanter operetur ut conceptus dignitatis aequalis atque iurium et officiorum filiorum Dei ab omnibus hominibus penitus accipiatur.

Omnino decuit hebdomada praeterita nonaginta quinque episcopos africanos, per rev.mum episcopum Dnungu (ex Uganda), conqueri quod discriminatio in hoc schemate non ut par est tractaretur. Africa enim erat victima praecipua illius pestis quae mundum occidentalem plura saecula afflictabat, etsi verum sit omnem regionem habitatam, ab ineunte epocha historica, quodam genere servitutis pollutam esse.

Singuli episcopi et coetus episcoporum peccatum huiusmodi discriminationis saepesaepius damnarunt. Ecclesia vero universa in decreto aliquo conciliari mentem suam adversus non tantum servitutem sed etiam omnia mala inde promanantia palam aperire debet. Quod decretum confirmaret episcopos, sacerdotes, religiosos, laicosque qui hoc scelus e catalogo peccatorum delere student. Corroboraret publicae rei moderatores qui mala socialia inaequalitatis aegre ferunt. Restitueret victimis horum malorum dignitatem quae eis propria est. Denique mundum certiorem faceret Ecclesiam legem divinam iustitiae et amoris assidue proclamaturam esse, incunctanter exsecuturam, atque fideles exhortaturam ut in ea concordia vivant quae solummodo ex aequalitate et fraternitate provenire potest.

Censeo igitur post paragrahum secundam in n. 30 novam paragraphum adiungendam esse: « Illud genus discriminationis quod iustitiam a Deo prae-

ceptam turpiter polluit est discriminatio ratione stirpis exercita. Irrationabiliter enim oritur ex proprietatibus fortuitis (uti est color), sed humano generi derelinquit multa mala — servitutem, oppressionem, segregationem coactam, spoliationem, paupertatem, imminutionem dignitatis. Haec deinde inaequalitates horrendas in pueris publice instituendis, in domibus aedificandis, in muneribus comparandis, in facultatibus publicis praebendis, in ministris publicis et consiliis eligendis inducunt. Quod tandem maxime simulatum et dolendum est, partes stirpe minores arcentur ne in ecclesiis a se selectis Deum adorent.

Ideo haec Synodus omnia genera huiusmodi iniustitiae damnat tamquam indigna personae humanae ac praesertim christifidelis. Porro christianis mandat ut pro iustitia erga omnes stirpes semper, verbo et opere, per fortunam et infortunium laborent et ut inspirationem in amore quem Deus ab omni homine poscit petant. Hanc petitionem mittit ad totum populum Dei, ad alias communitates religiosas, ad eos qui rem publicam moderantur, potissimum ad victimas quae imminutionem spiritus humani patiuntur propter notam falsae inferioritatis ».

42

EXC.MUS P. D. ANDREAS HAMVAS
Archiepiscopus Colocensis

Loquor nomine omnium Patrum Conciliarium ex Hungaria. Iuxta nostram humilem et sinceram persuasionem schema nostrum in historia Ecclesiae et mundi locum habebit « Magnae Chartae Ecclesiae Concilium Vaticanum II celebrantis », quae generi humano « pacificationem, libertatis augmentum et caritatis victoriam » attulit. Schema enim sapientissime omnes homines bonae voluntatis attingere studet. *Extensive* omnia fere problemata mundi dilacerati colligit, urgentissima convenienter extollit eaque sub respectu morali et inde resultantis ministerii pastoralis optime perpendit. Stylus clarior, argumentatio profundior delectat, quibus urgentiores et communiores tanguntur causae, earumque sanatio investigatur.

Eminet et nobis praeplacet spiritus libertatis christianae totum schema permeans et imbuens (animans). Salvator Ecclesiam suam ad finem saeculi duraturam et pro omnibus gentibus destinatam, minime alicui formae traditionali status, vel systemati politico vel oeconomico in re publica vigenti alligavit. Omnes laborantes et oneratos vocat et exspectat in mundo huius et futuri temporis. Hunc modum concipiendi in componendis rebus mundi huius temporis de cetero iam Papa piae memoriae Ioannes XXIII, proclamaverat et insimul opinionem publicam universorum atque amabilem admirationem sibi et Ecclesiae conciliaverat. Paulus VI, Pater Communis feliciter regnans, curas anxietatesque mundi condividens iisque medendis summis viribus intendens, conamina sua, quae et nostrum opportet capiant animum, inter alia, sequentibus pandit verbis: « Ecclesia non in praeteritis, nec pro

praeteritis, sed pro futuris vivit ». Rebus sic stantibus sequentia proponere audeo.

1. Cum schema omnes homines respiciat, permaneat in hac laudabili intentione. Sic in tuto collocetur nisus, ut Ecclesia « domus colloquii seu dialogi » habeatur et maneat. Ad eundem finem iam laudabiliter operantur Secretariatus pro fratribus acatholicis, pro non christianis et atheis.

Hoc efferentes in tuto collocare cupimus, ut principia et aspectus pastorales ab omnibus responsabilibus ecclesiasticis recipiantur et verificentur. Habuimus enim iam similia officia e. g. in campo sociali per litteras encyclicas *Rerum novarum* et *Quadragesimo anno* imposita. Sequelae ob neglegentiam multorum deplorabiles evaserunt. Operarii et pauperes fideles extra Ecclesiam quaerebant et adhuc invenire sperant indigentiarum suarum adimpletionem. Hoc edocti, obligationes ex schemate nostro morales, sociales et pastorales ne parvipendantur, nam nec imprudentem moram, nec indifferentiam, eo minus aliquam contraactionem, tolerant. Solatio nobis sit, quod nos — ex fide viventes et operantes — tunc quoque missionem nostram adimplebimus apostolicam et evangelicam erga mundum huius temporis, si caritas nostra operosa e parte ipsius mundi partialiter tantum recognoscentur.

2. In vita et historia Ecclesiae prudenter et graviter distinguere debemus inter bona fundamentalia, universalia, inalienabilia et necessaria una ex parte, atque inter accessoria, particularia, quasi privilegia et apparentia altera ex parte. Haud licet nobis inhaerere bonis transituris et insudare iisdem defendendis. Minime tunc, si per talem nisum impedirentur fines schematis et diminueretur fiducia mundi erga Ecclesiam.

Parcite Patres venerabiles, ut respici petam situationem Ecclesiae in statibus socialisticis. In omnino novo systemate degentes, novas vias ingredi cogimur. Tota series exsurgit quaestionum, quarum solutio in bonum Ecclesiae nobis incumbit. Minime conquerimur de amissione materialium et temporalium ad socialisationem requisitorum. Eo magis et assidue luctamur, ut vita Ecclesiae eiusque libera activitas in tuto collocetur et pro posse augmentatur. In Hungaria e. g. proprio marte adlaboravimus, ut una aliaque causa valde urgens solveretur. Nunc iam laeti exspectamus tractationum eventus favorabiliores ex directa actione Apostolicae Sedis resultantes. Compositio autem stabilis, — optime scimus — fructus erit ulterioris patientiae, laboris et mutuae fiduciae. Ecclesia universa et in specie Concilium nostrum — iuxta nostram humilem sententiam — ex sua parte adiumentum maximum praestabit nobis per « dialogum » iam currentem et per « clima » spirituale, quod per schema praeiacens creatur et evolvitur.

Liceat innuere nos quoque bona ordinis mere humani, quae ad fideles concivesque omnes regni nostri spectant, semper promovisse. Magistrum divinum eiusque misericordiam sequi conabamur. Per tales conatus promptitudinem fidelium sequendi Evangelium et Ecclesiam firmavimus. Fiat hoc — iuxta nostrum ardens desiderium — ope Sanctae Matris Ecclesiae in mundo universo!

3. Fundamento sanctae fidei et morum innixi in eodemque permanentes, vitemus pro posse inutilem acerbitatem in pugna sic dicta « ideologica ». Huiusmodi activitas potest quidem aliquam satisfactionem intellectualem gignere, nonnullis et prosperitatem transitoriam adferre. Consolidationem generalem per schema desideratam et fraternam hominum unionem, problematumque solutionem vel saltem diminutionem talis modus agendi haud promoveret.

Habitudo universaliter amicalis supponit et requirit sinceram reciprocitatem. Hoc evidens sit. Primatus animae, fidei professio, Ecclesiae missio primaria et responsabilitas coram Deo — qui misereatur aetati nostrae sauciatae — oblivioni dari vel silentio obtegi nostra ex parte minime fas erit! Ecclesia tamen uti schema prodit, non intra muros cupit *de mundo* tractare, sed induxit et continuat dialogum *cum ipso mundo* « vaeh clamante » et adversis opinionibus indulgenti. Munus Samaritani, medici et pastoris vigilantis aevi nostri iuxta schema laeti suscipiamus!

* * *

Loquor nomine omnium Patrum conciliarium ex Hungaria.

Cap. IV: « De munere Ecclesiae in mundo huius temporis » iuxta nostram humilem sententiam optime est compositum. Missio Ecclesiae praeclare edicitur et extensio huius missionis apte circumscribitur. Ecclesia seipsam nunc non sensu dogmatico considerat. Sub hoc respectu omnia necessaria continentur in Constitutione dogmatica « de Ecclesia ». In schemate nostro proinde et in capite IV primae partis sermo clare movetur de missione contemporanea et futura Ecclesiae sub respectu mere et vere pastorali. Haec habitudo Ecclesiae pastoralis ad mundum huius temporis est magna exspectatio gentium. Iuxta nostram sinceram opinionem exspectatio haec speciem induit crescentis fiduciae et spei apud fideles et cives in statibus socialisticis degentes. Rebus sic stantibus ea, quae sequuntur reverenter proponere audeo:

1. Libertas, qua Ecclesia gaudet, natura cuius nullo ordini politico, oeconomico et sociali alligatur, uti edicit numerus quinquagesimus primus, magnum adfert adiumentum ad componendas causas Ecclesiae et humanitatis universae. Eo magis confert ad componendum rectum ordinem in regionibus socialisticis, ubi omnino novae exorta sunt vitae et religionis condiciones. Pacifica coexistentia hic eo tendere debet, ut Ecclesia ubique se convenienter evolvere possit. Per cap. IV aptum « clima spirituale » procreatur. Per hoc etenim et nobis optimum adiumentum offertur ad tuenda bona Ecclesiae fundamentalia, universalia, in inalienabilia et necessaria, quibus insistentes, minime conquerimur de amissione bonorum materialium et temporalium per sic dictam « socialisationem » requisitorum.

Talis habitudo auget fiduciam erga Ecclesiam non solum apud nos sed generatim. Doctrina enim et principalis operatio Ecclesiae saepe male interpretantur, imo ob vitia particularia deformantur. Videntes autem tendentiam

pastoralem in hoc capite expositam et adversarii obmutescere tenentur et fideles animabuntur.

2. Fides nostra, prout in lin. 34 legitur, est « ipsa manifestatio mysterii Dei ». Hac fide, Magisterium sequentes, clare proposita et fideliter professa, ne commoremur ultra debitum in mera pugna sic dicta « ideologica », vel eo minus in eadem exacerbanda. Fide nostra operosa ad modum Samaritani, medici et vigilantis pastoris adiuvare studeamus omnes, maxime errantes et omnimodam miseriam patientes.

In regione nostra nos memores sumus omnium indigentiarum civium, proinde et bona eorum temporalia promovere studemus. Magistrum Divinum eiusque misericordiam sequi conamur. Per tales conatus promptitudinem gregis Evangelium sequendi et erga Ecclesiam fidelitatem servandi firmare adhuc potuimus.

3. Nisus in schemate et a nobis commendatus natura sua supponit et exspectat reciprocitatem. Speramus fore, ut secretariatus cum non catholicis, cum non christianis et cum atheis iam communicantes multum conferant ad hoc, ut Ecclesia sit et maneat domus colloquii et pacificationis pro mundo.

Quoad reciprocitatem desideratam, hoc est quoad tollerantiam religiosam e parte atheorum, adsunt iuxta nostram opinionem aliqua signa favorabilia. Ad haec pertinent v. g. et tractationes Sedis Apostolicae cum variis statibus socialisticis.

Liceat breviter alludere ad ultimam interlocutionem em.mi cardinalis Francisci Šeper. Aliqua negligentia circa debitam curam bonorum temporalium necnon eorundem iustae distributionis nos adgravat. Magis magisque his attendere debemus post encyclicas sociales (*Rerum novarum, Quadragesimo anno* et *Mater et magistra*).

Exspectatio gentium, quam annui, iuxta nostram humilem sententiam adimplebitur, si schema nostrum et praeprimis cap. IV primae partis et debite acceptantur et praedicabuntur. Tunc erit schema praeiacens: « Magna Charta Concilii Vaticani II », quae mundo pacis et libertatis augmentum necnon caritatis Christi urgentis victoriam affert.

43

Exc.mus P. D. ALOISIUS EDUARDUS HENRIQUEZ JIMENEZ

Episcopus tit. Lamdiensis, aux. Caracensis

Ad cap. I. In genere placet; sed illud, ut idearum cursus logicus evadat, oportet reelaborare et reordinare.

Oportet etiam ut « Ecclesia » et « mundus » semper in eodem sensu accipiantur; nempe: « mundus », quatenus effectus activitatis creativae hominis; « Ecclesia » autem, si possibile est, in sensu totius populi christiani; et cum de Ecclesia docens vel regens agatur « hierarchia » nominetur.

Ad n. 11. In prima alinea principium generale statuitur: « tota socia-

lis vitae ordinatio ad hominem respicere debet ». Sed ratio labilis est et subiectiva: « Si intimiori eius cordis desiderio respondere velit »; sed ubinam est fundamentum istius desiderii?

Existimo totam hanc alineam sine detrimento, immo et fructuose, supprimere posse, et incipere: « Sacrae Litterae docent... ut ad finem suum dirigitur ». Hoc est verum fundamentum totius capitis, et melius iam ab initio sub aprico collocatur.

In secunda alinea supprimatur inde a « Quis est homo... » usque ad « sub pedibus eius »; nam *a*) non ab uno textu sed ex complexu revelationis illa veritas demonstratur; *b*) textus disgregat attentionem et dat saporem contionis paroecialis.

In hac alinea tres ideae basilares exponuntur: *a*) Homo creatus est ad Dei imaginem; *b*) super cunctas creaturas visibiles dominus constitutus; *c*) et ad Deum tamquam ad finem suum ordinatur. Fortasse melius: quia imago Dei et ad ipsum ordinatus, constitutus est dominus super cunctas creaturas.

Propono: ut totum cap. I logice currat hunc cursus idearum pressius sequatur; nam iam in 3 et 4 alinea hae ideae miscentur et cum aliis confunduntur. Nempe, in tertia alinea: dominium habet super creaturas « quia conscientia, corde et voluntate praeditus est »; *b*) quia diligere et pro aliis se impendere potest (quamvis nexus inter dilectionem et creaturarum dominium non clare appareat); *c*) quia Deus hominem non creavit solum, sed masculum et feminam creavit eos. Melius: quia imago Dei, intelligentia, voluntate et libertate praeditus est, et ad Ipsum secundum propriam naturam ordinatur; et quia Deus est caritas homo Ipsum aliosque homines diligere et pro aliis se impendere potest, et proinde non ad solitudinem sed ad communionem personarum ordinatur. Et quia imago Dei, super omnes creaturas constituitur ut, sua activitate, et ipsum omnesque creaturas ad Deum ordinantur.

Quia peccavit homo, ipsa activitas sua ambiguitate laborat; nam se et creaturas a Deo avertere potest. Deus autem homini in peccatum lapso misericordiam non denegavit, foedus cum ipso iniit, ipsumque redemit, ut gratia Christi se et creaturas ad societatem Trinitariam reordinare valeat.

Ad n. 12. Connexio inter nn. 11 et 12 nunc clare non apparet; sic existimo illam patefacere posse: Utpote a Deo creatum, et ipsum corpus hominis bonum est, illudque homo honorare et semper magis in sua vocatione personali assumere debet. Corporali sua conditione universas mundanas creaturas in se colligit et culmen vitae terrestris constituit; in eo vero materialis mundi elementa et cuncta quae super faciem terrae vita moventur, fastigium suum attinet et ad liberam sui Creatoris laudem vocem attollunt.

Immo homo non tantum cum hoc mundo conseritur super quem virtutis mentis agere valet, sed seipsum per corpus exprimendo, cum aliis hominibus communionem et colloquium instituit.

Totus homo ad Deum ordinatur, omnibusque viribus suis, corporalibus

et spiritualibus ad laborandum, gaudendum, sperandum et amando destinatur, ut activitate sua civitatem terrestrem instruendo caelestem consequere valeat.

At homo, ut glorificet Deum in corpore suo, et ne pravis cordis sui desideriis inserviat corporis vires spiritus imperio inservire cogat.

Corpus nostrum, ut a fide docemur, non est simpliciter periturum: die ultimo, spiritualiter transformatum, resuscitabitur, ut in Symbolo confitemur: « Credo... carnis resurrectionem ».

Ad n. 13. Idea fundamentalis de homine ut imago Dei hic obscuratur; et tantum de dominio propter intelligentiam suam super creaturas agitur.

Sic incipere potest: « Quia homo intellectu — Divinae mentis speculo —, gaudet, universitatem rerum superat, et nec ad sola phaenomena physica cognoscenda coarctatur ».

Reliqua in hac prima linea immutata remanere possunt. In secunda linea, textus finiatur cum verbis: « quaecumque nova detegit ». Reliqua nec necessaria nec utilia videntur.

Ad n. 14. Etiam hic idea de homine ut imagine Dei, evanescit. Nimius optimismus totum numerum pervadit; ex *posse* ad *esse* transit, nempe ex possibilitate in profundis conscientiae suae inveniendi Deum, ad affirmationem transit: « *Ibi non illuditur fallaci figmento* quo tantum physicas et sociales conditiones reflectere, sed e contra, ipsam abyssalem realitatem attingit ». Immo videretur affirmari omnes homines legem naturalem in conscientia detegere, et hanc legem moralem ipsum aperte patefacere, nam huius legis lumine solutionem inquirere oportet tot problematum moralium quae et in vita singulorum et in sociali vita oriuntur.

Obliviscere tamen videretur hominem gratia Dei indigere et revelatione ad omnem legem moralem et cognoscendam secure et valide et ad implendam.

N. 15 valde placet; sed verbulum « at », in initio primae alineae supprimere potest.

Etiam n. 16 valde placet, sed ultima alinea melius supprimitur; concludendo: « Plenitudo ergo legis est dilectio ».

Ad n. 17 existimo melius supprimere verba, a lin. 14 usque ad 16: « Sane omnia technica... non respondet ».

N. 18, qui non proprie de Deo ab hominibus agnoscendum, sed potius de negatione Dei agit, et n. 19 « de atheismo », qui valde deficiens est, nam nonnisi de uno tantum atheismi genere, nempe de atheismo marxista, agit; de diversis atheismi speciebus qui in Occidente grassantur, tacet.

Existimo etiam n. 20 « de Christo, homine perfecto » nn. 18 et 19 antecedere oportere; nam n. 20 est veluti culmen totius capituli, et ad ipsum logice idearum cursus tendit.

Nn. 18 et 19 sunt aliquod veluti negativum corollarium: homo ex culmine et fastigium suae vocationis, quae in Christo consummatur, descendit, cum ad atheismum et practicam Dei negationem descendit.

44

EXC.MUS P. D. IOANNES HERVÁS Y BENET
Episcopus tit. Doritanus, praelatus Cluniensis

Nn. 4-8 [*cf. pag. 689*].

Ut quid siletur de peccato? In eo reapse sistit radix totius mali et ratio totius operis Redemptionis.

Pag. 7, linn. 1-8; pag. 8, lin. 41; nn. 11-20 [*cf. pag. 689*].

N. 12, pag. 13, lin. 25; n. 15, pag. 15, lin. 17 [*cf. pag. 690*].

Haec emendatio magni momenti est, nam si textus non corrigeretur, pragmatismo haedonistico faveret quod admitti non potest.

N. 18, pag. 17, linn. 8-9; pag. 17, lin. 13 [*cf. pag. 691*].

N. 22, pag. 21, lin. 25: loco « ex pondere formarum oeconomicarum », dicatur « ex servitute a formis oeconomicis proveniente... ». *Ratio*: sic melius videtur exprimi sensus. « Pondus » est terminus ambiguus.

Pag. 21, linn. 31-34; n. 24, pag. 22, lin. 21 [*cf. pag. 690, 691*].

Textus latinus « quippe quae... » deficere videtur.

Pag. 22, lin. 23; n. 25, pag. 22, lin. 39; n. 27, pag. 24, linn. 9-14 [*cf. pag. 691*].

Immo tota paragraphus omittenda videtur, quia argumentum repetit declarationis de libertate religiosa, ubi proprio loco et debito modo exponitur.

N. 36, pag. 28, lin. 27 [*cf. pag. 692*].

N. 40, pag. 32, lin. 19; pag. 32, linn. 23-32; pag. 32, linn. 40-44 [*cf. pag. 693*].

45

EXC.MUS P. D. CAROLUS M. HIMMER
Episcopus Tornacensis

Pars I, cap. II: *De hominum communitate.* Circa n. 27, pag. 23: Instanter petitur ut in hac paragrapho tractante de reverentia erga humanam personam mentio, etsi brevissima, fiat de laesione dignitatis humanae quae fit per alcoholismum. *Rationes*:

1. Alcoholismus est inter graves aetatis nostrae calamitates recensendus atque fortiter saevit in multis regionibus tam divitibus quam pauperibus.

2. Est origo multorum damnorum pro individuis, familiis et communitatibus.

3. Cum hodie multae initiativae sumuntur etiam in campo internationali (O.M.S., etc.) ad hoc malum destruendum non intelligeretur Concilium in hoc schemate nequidem unum verbum de hoc problemate dicere.

Conclusio: Propterea hoc proponi liceat: *vel* alcoholismus recenseatur inter ea quae « sacrae indoli vitae adversantur ». V. g., pag. 24, lin. 3 post

verba « mercatus mulierum vel iuvenum » addatur: « abusus alcoholismi seu bacchinatio »; *vel* eadem pag. 24, post lin. 8 verbum fiat de laesione vel laesionibus dignitatis personae non iam ab aliis sed ab ipsa persona peractis. Et inter eas annumeratur alcoholis abusus.

46

EXC.MUS P. D. AUGUSTINUS EUGENIUS HORNYAK

Episcopus tit. Hermonthitanus

Humiliter puto n. 19 de « Problemate atheismi » nimis *superficialiter* necnon, vel uti dicam (sit venia verbo), pusillanimiter tractare.

Textus, praesertim sub linn. 22-29, videtur potius homines de doctrina atheismi edocere, quam conamina ad falsam doctrinam sub luce veritatis revelatae reprobandam adhibere.

Insuper puto non solummodo de « Problemate atheismi », sed praesertim de « Problemate communismi atheistici » (vel « atheismi marxistici ») necessarie tractandum esse! Quid enim accidisset, si Patres conciliares in Conciliis, v. g. Nicaeno et Tridentino, « arianismum », « protestantismum » ceteraque mala silentio praeteriissent?

Communismus est cumulus malorum huius saeculi! Ante omnia est malum in se morale: ex morbo passionum, ex quadam obsessione quasi diabolica, ex concupiscentia praesertim oculorum (potestatis, bonorum materialium) et superbiae vitae proveniens! Est phaenomenon in quo homo non ut « animal rationale sociale », sed potius ut « animal irrationale antisociale » manifestatur! Nulla media inhumana, praesertim violentiae, omittens ad finem suum seu dominium absolutum super res et homines obtinendum! Est causa humanae miseriae (ad caelum clamantis), servitutis physicae, oppressionis mentium, exstinctionis seu genocidii populorum! Est causa inhumanitatis, passionum humanarum antisocialium, praesertim invidiae, irae, concupiscentiae absque limitibus, luctae classium, bellorum, contra dignitatem hominis contraque caritatem et pacem inter homines! Est causa totalitarismi absoluti paucorum contra iustitiam, dignitatem hominum in servitutem redactorum! Est causa capitalismi absoluti statalis! Est fons et causa atheismi, persecutionis religionis, christianismi, praesertim fidei catholicae! Est causa etiam apostasiae a fide multorum necnon eorum perditionis aeternae, etc. etc.

Quapropter « Problema de communismo atheistico » (vel « atheismo marxistico ») nullo modo ab hac Synodo Oecumenica praeteriri vel superficialiter tractari potest! Problema *libere, clare et complete,* absque ullo timore, examinandum est! Eius mala, pseudo-argumenta, « visio scientifica », sub omni aspectu, ideologico, physico, morali, sociologico, oeconomico-sociali, examinanda necnon exponenda sunt sub luce veritatis seu doctrinae Ecclesiae

— ad homines in mundo de malo edocendos, in mundo illuminandos, ex servitute erroris et deceptionis liberandos, a perditione aeterna salvandos!

Ne ergo timeamus, quia nec Christus, nec eius Apostoli, nec Patres conciliares saeculorum praeteritorum, nec Summi Pontifices timuerunt! Loquamur sine ira et studio, ex fidelitate coram Deo, ex obligatione coram hominibus — ad eos ab errore liberandos, pro vita aeterna salvandos! « Veritas liberabit vos », dicit Apostolus (*Rom.* 8, 28). Secus responsabiles erimus coram Deo pro perditione tot hominum errore se deceptium, pro miseria tot hominum ab errore patientium, pro salute desperantium! Secus historia certe accusabit et damnabit nos, quia horam ad loquendum non cognovimus, quia de omnibus fere locuti sumus, de malo autem huius saeculi fere nihil ausi sumus!

Proinde humillime propono, ut non solum superficialiter « Problema atheismi », sed etiam « Problema communismi atheistici » (vel « atheismi marxistici ») in constitutione pastorali *de Ecclesia in mundo huius temporis* a commissione speciali (ex Patribus conciliaribus in re peritis necnon ex coetu Peritorum consistenti) paretur necnon ab hac Synodo Oecumenica Vaticana II sollemniter et expresse approbetur et proclametur, quia totus mundus id a nobis expectat, praesertim fratres sub iugo communismi!

Propono insuper, ut in constitutione *de Ecclesia in mundo huius temporis,* praesertim relate ad « Problema communismi athei », sequentia:

1. Statuatur clare et expresse communismum atheisticum theoretice et practice, prouti etiam ex fructibus systematis iam apparet, esse falsum! Nam Deus, eiusque opera et veritates, necnon veritates circa hominis originem, conditionem, destinationem, iura officiaque in hac et in vita futura, sive ex ratione, sive ex historia, sive ex veritatibus a Deo revelatis — per fidem, rationem illuminantem, cognosci possunt, decursu saeculorum cognoscebantur, et etiam nunc temporis cognoscuntur!

2. Homo non est destinatus, praesertim a gubernio statali seu politico totalitario, ut vivat solummodo pro hac vita, pro aliquo sic dicto « paradiso terrestri », uti instrumentum status seu « agens-producens », sed etiam ut vivat in hac vita terrestri iuxta naturam suam, dignitatem suam, destinationem naturalem et supernaturalem suam ad vitam aeternam assequendam! Nam habet animam immortalem necnon a Christo Deo incarnato redemptus est per gratiam et veritatem, ut vivat vitam etiam aeternam habens et abundantius habens!

3. Homo est natura sua liber, etiamsi non sine obligationibus moralibus coram Deo coramque hominibus!

4. Homo est natura sua ens sociale, ut per caritatem, iustitiam, solidarietatem et alias virtutes, cum ceteris hominibus coniunctus, bonum suum naturale et supernaturale bonumque aliorum, praesertim sibi coniunctorum, libere prosequantur!

5. Homo ius habet, ex natura et destinatione sua, ad media tam natura-

lia quam supernaturalia sibi acquirenda atque officia sua coram Deo coramque hominibus adimplenda, quia bona a Deo data, pro omnibus hominibus data sunt!

6. Civitas seu societas politica est pro homine, non autem viceversa! Homo seu civis ergo non est in suis iuribus libertateque sua restringendus, nisi in quantum bonum commune societatis ex caritate et iustitia sociali expostularet! Servitus vel iniusta oppressio civium in societate praesertim totalitaria sub regimine communistarum est contra iura elementaria humana contraque dignitatem hominis!

7. Auctoritates ergo civiles, iuste sibi auctoritatem acquirentes necnon exercentes, sunt propter cives, non autem viceversa! Sint ergo in *servitio* societatis seu civium, obligationesque sibi legitime concreditas, morales et sociales, secundum iustitiam, caritatem, virtutes praesertim sociales, adimpleant, ad pacem inter cives, prosperitatem culturamque civium servandam et promovendam!

8. Capitalismus absolutus statalis communisticus, sibi omnia quasi bona necnon fructus laboris civium approprians, reprobandus est — est enim contra iustitiam et praeceptum divinum! Nam ex natura praeceptoque divino « dignus est operarius mercede sua » necnon fructuum laboris sui suorumque ad se suosque corporaliter, materialiter, culturaliter et praesertim spiritualiter evolvendum, salvis obligationibus ex iustitia sociali vel ex caritate provenientibus ad bonum proximi vel bonum commune contribuendum!

9. Sic dictae taxationes civium ne excedant plus quam iustum est, habita ratione non solum boni communis progressusque societatis, sed etiam personae eiusque necessitatibus, obligationibus erga proximos eiusque conditionis! Taxationes ultra quod iustum et aequum est, quae praesertim ab auctoritatibus communisticis illegitimis iniuste violenter colliguntur, ut « emolumentum paucorum seu classis gubernantis », necnon iniuste cives opprimunt, reprobandae sunt ex praecepto divino!

10. Libertas civium quantum ad verba, ore vel typis expressa, ad opera, ad sic dictas « initiativas privatas », ad associationes, salva pace publica salvisque legibus moralibus, salva tectaque esto! Restringenda solummodo in quantum bonum commune, praesertim ordinis, caritatis et iustitiae, expostulat!

11. Sit solemne civium et populorum ius et officium libere sibi auctoritates civiles, gubernium statale, vel etiam libertatem seu independentiam sibi eligere vel vindicare, iuxta ius naturale vel leges seu constitutiones iuste et legitime statutas, etiam cum interventu, si necesse sit, Nationum Unitarum!

12. Sit etiam solemne ius hominum novas terras sibi eligendi, praesertim se cum suis libere coniungendi, e. g. uxores cum sponsis, filii cum parentibus suis, quod ius a guberniis communisticis generatim denegatur!

[*Subscripsit etiam*] J. Martenetz, ep. tit. Soldaiensis.

47

Exc.mus P. D. GERARDUS HUYGHE
Episcopus Atrebatensis

N.B. Ces remarques se réfèrent à la pagination de la version française du schéma XIII.

Avant tout, je tiens à affirmer que, dans l'ensemble, ce schéma me plaît beaucoup, surtout dans sa première partie. Je mesure tout ce qu'il y a de difficultés à embrasser une matière immense en peu de pages, à exprimer, pour la première fois dans l'histoire de l'Eglise, l'intérêt que celle-ci porte aux problèmes du monde, et à le faire en un style qui plaise à la fois aux théologiens et aux non-théologiens, aux croyants et à ceux qui ne partagent pas notre foi.

On peut cependant améliorer encore ce schéma, et c'est pour cela que je propose les remarques suivantes.

Remarques générales sur l'ensemble du schéma.

1. Il faudrait que le style du document soit beaucoup plus fluide et son ton général plus nerveux: cela ne suppose-t-il pas que la rédaction en soit reprise par un seul homme?

Dans ce cas, le schéma verrait sans doute aussi son volume diminuer, ce qui serait une bonne chose, car sa longueur actuelle est excessive.

Il ne faut pas craindre d'employer des néologismes dans le texte latin pour parler des réalités sociologiques, économiques et politiques. Dans le texte latin actuel, certains passages sont incompréhensibles ou constituent des contresens.

2. Dans l'ensemble, le texte est trop optimiste et il semble méconnaître la souffrance de tant d'hommes actuels.

3. Le texte est très occidental d'inspiration: il ne s'appuie pas assez sur les éléments valables des civilisations non-européennes.

4. Il est assez peu influencé par la pensée moderne et il n'intègre pas les diverses recherches d'humanisme, car, s'il en parle, il y reste très extérieur (socialismes, existentialisme, philosophie des valeurs, humanisme scientifique).

5. L'expression « Peuple de Dieu » revient très souvent. Si on tient absolument à l'employer, il vaudrait mieux, pour ne vexer aucun non-catholique, préciser dès l'Introduction que des hommes peuvent être rattachés à l'Eglise d'une manière invisible et non-consciente.

6. Il est souhaitable d'éviter tout triomphalisme dans l'expression, d'autant plus que, si pour chacun des problèmes l'Eglise peut apporter une lumière évangélique, il faut avouer que, pour leur formulation concrète, l'Eglise a souvent marqué du retard et même une opposition déplaisante qui est pour elle un lourd handicap (v. g. la science et Galilée!). Dans les justes

combats que mène aujourd'hui « le monde » (lutte contre la haine raciale, contre l'exploitation économique, la guerre nucléaire, l'oppression idéologique), il faut reconnaître qu'actuellement, sur ces points qui touchent le destin de l'humanité, la conscience des chrétiens est en retard sur la conscience humaine.

7. On a fait un effort pour éviter le moralisme. Mais il faudrait poursuivre cet effort et ainsi arriverait-on à éliminer tous les « debet » surtout dans la seconde partie.

8. Il serait bon d'éviter tout ce qui peut être « anti » (v. g. anti-socialisme).

9. Il serait bon d'éviter tout durcissement dogmatique de la doctrine sociale.

10. Il serait bon d'éviter toute subordination de la société à la personne ou à la famille. Mais, dans l'esprit de « Pacem in terris », il faudrait souligner l'interdépendance des liens entre la société d'une part, et la famille ou la personne d'autre part.

11. Dans un document qui veut atteindre les incroyants, il vaut mieux écrire « le Concile », « le Synode » plutôt que « le Saint Concile », « le Saint Synode ».

Remarques sur la première partie du schéma.

Introduction et exposé préliminaire. N. 1, lignes 1 à 5. Avant d'être ceux du Peuple de Dieu, ces « joies et ces espoirs » sont ceux du Christ. Le Christ fait homme les a faits siens en s'incarnant.

On a fait trop de déclarations de ce genre sur l'Eglise qui se penche sur tel ou tel problème humain ... Le monde ne croit plus aux exhibitions de bons sentiments: que l'Eglise n'apparaisse pas plus préoccupée d'elle-même que du monde!

N. 4, lignes 3-4. Supprimer l'incise « de l'avis d'hommes compétents ».

N. 7, ligne 5 de la page 11. Plutôt que « cherchent à guider leur temps » dire « cherchent à orienter la transformation du monde ».

N. 8, page 11. Les déséquilibres du monde moderne: Il ne suffit pas d'exposer de manière statique les déséquilibres et les conflits. Il faut, avec netteté, souligner la dynamique de misère et de haine qui se développe dans l'univers: chaque jour, le nombre d'êtres vivants qui meurent de faim, grandit; chaque jour augmente le stock des armes atomiques disséminées à travers le monde; chaque jour s'accroît la distance qui sépare les nations riches des nations pauvres.

N. 9, les deux dernières lignes de la page 12. Mettre un point (.) après « l'écraser ou le servir », et remplacer les deux dernières lignes du texte actuel par la phrase suivante: « A mesure qu'il saisit davantage les leviers de commande, il se demande où cela le conduit et que signifie cette grandiose et incertaine aventure ».

N. 9, à la fin du texte actuel. Après le N. 9 (ou, plus exactement, à la fin du n. 9) il faudrait ajouter quelques lignes parlant de l'aspiration à l'absolu que l'on rencontre chez tant d'hommes, v. g. un texte comme celui-ci: « Il est certain qu'un nombre croissant d'hommes est en requête d'absolu, les uns choqués par l'injustice, les autres brimés par de nouvelles formes d'esclavage, certains conscients des limites de la science devant les problèmes de la transcendance, plusieurs mûs par un désir de plein épanouissement spirituel. Trop souvent illusionnés ou arrêtés dans leur aspiration par quelque absolu fallacieux ou tronqué, ils attendent, au plus profond d'eux-mêmes, le message chrétien de l'absolu divin. Dieu seul peut combler l'homme en plénitude, jusqu'à le conduire à la vie éternelle. Déjà, dans la lumière de foi, l'homme approche du Dieu unique dans la trinité des Personnes divines, et, quand à la foi succèdera la vision face à face, l'homme, dans le même élan de charité qui l'animait dès la terre, l'homme divinisé aura, uni à Jésus-Christ homme et Dieu, atteint le suprême dépassement. C'est en ce sens seulement, contrairement aux conceptions matérialistes, que l'homme, participant à la vie même de Dieu, est authentiquement le dieu de l'homme ».

Chapître premier (de la 1ère partie du schéma XIII)

Remarque générale. Dans tout ce chapitre, il convenait certes de s'appuyer sur le donné biblique, mais il n'aurait pas fallu sembler ignorer la perspective évolutionniste et il aurait fallu aborder plus scientifiquement et psychologiquement le problème de « la nature » de l'homme.

N. 10, les premières lignes. Le langage gagnerait en force et en adaptation si l'on parlait de la vocation du Peuple de Dieu. Dire, v. g.: Par vocation, le Peuple de Dieu est intimement mêlé à la vie de tous les hommes ... Réuni par le Père, il doit demeurer ferme dans l'espérance du Christ-Seigneur. Assuré de la présence de l'Esprit donné par le Christ ... etc.

N. 14, ligne 11 de la page 18. A la place de « dont la voix » mettre « qui » (la loi n'a pas de voix).

N. 14, ligne 18 de la page 18. A la place de « dans l'exercice de la vertu » (expression un peu vieillie), dire: « dans l'exercice épanouissant de toutes ses activités ».

N. 15, page 18, troisième ligne avant la fin du N. 15. « La vie chrétienne ... n'est qu'une libération continuelle permettant l'ascension spirituelle vers Dieu ». Il faut ajouter ces mots, car la vie chrétienne n'est pas seulement une libération.

N. 16, dernière ligne du n. 16, « plus unifié par les sciences et les techniques et désormais, malgré ses divisions, de plus en plus en quête d'unité ».

N. 17, ligne 3 de la page 20. La foi, répudiant les philosophies de l'absurde et du désespoir, ainsi que celles du messianisme sans au-delà et sans Dieu, est ainsi en mesure de répondre ...

N. 18, ligne 22 du n. 18. De ces égarements, les croyants eux-mêmes, par leur ignorance ou leur conduite, peuvent avoir leur part de responsabilité.

N. 18, lignes 24 à 26. La première phrase est incompréhensible. Il suffirait d'écrire: « Certes, tout homme se pose de quelque manière des questions sur son existence. Il reste pour lui-même une énigme. A certaines heures, principalement à l'occasion ...

N. 19, au milieu de la page 21. Invitation aux athées à s'interroger sincèrement: cette interrogation ne peut ouvrir le dialogue que si, de son côté, l'Eglise s'interroge sur ses déficiences. Se rappeler le retentissement de l'intervention du Cardinal Béran. Sous prétexte de religion, ne tolérons-nous pas des formes d'aliénation qui sont parasitaires par rapport à l'Evangile? Si notre invitation à l'examen de conscience s'accompagnait, sous une forme ou sous une autre, d'un tel examen de conscience, nous pourrions toucher la conscience des athées sincères et nouer un dialogue. Il n'y a pas de dialogue sans réciprocité.

N. 19, dernier alinéa en base de la page 21. La construction de la phrase n'est pas bonne. Il faudrait dire: « Quand elle défend la vocation intégrale de l'homme, l'Eglise sait parfaitement qu'elle est en accord avec le fond secret du cœur humain et elle rend ainsi l'espoir ... ».

Chapitre second (de la 1ère partie du schéma XIII)

N. 28. L'Encyclique *Pacem in terris* (n. 151) distingue mieux « doctrine » et « mouvement ». Une doctrine erronée peut engendrer un mouvement historique où se trouve beaucoup de bon.

N. 34, 3ème alinéa du n. 34. Après les mots « disposant d'eux sans leur consentement » ajouter: Ces privilégiés du pouvoir, de l'économie et de la science, en particulier ceux qui imposeront leurs programmes à la machine, détermineront à leur gré des décisions d'une telle influence que la liberté des multitudes s'évanouira. Les assujettis se sentiront alors ... (suite du texte).

N. 34, avant-dernière ligne de la page 32. C'est seulement ainsi que l'avenir appartiendra à ceux qui auront su procurer aux générations de demain des raisons de vivre, de se donner et d'espérer.

Chapitre troisième (de la première partie du schéma XIII)

N. 42, lignes 6 à 8 de la page 39. Ajouter comme explication à « renoncement total »: Le renoncement total que demande Dieu, loin de dépouiller l'homme de ses valeurs personnelles, les purifie et les élève. L'homme qui renonce à soi-même pour Dieu et pour ses frères en humanité, se retrouve lui-même spirituellement enrichi.

N. 46. Entre les deux alinéas de ce numéro, il serait bon d'en ajouter un autre, v. g. celui-ci: Nous savons, grâce au Christ, que la souffrance est nécessaire pour nous purifier. Elle nous forme à la force intérieure. Acceptée pour aider nos frères, elle nous unit au Christ mort et ressuscité et prend une valeur salvatrice. Elément de notre ascension, elle fait partie essentielle

du message chrétien devant les civilisations qui se désagrègent dans la recherche des plaisirs et des facilités. C'est aussi par la Croix que nous règnerons avec le Christ.

Chapitre quatrième (de la première partie du schéma XIII)

N. 54, 3ème alinéa. Ce que l'on dit ici de la messe est trop bref, alors que le rôle de la messe dans le monde est central. Il faudrait bien faire saisir les deux aspects, les deux mouvements: l'offrande qui présente, par le pain et le vin, tout l'effort des hommes et toute la nature, la réponse à l'offrande par le don que le Christ nous fait de lui-même dans la communion.

La messe récapitule toute la recherche humaine et la comble par la réception de l'homme-Dieu devenu notre nourriture. La messe est l'action par excellence, le plus haut geste d'association des générations successives au sacrifice de louange et de rédemption (le sacrifice unique) offert par le Christ. Par le don qui nous est fait de l'auteur de la grâce, elle se prolonge dans la totalité de nos activités, offertes dans le Christ.

Les notions de sacrifice et de communion restent confuses chez la plupart des fidèles, sinon des prêtres trop ignorants de l'Epître aux Hébreux, des écrits des Pères (surtout de St Augustin dans la « Cité de Dieu ») et de ceux de St Thomas d'Aquin. Ils ne saisissent pas assez toute la portée du mystère eucharistique, ils ne voient pas ses dimensions historique, humaniste et cosmique.

Il serait navrant que, dans un document conciliaire sur la présence de l'Eglise au monde, on n'y insiste pas.

N. 56, à propos du troisième alinéa. Cela n'est pas assez vrai, pas assez loyal. Il ne faut pas que le Concile soit traité d'hypocrite en ne voulant pas avouer franchement les déviations. Ceux qui se tiennent hors de l'Eglise et suivent le Concile d'un oeil critique, pourront citer le Constantinisme, la conception pessimiste de la sexualité, les pénitentiels, la rupture avec les Grecs, les aspects odieux de l'Inquisition, les papes indignes, la condamnation de Galilée, les bénéfices, les retards devant les problèmes sociaux, le Syllabus, les compromissions avec les régimes économiques et les dictatures, le cléricalisme, le triomphalisme ... Les erreurs doivent être reconnues et loyalement interprétées et désavouées. Nous vivons un moment de vérité unique. Tout essai de dissimulation sera jugé sévèrement, si sévèrement que l'effort véritable de l'Eglise en concile sera rejeté par les hommes qui connaissent l'histoire.

48

Exc.mus P. D. IOANNES IOSEPH IRIARTE

Episcopus Reconquistensis

In redactione textus videntur omnino omittenda vocabula, verba modosque dicendi, immo et enuntiationes veritatum, quae sive ob suam significationem technice theologicam aut indolem exclusive biblicam, sive ob difficultatem intrinsecam ratione mysterii enuntiati, extra locum sunt in hoc documento, cuius destinatarii certe non cognoscunt nec minus tenentur intelligere verba haec vocabula, mysteria, etc.

Ita v. g.: N. 10, linn. 5-6: « Spiritus ubi vult spirat... »; n. 16, linn. 6-12: De mysterio SS.mae Trinitatis...; n. 20, totus numerus et in specie lin. 22: « assumpta, non perempta »; lin. 28: « Agnus... »; lin. 36: « mysterium paschale »; linn. 39-40: « ... itaque illuminantur » ... sed haec verba certo certius non-catholicum absolute non illuminabunt!

N. 19: in quaestione *de atheismo,* totus numerus saltem retineatur uti iacet. Etenim quidam Patres in aula rogaverunt ut haec paragraphus auferretur aut suaviore modo proferretur. *At rectius* videtur paragraphum esse retinendam — si non pressius et meliore modo redigendam — quia Concilium debet monere de periculis et gravitate atheismi non solum pro aliquibus nationibus, sed et pro toto mundo.

49

Exc.mus P. D. ANGELUS IOSEPH JELMINI

Episcopus tit. Thermensis, adm. ap. Luganensis

Semper prae oculis habendum est: 1. quod constitutio est pastoralis; 2. quod non tantum ad Ecclesiae filios, sed ad universos homines sermonem convertit, ut bene dicitur in n. 2.

Quoad aspectum pastoralem ut non garriatur circa dignitatem personae humanae necesse est ut persona non solum consideretur individualiter, sed in ambitu in quo vivit. Ideo pag. 23, n. 27, lin. 24, post verbum: « accommodatis », addatur: « et etiam applicandis in familia, in scholis, in associationibus omnis generis et quidem in tota societate. Quantum autem ad dialogum cum omnibus hominibus quattuor animadversiones propono:

Pag. 46, n. 60: nobis videtur condemnationem erotismi non esse proportionatam condemnationi atheismi.

Cur loqui de atheismo in n. 19, pag. 17 sicut *factum* huius temporis et de polygamia et de erotismo tamquam *infectio* huius temporis?

Si aliquod condemnari debet, atheismus magis condemnandus est quam peccata carnalia.

Sed in schemate nostro non agitur de condemnatione, sed de dialogo cum omnibus hominibus: ideo aliquae expressiones negativae n. 60 tollendae sunt, v. g.: « fallacibus formis obscuratur » ... « infecta est » etc.

Pag. 47, n. 61: loquendo de matrimonii et familiae indole non sufficit sanctificationem matrimonii proponere, sed praecipue « humanisationem » matrimonii, cum ad universos homines sermo fit.

Familia enim est ambitus ubi per se primo homo personaliter et simul socialiter formatur. Ipsa familia christiana indiget sub hoc respectu quodam « aggiornamento ».

Quapropter necesse est ut familia libertate gaudeat, ita ut dialogum inter sponsos, parentes et filios magis ac magis foveatur.

N. 63: Inter quaestiones quae ad matrimonii foecunditatem attinent in mundo huius temporis non sufficit doctrinam matrimonii proclamare, sed potius necesse est loqui de practica huius doctrinae applicatione.

Certe difficile est de hoc argumento tractari, sed dicendum est Ecclesiam nullam facere oppositionem progressibus scientificis, quorum firmitas bene probata est et de quorum moralitate habetur sufficiens certitudo, ut bene dicitur in n. 97.

Circa hoc grave argumentum nobis liceat petere maiores explicationes ad conscientiam melius formandam.

Quod attinet ad bellum — n. 98 — desideranda est absoluta condemnatio belli sic dicti « genocidio » quibuscumque armis adhibitus. Non est quaestio de armis, sed de gravissimo delicto, quod numquam permitti potest.

50

Exc.mus P. D. HENRICUS JENNY

Episcopus tit. Salditanus, coad. c.i.s. Cameracensis

Ces remarques sont générales, mais se veulent constructives. Il est normal que le schéma commence par l'analyse, ou un conspectus général de la situation de l'homme d'aujourd'hui: en qui nous retrouvons d'ailleurs l'homme de tous les temps.

Peut être que l'on pourrait déjà montrer comment le problème principal est celui de la *mort,* de la précarité des choses de ce monde; « les civilisations elles-mêmes sont mortelles ».

La mort est liée au péché, d'après la révélation chrétienne: peut-être pourrait-on attendre cependant pour indiquer ce lien mystérieux.

Ensuite, il faudrait assez vite proposer le message chrétien sur l'homme lié à la révélation du Christ sur sa propre identité et sur ses liens et son unité avec le Père, créateur de ce monde.

S'il est vrai qu'il faut une théologie de la création, il est important que cette « création » soit montrée dans les perspectives de la « recréation »

ou du Salut. Même dans la Genèse I, où l'homme est présenté « à l'image de Dieu », cette image de Dieu, nous le savons, c'est Jésus Christ.

Pour cette présentation ou cette annonce de Jésus Christ, nous avons une série de textes extrêmement importants. Dans les *Actes,* chap. 2, 3, 4 où les discours de Pierre rappelant le mystère de la Résurrection, montrent en Jésus le seul Sauveur. *Rom.* 5, 12-21; 8, 18-30; *1 Cor.* 1 et 2; *Gal.* 2, 15-21; *Col.* 1 et 2; *Eph.* 1 à 4; *2 Cor.* 15 (trop peu utilisé).

Nous retrouvons là le « mystère pascal » où le Fils de Dieu, descendu dans l'abîme de la mort et du péché, en lui, en son offrande, en son amour, refait un homme nouveau.

Ce mystère pascal, nous le trouvons au centre du schéma de l'Eglise, celui de la Liturgie, celui du « pastorale munus episcoporum » (la mission de l'évêque continuant celle du Christ), dans celui de l'Œcuménisme, des Missions. Ainsi s'établirait une grande unité entre les schémas.

On montrerait comment par le mystère de ses Pâques, une humanité nouvelle est créée. L'homme nouveau, c'est le Christ, et c'est l'homme tout simplement dans sa vocation surnaturelle et naturelle à la fois, puisque la nature est « reprise en sous-œuvre » par le surnaturel.

Toute la grandeur de l'homme, et toute son espérance se trouvent en cette orientation, et cette « restructuration » surnaturelle dont Jésus Christ est le centre.

Il faudrait montrer aussi comment par là les problèmes humains trouvent moins directement les solutions sur le plan humain, car l'Eglise ou l'Evangile ne fournissent pas les recettes, mais trouvent la lumière capable d'éclairer ces problèmes et les principes de solution.

Cependant c'est là que l'on rencontre une fois de plus le mal, le péché, la « patience » de Dieu et la souffrance des hommes, et la précarité du monde. C'est en passant par la Croix que se fait le monde nouveau et par la Passion que l'on va à la Gloire.

Dans l'application à ces problèmes divers, on retrouverait la grande lumière de la Révélation:

le mariage, image du salut de l'homme et de l'amour de Dieu, lie au mystère eucharistique et au mystère pascal;

la communauté des hommes à l'image de la *κοινωνία* trinitaire;

le progrès humain vers la fin de l'histoire qui trouve en Jésus Christ sa fin.

Ainsi ce que l'on donne à Dieu et au Christ, on ne le retire pas à l'homme. Mais les « valeurs humaines » sont inséparables des valeurs divines dont Jésus Christ est le messager et l'auteur.

(Celui qui écrit ces lignes, s'excuse de la hâte avec laquelle il a dû s'exprimer).

51

EXC.MUS P. D. LECH KACZMAREK
Episcopus tit. Alienus, aux. Gedanensis

Schema istud de quo est sermo applausum meretur; laboriose confectum, plura continet vera. Attamen difficulter satisfacit omnibus cum mentalitas hominum nostri aevi sat intricata ac perplexa sit. Fortasse indoles constitutionis nimis anthropologica ac non satis christologica esse apparet. Mihi quidem videtur indolem magis ecclesiasticam quae desideratur, minime obstare cuidam indoli moderno ac descriptivo, pro iis etiam qui increduli vocantur magis adaptato.

Praeterea etsi modus cogitandi hominum nostri aevi bene sagaciterque explanatus apparet, nihilominus quaedam (non omnia utique) potius ad mentalitatem hominum occidentis, strictius ad mentalitatem gallicam sese referre videntur.

Cum munus Ecclesiae sit consecratio mundi ac Evangelii praedicatio nec non Christi prolongatio, notio Christi Regis mundi magis enucleanda videtur.

Proinde desideratur quaedam magis organica coniunctio ac nexus logicus sublineandus inter praeclaram constitutionem dogmaticam *de Ecclesia* et constitutionem de qua nunc est sermo.

Optimismus quidam ut ita dicam anthropologicus schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* pluribus ex rationibus laudandus videtur. Attamen sincera visio ac perceptio malorum nostri aevi de qua ceterum in schemate sermo fit (non tamen de omnibus ut v. g. cupido pecuniae ac vita luxuriosa), fortasse etiam cum magno infidelium profectu magis accentuanda videtur.

Merita Ecclesiae non tantum nostri aevi utile esset ante oculos lectorum ponere cum hodie in pluribus regionibus Europae, marxismo imbutis haec merita parvipenduntur vel prorsus negantur. Missio culturalis ac caritativa, socialis ac pacifica digna videtur in praedicto schemate maiore mentione.

Unus ex auditoribus Concilii Vaticani, non catholicus quidem, optime, mea humili sententia, animadvertere haud neglexit, magna ceterum cum laude Ecclesiae, quod in Concilio nimis bene de infidelibus, de non-catholicis ac simul haud bene de catholicis loquitur. Si ergo quaedam merita Ecclesiae non ob vanam utique gloriam dicta essent in schemate — valde hoc utile fore videtur.

Quoad particulares animadversiones verum est in pag. 7, lin. 10 sermonem esse de hominibus nostri aevi qui « inter spem et angorem agitati sunt ». Haec tamen notio angoris satis vaga, aequivoca et parum praecisa esse videtur. In pag. 9, lin. 15 legitur in schemate, hominem hodiernum a seipso fugere et solitudinem persentire. Hoc verum est; tamen mea humili sententia aliqua magis enucleata mentio fiat de hodierna anxiosa et haud pessimismo privata mentalitate perplurium hominum qui fide in Deum orbati prorsus de sensu vitae ac de futura post mortem sorte dubitant immo desperant.

Radicalis quidam timor vitae (l'angoisse de la vie) haud rarum signum temporis constituere videtur.

Praeter supradictas animadversiones quae valorem schematis minime enervare volunt, quaedam adhuc addenda manent.

1. Quoad pag. 42, lin. 25 ubi de obligationibus pastorum quoad « concretam » vitam hominum sermo fit, videtur mihi magis debere accentum ponere supra concretum modum etiam *concionandi*. Quamvis haec quaestio magis ad schema decreti *de munere et vita presbyterorum* pertineat, etiam hic nostro in praesenti schemate opportunum videtur addere ut pastores curent de hoc concreto modo colloquendi cum fidelibus ac infidelibus, talis etenim modus procedendi plura secum bona fert. Praedicatio utique fundari debet praeprimis et primarie in exponenda doctrina Ecclesiae et Evangelio annuntiando. Hoc utique patet per se. Nihilominus cum obsequium fidei debeat esse rationabile, ne negligantur argumenta ex ratione ac experientia desumptae ut homines nostri aevi de vera missione Ecclesiae in mundo hodierno certiores fiant. Et hoc quidem valet pari modo de litteris pastoralibus episcoporum elaborandis quae mentalitatem hodiernam hominum ne parvipendant.

2. Quoad pag. 17 ubi de atheismo sermo fit, valde utiliter addendum esset ut homines hodierni insuperabili pondere cuiusdam sic dictae « propagande » subiecti et sic dictis « slogan » iterum iterumve repetitis obruti, attendant atque vigilent ne a veritate Christi detraherentur iuxta celebre dictum Voltaire « Calomniez, calomniez, il en restera toujours quelque chose ». Errores etenim audacter repetiti gravem morbum hodiernae humanitatis constituere videntur.

52

Exc.mus P. D. FRANCISCUS GERARDUS KRAMER
Episcopus Lunganensis

Introductio. Ante omnia gratitudinem meam exprimere volo erga Commissionem quae hoc documentum nobis praesentavit. Ex toto corde gaudeo, eandem viam, quam Ecclesia in mundo huius temporis percurrere oportebit, pro tali parte iam monstrasse. Quod integram viam planare vel cuncta signa indicativa apponere nondum poterat, minus Ei est imputandum quam complicitati mundi hodierni adscribendum.

Animadversiones quae sequuntur non intendunt schematis reprobationem, sed econtra eiusdem supportationem ammeliorationemque.

Ad prooemium et partem primam. Ad pag. 5, linn. 21-22. Non dicatur « ex una parte ... ex altera parte »: nam duo sensus potiusquam disiunctive, in hac constitutione coniunctive intelliguntur; quare dicatur: « Nomine mundi hic intelligimus utique caelum et terram seu universitatem rerum a Deo creatarum, sed praeprimis universam familiam humanam ... licet hic mundus ... ».

Ad pag. 7, lin. 26. Nonne potius quam « ex praedicta technica perfectio-

ne » dicendum esset « ex perfectione technicae hygienicae »: nam haec est maior causa expansionis demographicae, et de ea sermo non fit.

Ad pag. 15, lin. 36 ad pag. 16, lin. 2. Non videtur rectum indolem socialem hominis deducere « ex imagine Dei Trini »; relationes in Deo sunt naturae omnino diversae ab indole hominis sociali.

Ad pag. 17, n. 19. In confrontatione Ecclesiae cum atheismo magnam attentionem mihi videtur attribuendam clarae argumentationi ac positivo modo problemati appropinquandi, quam em. D. card. Šeper in sessione 135 proposuit.

Ad pag. 25, lin. 6. Nonne bonum esset aliquid dicere de necessaria inaequalitate quae vitari omnino nequit, ne videatur Concilium in nubibus loqui?

Ad pag. 27, lin. 15. Quare dicitur « necessitudines sociales » et non « iustitia socialis »? Est enim vera obligatio iustitiae.

Ad pag. 28, lin. 16. « Nemo scilicet ... »: quod dicitur est verum, sed non sequitur ex antea dictis.

Ad pag. 32, linn. 23 ss. Sat puerile et ridiculum mihi videtur dicere « qu'on nous permette de regretter » seu « deplorare liceat ». Praeferrem aperte et simpliciter dicere: « Agnoscimus in pristinis saeculis quosdam animi habitus in ipsa Ecclesia non defuisse a sana " scientifica " indagatione alienos. Qui habitus, cum contentionibus et controversiis exinde suscitatis, plurium animos eo perduxerunt, ut fidem et scientiam inter se opponerent. Huiusmodi autem conflictationes et falsae sententiae circa concordiam inter res fidei et scientiarum interpretationem, quamvis in adiunctis sui temporis consideratae quodammodo explicentur, non tantum deploremus oportet, sed omnibus viribus ... ».

Ad pag. 33, n. 43 et pag. 34, n. 44. Schema mihi videtur in his numeris a themate huius capitis deviare, quod est significatio humanae navitatis in universo mundo. Potius quam describere civitatem caelestem et caelum novum et terram novam — quae sunt opus Dei potius quam navitas hominum! — deberet magis indicare, quomodo navitas humana hodierna conducit etiam ad illam intentionem Dei adimplendam.

Ad pag. 33, lin. 41. Non bene videtur quomodo civitas caelestis proponi possit exemplum (idéal) civitati terrestri si (cf. pag. 34, linn. 4-5) perfectio ordinis socialis omnino diversa (d'un tout autre ordre) est ab augmento Regni Dei.

53

Exc.mus P. D. IOANNES KULIK

Episcopus tit. Rhandensis, aux. Lodzensis

In cap. IV, partis I, ubi de munere Ecclesiae disseritur, nostra sententia videtur opportunum esse post ea, quae de unione inter fidem et vitam concretam dicta sunt (n. 52) inserere animadversiones quasdam de vita paroeciali nostris temporibus magis accommodata.

Cuius rei ratio apparet 1. ex eo, quod in variis schematibus vel declarationibus nihil ex professo dicitur de paroecia, illa familiarum familia christiana in circumstantiis conditionibusque huius mundi vivenda, in qua fides in vita expertitur; 2. vero quae de accommodata vita paroeciae proponuntur, dicenda sunt eorum loco quae de laicorum pastorumque munere et alia quae sub nn. 56-57 in genere proposita leguntur, quae tamen iam in singulis schematibus nempe, *de apostolatu laicorum* atque *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* longe lateque explanantur.

Quam ob rem sequentes de vita paroeciali animadversiones proponere audemus: peculiare et fundamentale in Ecclesiae Christi organismo ut Populi Dei locum obtinet communitas paroecialis, quae ad mentem Pii Papae XI est fundamentalis forma vitae nostrae ecclesiasticae, cellula communitatis christianae, essentiale semen vitae christianae, quae in liturgia fontem suae existentiae et suam structuralem formam habet. Nostris temporibus cellula haec christianae communitatis propter varios processus crescentis industriae et celerrimae evolutionis civitatum in mundo hodierno in crisim lapsa est suumque primordialem characterem communitatis fidei, cultus et amoris amisit. Patet, renovationem conciliarem dependere a renovatione pastorali vitae paroecialis.

I. *Organisatio paroeciae.* Decursu variarum mutationum necessaria est etiam mutatio hodiernorum principiorum vitae paroecialis adaptationis causa ad bonum Populi Dei, admittendo principalem territorialem characterem territorialium simul et animadvertendo criteria socioculturalia. Indiget ergo mutatione can. 216 § 4 ceteraque praescripta Codicis Iuris Canonici. Decisio novas erigendi paroecias et quidem non territoriales pertinere debet ad competentiam Ordinarii loci vel conferentiae nationalis episcoporum tamquam peritorum in pastoralibus conditionibus loci.

Locorum ordinarii obligantur ad talem dismembrationem paroeciarum ut suas functiones pastorales sine incommodo peragere possint. Si hoc impossibile esset erigenda sunt in territorio paroeciae nova centra pastoralia, quae tamen agere possunt solummodo cum licentia parochi localis aut eo audito.

II. *Educatio Populi Dei ad vitam paroecialem.* Renovatio conciliaris impulsum dare debet actionis pastoralis ad praeparandos fideles pro vita paroeciali. Religiosa educatio incipienda est iam inde a puerili aetate in educatione et instructione christiana, quae characterem magis pastoralem habere debent. Omnes instructiones religiosae sive in schola sive extra illam ad instruendam iuventutem in vitam liturgicam, eucharisticam, sacramentalem necnon in problemata communitatis paroecialis tendere debent. Quando et ubi liberi iuventusque edisci possunt responsabilitatem pro Ecclesia, manifestationem fidei suae, exercitium virtutis misericordiae nisi in scholari aetate? Educatio iuventutis ad vitam paroecialem praebet clero occasionem ad augendos contactus cum fidelibus iuvatque in formanda conscientia communitatis paroecialis. Haec incessanter inculcanda sunt dum fidelibus communes valores fidei et morum monstrabuntur simul cum indicatione concretae situationis

hominis nostri temporis. Punctum centrale in hac actione est altare, cor paroeciae et signum communitatis paroecialis. Paroeciae quae non poterunt efformare liturgicam communitatem circum altare condemnatae sunt ad mortem spiritualem. Propterea unum de principalibus negotiis pastoralibus nostris temporibus est introductio fidelium — ad mentem constitutionis de Liturgia — in consciam socialem participationem in Missae Sacrificio et in communitatem vitae eucharisticae. In spiritu responsabilitatis pro communitate parochiana admittendum est tale principium: Laici iuvamen praebere debent in his omnibus rebus, quae non indigent ordinatione sacerdotali, scil. in rebus administrandis, oeconomicis, organisatoriis, praesertim autem in consiliis familiaribus, quae in omni paroecia praestanda sunt. Laici omnium nationum sperant pastoralem contactum in charactere non formali. Huius rei occasionem praebere debet moderna paroecia. Spiritus communitatis paroecialis apparet in mutua oratione et iuvamine in favorem familiae paroecialis, praesertim vero in cura pauperum et afflictorum.

In educatione ad vitam paroecialem necesse est promovere inter clerum et laicos studium theologiae paroeciae, sociologiae, adaptationem communitatis fidelium necnon theologiae pastoralis ad postulata « accommodatae renovationis ». In lumine doctrinae de officiis pastoralibus episcoporum et de officiis Populi Dei necessarium est maiorem addere valorem ipsi curae pastorali, ab ea enim renovatio pastoralis Ecclesiae magnopere dependet.

Quae in genere proposita verificantur in specie in singulis communitatibus, servatis earundem condicionibus propriis, a quibus maxime dependet cum indoles tum progressus paroeciae in Regnum Dei his in terris evolvendum.

54

Exc.mus P. D. STEPHANUS LÁSZLÓ
Episcopus Sideropolitanus

Ad n. 19. 1. Laudandum est, de hac re, nempe de atheismo, in nostro schemate sub numero speciali agi.

2. Atheismus veraciter inter facta gravissima huius temporis numerandus est. Forma superlativi, saltem pro me, raro adhibeatur. Ibi certo iure suum locum habet.

3. Nihilominus aut etiam propterea hic numerus nova exaratione indiget.

a) Plura dicenda sunt de variis formis atheismi: de practico, qui saepe invenitur; de theoretico, qui rarior est, sed non minus periculosus; de sic dicto postulatorio, nempe qui Deum negat, quia non vult Deum esse; de sic dicto emotionali, qui Deum propter varias rationes emotionales, uti sunt tristitia et similia, negat; et etiam de aliis formis, quae inveniuntur.

In textu nostro de una forma atheismi tantum plura, etsi non sufficientia explanantur.

b) Praeprimis autem demonstranda sunt rationes huius gravissimi facti et non minus via et methodus, quomodo atheismus devinciendus est. Verum est, numerosos martyres testimonium pro Deo reddidisse, sed hoc factum pro multis uti argumentum contra atheismum non sufficit, uti experientia docet.

Rationes, quae atheismum hodiernum fovent, sunt externae, quae pro multis e progressu scientiarum aut e evolutione psychologica et historica promanant; non minus autem internae, quae, proh dolor, saepe e nostro simplificato conceptu de Deo eveniunt.

4. Propono ergo *a*) Ut textus sub his aspectibus de novo exaretur, peritis e secretariatu pro infidelibus vocatis; *b*) Ut de hac re dialogus fiat etiam cum aliis christianis, immo non christianis, quia etiam pro iis hoc problema existit.

Quod iam scripto postulavi, reitero, nempe ut nobis de hac quaestione sed non minus de toto schemate mens auditorum et observatorum directe aut saltem indirecte aperiatur.

55

Exc.mus P. D. IOSEPH ALI LEBRUM MORATINOS

Episcopus Valentinus in Venetiola

Ad interventionem mane factam in 137 congregatione generali, ab exc.mo D. D. Sergio Mendez, episcopo Cuernavacensi in Mexico haec notare volo.

Inter episcoporum quorum nomine ille locutus est meum invenitur nomen. Tamen certum est meam approbationem unice intendere ulteriorem perfectionem expositionis n. 19 problematis atheismi in const. *de Ecclesia in mundo huius temporis* secundum ea quae recordor legisse.

Propterea nequaquam approbo imprudentes et inconvenientes laudes Psychoanalisi et Freud tributas.

56

Exc.mus P. D. MARCELLUS LEFEBVRE

Archiepiscopus tit. Synnadensis in Phrygia

De hac constitutione pastorali, ut iam dixerunt aliqui Patres, mihi videtur posse affirmari quod:

Doctrina pastoralis quae in hac constitutione invenitur non concordat cum doctrina theologiae pastoralis quae usque adhuc ab Ecclesia docetur.

Etenim sive de homine et eius navitate, sive de mundo et societatibus familiari et publica, sive de Ecclesia, doctrina huius Constitutionis est doctrina nova in Ecclesia, etsi antiqua apud multos non catholicos, vel catholicos Liberales.

Doctrina nova. 1. Quia in diversis locis affirmantur principia quae aperte contradicunt doctrinae traditionali Ecclesiae; 2. quia in multis affirmantur propositiones ambiguae, valde periculosae; 3. quia in necessariis in hac ma-

teria, multa omittuntur quae veras solutiones in his quaestionibus impediunt.

1. *In diversis locis affirmantur quaedam contra doctrinam Ecclesiae*: v. g. Ecclesia semper docuit et docet omnibus hominibus necessitatem *oboedientiae* Deo et auctoritatibus a Deo constitutis ut ad ordinem fundamentalem vocationis suae redeant, et dignitatem suam denuo acquirant.

E contra in schemate, « dignitas humana invenitur in libertate conscientiae, ut personaliter ab intra motus et persuasus agat, libenter scil. et non sub mero impulsu externae motionis aut coactionis » (pag. 15, linn. 15 s.; pag. 22, n. 24).

Haec falsa notio libertatis et dignitatis humanae consectaria pessima habet nempe in ruinam ducit auctoritatem, puta patrisfamiliae et valorem vitae religiosae.

In pag. 17, par. 19 ubi agitur de communismo sub solo aspectu atheismi et sine explicita mentione communismi. Ex hoc textu posset deduci quod communismus damnatur unice propter suum atheismum, quod est evidenter contra doctrinam constanter affirmatam ab Ecclesia.

Unde melius videtur textum aut nullam mentionem etiam indirectam facere de communismo, aut e contra explicite loquatur de communismo ad demonstrandam intrinsecam perversitatem suam.

In pag. 39, in linn. 19 s. dicitur « Verbum Patris incarnatione sua totum assumpsit hominem, corpus et animam (hoc verum, certe) in eoque totam naturam a Deo creatam, materia non excepta, *sanctificavit,* ita ut omne quod existit, suopte modo, ad Redemptorem suum clamet ».

Hoc evidenter contradicit non solum doctrinae traditionali sed et praxi universali Ecclesiae. Etenim si hoc verum esset ad quid exorcismi pro omnibus rebus quae ad usum christianorum veniunt?

Et si tota natura sanctificata est, cur natura humana non est sanctificata?

In cap. *de matrimonio,* pag. 47, linn. 16 s., amor coniugalis praesentatur ut elementum primarium matrimonii ex quo procedit elementum secundarium: procreatio; et in toto decursu capitis amor coniugalis et matrimonium assimilantur, ut in pag. 49, linn. 24 et 25.

Quod etiam est contra doctrinam traditionalem Ecclesiae et si admitteretur haberet consequentias pessimas. Etenim dici posset « ubi non est amor coniugalis non est matrimonium »! Quam numerosa sunt matrimonia sine amore coniugali! ... et sunt tamen vera matrimonia.

2. *In multis locis affirmantur propositiones ambiguae et ideo periculosae.*

Pag. 5, linn. 10 s.: « Hodie ceterum, magis quam olim omnes terrae incolae cuiuscumque stirpis, coloris, opinionis, socialis originis aut religionis, agnoscere debent, omnium sortem tam in prosperis quam in adversis rebus esse communem, communeque iter omnibus instituendum versus finem non nisi sub umbris clarescentem ». Quid hoc significat? Et idem repetitur in fine schematis, pag. 83, linn. 35 s.

« Hoc facientes *totum genus humanum* ad vivam spem excitabimus, quae Spiritus Sancti donum est, ut tandem aliquando in mundo perenni et pace ac beatitudine summa ad gloriam Domini suscipiatur ». Hae propositiones saltem claritate maiore egent ut non male interpretentur.

Character socialis hominis exaggeratur manifeste, unde multae propositiones aliquomodo erroneae.

Pag. 21, linn. 23 et 24: « Homo moriens, aliquid in mundo mutatum relinquit, sive in commodum sive in detrimentum fratrum suorum... ».

Quid de innumeris infantibus qui moriuntur antequam ratiocinare possunt?!

Pag. 28, lin. 16: « Nemo scil. solus neque pro seipso solo salvatur ». Hoc simpliciter ut iacet admitti non potest.

Ubi loquitur de aequalitate inter homines, i. e. pag. 25 in par. 30 et 31 locutiones multae egent explicatione ut admitti possint.

« Eget quidem homo non solo pane, sed et dignitatis suae observantia, libertate et amore »! Num haec est locutio digna Concilio? Multas significationes habere potest.

Sic definita est Ecclesia pag. 38, linn. 22 et 23. « Ecclesia est veluti sacramentum intimae unionis cum Deo, totiusque generis humani unitatis... »! Hic conceptus eget explicationibus, quia unitas Ecclesiae non est unitas generis humani.

Innumerae locutiones ambiguitate latent quia revera doctrina redactorum non est doctrina catholica traditionalis sed nova doctrina quae sapit nominalismo, modernismo, liberalismo, et theillardismo.

3. *Multae omissiones graves dant schemati notam irrealismi.* Quomodo omittitur saepe saepius peccatum originale et sequelae suae, et peccata personalia in expositione introductiva, pag. 6 ad 10 cum nulla valida explicatio potest dari in historia mundi et in mundo hodierno sine consideratione huius facti historici et hodierni?

Quomodo homo concipi potest sine lege morali, quomodo de vocatione hominis loqui potest sine baptismo et sine iustificatione per gratiam supernaturalem? In cap. de humanae personae vocatione, pag. 13 s.

Hae omissiones gravissimae sunt. Doctrina catechismi funditus mutanda est.

Ecclesia nullo modo ut societas perfecta ostenditur in quam necessario ingredi debent omnes homines ut salvi fiant. Non est « ovile » quia non existunt amplius mercenarii, neque fures, neque latrones; definitur ut « evangelicum fermentum in tota massa hominum » pag. 22, lin. 30; pag. 48, linn. 12 et 13; pag. 44, linn. 19 et 20.

Quaenam est ista iustificatio totius humanitatis? externa? interna? Haec omnia sapiunt protestantismo.

In dignitate matrimonii paucissima verba dicuntur de matrimonii sacramento de quo oriuntur gratiae innumerae pro sponsis et familia.

Et etiam locutio de sacramento est deficiens: « ita nunc Salvator hominum Ecclesiaeque sponsus, in sacramento matrimonii fidelibus coniugibus obviam venit ». Quid hoc significat?

Cur tantus laconismus de re tam sacra, tam nobili quae est fons sanctitatis totius societatis?

Concludo. Haec constitutio pastoralis neque est pastoralis neque dimanat ab Ecclesia catholica, quia non pascit homines et fideles veritate evangelica et apostolica, et quia nequaquam sic locuta est Ecclesia. Vocem hanc audire non possumus quia non est vox Sponsae Christi. Haec vox non est Spiritus Christi. Christi et Pastoris nostri vocem cognoscimus. Hanc vocem ignoramus.

57

EXC.MUS P. D. CONSTANTINUS CHRISTIANUS LUNA
Episcopus Zacapensis

Quod Ecclesia quam plurima faciat, praesertim in regionibus Missionum vel in regionibus nondum plene socialiter evolutis, ut dolores et infirmitates corporales hominum mitigare seu lenire quodammodo possit, nemo est qui dubitet. Attamen dolor in terris numquam cessabit. Totum genus humanum afficit; tota hominum vita, dum sumus « in hac lacrimarum valle », aerumnis, doloribus, infirmitatibus, morte denique subicitur. Dolor est factum universale, quod progressu technico, artis medicae scientia, evolutione sociali numquam in terris penitus vinci aut eradicari poterit.

Iesus Christus noluit infirmitates a nobis penitus avertere; sed voluit, ut per totum nostrae vitae tempus infirmitates nos comitarentur. Mori et vivere cum Christo est, iuxta Sanctum Paulum summa christianae vitae. Dolores et infirmitates non sunt privilegia apostolatus aut quorumdam christianorum tantum, sed ad essentiam vitae christianae pertinent. Immo, sunt speciales Dei gratiae, quae gratiae fidei aequant, si propter amorem Dei sustineantur.

Si Ecclesia quam plurima facit, ut dolorem physicum leniat, multa plura facere potest, ut aegritudines, infirmitates, dolores ad dignitatem vitae supernaturalis subleventur. Si in nostro schemate Ecclesia ad mundum nostri temporis respicit, respiciat etiam ad tam magnam generis humani multitudinem, quae dolore et infirmitate afficitur. Si Ecclesia hominibus hodiernis alloquitur loquamur etiam in nostro schemate de vi purificatoria doloris et de eius valore in vitam aeternam. Sapienti Dei providentiae obsecundantes, possumus tot infirmis qui in mundo sunt et erunt spirituale solamen praebere, possumus hominum dolores et infirmitates in spiritualem gratiae et gloriae fontem convertere.

Non est ergo cur Ecclesia taceat de dolore, de infirmitate, in Christo et per Christum patienter toleratis, cum in nostro schemate de tot humanis et divinis rebus ad homines hodiernos loquatur.

Humiliter igitur a competenti Commissione postulo, ut in nostro schemate, post paragraphum 46, vel alibi, prout ipsi opportunum videbitur, specialis inseratur paragraphus, qua et christiani et non christiani doceantur de vi et valore humani doloris et infirmitatum pro singulis hominibus, pro societate humana, pro vita aeterna, secundum Christi exemplum.

En rationes, ex Sacra Scriptura Novi Testamenti praesertim desumptis:

1. Iesus omnes homines invitat, ut eum sequi velint. Sed si quis inter discipulos Christi adnumerari desiderat, crucem suam debet cotidie tollere (*Lc.* 9, 23), ut Christum patientem sequatur. In hac sententia Christi, quae « ad omnes » dirigitur, « crux » non est quidem materialiter accipienda, sed metaphorice. In qua tamen metaphora, acceptatio doloris physici, infirmitatum pro amore Iesu procul dubio includitur.

Immo, dolores vitae, infirmitates amore Dei toleratis sunt exhibitiones caritatis Dei erga homines (*Io.* 3, 16; *Rom.* 8, 32), et caritatis hominum erga Deum (cf. *Rom.* 8, 37). Valor soteriologicus, passionis et mortis Christi ad essentiam christianismi pertinet, prout in genuina Apostolorum praedicatione clarissime apparet. Valor autem spiritualis soteriologicus, passionum hominis, si pro Christo et pro Ecclesia ferentur, a Sancto Paulo evidenter docetur, cum dicit: « Nunc gaudeo in passionibus pro vobis et adimpleo ea, quae desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia, cuius factus sum ego minister secundum dispensationem Dei, quae data est mihi in vos ut impleam verbum Dei » (*Col.* 1, 24 sq.).

Paulus gaudet de suis passionibus, i. e., aerumnis, tribulationibus, persecutionibus, infirmitatibus, quae, patienter ab Apostolo toleratae, in bonum Colossensium et totius Ecclesiae vertuntur; adimplet, complet summam tribulationum et infirmitatum quas Christus ei assignavit; et talis summa infirmitatum et tribulationum in bonum totius Corporis Mystici seu Ecclesiae Christi redundat; sic enim Paulus munere suo fungitur ut minister seu diaconus seu servitor totius Ecclesiae, iuxta dispositionem Dei.

Nemo est qui non videat, huiusmodi doctrinam omnibus infirmis christianam fidem profitentibus applicari posse, immo et debere. Omnes ii vocantur a Christo patienti, ut eius vestigia sequantur unicuique hominum summa dolorum, tribulationum, infirmitatum a Christo assignantur, ut eam patienter perferendo, in bonum totius Corporis Mystici seu Ecclesiae Christi agat, totum Corpus Christi Mysticum perficiat; sicque omnes fideles Ecclesiae infirmitatibus detenti, ministri, servitores Ecclesiae esse possunt, immo eorum infirmitates in bonum totius generis humani redundare possunt ac debent. Quapropter et gaudere debent de vi et valore, de influxu et efficacia infirmitatum suarum.

2. Dolores, tribulationes, passiones, infirmitates, ut pro Apostolo Paulo, ita et pro quovis homine christiano, si propter amorem Dei et hominum perferantur, sunt causa verae laetitiae et felicitatis humanae, verus fons consolationis supernaturalis et gaudii (cf. *2 Cor.* 1, 5-7; 4, 10-17); progressui et bono Evangelii mirabiliter inserviunt (cf. *Phil.* 1, 12-14); sunt velut in-

dicium certum, documentum securum ante tribunal Dei in die iudicii (*2 Thess.* 1, 4 sq.); salutem christianam et caelestem gloriam pro aliis promereri possunt (*2 Tim.* 2, 10).

3. Etiam ex dogmate communionis sanctorum deduci potest utilitas et fructus doloris et infirmitatum, cum ad christianos attinet, et, salvatis salvandis, hoc etiam dici posset de non christianis, dummodo suas infirmitates et dolores pro Deo suo modo ferant.

4. Quapropter Romani Pontifices, praesertim nostrorum temporum, diversas sodalitates coadunatas ut infirmi suos dolores pro Corpore Christi Mystico, quod est Ecclesia, ferant, approbaverunt, atque suis adlocutionibus radiophonicis ad infirmos quaerebant ut suas infirmitates ad hunc finem sustinerent.

Conclusio. In schemate addi debet paragraphus, qua Ecclesia ab omnibus infirmis atque mala valetudine actis petat, ut proprios dolores atque aerumnas Deo offerentes, eos pro bono omnium hominum sustineant.

[*Subscripsit etiam*] L. Manresa Formosa, ep. Quezaltenango.

58

EXC.MUS P. D. CAROLUS MACCARI
Archiepiscopus-episcopus Montis Regalis in Pedemonte

Lectura huius schematis emendati duplicem veluti animi sensum in me suscitavit: sensum videlicet sincerae admirationis ob generosum conatum studiumque inserendi Ecclesiae vitam in contextum vivum eumque saepe dramaticum historiae huius temporis, necnon sensum perplexitatis et angustiae ortae sive ex affirmationibus vel silentiis circa plures quaestiones magni ponderis sive ex ideis audacter novis quae totam constitutionem sustentant et, ut ita dicam, characterizant.

De ideis et principiis quae schema informant in specie, sermo erit durante disceptatione per partes; heic tantum generales aliquae adnotationes humiliter exponuntur.

a) *Ad formam* quod attinet, haec brevissime observare liceat. Cum sermo ad universos homines, etiam non credentes, convertatur eo fine, ut Ecclesiae praesentia ac navitas in mundo hodierno exponatur, « stylus » agilis, nervosus, gustui moderno magis respondens opportune — ut censeo — adhibetur. Versio autem latina — de versione enim agitur ex textu originali in lingua vernacula — omnino desideratur magis expolita, accurata et clara, ne contingat quod mihi legenti pluries contigit, quod scil. ad sensum obscurum detegendum textus latini debui ad textum lingua gallica exaratum recurrere, ibi haud raro inveniens rem veritatemque valde diversas!

b) *Ad substantiam* quod spectat, inter plura quae in tractatione fere encyclopedica notanda essent, haec tantum vestro sapienti consilio submittam:

1. Qualificatio documenti, nempe « Constitutio pastoralis », non plene convincit. Terminus « pastoralis » non solum prima vice adhibetur relate ad « Constitutionis » terminum, qui technicam habet significationem, sed obnoxius est interpretationibus variis et diversis. Ad quamcumque ambiguitatem vel incertitudinem vitandam, nonne opportunum esset indicare claris verbis vim doctrinalem nostrae constitutionis? Quae in relatione (pag. 89) de hac re dicuntur, nimis generica et insufficientia apparent.

2. Quo sensu « mundus » accipiatur, schema emendatum clariore sermone dicit. At dubia, quamvis minora sint, adhuc manent et quidem gravia. Certum est enim generalem « orientationem » textus eiusque « tonum » manifestare grandem admirationem fiduciamque erga mundum, qui proinde fere semper sub aspectu positivo — nempe ut universitas rerum a Deo creatarum et universa familia hominum — inspicitur et accipitur. Hinc « visio mundana » veluti deformata apparet: quia, dum ingenuo quodam enthusiasmo contemplatur atque exaltat lucem valorum mundi et missionem dynamicam « civitatis terrestris », tacet omnino vel debilissima voce loquitur de « tenebris » et « umbra » quae vultum mundi obnubilant quaeque tristes sunt fructus originalis vulneris necnon operosae praesentiae Maligni. Non est quaestio — notandum velim — de visione magis vel minus pessimistica aut optimistica mundi, sed de serena et obiectiva conscientia realitatis, qualis a sacris Litteris indubitanter et constanter describitur, qualis ex cotidiana experientia dolenter comprobatur. Quod Christus et apostoli opponunt — *in* mundo, sed non *de* mundo — componere vel enervare non possumus. Si hoc, etiam intentione sancta, conamur, non solum Ecclesiae detrimentum procuramus, sed veram mundi salutem impedimus. Recta igitur conscientia mali in mundo, quin noceat, favet positivae et operosae navitati christianorum in civitate terrestri.

3. Haec theologia rerum mundanarum, quae in mysterio Incarnationis maxime sanctam Christi humanitatem extollit « positivam » visionem civitatis temporalis in eaque hominis profanam vocationem exaltans, obnoxia videtur tentationibus, quas Christus Dominus post quadragesimale ieiunium in deserto, ad nostram admonitionem atque aedificationem, pati benigne voluit. Ad complendam meam interventionem, tres brevissimas tantum considerationes exponam, quae ut consectaria a supradicta visione mundi derivare videntur:

a) In schemate, sollicitudo Ecclesiae pro mundi hodierni problematibus in primis ac praevalenter attingere videtur exigentias angoresque ordinis oeconomici et socialis, dum rarius et quasi minore intensitate se vertit ad necessitates et angustias, sane gravissimas, ex malo et peccato in humana familia dimanantes; Ecclesia, ut mater caritate Christi plena, certissime condolere debet cum filiis qui pane cotidiano indigent, ast, quum non solo pane vivat homo, in primis condolere debet cum iis qui ignorant, errant, peccant: hoc, sine ullo dubio, primum est et primum stet oportet in eius supernaturali missione in mundo.

b) Schema fiducia grandi scatet erga hominem valoresque mundanos: nonne exaggerata haec fiducia consideranda est et aliquali ingenuitate laborans? Utcumque, exaltatio fiduciae in homine non potest quasi debiliorem reddere sensum fidei in divina providentia, sensum insubstituibilis functionis mortificationis christianae, sensum vitalis momenti communionis nostrae cum Christo; secus praesentia et navitas Ecclesiae in mundo, inclinantes ad quemdam « technicismum » et « naturalismum », extra viam suam abirent.

c) Schema merito fortiterque in lucem ponit Ecclesiam in mundo praesentem esse atque operantem praesertim per filios laicos, quibus speciatim competit officium « consecrationis mundi ». At haec visio, ut ita dicam sanae « laicitatis » non debet esse nec videri quasi minor aestimatio vocationis sacerdotalis ac religiosae: Ecclesiae enim Christi est una — unum corpus — in qua, etsi membra diversas habent mansiones, omnia sub unico Capite sunt a quo vitam attingunt et cum quo uniuntur mediante sacerdotali ministerio, ita ut laici baptizati crescant vel minuant efficacitatem propriae navitatis in mundo iuxta mensuram propriae cum Christo unionis, quae — repeto — voluntate Dei fit mediante munere sacrae hierarchiae.

59

EXC.MUS P. D. VLADIMIRUS MALANCZUK

Episcopus tit. Epiphaniensis in Syria

Multi nunc disserunt de dialogo instaurando cum christianis separatis, cum hominibus bonae voluntatis, cum mundo. Sanae etiam conditiones excogitantur ut talis dialogus efficax evadere possit. Inter tales autem conditiones eminent: sinceritas ab utraque parte in veritate investiganda et mutua comprehensio saltem in fundamentalibus praesuppositis communibus, in loquela.

Iam vero tales conditiones difficulter dari videntur relate ad atheistas militantes cum quibus, vel saltem cum eorum regiminibus Ecclesia nunc dialogum non tantum individualem, sed etiam officialem instaurare intendit, qui tendit ad modum vivendi instaurandum inter Ecclesiam et regimina atheistica militantia.

Quod ad sinceritatem attinet: homines opus habent persaepe veritatem e scoriis (idolis) fallaciorum extricare ... Pro atheistis autem militantibus veritas obiectiva non datur independenter ab homine. Quando ipsi loquuntur, non videntur quaerere veritatem, sed promovere causam et scopum eorum apriori, veritatem suam facientes. En verba prophetae eorum: « Il faut être prêt à tout sacrifier, utiliser au besoin tous les stratagèmes, toutes les astuces, toutes les méthodes illégales, être résolu à se taire, à cacher la vérité, pourvu qu'on réussisse etc. ... ». Et si ipsi invitant aliquando ad collaborandum cum eis, subauditur, collaborandum ad construendam societatem absque Deo, absque religione, societatem materialisticam. Ex textu citato eruitur, quod

ethica eorum est ethica factionis (du parti) et malum est solum omne quod adversatur factioni.

Quomodo ergo in tali conditione dialogus efficax conduci possit absque fiducia reciproca, absque certitudine quod utraque pars sincere loquitur et quod mendacium numquam permittitur, nec in favorem factionis?

Secundo, quod loquelam communem attinet: Verba non habent eundem sensum in mente christiani et atheistae militantis. Ut dialogus inter eos sit possibilis debent primo denuo reperire et definire primarium sensum talium verborum ut: natura, evolutio, homo, societas, libertas, iustitia, pax, Deus... Talis autem apertio sensus verborum non est facilis inter homines qui radicaliter opponuntur, inter christianos et specialem typum humanum qui educatur a regiminibus atheisticis: illi sunt spiritualistae, ipse est materialista, illi credunt in Deum, ut fundamentum omnis iustitiae et iuris, ipse negat Deum, negat animam spiritualem et vitam aeternam, pro quo materia est tota et unica realitas, pro quo tantum illud est bonum et licitum quod factioni favet, etiam mediis illegitimis et violentibus. Christiani sunt pro libertate personae humanae et collaboratione classium, ipse est pro dictatura factionis et pro lucta classium. Christianus est pro libertate religiosa, ipse est quidem in papyro, in charta pro libertate tam religionis quam pro libertate propagandam faciendi in favorem atheismi, sed in praxi est pro lucta implacabili ut omnibus mediis omne vestigium religionis, tamquam opii, vel morbi neurotici eradicetur, uti dicitur in eorum Encyclopedia (sovietica, pag. 268, vol. 38, 1955). Auctor eorum recens (Michel Verret) in libro quodam (*Les marxistes et la religion,* Paris 1961) religionem tamquam morbum neuroticum considerat, de quo fideles « infelices » sunt curandi per hoc quod cogerentur sese in hunc mundum integrare. Non alius est modus loquendi eorum in nostra periodo sic dicta oecumenismi et dialogorum, ut v. g. in diario officiali ministerii pro instructione unius e regiminibus atheisticis militantibus, ex octobre 1964: « formatio convictionum atheistarum apud discipulos constituit partem integrantem educationis... Est praesertim magni momenti ut discipuli sint formati et educati non solum ut fiant simpliciter non credentes, sed ut fiant athei militantes, i. e., addit diarium, athei implacabiliter impugnantes dogmata, opiniones religiosas, traditiones religiosas cum omnibus manifestationibus religiosis... ». Revera quidam atheistae (R. Garaudy, Waldeck-Rochet...) theoretici e regionibus quae non subduntur dictaturae factionis, aliquando laudant valores humanos christianismi, et invitant christianos ad « coexistentiam humanam » uti dicunt, ut in communi actione, non obstante opposita ideologia, bonum humanum simul prosequantur. Sed, proh dolor, uti nuperrime adhuc apparuit e conventu christianorum cum atheistis (Salzbourg) atheistae e regionibus praesertim regiminum atheisticorum reiecerunt talem propositionem collaborationis. Et hoc consequenter. Nam quae de atheismo militante dixi, non est tantum theoria, sed et praxis quae ex ipsis principiis prophetae eorum, supra citatis, aliquando mitior videtur propter opportunismum et resistentiam fidelium.

Sed scopus eorum manet idem: omnem religionem finaliter eradicare non tantum e societate, sed etiam e corde et anima civium.

Ipse em.mus praeses Secretariatus pro Non-Credentibus ex experientia iam testatur contradictionem quandam apparentem inter doctrinam officialem atheistarum regiminum et modum agendi eorum qui saltem pro foro externo videntur concedere aliquando civibus suis credentibus libertatem limitatam religionem aliquomodo exercendi, sed semper cum periculo imminente pro quocumque praetextu vitam christianam fidelium duriorem faciendi, si non impossibilem. Hoc quoad christianos qui apud talia regimina vi constitutionis tolerantur, dum omnes aliae religiones omnino ibi prohibentur et persecutioni exponuntur.

Certo utilis esset dialogus individualis cum atheistis, ut hominibus, sed hoc non sufficit cum agatur de relationibus instaurandis (cum atheistis) inter Ecclesiam ut societatem cum statu et regimine atheistico militante. In ultimo casu agitur de dialogo officiali qui ad aliquem modum vivendi Ecclesiae in tali statu, stabilem, in iustitia et iure fundatum instaurandum agitur.

Ecclesia debet sibi conscia esse magni periculi pro fidelibus a parte atheismi militantis. Et dum tot homines nunc bonae voluntatis aestimant dialogum esse ducendum et non pugnandum cum atheistis, Ecclesia ex sua parte deberet monere quod talis dialogus non est abdicatio, sed clara affirmatio Evangelii. Et ubi Evangelium et Ecclesia vexantur et persecutionem patiuntur tunc talis dialogus includere debet fortem vindicationem libertatis religiosae et reclamationem (protestationem) contra violationem flagrantem iurium primariorum personae humanae et veritatis.

Ideo propono, ut in schemate *de Ecclesia in mundo* ad n. 19 clare conditiones enuntientur sub quibus Ecclesia dialogum et modum vivendi cum regiminibus atheisticis militantibus instaurare intendit. Inter has conditiones sint omnino sequentes: *a*) cessare persecutionem contra religionem; *b*) concedere civibus credentibus veram libertatem religiosam, immo protectionem status saltem in ea mensura in qua protegitur in statu atheistico libertas propagandam faciendi contra religionem, false supponendo omnem religionem et fidem superatae iri per processum historicum.

Experientia teste ex tali dialogo cum atheistis nunc iam incepto semper clarius apparet: verba humana esse inefficacia et confusiones manere inextricabiles. Tunc illuminatio tantum supernae gratiae, Verbum Divinum, ille qui est veritas et via, possunt mentes et corda inclinare in sensum mutuae comprehensionis. Ipse valet atheistis praebere veram responsionem ad eorum iram, scandala, spem et proposita, nempe: iustitiam Dei. Verbum Divinum valet christianis dare prudentiam serpentis ad astutiam propagandae patefaciendam et simplicitatem columbae cum genuino amore erga atheistas-homines.

Quando Christus, Verbum Divinum, voluit efficacem dialogum ducere cum persequentibus eum, ipsi eum crucifixerunt. Nunc autem crucifixa est Ecclesia vexata in suis episcopis, sacerdotibus, fidelibus, redactis ad silentium, ad carcerem, ad martyrium. Forsan talem dialogum atheistae militantes

valent intelligere, i. e., dialogum testimonii, sanguinis, dialogum Crucis. Iis loquendum est in tali dialogo praesertim de vexationibus, et persecutionibus Ecclesiae silentii. Eos aperte interrogandum est: cur talia fiunt inhumana apud eos qui se esse veros humanistas profitentur.

En quae dixi, motus sincero amore erga atheistas, fratres meos humanos, qui etiam fratrem habui germanum atheistam, proh dolor, occisum propter motiva politica et forsan religiosa.

60

Exc.mus P. D. EMMANUEL MARENGO

Episcopus Azulensis

Prooemium, lin. 14. Cum dialogus cum mundo instauretur sub lumine fidei, sola solidarietas humana, sine ulla relatione ad suam communem originem, nempe ad Deum omnium hominum Creatorem et Salvatorem, infirma videtur et quodammodo orbata Patre.

Opus erit apponere fundamentum theologicum huius universalis fraternitatis. Propterea opportunum est addere ad modum sequentiae: « Populus quippe Dei scit omnes homines filios esse eiusdem Patris Creatoris et Salvatoris omnium, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super iustos et iniustos (*Mt.* 5, 45) ac proinde fraternitatis vinculo eos ligatos iucundo animo accipit Ecclesia ».

Historia teste, affirmare possumus hanc simplicem solidarietatem humanam in solvendis problematibus socialibus (nempe, famis, segregationis ratialis, colonialismi, etc.) inefficacem evasisse vel saltem parum adiuvasse.

Pars I, cap. I, lin. 11. Exhibere imaginem biblicam hominis, i. e., hominem ut imaginem Dei, fundamentale est. Attamen haec imago non apparet in textu sufficienter expressa. Oportet eius virtualitatem, quae in descriptione biblica invenitur, melius explanare. Enimvero figura hominis, prout in textu iacet, nihil aliud videtur nisi mera enumeratio biblicorum textuum.

Secundum hanc biblicam notionem hominis, opus est conceptum seu formulationem hominis ut spiritus incarnati elaborare. Hic conceptus exprimere debet visionem integralem totius hominis.

Consideratio analytica (atomizata) uti apparet in hoc primo capite, partis primae: de dignitate corporis humani, de dignitate animae et imprimis intellectus humani, de dignitate conscientiae etc., praeterquam redolet visionem philosophico-scholasticam, pro nostra hac aetate prorsus insufficiens evadit. Quaelibet enim analysis iustificatur in ordine ad aliquam synthesim posteriorem. Divisio alicuius realitatis fit ut melius appareat realitas totalis.

Caput II, lin. 25, sectio 2, pag. 24. Cum adnumerantur mala, quae offendunt aut laedunt dignitatem humanae personae, necesse est in lucem proferre conditiones infra humanas quibus tertia fere pars hominum cruciatur.

Nullo modo Ecclesia silere debet de hac iniustitia sociali, quae clamat in caelum. Libenter recognoscimus hanc aerumnam mundo evenisse aliquando ab ipsa indole et condicione aliquarum gentium, sed principaliter originem ducere a duritie animorum, indifferentia et carentia spiritus verae fraternitatis civium et populorum bona temporalia possidentium. Nullo tamen modo licitum erit hoc factum ignorare. Ideo addenda sunt verba « ut infrahumanae vitae condiciones » post illa « quaecumque humanam dignitatem offendunt aut laedunt ».

Sub n. 28, lin. 20, pag. 24. Post verba « intelligere possumus » addere oportebit: « et etiam, dum possibile sit humanum colloquium instituere ». Caritas mentis continet in se quandam separationem coram adversariis. Credimus approximationem fieri mediante dialogo, nam caritas patiens est, benigna est, caritas non est ambitiosa... (*Cor.* 13, 4). Additur « dum possibile est », quia non semper est locus dialogo, uti optime exposuit Paulus VI in Encycl. *Ecclesiam Suam.* Ad dialogum instaurandum necesse est ut nulla ex partibus illum reiiciat.

Sub n. 37, lin. 11, pag. 25. In fine lin. 11 addere oportet: « immo vero sola damnatio cuiuslibet formae discriminationis ex sese exilis erit, nisi strenue diligenterque quaerantur media necessaria, quibus omnibus hominibus praebeatur occasio ad ingressum vitae humanae et personalis ». Iam a n. 27 practice tractantur hae quaestiones in ordine ad formulationes enuntiandas, ideo aestimamus necessarium non tantum respuere discriminationem, sed praebere solutionem practico-integralem huius problematis. Opus est easdem opportunitates saltem minimas omnibus hominibus offerre ut possint veram et realem aequalitatem iurium et vitae efficaciter attingere; i. e. ut omnes possibilitatem habeant vivendi secundum dignitatem personae humanae, quippe omnibus hominibus ius est et obligatio sese perficiendi.

Nimirum non sufficit praebere occasionem huius realizationis humanae ad integrationem socialem consequendam, leges ferre et segregationem respuere; immo vero requiritur quaedam reeducatio mentis et cordis sub luce caritatis et amoris lege, quae emanat ex Evangelio, nempe e verbis et exemplo Iesu Christi Salvatoris Nostri.

Caput III. Toto hoc capite studium fit ponderabile quidem et profundum circa teleologiam activitatis humanae, prae oculis habendo analysim figurae hominis ut imaginis Dei. Accurate exponit scopum huius activitatis obtineri posse praecipue dominio mundi et subiectione omnium rerum infrahumanarum, non excluso ipso universo et interactiones, quae inveniuntur inter historiam humanam et Regnum Dei, necnon ipsa eschatologiae transcendentia.

Desideratur tamen quaedam consideratio totalis activitatis humanae, quae comprehendit etiam indolem seu adspectum acerbum et onerosum ipsius laboris. Necesse est ostendere clare et distincte valorem hunc in omni activitate humana insitum sub luce crucis Christi, ubi omne sacrificium sensum habet redemptorem.

Ipsemet Christus non dedignatus est manibus suis laborare et panem quotidianum obtinere. Labore, sudore et sacrificio omnes activitates humanas sanctificavit et quod durum et laboriosum erat in fontem laetitiae et gratiae convertit. Praesertim exemplum praebuit nobis in patibulo crucis, ubi maximus labor, i. e. immolatio pro omnium salute, nobilitatem et efficacitatem demonstrabit.

61

Exc.mus P. D. FREDERICUS MELENDRO
Archiepiscopus Nganchimensis

Ad prooemium, pag. 5, n. 2, lin. 27. Sermo est de « mundo » quatenus significat « universam familiam humanam », de quo mundo dicitur: « donec in fine et ipse (hic " mundus ") per fidem salvetur » (cf. *Io.* 3, 17-18). Tale assertum est obscurum et ambiguum, ideoque corrigendum.

a) Est *obscurum,* quia videtur significare « universam familiam humanam in fine tandem, per fidem, salutem obtenturam esse »; quod sapere videtur doctrinam de *sola fide* causa salutis.

b) Est *ambiguum,* quia posset intelligi, sensu *Origenis,* de salute tandem in fine *ab universo genere humano* obtinenda, exclusa aeternitate inferni. In textu autem citato ex *Io.* 3, 17-18, contrarium prorsus eruitur. Nam in contextu 3, 19, sermo est de causa amissionis salutis: « erant enim eorum mala *opera* ». Et in eodem contextu (3, 15-16) bis repetitur alios obtenturos « vitam aeternam », alios vero « perituros », i. e., in aeternum.

Ad partem I, cap. 1, pag. 16, n. 17, lin. 26. Sermo est de amore Deo Creatori debito, et asseritur: « haec amoris ratio eum (hominem) subsistentem facit ». Haec terminologia nequit admitti; nam secundum scholasticam theologiam, ratio quae « hominem subsistentem facere potest, nequit esse aliquid accidentale, ut est amor, sed necessario est quid substantiale ». Ergo haec assertio corrigenda est.

Ad partem I, cap. 2, pag. 23, n. 25, lin. 3. Complendum est assertum huius lineae hoc fere modo: « ... ut *iuxta Dei ordinationem* legitimis personarum postulationibus respondeant. *Divina* enim *ordinatione* subiciendus est ordo rerum ordini personarum, non ordo personarum ordini rerum ».

Hac ratione exprimitur causa praecipua et immutabilis eorum quae asseruntur, i. e. *ordo divinus,* ad quem Ecclesia semper respicere debet, divina enim sapientia « attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter » (*Sap.* 8, 1).

Ad partem I, cap. 2, pag. 25, n. 30, linn. 7-11. Asseritur: « Omnis discriminandi modus, secundum... religionem, damnandus et sensim removendus est, utpote humani generis conscientiae et Dei proposito contrarius ».

Hoc assertum circa *Religionem* sustineri nequit, etsi verum sit circa alia (culturam, stirpem, colorem, etc.) quae enumerantur.

Talis absoluta indiscriminatio secundum religionem solum ab indifferentistis in re religiosa asseri potest. Nam Deus unam solam religionem a Christo promulgatam, discriminatim ab omnibus aliis religionibus, voluit omnibus hominibus praedicari, et praecepit ut ab omnibus sub salutis discrimine amplecteretur. Ideoque haec discriminatio dici nullo potest « Dei proposito contraria » a successoribus Apostolorum, quibus Dominus praecepit: « Praedicate Evangelium omni creaturae: qui crediderit et baptizatus fuerit salvabitur, qui vero non crediderit condemnabitur » (*Mc.* 16, 16). Tandem in tali asserto videtur supponi, aequalia esse iura verae religionis Christi et aliarum omnium religionum falsarum, quod tolerari nequit.

Ad partem I, cap. 3, pag. 32, n. 40, linn. 23-32. Haec supprimenda esse videntur. *Rationes*: *a*) Res vago prorsus modo exponitur: « Quosdam animi habitus ».

b) Nulla apparet utilitas recordationis illarum rerum; nam rudes de iis non curant, neque ad ea bene intelligenda sunt parati; excultiores autem iam sciunt quaestiones illas nullius fuisse momenti ad labefactandam fidem et solum aestu polemico ab Ecclesiae inimicis fuisse exaggeratas, atque iam saepe explicatas fuisse, nam « in adiunctis sui temporis consideratae non ita operose explicantur ». Supposita enim natura Magisterii « mere authentici » (non infallibilis) et eius indole praesertim prudentiali, similia semper occurrere una vel alia forma possunt, sicut in omni humana activitate occurrunt.

c) Haec in documento conciliari memorare in errorem inducere posset, agi de re magni momenti, quam Concilium reparare teneatur; quod quidem periculo non vacat suggerendi hominibus, non satis in theologia excultis, dubitationem aliquam circa factum grave, videlicet, Ecclesiam in doctrina fidei vel morum forte errasse. Ab hac dubitatione suggerenda oportet ut Concilium prorsus abstineat.

Ad partem I, cap. 3, pag. 35, n. 46. Integer hic n. 46 renovatione indigere videtur. Nam etsi vera sunt ea quae in eo dicuntur, Regnum tamen Christi non plena luce sub duplici eius adspectu apparet. Etenim plus aequo humana extollitur persona, et silentio praetermittuntur ea quae ipsemet Christus Dominus, amore quidem ductus hominis, urget, graviter praecipit, comminatur, ut homines timore sano etiam moti, a vinculis concupiscentiarum sese liberent et ad Deum serviendum moveantur.

Igitur Christus, « qui nullius hominis adhaesionem *physice* cogit, *tamen* per Spiritum suum, *non solum* ad ostium cordis nostris stat et pulsat, responsum nostrum exspectans, sed etiam memorat, ipsum hominibus a Patre datum esse utique Redemptorem cui fidant, at una simul Legislatorem cui obediant (Conc. Trident., sess. VI, can. 21: DENZ. 831). Eum autem Evangelia non tam leges condidisse narrant, quam leges condentem inducunt. Iudiciariam vero potestatem sibi a Patre attributam ipse Iesus denuntiavit dicens: « Neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio » (*Io.* 5, 22); in quo id etiam comprehenditur, quod a iudicio disiungi

nequit, ut praemia et poenas hominibus deferat. At praeterea potestas illa, quam exsecutionis vocant, Christo etiam adiudicanda est, utpote cuius imperio parere omnes necesse sit, et ea quidem denuntiata contumacibus irrogatione suppliciorum, quae nemo possit effugere » (PIUS XI, Encycl. *Quas primas*: DENZ. 2195). Divina paedagogia hominem lapsum et « in malum pronum ab adolescentia sua » (*Gen.* 8, 21), suaviter in bonum inclinare satagit benevola et peramanti hac memoria poenarum quae contumacibus imminent. Attamen praeprimis talis est divinus regnandi modus, in spiritu famulatus... ».

Hac ratione indicata manet ratio qua, secundum optata, n. 46, linn. 29-32, perfici ac compleri posset; indicatis etiam fontibus ex quibus haec complementa desumuntur. Hinc patebit Christum quidem nullius hominis adhaesionem *physice* cogere, sed certe, propter amorem erga ipsum hominem lapsum et ad eum adiuvandum ad concupiscentias superandas, multis paternis et iustis modis eumdem hominem moraliter cogere non desinit.

Ideo etiam opto ut in lin. 30 post vocem « adhaesionis » addatur vox « physice ».

62

EXC.MUS P. D. ANTONIUS ROSARIUS MENNONNA
Episcopus Neritonensis

Hoc schema est maximi momenti. Nam in eo argumenta pertractantur quae hominum nostri temporis exspectationi plene respondent; et insuper viae ostenduntur, per quas Ecclesia, in mundo eiusque institutis vel structuris se opportune inserens, mundum et quae in mundo sunt spiritu christiano vivificet ad mundum iuxta mandatum Christi salvandum. Oportuerat fortasse hoc schema unicum totius Concilii argumentum constituere, alios Ecclesiae aspectus in se perstringens, i. e. aspectus et liturgicum et pastoralem et iuridicum-disciplinarem, non tantum ad materiae unitatem assequendam, sed potius ut vox Concilii magis nostri temporis necessitatibus respondens audiretur.

Etiam quoad formam hoc schema multo melius se exhibet quam prius, ita ut quae antea confuse et immature dicta apparuerint nunc autem bene disposita et maturata sunt, vel qui antea fructus acerbus visus sit nunc autem maturus factus videatur.

Si iterum ad schema in tertia sessione Patribus discutiendum propositum hoc novum schema comparatur, alia praerogativa praestat novum, quatenus constitutionem *de Ecclesia* iam promulgatam non ignorat sed potius supponit ipsique inhaeret in quibus inhaerendum erat.

Attamen ut praesens schema perfectius efficiatur, praesertim cum tantae exspectationis sit, non pauca adhuc emendanda sunt, vel magis perspicue exponenda, vel pressius dicenda. Ex quibus aliqua tantum patefacio.

Ad n. 19. Cum de atheismo fit verbum, opportunum est notare etiam in regionibus, in quibus haec pestis grassatur, apud homines saltem culturae studioque deditos ideas adesse atque adspirationes, quae aliqualem similitudinem cum nostra Religione praebent. Quod, dum demonstrat hominem sua natura, interdum etiam inconscie, ad Deum, cuius imago est, tendere, prae oculis a catholicis habendum est, ut utilem dialogum, saltem cum illis qui bona fide atheismum profitentur, instituant, his ideis adspirationibusque, saltem radicitus cum christianismo communibus, obnixi, ut discussionum basi.

Ad n. 17. Hic vel alibi de dolore loquatur, qui tam multos homines angit, eum exhibendo non tantum ut instrumentum expiationis vel purificationis, sed etiam ut utile medium ad characterem vel personalitatem efformandam.

Ad nn. 31 et praecedentes. In hac paragrapho et passim ubique in toto schemate multa pulchre dicuntur quae facienda sunt ad humanas conditiones meliores reddendas per iustitiam socialem, sed nihil omnino dicitur de Ecclesiae studio et de multis operibus in praeteritis saeculis ope Ecclesiae ortis ad socialem progressum promovendum. Multa enim opera et incoepta (iniziative) maximae utilitatis, ut servitutis (schiavitù) eliminatio, ut servorum plebis redemptio in medio aevo, semper ope Ecclesiae pro pauperioribus et infirmorum et debilium auxilio orta sunt.

De his atque de Encyclicis aliisque pontificiis documentis a Leone XIII eiusque Successoribus prolatis ad quaestionem socialem in iustitia et caritate solvendam saltem mentio fiat, ne quibusdam Ecclesia videatur his diebus primum, quasi impulsa ad hoc faciendum a maxime deleteria communismi peste, ista problemata advertisse ad eaque solvenda oculos vertisse.

Ad cap. III, nn. 37-47. Affirmetur hic humanam historiam in christianae salutis historia suum finem attingere atque necessariam integritatem, atque hanc insertionem suae ipsius existentiae esse causam finalem.

Ad n. 53. Revocetur hic, saltem paucis verbis, idea de « mundi consecratione », de qua saepe Pius Papa XII f. r. locutus est.

Ad n. 55. Dicatur ut Ecclesia, sacramentum vivens Christi gloriosi, visibilis fiat formas historicas et culturales suae aetatis induens, et ut, ad se hominibus comprehensibilem reddendam et mundum animandum (per incarnarsi nel mondo), per has formas hominibus loquatur.

63

Exc.mus P. D. THOMAS VILLELMUS MULDOON

Episcopus tit. Fesseitanus, aux. Sydneyensis

Pag. 6, linn. 23 s.: « Idonei auctores... etc. ». *Dedecet omnino* ut Concilium Oecumenicum sic loquatur. Aut facta vera sunt, et tunc nomine ipsius Concilii delineari debent, aut sunt dubia vel falsa, utpote opiniones a qui-

busdam expressae, et tunc omitti debent. Concilium non debet ad opiniones aliorum appellare.

Ergo mutetur omnino modus loquendi in istis lineis adhibitus.

Pag. 17, lin. 10: latinitas valde obscura est. Forsitan melius esset hoc dicere: « Omnis homo, sibi relictus, mysterium sui esse subobscure percipiens, sibi ipsi remanet quaestio insoluta ».

Conceptus pulcher est et verissimus, sed modus exprimendi difficilis est.

Pag. 28, linn. 8 s.: « *Omnes* enim... *iam nunc vitam SS. Trinitatis participantes* ». Haec verba non sunt vera. Melius esset dicere: « ad vitam SS. Trinitatis participandam invitati » (seu vocati). Falsum est quod omnes iam nunc participant vitam SS. Trinitatis.

Pag. 33, lin. 2: « ad eum non attendimus ». Haec verba sunt iniuria innumeris animabus illata quae omni vi et conatu in vita quotidiana ad Deum attendunt. Dicamus igitur: « Sed ad eum haud omnes attendimus »; vel, « relative pauci attendunt ».

Pag. 39, linn. 33 s.: « Quoad Regnum quidem *futurum* est, sed iam in terris *appropinquavit* et propria virtute *in hoc mundo crescit* ».

Videtur adesse confusio magna: Regnum est *futurum,* sed *appropinquat,* sed iam est *praesens* et *crescit!!*

Regnum Dei est praesens in mundo quantum ad primam suam phasim, sed expectat phasim consummativam. Satis est verba Christi Domini citare.

Pag. 41, lin. 39: ut confusio praecaveatur, post vocem « gravi » addantur haec verba: « circa res terrenas » vel alia similia.

Aliqui enim ex verbis in textu inventis concludere possint Pastores confiteri se non esse peritos ad responsa praebenda in rebus ad *religionem* qua talem pertinentibus.

Pag. 41, lin. 40: illud « ipsi » ad quosnam se refert, *Pastores* an *laici*? Ambiguitas adest quae tollenda est.

Pag. 43, lin. 11, loco « theologorum » substituatur vox « Episcoporum » vel vox « Pastorum ». *Ratio*: non pertinet ad theologos tandem diudicare, sub lumine verbi divini, varias doctrinas (seu loquelas) ab hominibus propositas. Hoc munus tandem aliquando ad ipsum Magisterium Ecclesiae pertinet. Hisce nostris diebus satis habetur confusio linguarum theologorum! Cum autem de *iudicio* de doctrinis ferendo, *sub lumine verbi divini,* agitur, tunc iudicium ad Magisterium pertinet, quia, ut hoc Concilium iam statuit, interpretatio verbi divini (quae in hac quaestione essentialiter implicatur) ad ipsum Magisterium solum pertinet.

Pag. 43, linn. 25 s.: « Populus Dei minime ignorat membra sua, sive clericos sive laicos... non semper fuisse fideles ». Salva reverentia, hoc est absurde dictum. Ut pericopes *veritatem,* non phantasiam, exprimat, ante vocem « membra » ponatur vox « plura », ita ut sic legatur: « Populus Dei minime ignorat *plura* membra sua, sive clericos sive laicos... etc. ».

Pag. 43, lin. 35: « Ecclesia... hoc Concilium convocavit ». *Ecclesia* non potest Concilium Oecumenicum *convocare.* Summus Pontifex solus Conci-

lium Oecumenicum convocare potest, uti in constitutione *de Ecclesia* iam statutum est.

Pag. 43, linn. 38 ad pag. 44, lin. 2: Haec pericopes nimis longa, obscura et implicata est, adeo ut vix intelligibilis sit, etiam in versione anglica quam simul legebam.

64

Exc.mus P. D. IOANNES NAVARRO RAMIREZ
Episcopus Civitatis Altamirensis

In prooemium. Simplicius et clarius eluceant sequentia:

1. Ante factum characteristicum et praecipuum celeris et universalis evolutionis tum quantitativae tum qualitativae, mundus huius temporis alicubi desiderat, alicubi benevolus audiet, ubique indiget audire: *a*) declarationem ab ipsa Ecclesia de libertate quaerendi evolutionem quam maximam, *b*) laetum nuntium ab ore ipsius Ecclesiae prolatum: ipsum mundum non iturum esse in ruinam, propter liberam suam evolutionem.

2. Ecclesia ergo mundo: *a*) recognoscere vult libertatem in quaerenda quam maxima evolutione et offerre certitudinem ipsum — sub aliquibus conditionibus — non venturum in ruinam, si rectos conceptus de homine et communitate humana, ab Ecclesia oblatos, teneat; si leges evolutionis iuxta designium Dei cognoscat et servet; *b*) immo, aliquid amplius offert, salvationem totalem, evolutionem perfectam, si ipse in Christum credat.

Etenim, evolutio — sub luce veritatis, iustitiae et amoris — non se opponit fidei in Christum; evolutio est — sub luce visionis christianae de homine et universo — novum signum, per quod Christus inveniri potest; evolutio faciliores et ampliores vias offert evangelio salutis.

3. Citandus et explicandus et applicandus omnino est integer textus *Io.,* 12, 44-50, ubi fundamentum totius huius schematis inveniri potest.

Immo, ex hoc textu desumi potest *Titulus* huius — non tam feliciter dictae — constitutionis pastoralis. Vocari enim potest ex eo quod Christus « *clamavit* et dixit: ... Ego lux in mundum veni... Non enim veni ut iudicem mundum, sed ut salvificem mundum »: « Pastorale *Praeconium* Ecclesiae mundo huius temporis ».

4. Denique, cum christiani ardenter expectent ut Ecclesia eos doceat quomodo debeant se gerere in medio huius mundi qui tam libere, celeriter et universaliter evolvitur, omnino dicendum est: *a*) non tantum eos debere collaborare cum omnibus hominibus bonae voluntatis in aedificanda et perficienda civitate terrestri; *b*) sed quas profundas rationes huius collaborationis prae oculis habere debent, sub quibus conditionibus collaborare possunt et debent, quomodo in concreto, sed potius quaenam criteria clara debent habere ut possint efficaciter evangelizare divitias Christi mundo huius temporis.

Ad partem II, cap. V, sect. 2. 1. Si agendum est de bello vitando, dicendum est de odio et amore.

2. In hac parte, citanda, explicanda, applicanda sunt verba: *a*) *Mt.* 5, 21-22; 38-48; *b*) *1 Io.* 3, 11-18; *c*) *Iac.* 2, 1-4; 4, 1-3.

65

Exc.mus P. D. HANNIBAL MUÑOZ DUQUE

Archiepiscopus Neo-Pampilonensis

1. In n. 27, pag. 24, lin. 3 enumeratur *prostitutio* « inter ea quae dignitatem humanam offendunt aut laedunt ». Validior affirmatio urget ita ut non amplius servitus illa veluti malum necessarium habeatur, reipublicae moderatores officium suum impleant et societas ius ad honorem mulieribus sequioris conditionis vere agnoscat et tueatur.

Ratio: simplici enuntiatione prout in textu voto a pluribus V. Commissioni directo satisfieri non videtur eo quod ullus effectus practicus deduci poterit ad conscientiam individualem simul et collectivam efformandam super hanc speciem servitutis, infandi commercii atque verae exinanitionis humanae dignitatis.

2. In n. 60, pag. 46, linn. 25-26 affirmatur « Accedit in *pluribus* orbis partibus praerapidum incrementum demographicum ».

Loco *pluribus* dicatur *in nonnullis* ita ut formula consona fiat cum veritate enuntiata in n. 96, pag. 76, lin. 2.

Ratio: Concilio non convenit tam apertam atque incertam declarationem proferre dum talis affirmatio velut signum aliquibus inservit ad actionem negativam promovendam ita ut vera suggestio (hispanice « obsesión ») natalium limitationis inducatur.

Meminisse iuvat altam ac firmam sententiam a Summo Pontifice coram Coetu Nationum Unitarum prolatam qua ipse actionem positivam, non vero simplicem limitationem, ad problemata demographica solvenda invocat.

[*Subscripserunt etiam*] A. M. Ocampo Berrio, ep. Tunja; A. Duque Villegas, arch. Manizales; M. A. Builes, ep. S. Rosa de Osos; E. Tota, ep. tit. Cardicio; J. Pimiento, ep. Garzon-Neiva; B. Arango, ep. Barranca Bermeja; A. Medina, ep. Montería; M. Solá, ep. tit. Colofone; J. Giraldo, ep. Pasto; H. Correa Yepes, praef. ap. Mitu; Jesus Coronado Caro, praef. ap. Ariari; G. Garavito, aux. Villavicensio; C. Crous y Salichs, vic. ap. Sibundoy; A. Cuniberti, vic. ap. Florencia; E. Vallejo, praef. ap. Tierradentro; G. Escobar Vélez, ep. Antioquia; G. Posada, vic. ap.; G. Villa Gaviria, ep. Baranquilla.

66

Exc.mus P. D. SIMON HOA NGUYEN VAN HIEN
Episcopus Dalatensis

A) *In genere.* Valde laudanda est intentio schematis « ad universos homines sermonem convertendi ». Talis est Ecclesiae missio ut mundum universum attingendum quaerat, iuxta Christi verba: « Euntes docete omnes gentes ». Optima et utilissima ibi inveniuntur quae adhiberi possunt non solummodo ad instruendos et dirigendos christianos, sed etiam ad non credentes invitandos ut nobiscum colloquentes, efficacia remedia quaeramus contra morbos huius saeculi.

Attamen nobis in regionibus non christianis viventibus ac legentibus, schema videtur potius dirigi ad eos qui sunt imbuti principiis christianis vel saltem cultura occidentali ac parum attendi ad innumeros populos ad quos Evangelium sine eorum culpa, nondum pervenit.

Praeterea, in documentis ad omnes homines dirigendis, nobis videtur terminologiam adhibitam summaria et clara expositione indigere, nam « quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur »: saepae saepius, terminologia christiana a non christianis, occidentalis a non occidentali, aut non intelligitur, aut diversimode sumitur, aut falsae interpretationi subiicitur. Unde si volumus ut alii nostram loquelam in sensu determinato, intelligant, necesse est ut principaliores notiones modo conciso sed claro precisoque exponamus, sic v. g. bonum commune, cultus humanus, ius, officium, vita publica, vita politica, etc.

B) *In specie.* 1. De sensu « Sacri ». Ad colloquium introducendum et continuandum, requiritur ut inter colloquentes inveniatur elementum (terrain) commune. Porro sensus « Sacri » est communis omnibus populis non occidentalibus, immo dici potest universalis, nam quicumque, etiam scientificus homo, in pluribus circumstantiis vitae, suam debilitatem absolutam agnoscere cogitur, at adiutorium alicuius entis superioris quasi instinctive invocare incipit. Alii vero, spiritu cartesiano et excessive critico non imbuti, sese cum aliquo mundo extramateriali continuo coniungi sentiunt, ad cuius animum captandum, benevolentiam obtinendam, iramque placandam, varii cultus ei diversimode offeruntur, eius continuae praesentiae memoria habetur adiutoriumque in principalioribus vitae momentis et etiam in diversis vitae quotidianae activitatibus invocatur, ita ut dici possit sensus « sacri » totam vitam invadat et integrum hominem pervadat. Sacrum dicitur quod est extra et supra profanum ad ordinem superiorem pertinens, homini proximum et activum.

Talis sensus homines praedisponit ad recognoscendum unum Deum omnium creatorem ac providentem et Christum Redemptorem et omnium gratiarum largitorem. Esset optima introductio ad n. 18 De Deo agnoscendo.

2. *De vita aeterna.* In n. 17, pag. 16, lin. 12, schema loquitur de semine aeternitatis. Notio et veritas de vita aeterna sunt evangelicae quas nostri pagani non habent. Hi porro, sicut et christiani, defunctos suos colunt. Talis mortuorum cultus denotat aliquam fidem in vitam futuram quam duraturam exoptant atque perfectibilem (reincarnatione).

Nobis videtur talem cultum animos non credentium facile praedisponere posse ad admittendam doctrinam christianam de vita aeterna. Optandum est ut in schemate post verba « Semen aeternitatis » addantur haec vel alia similia: « quae apud omnes populos mortuorum cultu iam adumbratur ... ».

67

EXC.MUS P. D. PETRUS PARENTE

Archiepiscopus tit. Ptolemaidensis in Thebaide

Schema XIII, quamvis et forma et materia in melius iam redactum, quodam peccato originali inficitur ideoque signum contradictionis factum est, uti in hac aula magis in dies patefit.

Cuius rei causa quaedam ambiguitas esse videtur, quae totum schema perfundit, sive de eo qui loquitur (Ecclesia? Concilium? Populus Dei ...), sive de auditoribus quibus sermo dirigitur, necnon de criterio argumentandi.

Quos defectus sat multi Patres probe detexerunt, opportunis suggestis emendationibus.

Mihi autem satis est aliquot animadversiones Patribus subicere circa primam partem schematis, praesertim vero sub aspectu philosophico ac theologico.

In hac quidem parte, quae potius doctrinalis esse contendit, multa congeruntur, ordine non omnino perspicuo, de homine, de societate, de Ecclesiae missione etc. Finis autem implexi sermonis ille esse videtur ut Ecclesia bene conscia ostendatur de hodierno mundo ac de eius problematibus, eidemque suam doctrinam, legem et gratiam in salutis remedium offerat. Si hoc reapse intenditur, authentica Ecclesiae doctrina genuine et efficaciter exponenda esset. Econtra schematis expositio incompleta ac mutila exhibetur, ita ut praestituto fini impar ac minus apta esse videatur. Quae de homine, de societate, de peccato ac de redemptione dicuntur tamquam disiecta fragmenta apparent acsi organica catholicae doctrinae structura minime comperta habeatur.

Ad modum speciminis haec mihi liceat adnotare.

In cap. I, n. 11 legimus: « homo ... intellectu et conscientia, corde et voluntate praeditus est ». Nescio ex quanam anthropologia textus noster talem hominis descriptionem hauserit, nostra psychologia neglecta. Similiter in prooemio inepte denominantur « mentis et cordis facultates ».

Deinde theologia, quinimmo ipsa S. Scriptura offendi videtur ubi origo generis humani recolitur quin saltem aliquid innuatur de iustitia ac de peccato originali, quae tamen ad schematis scopum apprime conferrent. Nec satis

est de peccato, quod praecipua mundi calamitatum causa est, obiter solummodo loqui hic et in cap. II, n. 22.

In n. 12 corpus hominis imprimis laudatur, at de anima nihil explicite dicitur; in sequentibus sermo fit de intellectu, de conscientia, de libertate, anima vero solum in obliquo nominatur ista obscura phrasi: « supplemento animae » (n. 13, linn. 25-26). Vox anima utique in titulo ponitur, sed tituli non pertinent ad Constitutionem.

Nescio cur schema mentionem animae quasi vitare studeat, uti apparet etiam in citatione sententiae evangelicae, quae apud Matthaeum sic sonat (16, 26): « Quid prodest homini si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? »; similiter apud Marcum. Sed schema praefert Lucam, qui habet: « suipsius vero detrimentum patiatur ».[1]

In n. 14 agitur de conscientia, sed minime patet quonam sensu ipsa sumatur, cum et sensitiva et intellectiva et psychologica et moralis esse possit.

In n. 15 non praecise delineatur conceptus libertatis eiusque exercitii. Non recte asseritur libertatem esse praecellens signum divinae imaginis in homine, cum tale signum intellectus potius dicendus sit, a quo ipsa libertas dependet. Denique plus aequo extollitur libertas humana coram Deo, qui legi suae hominem subicit et quidem cum sanctione aeterna.

In n. 16 agitur de indole sociali hominis et iure ad SS. Trinitatem provocatur; sed statim ista obscura verba sequuntur: « Si homo in terris sola creatura est quam Deus propter seipsam voluerit, idem ex seipso ad alios refertur, ita ut nonnisi se dando invenire se possit ». Quae quidem logice minime cohaerere videntur, cum parum perspiciatur hominem externe ad alios ordinari quatenus propter seipsum a Deo creatus sit.

In nn. 18-19 quaestio ponitur de cognitione Dei ac de atheismo, sed nullum affertur argumentum contra Dei negatores, acsi valida doctrina ab Ecclesia definita non exstaret de Dei cognoscibilitate etiam solo rationis naturali lumine certo actuabili.

Ceteroquin analysis atheismi altius et aptius perficienda esset, attentis recentibus philosophiae lucubrationibus.

Cum autem in permultis regionibus atheismus potestate politica et civili suffultus minacissime flagret cum communismo coalescens, curnam de communismo atheo nihil explicite dicitur, qui maximum periculum mundo incumbit? De temporis praesentis gravibus huiusmodi rebus, sive sub aspectu doctrinali sive in ordine practico, Oecumenicum Concilium aegre silere potest, et si loquatur, non obiter et quasi furtim, sed nervose, clare et accurate loqui debet.

Putaverim mundum non sui ipsius descriptionem ab Ecclesia exspectare, sed potius subsidium, si quod est, ad sua solvenda problemata; quod quidem subsidium Ecclesia revera praestare potest et debet, sincere et impavide

---

[1] Commissio Biblica iubet hanc interpretationem de anima in sensu proprio cf. *EB*, 514.

proferens de ditissimo thesauro suo quidquid ad mundi salutem prodesse noverit.

Denique dolendum est de modo quo schema Christum et Christologiam exhibet. In n. 20 cap. I humanitas Christi ita presse et quasi exclusive indicatur ut totum opus incarnationis ac redemptionis ad ipsam confluere, in ipsa sistere videatur. At sana theologia iure merito docet virtutem salvificam totam ex Persona assumente promanare, quae tamen humanitate assumpta tamquam instrumento coniuncto utitur ad fructus redemptionis et actuandos et communicandos.

Verum est de Christi divinitate sermonem fieri in alio loco (cap. III): sed hac methodo Christologia dismembrata apparet, immo ipse Christus quasi divisus. Quod non decet. Re quidem vera quemadmodum in divino consilio et in ipsa creatione universali Christus centrum est et apex, ita in expositione ac praesentatione, quam de Ipso Ecclesia mundo patefacere vult, centrum occupare debet ita ut integra habeatur visio mysterii incarnationis ac redemptionis, organice delineata.

Haec quaestio de Christi praesentatione omnium potissima est in nostro schemate ideoque accurate peragenda est.

Fortasse opportunum est ea quae dicuntur in cap. I, n. 20 ad cap. III transferre, ubi Christus totus, Deus et Homo, concinne exhibeatur.

Ultimo loco notandum velim mentionem de libertate religiosa in cap. II, nn. 27-28 fieri non posse independenter a schemate speciali, quod adhuc in discussione est. Interim animadverto hic talem libertatem asseri tum quoad homines, quod verum est, tum quoad Deum, quod falsum est. Moraliter enim homo Deo obedire tenetur sub paena damnationis. Ex alio capite reverentia erranti debita in re religiosa non eousque urgenda est ut Ecclesia cohibeatur a missione sua divina absolvenda, quae quidem Ecclesiam iubet animas Christo conquirere, regnum Dei in terris dilatare, praedicando opportune et importune, necnon inquietando conscientias in errore torpentes.

Temporis angustia alia tangere non sinit; at satis sit specimen quoddam styli ac modi dicendi exhibuisse, qui in hac prima parte schematis deprehenditur.

Exinde dicere compellor, cum non paucis qui me praevenerunt Patribus, schema propositum sedula ac sapienti adhuc indigere revisione at elaboratione, ut Oecumenico Concilio omnino dignum evadat atque hodierni mundi exspectationi plene satisfaciat.

68

Exc.mus P. D. IOSEPH EMMANUEL PIÑA TORRES

Episcopus tit. Milevitanus, aux. Tepicensis

Infrascriptus, ep. tit. Milevitanus, aux. Tepicensis episcopi, qua par est reverentia enixe postulat ut, in schemate de quo supra, inseratur nova eaque congrua paragraphus, quae totidem verbis de *Communismo* agat. *Rationes*:

1. Concilia Oecumenica errores crassiores pro tempore serpentes, detegere et proscribere debent. Iamvero: hodiernis temporibus, forma periculosissima et virulentissima sub qua veluti incarnatur et operatur atheismus, est Communismus. Ergo, de Communismo expresse, Concilium *huius temporis* agere debet.

Ex Litteris Enc. *Divini Redemptoris* Pii XI, plurima simul et optima sumi poterunt inserenda quoad substantiam in schemate.

2. Qui persecutionem passi sunt aut patiuntur ex parte Communismi, magnum solatium habebunt, si de Communismo sermo fiat in Concilio. Hoc autem maxime convenit ut Concilium faciat, attento charactere pastorali quo ornatur, uti saepe saepius dictum est.

Ita etiam *factis* Concilium confirmabit quae in n. 8 cap. II schematis *de apostolatu laicorum* adprobata iam fuere, circa opera misericordiae et caritatis. Talia enim opera, « natura sua », « propter ipsius caritatis vividam expressionem », excellere dicuntur aliis duabus speciebus apostolatus in eodem capite memoratis; et ideo tanquam « singulare Christi sigillum », merito laudantur, de eisque dicitur quod « praecipuo honore in Ecclesia habentur ».

3. Silentium Concilii in mente fidelium et non fidelium, aequipararetur tacitae abrogationi eorum omnium quae contra Communismum scripserunt recentiores Summi Pontifices. Ecclesia insuper argui facile posset de opportunitatis studio, de falso timore, de maiore preoccupatione erga iudaeos quam erga proprios filios persecutioni obnoxios.

4. Declaratio circa Communismum, a pluribus hominibus certo certius cognoscetur, si consideretur maxima exspectatio suscitata a Concilio; quo fiet ut Communismus aliquem concipiat timorem ratione opinionis publicae mundialis. Simul etiam dubia, si quae sint (saltem apud homines bonae voluntatis), circa pravitatem Communismi, penitus tollentur.

69

EXC.MUS P. D. IOSEPH POGAČNIK
Archiepiscopus Labacensis

Infrascripti episcopi e Republica Slovenia in Jugoslavia circa problema atheismi sequens votum humiliter exprimunt:

Art. 19, qui de atheismo agitur nobis non obstantibus multis patribus contradicentibus in genere placet. Videtur enim sat sufficienter ad scopum schematis hoc grave problema exponere. Proponimus tamen, ut post lin. 38 sequentia addantur: « Nihilominus omnes eos qui haec systemata asserunt vel sequuntur, Ecclesia sincero amore amplectitur tamquam fratres, pro quibus Christus sanguinem suum effudit, ideo etiam cum iis fraternum et sincerum colloquium instituere cupit. In quo colloquio ipsos imprimis invitat, ut sincere inquirant, num suam contra Deum oppositionem rationibus validis fulcire valeant... ».

Quodsi commissioni nihilominus videbitur textus reficiendus iuxta multa desideria Patrum, humiliter petimus, ut hoc fiat ad mentem expositionis em. card. König, cuius suggestiones nobis praeferendae videntur aliis quae de hoc problemate dicta sunt in aula conciliari.

Ulterius humiliter petimus, ut de Communismo nulla expressa tractatio fiat, sicut quidam patres desiderant. *Rationes*:

1. Phaenomenon communismi altas radices habet in malis nostrae societatis. Quae mala imprimis sananda sunt: scil. renovandus ordo socialis iuxta principia iustitiae socialis. Omnis autem expressa tractatio et nova sollemnis damnatio communismi nullum effectum habebit, sed classi operariorum, qui se oppressos sentiunt, videbitur tueri et defendere ordinem praesentem oeconomicum seu iura *possidentium*.

2. Si in schemate damnabitur communismus, claudetur porta ad faciendum colloquuim cum asseclis communismi et atheismi. Quod colloquium ab ipsa S. Sede feliciter, ut putamus, iam inchoatum, necessario abrumpetur et novae persecutiones erunt expectandae. Bonum Ecclesiae requirit, ut colloquium continuetur, ut ad aliquam tolerabilem « coexistentiam » pervenire valeamus.

[*Subscripsit etiam*] M. Držečnik, ep. Mariborensis.

70

Rev.mus P. D. IOANNES PROU

Abbas superior generalis Congregationis Gallicae O.S.B.

Nemo est qui legat conclusionem (n. 104 ss.) et non videat momentum huius schematis, quod intendit « principia et normas » Ecclesiae praebere ad pastorale munus exsequendum.

Porro, humili meo iudicio, principia haec et normae vitio quodam laborari videntur, quod a modo procedendi oritur, ita ut totum schema periculosam ambiguitatem in pastorum fideliumque mentes inferre possit.

Quaenam sit huiusmodi ambiguitas nunc breviter declarare vellem: schema, ex eo quod methodum sic dictam « phaenomenologicam » adhibet, *libertatis* valorem ceteris valoribus anteponit, ita ut Ecclesiae Magisterium vertatur in meram *historiam* salutis, et doctrina in *dialecticam*.

In expositione enim sua introductiva, schema sibi proponit ut initium ducat ex descriptione experimentali hominis in « mundo hodierno ». « Ita, genus humanum, a notione magis statica ordinis rerum, ad notionem magis dynamicam atque evolutivam transit » (n. 5, pag. 7, lin. 41). Quae notio « dynamica » atque « evolutiva » maxime convenit tali homini qualis a methodo ista phaenomenologica describitur. Hic enim modus procedendi minus ostendit necessariam essentiam vel naturam hominis quam « indolem

dramaticam » (n. 4) eius « qui seipsum perficit » (n. 42) suam existentiam exercendo.

Unde, rursus, istam methodum sequendo, schema infert libertatem esse « praecellentem » (n. 15 et passim) valorem hominis, cuius legitimam autonomiam — i. e. facultatem essendi sibi ipsi propriam suam mensuram — Concilium « servare » debet.

Porro, omne quod ex libertate hominis accidit contingens est, non necessarium. Et ita, factum contingens, i. e. quod possibile est esse et non esse, quatenus tale, praebere nequit universale ex quo normae principiaque doctrinae, etiam pastoralis, inferuntur. Et ideo schema, vestigiis phaenomenologiae inhaerens, non aliam synthesim proponit ac quemdam mere formalem ordinem « significationis », in quo res quaelibet aliis « sensum » praebet. Verba haec, « significatio » scil., « sensus », « signum », « manifestatio », « apparere », phaenomenologiae propria, in oculos incurrunt simul ac prima aggreditur lectio schematis.

Cavere debemus ne immutemus Ecclesiae doctrinam, in schemate saepissime et perlucide propositam, nova dialectica quae *phaenomenologia* dicatur.

Perpendite quam grave periculum incurrit Ecclesia assumendo, immo promovendo, philosophiam omnino alienam a traditione sua theologica. Etsi talis philosophia videtur necessaria, de quo dubitare licet, ad « signa temporum » interpretanda, id declarent Patres ex professo, non occasionaliter subintroducant.

Schema nunc inscribitur « Constitutio pastoralis ». Munus pascendi super germanam traditionem inniti debet. « Pascere » enim « est credentes in Christo, ne in fide deficiant, confortare, quod pabulo scientiae et doctrinae adimplere dignoscitur », ut ait Alcuinus, et, ut asserit S. Ambrosius: « Non in dialectica complacuit Deo salvum facere populum suum ».

71

Exc.mus P. D. IOANNES B. PRZYKLENK
Episcopus Ianuariensis

Infrascriptus episcopus Ianuariensis una cum aliis Patribus conciliaribus

a) considerans ea quae de schemate isto hactenus in aula conciliari sunt dicta;

b) comparans cumulum interventionum, quibus labor quidem immensus, a competenti Commissione, Patrum animadversionibus prioribus haud neglectis, strenue exantlatus, laude et gratitudine dignus est habitus, sed insimul patefacta sunt vehementia desideria, ut scil. prioris praesertim partis thema magis theologicum, profundius, concinnius, Evangelii et Ecclesiae doctrinis facem praeferentibus, evadat;

c) aegre ferens verborum prolixitatem et innumeras rerum repetitiones non tantum in prima schematis parte;

d) evitare volens infinita particularia sive iam exsistentia sive forte accumulanda;

e) textum Concilio magis dignum cupiens quoad linguam et quoad materiae exponendae tam modum quam rationem, vere theologicam, vere evangelicam, quibus dialogus cum mundo huius temporis non quidem in particularibus, sed iuxta normas generaliores solas a Concilio proponendas praeparari queat:

declarat se iis quae in hodierna congregatione generali ab exc.mo ac rev.mo D. A. Bengsch, arch.-ep. Berolinensi, prolata sunt, toto corde et mente adhaerere et ea sua facere.

Imprimis cum oratore enixe rogat, ut

1. schema denuo, iuxta exposita, disponatur;

2. post pauca verba introductoria caput nunc IV ponatur;

3. conceptus mundi evangelice seu biblice fusius et clarius exponatur, quomodo Deus, ex una parte, eum diligat creatione (cf. *Ps.* 8) et redemptione (cf. *Io.* 3, 16 s.; *1 Io.* 4, 14); ex altera parte, filios suos a mundi, totius in maligno positi (cf. *1 Io.* 5, 19), amore arceat (cf. *Iac.* 4, 4; *1 Io,* 2, 15 ss.) et ab eius spiritu amoveat (cf. *2 Pt.* 2, 20; *Col.* 2, 20), ne sint de mundo, licet sint in mundo (cf. *Io.* 17, 11. 14-16; *Io.* 15, 18 ss.), et ad eius conversionem et reconciliationem appetendam (cf. *Io.* 17, 18 coll. 3, 17; *2 Cor.* 5, 18-20) exhortetur, usque dum mundus transeat (cf. *1 Io.* 2, 17) et novi caeli et nova terra secundum promissa divina exspectandi, in quibus iustitia habitat, oriantur (cf. *2 Pt.* 3, 13);

4. deinde, principiis evangelicis clare enuntiatis praesertim cum capitis IV anticipatione, ut dictum est, superflua et prolixa, manibus textui fortiter purgando absque timore illatis, demantur.

[*Subscripserunt etiam*] J. Oblak, ep. tit. Abbiritanus; J. Buchkremer, ep. tit. Aggar; J. Zimmermann, ep. Morombe; N. Geise, ep. Bogor; F. X. Nierhoff, ep. Floresta; J. Weinbacher, ep. tit. Tala; L. M. Janssen, ep. Hildesheim; V. M. Costantini, ep. Suessanus; H. Pachowiak, aux. Hildesheim; E. Schick, aux. Fulda; W. J. Demarteau, ep. Bandjarmasin; J. Hoffmann, ep. Frederico Westphalen; P. Sani, ep. Denpasar; J. H. Romeijn, ep. Samarinda; J. von Rudloff, ep. tit. Busiri; J. Wember, ep. tit. Vasada; Fr. von Streng, ep. Basel; H. Bliestle, sup. gen. M.S.F.

* * *

Em.mus Liénart, pro tempore Concilii Praesidentiae primus, occasione reditus Summi Pontificis in aulam conciliarem post iter ad « Uno », laudabiliter petivit, ut allocutio a Sanctitate Sua coram « Uno » habita actis Concilii insereretur.

Suggestio illa mihi videtur plenum sortitura esse effectum, si allocutio illa nec non verbum ad Patres conciliares post reditum in aula prolatum, de verbo ad verbum, ad instar appendicis, constitutioni *de Ecclesia in mundo huius temporis* addantur.

Etenim non tantum mundus totus sic verba ista admiratione digna et novum quoddam tempus inchoantia prae oculis habebit, sed normae etiam habebuntur clarae dialogi practici cum mundo huius temporis. Utinam preces meae audiantur.

* * *

De titulo. I. Variis in aula interventionibus apparuit titulum *Constitutionis pastoralis* non placere. Aliis non placuit verbum « Constitutionis », aliis vocabulum « pastoralis » displicuit. Nec schema decretum appellari posse alii dixerunt. Alii aliam designationem istius documenti proposuere, puta Constitutionis simpliciter dictae, Litterarum Concilii, Nuntii, vel Declarationis.

Quae cum ita sint, ea qua par est observantia proponere audeo sequentia.

II. Adiectivum « pastoralis » in omni casu dematur. *Rationes*: *a*) Periculum diminuendi valoris documenti quod sane aliis Concilii documentis non est minoris momenti, puta documento de S. Liturgia cui, licet summe pastorali, vocabulum « pastoralis » praefixum non fuit.

b) Periculum multiplicandi sine ratione sufficienti Constitutionum classes. Duae classes nunc exsistentes plane sufficiunt (immo abundant). Denominatio « Constitutionis dogmaticae » a Concilio Vaticano I, ni fallor, inducta est. Constitutiones simpliciter dictae inde a Concilio Lateranensi IV, quatenus sciam, cognoscuntur; quae classis abstrahit a contento sive dogmatico (e. g. Const. Lat. IV, n. 1 *de fide catholica*) sive pastorali strictius dicto (e. g. Const. Lat. IV, n. 21 de confessione et communione) sive iuridico (e. g. Const. Lat. IV, n. 38) etc. Concilii nostri constitutio *de S. Liturgia* ad hanc classem pertinet nec eidem alienus est triplex aspectus, nempe dogmaticus simul et pastoralis necnon iuridicus.

c) Usus exaggeratus vocis « pastoralis » a priori displicet. Memor sum iudicii ab auctore quodam allati: « Aujourd'hui la pastorale est comme la balatum. On la met partout » (J. COPPENS, *Ephem. Theol. Lovanien.* 41 [1965], p. 228).

III. Documentum nomine *Constitutionis* simpliciter dictae honoretur. *Rationes*: *a*) In nostro Concilio documenta maioris momenti *Constitutionis* nomine decorantur, cetera *Decreti* vel *Declarationis* (vel *Propositionum* vel *Voti*). (Iuvat tamen notare, saeculis elapsis, vocem « Decreti » ad res quam maxime dogmaticas et ad alias quaslibet designandas adhibitam fuisse, ut e Concilio Viennensi et praesertim Tridentino elucet. Unde per se usu verbi *Constitutionis* vel *Decreti* nihil quoad documenti momentum vel contentum concludere licet). Cum autem nostri Concilii mens in documentis vario modo designandis manifesta sit, et nemo non videat res in schemate XIII tractatas mereri, ut in documento maioris momenti pronuntientur, aequum et iustum est vocabulum *Constitutionis* in casu adhibere.

b) Nostris temporibus *Constitutio* potius sollemnitatem quandam do-

cumenti ecclesiastici connotat. Id quoque passim a doctoribus docetur. Absonum autem non est, quod documentum quo dialogi cum mundo quodammodo inchoatio seu praelibatio exhibetur, voce *Constitutionis* sollemniter insignitur.

c) Absque dubio nostrum schema XIII multa continet nova (saltem quoad modum doctrinae exponendae), de quibus valere debet quae leguntur in schemate decreti *de institutione sacerdotali,* prooem. lin. 8 ss.: « ... in easque nova inducantur, quae huius Sancti Concilii *Constitutionibus et Decretis...* respondeant ». Utique doleo, quod loco citato non dicitur « huius Sancti Concilii documentis... respondeant », ne *Declarationes* a Concilio forte expediendae excludi videantur; nihilominus e textu citato mens Concilii apparet distinguentis inter Constitutiones et Decreta tantum, non autem admittentis alias designationes, puta *Litterarum.*

d) Siquidem argumenta a quibusdam allata contra titulum *Constitutionis* simpliciter dictae non procedere videntur. Sola superficiali consideratione Constitutionum Concilii Lat. IV, Lugd. I et II, Lat. V, Vat. II (quoad S. Liturgiam) patefit Constitutionis notionem non licere restringere ad res dumtaxat constitutivas quas vocant. Huiusmodi explicatio cohaeret cum modo loquendi mundano qui derivatur a Constitutionibus quas appellant civilibus. E contra, modus loquendi in Ecclesia usitatus vocem Constitutionis etiam ad id extendit quod quomodolibet ab auctoritate competenti pronuntiatur sive iubendo sive disponendo sive decernendo sive docendo sive approbando sive exhortando sive alio modo, uti liquet Constitutionibus Conciliorum supra citatorum. Cf. insuper Ulipian. in Dig. I, 4, 1, § 1.

e) Tituli hactenus propositi non placent. In specie non placet titulus *Litterarum Concilii* — iste titulus vix aptus est; nam clare exprimi oportet eos quos litterae alloquuntur, quod difficulter fieri potest, cum tot sint homines; titulus omnino novus erit, in Conciliis generalibus nondum usitatus; nec iuvat allegare *Epistulas* puta Concilii Constantinopolitani I (cf. Conciliorum Oecumenicorum *Decreta* (sic!), Centro di Documentazione Istituto per le Scienze Religiose, Bologna 1962, pp. 21 ss.) vel S. Cyrilli et Synodi Alexandrinae (*l. c.,* pp. 39 ss.) vel S. Cyrilli ad Nestorium (*l. c.,* pp. 35 ss.). Sunt enim aliquid toto caelo diversum. Praeterea clarissime citantur ii ad quos Epistulae diriguntur.

Nec placet titulus *Nuntii* — magis connotat documentum ut ita dicam transitorium, momentaneum. Consideranti praeterea istum *Nuntium* quem ineunte Concilio nostro Patres conciliares, non autem Concilium qua tale, misit, non placebit in posterum in uno eodemque Concilio duplicem fuisse nuntium, unum nempe, quem Patres conciliares, non autem Concilium dedit, alterum quem ipsum Concilium in mundum misit. Sic erit periculum vel diminuendi valorem Nuntii a Concilio forte dandi vel iniuste augendi valorem Nuntii a Patribus conciliaribus dati. Neutrum arridet.

Etiam titulus *Declarationis* non placet. Haec enim ultimum locum inter documenta nostri Concilii tenere videtur, saltem quoad documenti sollemni-

tatem. Quapropter in casu, ratione habita rerum tractatarum, titulus Declarationis non decet.

Ergo maneat titulus *Constitutionis* simpliciter dictae, dematur vox *pastoralis*.

[*Subscripserunt etiam*] J. Wember, ep. tit. Vasada; H. Bliestle, sup. gen. M.S.F.; J. Zimmermann, ep. Morombe.

72

Exc.mus P. D. IOSEPH RAPHAEL PULIDO MENDEZ

Archiepiscopus tit. Cyrrhensis, coad. c.i.s. Emeritensis in Venezuela

Titulus. Dum vocabulum « constitutio » stabilia, fundamentalia, normas ex altioribus principiis fixas suggerit, « pastoralis » et illud de « mundo huius temporis » mentem dirigunt ad mutabilia et decursu temporis mutanda. Ne igitur immutabilia pro circumstantialibus nec eventualia tanquam fundamentalia sumantur, quam maxime perspicue haec duo distinguantur. Fatendum est textum allatum orbatum esse sufficienti distinctione inter ea quae permanentia diiudicari debent et applicationes practicas decursu temporis semper aptandas. Huic deficientiae provideatur.

Expositio introductiva: De hominis condicione in mundo hodierno. N. 6, pag. 8, lin. 11. Addatur: « Haec conditionum subversio, ineunte automatizatione ac cibernetica, iamiamque ingentior adhuc praevidetur ». *Ratio*: tum automatizatio tum cibernetica mundum huius temporis — praesertim societates industriales — pervadere inceperunt, eorumque influxus sociales ingentiores ab specialistis praevidentur quam influxus industrializationis.

Pars I: De Ecclesia et condicione hominis. Prooemium. N. 10, pag. 12, lin. 7. Post verba « signa praesentiae Dei », addatur « providentis ». *Ratio*: clarius apparebit omnia quae in schemate deinceps dicentur, idem etiam sensus historiae, sub ductu Dei evenire. Universa enim Deus « providentia sua tuetur atque gubernat » (Conc. Vat. I, Denz. 1784).

Cap. I: De humanae personae vocatione. N. 13, pag. 14, linn. 19-23. Omittatur paragraphus « Ceterum, etsi hodierni ... erga plenam dignitatem spiritualem ». *Ratio*: locum logicum obtinebit infra, ad calcem n. 16, pag. 16. Hic non de indole sociali sed de dignitate spirituali loquitur.

N. 15, pag. 15, lin. 19. Libertas definiatur ratione ultimi finis, ut modus scil. proprius creaturarum spiritualium sese in bonum sibi ultimum movendi (cf. S. Thomas, *S. Theol.* I, 83, l. c.; 59, 3; I-II, 13, 6; cf. I, 59, 1). *Ratio*: e hodiernis condicionibus — tum socialibus tum psychologicis — perplures libertatem vel prorsus negant vel male intellegunt (cogita problema saepius agitatum de possibilitate vel impossibilitate culpabilitatis).

N. 16, pag. 16, lin. 10. Addatur, ad calcem, quae supra sub n. 13 (pag. 14,

linn. 19-23) inveniuntur (scil.: « Ceterum, etsi hodierni ... erga plenam dignitatem spiritualem »).

Addatur insuper — praevia condensatione — quae infra, sub n. 35 dicuntur (pag. 28, linn. 3-16: de fundamentis theologicis vitae socialis). *Ratio*: hic est earum notionum locus logicus.

N. 20, pag. 18. Huc transferatur — summatim — quae infra, sub n. 36 (pag. 28, linn. 17-32: Verbum Incarnatum et coniunctio humana). *Ratio*: hic est locus logicus.

N. 20, pag. 18, lin. 39. Loco « itaque », substituatur « insuper ». *Ratio*: ea quae dicuntur, ex praecedentibus non concludunt.

Linn. 39-40. Ampliore sermone et argumentis theologicis evolvatur haec idea, praesertim quod attinet ad problema doloris. Prae oculis habeantur non tam dolores Christi quam sensus dolorum nostrorum (en problema homini hodierno). Hoc autem fieri potest sub lumine *Gal.* 2, 20 (« Vivo ego, iam non ego, Christus vero in me vivit ») et *Col.* 1, 24 (« Adimpleo in carne mea [= in me] ea quae desunt passionum Christi, pro corpore eius quod est Ecclesia »): hinc enim exsurgit valor redemptivus dolorum nostrorum, utpote qui a Christo Domino assumpti, ipse Christus in nobis patitur et mundum redimit. *Ratio*: celsitudo vocationis hominis — de qua agitur in hoc capite — in clariore luce ponitur. Insuper, via paratur ad ea quae dein dicentur et sacrificium proprii egoismi exigunt.

Cap. II: De hominum communitate. Sectio I: De principiis fundamentalibus. N. 22, pag. 21, lin. 28. Ubi dicit: « Iamvero ubi ordo », dicatur: « Ubi enim ordo ». *Ratio*: e latinitate. Non enim disiunctio introducitur, nec « minor » syllogismi enucleatur, sed simpliciter ea quae in linn. 25-28 dicuntur explicantur.

N. 22, pag. 21, linn. 31-34. Omittere a « Quamobrem homo » usque ad « fundamentum exstruat ». *Ratio*: haec veluti conclusio non respondet titulo n. 22 (de interdependentia humanae personae et humanae societatis).

Nexus latet inter prius dicta et postremam paragraphum (scil.: quod homo Dei donis etiam indigeat « ut civitatem terrenam super solidum iustitiae et caritatis fundamentum exstruat »).

N. 23, pag. 22, linn. 8-9. Intercalare paragraphum quae sub n. 25 (pag. 22, linn. 32-38) invenitur (scil., ab « Exinde patet » ad « obtemperare possint ». *Ratio*: est ordo logicus. Vitatur mixtio principiorum cum eventualibus (cf. observationes ad titulum).

N. 24, pag. 22, lin. 26. Post « ad vitam privatam protectionem », addatur « ad libertatem religiosam ». *Ratio*: res tam magni momenti — obiectum alicuius declarationis conciliaris — praetermittenda non videtur in huiusmodi enumeratione. Cohaerentia Concilii secumipso, hoc postulare videtur.

N. 25, pag. 22, linn. 32-38. Omittere (scil. transferatur ad n. 23; cf. supra). *Ratio*: huius paragraphi locus logicus est dimidiato n. 23. Affirmatio a lin. 39, totam suam vim acquirit si immediate post lin. 31 venit.

N. 25, pag. 22, lin. 39. Nisi interpolatio fiat linn. 32-38 post lin. 8

— prout supra suadetur —, loco vocabuli « necessario » dicatur « convenienter ». *Ratio*: argumenta prolata non concludunt ad « ordinem socialem *necessario* in dies evolvi », sed tantum quod « *oportet*... ut incessanter... etc. » (ib., pag. 23, linn. 2-3).

Sectio 2: De viis sequendis. N. 27, pag. 23, lin. 40. Loco vocabuli « mutilationes », dicatur « sterilizatio ». *Ratio*: non quaelibet mutilatio « humanae personae integritatem violat » (ibid.), sicut v. g. chirurgicalis interventio vi principii totalitatis. E contra vero sterilizatio.

N. 29, pag. 24, linn. 27-41. Brevius condensetur. *Ratio*: illatio idearum infirmatur tam longa disceptatione de amore inimicorum.

N. 31, pag. 25, lin. 29. Loco « ingentes », substituatur « iniustae ». *Ratio*: inaequalitates, saltem culturales, semper erunt « ingentes »; attamen non necessario « scandalum movent »: possunt enim a capacitate intellectuali uniuscuiusque pendere.

N. 32, pag. 26, lin. 25. Omittatur verbum « extremam ». *Ratio*: Multo ante quam aliquis « in extremam incidit egestatem », iam eius « libertas debilior fit et quasi exstinguitur » (quando, scil. conditiones socio-oeconomicae exercitium libertatis coarctant, ut puta si quis magno ingenio capacitate intellectuali praedito, ob penurias oeconomicas scientiarum studio vacare nequit).

N. 34, pag. 27, lin. 26. Loco « magni animi sint », dicatur « psychologice ac spiritualiter adulti sint » (vel quid simile). *Ratio*: « Magni animi esse », ambiguitate laborat. Vernacula lingua verti potest per « mucha esperanza o confianza », vel « fuerte personalidad » (ubi « fuerte » idem sonat ac « formada » sed etiam ac « dura, difícil », etc.

N. 35, pag. 28, linn. 3-16. Summatim, transferatur ad n. 16 (pag. 15 s.). *Ratio*: Illic est locus logicus. Mirum est fundamenta theologica inter « vias sequendas » adnumerari ...

N. 36, pag. 28, linn. 17-32. Summatim, transferatur ad n. 20 (pag. 18). *Ratio*: hic est ordo logicus.

Cap. III: Quid significet humana navitas in universo mundo.

N.B. Super capitibus III et IV huius primae partis schematis omnia quae animadvertenda veniunt ad tria reduci possunt, vid., ad mixtionem, omissionem et repetitionem.

Quoad mixtionem. Agendo de valore navitatis humanae qua talis, miscentur quaestiones quae ad valorem subiectivum moralem vel meritorium vitae aeternae pertinent (v. g.: n. 38, pag. 30, lin. 26; n. 39, pag. 31, linn. 31-38).

Loquendo de munere Ecclesiae in mundo hodierno, quaestiones miscentur quae potius ad valorem navitatis humanae pertinent (v. g.: n. 50, pag. 39, linn. 10-22; n. 52, pag. 40 s., integre).

Quoad omissionem. Valor navitatis humanae reponitur in cooperatione cum Deo creatore, praetermisso valore redemptivo.

Nexus civitatis terrestris cum Regno proponitur ad modum alicuius pii exempli (n. 43, pag. 33, lin. 41), praetermittens momentum similitudinis et

imaginis in theologia christiana, alibi recognitum a Concilio, scil. loquendo de persona humana, in n. 16, pag. 15, linn. 36 ss.

Quoad repetitionem. Minoris momenti diiudicandae sunt repetitiones, nisi illationem idearum perobscurent.

In sequentibus, fere mera nova paragraphorum ordinatione, in emendationem tum mixtionum, tum omissionum, tum repetitionum, connitemur.

N. 38, pag. 30, linn. 25-26. Deleas « si recte ordinatur ». *Ratio*: etiam si non recte ordinetur (v. g. ex errore vel limitatione humana), « Dei voluntati respondet » (ib., lin. 26). Nonne etiam agitur de navitate omnium hominum « sive in Deum credant sive non credant » (n. 37, pag. 30, lin. 2)? Nonne omnis « homo mandatum accepit ut terram sibi subiiceret, etc. » (n. 38, pag. 30, linn. 29-32)?

N. 38, pag. 30, lin. 26. Post « haec navitas », addatur: « obiective (vel « in seipsa ») considerata ». *Ratio*: problema ponitur de valore obiectivo navitatis humanae, independenter a suo valore sive subiectivo morali sive meritorio vitae aeternae, sicut ab actione gratiae Dei. Agitur enim de sensu navitatis hominis etiam pagani vel peccatoris, ut, puta, conatus quibus etiam paganus vel peccator « conditiones vitae socialis meliores reddere » (ib., lin. 25) aggreditur.

N. 38, pag. 30, lin. 28. Addatur: « Deus enim noluit ut vacua essent sapientiae suae opera » (e lin. 34 hic transfertur). *Ratio*: quae sequuntur, hanc ideam evolvunt et explicant.

N. 38, pag. 30, lin. 29. Loco « Ad imaginem enim Dei », dicatur: « Quapropter, ad imaginem Dei ». *Ratio*: induit modum quo Deus providit « ne vacua essent sapientiae suae opera » (ibid.).

N. 38, pag. 30, lin. 34. Omittatur. *Ratio*: transfertur ad lin. 28.

N. 39, pag. 31, lin. 23. In fine, addatur: « Unum tamen manet omnino necessarium ... (usque ad:) Christus autem Dei » (linn. 31-38, demptis clausula lin. 33 et vocabulum « veraci » lin. 34). *Ratio*: est locus logicus.

N. 39, pag. 31, lin. 27. Omittatur nota 7. *Ratio*: textus Romani Pontificis de inserviendis fratribus sermonem facit, non vero de excolendo mundo.

N. 39, pag. 31, lin. 29. Loco « divinae doctrinae », dicatur: « divini consilii ». *Ratio*: conformius est veritati rei.

N. 39, pag. 31, lin. 33. Omittatur: « secundum mentem Creatoris ordinentur ». *Ratio*: utpote quod agitur de valore obiectivo navitatis humanae (cf. supra ad n. 38, pag. 30, lin. 26), dummodo dentur ceterae conditiones quae in textu indicantur (linn. 34-36), necessario « secundum mentem Creatoris » ex seipsis ordinantur.

N. 39, pag. 31, lin. 34. Omittatur vocabulum « veraci ». *Ratio*: vocabulum ambiguitate laborat (scil.: verum obiectivum vel subiectivum?).

N. 39, pag. 31, linn. 31-38. Omittatur (i. e.: transferatur — modificationibus propositis — ad calcem lin. 23). *Ratio*: illuc est locus logicus. Insuper clariore luce apparent ea quae dicuntur initio n. 40.

N. 40, pag. 31, lin. 39. Omittatur: « 40. [De rerum terrestrium autono-

mia] ». *Ratio*: quae sequuntur, logice pertinent ad n. 39, et locanda sunt post lin. 30 ipsius pag. 31.

N. 40, pag. 32, lin. 3. Hic transferatur numerus et titulus: « 40. [De rerum terrestrium autonomia] ». *Ratio*: est locus logicus.

N. 40, pag. 32, lin. 40. In nota 11, addatur *Rom.* 1, 19 s. *Ratio*: textus paulinus explicite affirmat ea quae in lineis superioribus dicuntur, et quidem « ex parte hominis » (quod deest in textu citato).

N. 40, pag. 32, linn. 41-43. Vel omittere textum Indii, vel in fine lin. 43 addatur: « Et ipse Paulus scripsit: Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis » (*Rom.* 1, 21-23). *Ratio*: non modo testimoniis profanis arguendum videtur ...

N. 40, pag. 33, ante lin. 3. Mutandus est ordo numerorum sequentium, prout indicabimus. *Ratio*: aspectui redemptivo humanae navitatis providere; mixtionem vitare; repetitiones eludere. Cf. supra, notam ad cap. III.

Ordo propositus, est sequens (additis paucis modificationibus): 1) n. 50, pag. 39, linn. 10-22; 2) n. 51, pag. 39, linn. 24-27; 3) n. 52, pag. 40-41 (integre); 4) nn. 41-49 (integre); 5) quae desunt n. 51; 6) n. 53, etc.

Modificationes proponuntur sub unoquoque numero actuali.

N. 41, pag. 33, lin. 3. Loco « 41. [De ratione inter humanam actionem et Regnum Dei] », dicatur: « 43. De ratione inter humanam actionem et Regnum Dei eschatologicum ». *Ratio*: quoad n., novus ordo suggeritur (cf. supra). Quoad additionem vocabuli « eschatologicum »: accuratius praecingitur quaestio de relatione humanae navitatis cum ultimo historiae termino. De cetero, totum cap. III agit de ratione inter decursum humanae historiae et Regnum Dei iam in mysterio praesens (n. 43, pag. 34, linn. 16 s.).

N. 42, pag. 33, lin. 24. Mutetur n.: loco 42, legas « 44 ». *Ratio*: novus ordo, magis logicus, supra propositus est.

N. 42, pag. 33, linn. 23-24. Omittatur « Sic ex talentis suis fructum afferens, homo ut servus bonus et fidelis Evangelii, mercede dignus est ». *Ratio*: agitur de hominis activitate qua tali, et qua talis activitas hominis non est mercede digna (Requiritur gratia: C. Trident., DENZ. 809, etc.).

N. 42, pag. 33, linn. 23-36. Huic paragrapho alia praecedat qua ostendatur quomodo etiam in ordine mere humano humana navitas hominem perficiat. *Ratio*: *a*) Clarius appareat discrimen inter valorem obiectivum et valorem meritorium actionis humanae (prout iacet, textus linn. 15-36, permiscet utrumque aspectum). *b*) Labor humanus obiective sumptus, scil. simpliciter ut est humanus, gaudet valore etiam respectu Regni Dei, nam: consilio divino obtemperat (n. 38, pag. 30, linn. 29-32; n. 39, pag. 31, linn. 15-22), ad hominis incrementum confert (n. 39, pag. 31, lin. 22), et cooperat quasi socio cum Deo creatore (ibid.) ac redemptore. Hisce vero lineis schematis, prout iacent,

valor terrestris navitatis humanae iniuriose restringitur navitati quae fiat in gratia.

N. 43, pag. 33, lin. 37. Mutetur n.: loco « 43 », dicatur « 45 ». *Ratio*: suggestus ordo servetur.

N. 43, pag. 33, lin. 41. Loco « non dubitat quin civitati terrestri exemplum proponat ipsius Civitatis », dicatur: « non dubitat quominus civitas terrestris imaginem exprimere debeat ipsius civitatis ». *Ratio*: ne humanae navitatis nexus cum Regno reducatur ad piam comparationem, sed e contra ad theologicam notionem imaginis extollatur (cf. N.B. ad cap. III harum animadversionum).

N. 43, pag. 34, linn. 2-3. Loco « Item recta socialis corporis ordinatio iure cum Corpore mystico comparari potuit », dicatur: « Propterea de recta socialis corporis ordinatione, etiam aliqua ratione dici poterit quod de Christi corpore mystico ». *Ratio*: sunt verba ipsius Romani Pontificis in nota 17 relata, quae non modo non obnubilant notionem imaginis, sed eam in lucem ponunt.

N. 44, pag. 34, lin. 18. Loco « 44 », inscribatur « 46 ». *Ratio*: ordo propositus.

N. 45, pag. 34, lin. 37. Loco n. « 45 », legatur « 47 ». *Ratio*: suggestus ordo hanc mutationem requirit.

N.B. Prout iacet, textus schematis, loquendo de navitatis humanae ratione, hucusque nondum egerat de Redemptione. Sed insuper nec in hoc loco agitur sub angulo participationis humanae navitatis in opere redemptivo.

N. 46, pag. 35, lin. 15. Mutetur n. « 46 », pro « 48 ». *Ratio*: est ordo propositus supra.

N. 46, pag. 35, linn. 17-19. Substituantur verba « Ecclesia ... persequitur ... », per « christiani ... persequuntur ... ». *Ratio*: nondum de Ecclesia sed de hominibus agitur. Quod attinet ad Ecclesiam, iisdem verbis dicitur sub n. 51, pag. 40, lin. 4 (proprio loco).

N. 47, pag. 35, lin. 36. Pro n. « 47 » ponatur « 49 ». *Ratio*: cf. ordinem suggestum.

Cap. IV: De munere Ecclesiae in mundo huius temporis. *N.B.* Prout supra dictum est (cf. *N.B.* ad cap. III), quaedam ex hoc cap. IV ad cap. III transferenda videntur. Inde sequitur parca mutatio inducenda esse in paragraphos, ut illationi idearum obtemperetur.

N. 48, pag. 38, lin. 1. N. « 48 » mutandus pro « 50 ». *Ratio*: ut servetur ordo suggestus.

N. 49, pag. 38, lin. 15. Loco n. « 49 », supponatur « 51 ». *Ratio*: iteratur quaestio de ordine proposito.

N. 49, pag. 38, linn. 28-30. Omittatur paragraphus ille: « Semper enim homo scire desiderabit, saltem confuse, quae sit significatio suae vitae, sui conatus, suae mortis ». *Ratio*: inutilis est repetitio eorum quae dicta sunt sub n. 37, pag. 30, linn. 1-5.

N. 49, pag. 38, lin. 30. Substituatur « haec problemata » pro « hoc problema ». *Ratio*: praecedens emendatio hoc exigit.

N. 49, pag. 38, lin. 32. Supponatur « huic quaestioni » loco « his quaestionibus ». *Ratio*: praecedens emendatio.

N. 50, pag. 39, lin. 7. Loco « 50. [Ordo redemptionis ordinem creationis assumit] », inscribatur: « 52. [De missione universali Ecclesiae] ». *Ratio*: ob ordinem propositum, fere omnia huius numeri ad cap. III, novo n. 41 transferenda sunt.

N. 50, pag. 39, lin. 10. Post vocabulum « efficitur », nova paragraphus constituatur, sic « 41. [Ordo redemptionis ordinem creationis assumit]. Fides insuper nos docet Deum qui novissimis temporibus in Verbo incarnato se revelavit, ipsum esse ... » (etc., usque ad lin. 23 inclusam).

Parvis iis mutationibus introductis, a lin. 10 usque ad 23 omnia transferantur ad cap. III, post n. 40, pag. 33. *Ratio*: omissioni valoris redemptivi humanae navitatis providetur (cf. *N. B.* ad cap. III, harum animadversionum).

N. 51, pag. 39, lin. 24. Omittantur sequentia: « 51. [De missione universali Ecclesiae]. Imprimis, cum ordo », et loco horum verborum dicatur: « Cum enim ordo », et sequatur textus prout iacet usque ad finem numeri 51 (pag. 40, lin. 17). *Ratio*: est exigentia ordinis novi.

N. 51, pag. 40, lin. 5. Loco « ad nullam alligatur particularem cultus humani formam aut systema politicum », inscribatur: « ad nullum alligatur particulare systema politicum ». *Ratio*: quod in textu dicitur de cultura, *proprio loco* (scil. n. 70, pag. 54, linn. 37-38), pulchrius et *accuratius* iteratur, scil. Ecclesia ad nullam culturam « exclusive et indissolubiliter » alligatur: his adverbiis omissis — uti fit in n. 51, pag. 40, lin. 5 —, nimis affirmatur: Vetus enim Testamentum aliquomodo alligatur ad culturam hebraicam, et Novum Testamentum ad formas mediterraneas.

N. 52, pag. 40, lin. 18. Loco « 52. [De unione inter fidem et vitam concretam] », legatur: « 42. [De unione inter fidem et vitam concretam]. Imprimis, cum ordo redemptionis ordinem creationis comprehendat, res universae omniaque problemata humana necessario rationem habent ad Redemptionem » (et sequatur: « Alterum consectarium, haud minoris momenti ... » etc., prout est in textu, usque ad finem n. 52 (pag. 41, lin. 18).

Supradictis mutatis, totus hic n. transferatur ad cap. III, post novum n. 41. *Ratio*: subvenitur omissioni valoris redemptivi navitatis humanae (cf. *N. B.* ad cap. III, harum animadversionum).

N.B. Translationes quae proponuntur ex cap. IV ad III, praeter memoratam omissionem emendare, vitant etiam mixtionem eorum quae pertinent ad valorem humani laboris cum iis quae potius respiciunt ad Ecclesiam « quatenus ut visibilem communitatem in hoc mundo exsistentem » (n. 48, pag. 38, linn. 4-5).

Insuper, non loqui de Redemptione in capite de valore navitatis humanae et explicite loqui de Redemptione in capite de Ecclesia in mundo huius

temporis, videtur innuere inter navitatem et historiam humanam, distinctionem quae et non facile probari potest, et theologiam historiae vel terrestrium activitatum perobscurat.

N. B. 2. Paragraphi et numeri quorum translatio ex IV ad III caput suadetur, multa continent quae repetunt nn. 45-47: Hi postremi numeri brevientur.

73

Exc.mus P. D. SANCTUS QUADRI

Episcopus tit. Villanovensis, aux. Pineroliensis

Innanzitutto una lode ai Padri e ai Periti che hanno preparato il testo a tappe forzate, cominciando dal testo pronto il 25 maggio 1963 (nove giorni prima della morte di Papa Giovanni) fino al testo attuale.

Molto volentieri mi associo alle dichiarazioni di coloro che hanno affermato la grandissima utilità dell'aver proposto un'antropologia e cosmologia cristiana e il problema del rapporto tra la Chiesa e tutto l'ordine temporale; sacerdoti e laici hanno quotidianamente bisogno di queste grandi idee.

1. Lo stile è certamente adatto agli uomini dei nostri tempi; si dica però espressamente, per esempio *al n. 2 del testo conciliare* (e non soltanto nella relazione), che la dottrina teologica viene esposta con *stile moderno.*

2. Per le traduzioni, data la grande imperfezione delle attuali, propongo che siano per tempo nominate delle commissioni composte da vescovi e periti ecclesiastici e laici che hanno collaborato alla preparazione del testo.

3. *Il modo di procedere* dovrebbe, come da parere comune, partire dalle cose più semplici di ordine naturale per arrivare alle idee più alte della Rivelazione. Tutta la verità cristiana quindi va proposta in maniera più intellegibile.

4. Perché il testo sia più completo nella esposizione della dottrina sarà bene introdurre non soltanto una maggiore trattazione del peccato ma anche uno sviluppo più ampio del concetto di provvidenza.

Un altro punto da tener presente è il problema della gerarchia dei valori sul quale tornerò tra poco.

5. Lo schema è stato accusato di ottimismo. La Chiesa deve essere realisticamente ottimista perché tutta la sua attività si rivolge all'uomo creato da Dio, caduto nel peccato ma redento da Cristo e perché vuol parlare ad uomini vivi.

Appunto perché ottimista, la Chiesa deve parlare del peccato. Come Gesù anche la Chiesa si trova nel mondo per salvare gli uomini dal peccato e per portarli alla vita.

Bisogna dire che soprattutto nella seconda parte ogni capitolo comincia con l'esposizione degli elementi positivi e negativi che si trovano nella situazione moderna. La stessa cosa si verifica nell'esposizione introduttiva.

Indubbiamente la prima parte può riservare uno spazio più ampio alla dottrina del peccato e soprattutto al mistero della Croce in tutta la sua ampiezza.

Mi permetto dare qualche indicazione su come può essere proposta la dottrina cristiana al riguardo.

Le realtà terrestri quando rimangono entro i confini dell'ordine divino sono dei valori, dei beni effettivi; non sono ambivalenti. È l'uomo libero che può usare bene o male di questi valori o beni incompleti e relativi facendone dei valori assoluti, sia perché qualche volta ignora i valori più alti, sia perché spesso teme o rifiuta i sacrifici che il conseguimento dei valori superiori richiede.

Fa molto bene il testo a proporre ottimisticamente la bellezza della verità; ma non bisogna dimenticare la natura redentiva dell'Incarnazione. Per questo bisogna condurre gli uomini a comprendere esattamente la verità ma anche a comprendere la logica della mortificazione e del sacrificio nella luce del mistero della Croce.

Ogni giorno gli uomini, nelle cose e nelle istituzioni temporali, esperimentano e accettano i sacrifici necessari per il conseguimento dei loro fini temporali.

Ogni giorno gli uomini esperimentano dentro di sé e fuori di sé il male.

Non è quindi difficile cominciare da questa logica che gli uomini facilmente comprendono e praticano per condurli a capire e ad accettare la stessa logica nelle cose spirituali alla luce del mistero della Croce.

Dopo queste considerazioni il testo dovrebbe apertamente affermare la necessità non solo delle riforme ma anche che le riforme vengano attuate con il concorso di tutti e che gli uomini vengano contemporaneamente educati al buon uso delle conquiste temporali; il che significa educare in concreto alla gerarchia dei valori e all'esercizio della mortificazione.

Il posto più adatto per sviluppare queste considerazioni ritengo possa essere o il capitolo primo o il capitolo terzo.

Osservazioni ai singoli punti. Al n. 25, pag. 23, righe 4 e 5: occorre specificare meglio che cosa si intende per *ordo rerum;* la persona infatti deve accettare tante cose ...

N. 25, pag. 23, righe 6 e 7: specificando che cosa si intende per ordo rerum apparirà l'utilità o no dell'esempio del sabato.

N. 40, pag. 32, riga 12: non si possono mettere sullo stesso piano le leggi fisiche e sociali senza specificare che cosa si intende per leggi sociali.

74

EXC.MUS P. D. CAROLUS ROSSI

Episcopus Bugellensis

Praemitto schema constitutionis pastoralis *de Ecclesia in mundo huius temporis* absque dubio admirationem mereri et maximis laudibus esse dignum: in omnibus enim rebus quae ad rem pertinent sanam et apertam doctrinam enuntiat, opportuna ratione habita de conditionibus et exigentiis nostri temporis. Attamen haec quae sequuntur mihi animadvertere liceat:

1. Schema mihi videtur nimia prolixitate laborare, sive quia nonnulla fastidiose repetuntur, sive quia non pauca ad praedicationem vel scholasticam instructionem magis quam ad documentum conciliare spectant.

2. Forsitan tria prima capita utiliter et opportune reduci possunt ut constituant quasi prooemium capitum sequentium.

3. Minuta immoratio de rebus valde particularibus magis sapit quamdam casuisticam quam principiorum doctrinalium expositionem, unde efficitur ut doctrinae processus gravis evadat.

4. Denique non pauca obiici possunt de forma latinitatis. Difficillimum sane est novas res novosque conceptus classicis verbis exponere; sed non raro videtur locutio nobiliore forma emendari posse.

His positis, si generalem sententiam promere licet, nonne melius schema quasi declaratio vel instructio Concilii proponeretur, potius quam ut constitutio conciliaris?

75

EXC.MUS P. D. ANTONIUS SAMORÉ

Archiepiscopus tit. Ternobenus

Nonnullas emendationes proponere velim, iuxta modos qui sequuntur.

Modi generales: textus totius constitutionis multo brevior fiat et, si possibile, spiritu supernaturali magis imbuatur.

Modi particulares: Pars I. Pag. 13, lin. 18 ... *primario* instituta...

Pag. 14, lin. 4 ... imperio inservire, *auxilio gratiae divinae* cogat. Lin. 40 ... *Suae* vero *animae* detrimentum.

Pag. 15, lin. 23 ... et mere *coacte* prostratos (quia timor simpliciter servilis est aliquid bonum). Lin. 40 ... quomodo *vestigium* eius (SS. Trinitas non agnoscitur naturaliter, et proinde non manifestatur per creationem tanquam signum).

Pag. 16, lin. 20 ... per peccatum *originale*.

Pag. 17, num. 19: addatur explicita condemnatio Communismi.

Pag. 24, lin. 13 ... non per *coercitionem* imponitur.

Pag. 32, lin. 15 ... secundum *veritatem* et normas.

Pag. 39, lin. 19 ... totam assumpsit *naturam humanam,* corpus et animam (non est rectum dicere quod Christus assumpsit hominem).

Pag. 43, lin. 25 ... ignorat *quaedam e* suis membris.

76

Exc.mus P. D. ANTONIUS SANTIN

Archiepiscopus Tergestinus et Iustinopolitanus

Prima pars schematis valde bona mihi videtur, quamquam desideraretur amplior expositio de peccato originali, sine quo mundi inordinatio et Redemptio ipsa non intelliguntur. Et sermonem « de caelo novo et terra nova » ad n. 44 vix poterunt sequi homines, ad quos Concilium se dirigit.

Loquens de munere Ecclesiae in mundo huius temporis in cap. IV constitutio recitat: « Divortium illud quod inter fidem professam et vitam quotidianam multorum saepius animadvertimus, inter graviores nostri temporis errores recensendum est ». Postea autem hoc divortium unam provinciam respicit i. e. pauperum, dum omnes vitae rationes complectitur.

N. 55 docet « totius populi Dei esse, praesertim vero theologorum, adiuvante Spiritu Sancto, varias loquelas nostri temporis auscultare, ... sub lumine verbi divini diudicare, ut revelata veritas semper penitius percipi... possit ». Adiungamus: Sub Ecclesiae magisterio.

Nec felix est in n. 56 enumeratio Ecclesiae infirmitatum, quia et aliae exstant. Sed et distinctio facienda est inter latus humanum Ecclesiae et quod divinum est et vivum et semper effulgens.

Ad n. 27, post « deportationes » ponatur etiam « expulsio e propria terra natali ». Sic elenchus aerumnarum, quae nunc sunt, complebitur.

Aptum etiam dicatur verbum contra laicismum, inimicum Ecclesiae, et quantum inde damnum animis proveniat. Tacere de hac re non possumus iam propter sinceritatem quam nostris debemus interlocutoribus.

77

Exc.mus P. D. IOANNES SAUVAGE

Episcopus Anneciensis

Ad n. 18, pag. 16, lin. 33. Ce paragraphe gagnerait à être introduit par une phrase de transition: « Tout ce que nous venons de dire sur l'homme et sa vocation trouve son fondement et sa justification dans l'affirmation de Dieu. Malheureusement »...

Ad n. 30, pag. 25, linn. 18-23. L'égalité fondamentale de tous les hommes entre eux. Lignes 18-23: le respect et la dignité du pauvre. Ce thème

évangélique par excellence devrait être développé davantage en insistant sur l'amour du Christ pour les pauvres. Il n'y a qu'une toute petite phrase à ce sujet: « N'oublions pas enfin que le Christ a eu une prédilection pour les pauvres ».

Il serait bon d'introduire à cet endroit un développement sur l'attention aux pauvres, le service des pauvres: « Ce que vous aurez fait au plus petit d'entre les miens c'est à moi que vous l'aurez fait ». Le principe du Jugement dans S. Matthieu.

Ad n. 31, pag. 25, linn. 34-35: « caritas induit illum efficacissimum agendi modum... ». Il vaudrait mieux dire comme Pie XI: la charité qui s'exerce sur le plan social et politique est non seulement le service le plus efficace mais le plus éminent ».

Ad n. 56, pag. 43, lin. 36, ad pag. 44, lin. 6. On a tendance dans ce passage à vouloir excuser ou justifier les faiblesses ou les erreurs du passé ce qui a le don d'irriter les contemporains surtout les jeunes. Il vaudrait peut-être mieux reconnaître que des erreurs ont été commises ou n'en pas parler.

78

EXC.MUS P. D. EDUARDUS SCHICK
Episcopus tit. Araditanus, aux. Fuldensis

Proponitur nova redactio *expositionis introductivae* schematis, quia textus actualis neque videtur esse sat succinctus neque res praesentat secundum ordinem sat clarum neque fundamentum iacit schemati sat profundum; praecipue vero exaggerat indolem iniquam nostri temporis nec satis mentionem facit earum tendentiarum hodiernarum quae sunt bonae vel saltem bono favorabiles, vel — ut idem praecisius necnon quadam cum malignitate explicem — textus actualis ex habitu conceptus esse videtur, qui respuit et renuit temporis nostri immanentes abditosque motus. Re vera tenore apologetico signatus est textus saeculo elapso forsan conveniente, nostrae autem aetati non iam penitus accommodato. Cum enim condicio huius recentissimi temporis valde ambigua sit, tamen non est in omnibus deplorabilis. E contra reddere nos potest status rerum actualis non modo inquietos, sed etiam securos, quia viae hodie sunt stratae non solum ad mala inaudita conducentes sed etiam ad bona nova neque umquam hucusque possibilia.

Proponitur ergo in sequentibus efformatio textus, quae fundamento esse poterit novo textui elaborando.

(Genesis condicionis mundi hodiernae). Tribus e radicibus actualis mundi condicio crevisse videtur: 1. e notitiae humanae dilatatione, 2. e contingentiae nova conscientia, 3. ex unificatione omnium partium terrae.

Ad 1. Notitia hominis nostris temporibus tribus investigationis viis modo non mediocri aucta est.

1. *Methodus sic dicta exacta* e saec. fere XVI aditum menti humanae ad regiones novas aperiens et cognitionis ambitum essentialiter amplians fundamentum iecit technicae artis hodiernae quae faciem terrae transformavit et mundo speciem ipsius hominis quodammodo imposuit; industrialisationem secumtulit, quo modi productionis oeconomicae mutati sunt necnon societatis humanae ordo penitus revolutus est. Re vera communitates locales traditionales, uti sunt familiae, « clani », tribus, pagi, variique alii coetus hominum in dies immutationes expertae sunt profundas (cf. textum actualem 6).

Eadem methodus exacta fructuum suorum perspicuitate homines seduxit. Re vera mens scientifica rationem culturalem modosque cogitandi hominum adeo finxit, ut diffidentiam excitaverit erga alias cognitionis formas. Ipsi philosophi, e somnio dogmatico se excitatos esse falso opinati, certitudinem scientiarum naturalium et mathematicae etiam in cogitatu philosophico, immo in relationibus hominum socialibus et in ipsa fide religiosa petiverunt. Cum ergo progressum mirabilem genus hominum modernum adeptum est quoad res eas pervestigandas quae numero, mensura, pondere ordinatae sunt, seipsum tamen homo magis magisque perdidit, resolutionem communitatum quandam incurrit, debilitationem fidei. Eodem gradu, quo tractus, immo effusus est homo ad extra, ad seipsum redire non iam valuit.

2. *Investigatio historica* ex ineunte saec. XIX luculenter aucta ambitum mentis humanae quoad res et facta temporis acti decisivo modo dilatans duplicem habuit sequelam. Ex altera parte homo, quamquam ex cognitione eorum quae antiquis temporibus in locis etiam longe distantibus consummata sunt potentias in seipso quasi dormientes melius animadvertit suamque dignitatem laetius comprehendit, tamen exiguitatem et vanitatem suam magis sensit coram fuga temporum, coram saeculorum longa serie, coram tot humanae vitae formis et culturae efformationibus quot ipsa sua investigatione prae oculo mentis panduntur.

Ex altera parte immensa diversitas systematum culturae vitaeque ab hominibus formatae tentationem homini nostri aevi affert. Inclinatum enim eum reddidit, ut omnes normas veritatis et cunctas honestatis regulas tamquam mere relativas acciperet. Re vera genus hodiernum a notione magis statica ordinis rerum ad dynamicam transiens neque substantialitatem neque ipsum esse rerum satis pro serio habere in periculo est (cf. textum actualem 5).

3. *Anthropologia moderna,* in tribus evoluta sectionibus psychologia scilicet, sociologia, biologia, neque methodo exacta ullo modo spreta, notitiam subtiliorem quam antea nobis attulit de nobismetipsis, quo fundamentum iecit et dedit ansam, ut homines vim inferrent hominibus, alieni alienis se immiscerent vel saltem singuli dominationem suam aequo longius extendere conarentur.

Psychologia experimentalis profundiores regiones animae oculis investigatorum conatibusque therapeutarum aperuit.

Sociologia regulas vitam et motus consociationum regentes sedulo studio

subiciens guberniis statuum et omnibus illis, qui media communicationis influunt, copiam dedit novam, ut publicam opinionem et ipsum vulgus hominum modo in dies crescente ad nutum proprium dirigerent.

Biologia tandem mysteria vitae materialis scrutans limites cognitionis humanae eousque promotura esse aliquibus videtur, ut quae arti humanae haud opportuna nec ullo modo obnoxia esse considerata sint, a singulis vel a guberniis tractari posse, agitari, « manipulari » ab aliis speretur, ab aliis ne foret timeatur.

Ad 2. Quae omnia — in occidente imprimis exstantia — quamvis possibilitates et bonas et malas in se portent — nam possunt accommodari finibus diversis et divergentibus — tam verum progressum continent, immo faciem terrae homini magis quam antea adaptaverunt. Quamquam autem homo nostri temporis confinia notitiae suae multifariam proferre potuit facultatesque suas augere, tamen variis modis seipsum limitatum esse et quoad cognitionem et quoad potentias denuo intelligere coepit. Re vera contingentem se esse et ad statum creaturae restrictum ultimis his decenniis conscientiae se imposuit humanae. Quod elucet ex his:

Anthropologia philosophica hominem a condicionibus abditis dependere percepit, quae quamquam methodo quadam (transcendentali scil.) aliquo modo erui possunt, tamen luci mentis humanae quodammodo semper se subtrahunt.

Investigatio iuridica et ethica inquieta est eo quod phaenomenis ipsis coactam se experitur ut agnoscat legem quandam naturalem sive iuridicam sive moralem.

Quod vero eximii est momenti *ipsa methodus exacta,* quam nostri aevi sapientes studio ad fundamenta extenso perscrutantur (Grundlagenforschung), suos proprios limites prodidit. Nam eius usus, quamvis exactus, tamen in ordine logico dependet a principiis, quae ipsa methodo exacto neque probari neque pervestigari possunt. Interpretationem ergo positivisticam mundi — de qua quidam inter saecula somniaverunt — ad rem deduci nullatenus posse hodie omnibus hominibus sat instructis et cognitum est et notum.

Itaque cum novae cognitionis et activitatis viae homini se aperuerunt, novi abyssi se ostenderunt. Ille mundus, qui altiore gradu quam hucusque notitiae hominis se dedit et voluntati est subiectus, mysteria adhuc profundiora homini monstravit.

Sunt qui animo seditionis ad ista omnia respondeant. Sunt qui ad modestiam allici se sinant.

Ad 3. Condicio qualis descripta est, cum ex historia occidentali maxime emanet, pondere eo maiore induta est, quo terra — quoad vitam oeconomicam et politicam, quoad scientificam investigationem et omnia inde provenientia, quoad culturam — una futura est hodie. Re vera proprium aevum his diebus nostris incipit, in quo quamquam vetera multa operari continuabunt, tamen interactio generalis hominum omnium cum omnibus novum

quid secumfert. Unde novae difficultates instant, quae praevideri nequaquam possunt, nova onera nobis sunt imposita, profundior facta est responsabilitas, latiores possibilitates.

(Status rerum hodiernus). Condicio aevi actualis eo imprimis est sui generis, quod tres hominum classes se nobis praebent.

1. Sunt *fideles,* non solum catholici, sed etiam non-catholici, non solum christiani sed etiam omnes secundum eum sensum bona voluntate praediti ut voluntas illa bona influat in efformandam vitam.

2. Sunt *atheistae et illi militantes,* quorum alii vel singuli vel sociis iuncti fideles suo modo offendunt, alii mediis communicationis modernis utentes vel in gubernia influentes vitam hominum publicam activitati suae subiciunt.

3. Sunt praeter istas duas classes ii, qui quamvis non confiteantur atheismum expressum, tamen fidelibus annumerari nullo modo possunt. Signum speciale esse videtur nostrae epochae ille numerus crescens eorum qui, fidei taedio quodam affecti, Deum neque agnoscere neque negare audeant. Inter quos inveniuntur amabiles quidam, boni cives, fratres et sorores auxilia si opus est aliis praestantes neque solo sui amore impulsi, tamen a fide quasi exclusi. Testimonio nostro christiano eos non movemus, ne tangimus quidem attentum eorum. Nam *indifferentes* sunt et *atheismi practici* victimae.

Interdum ad illum *atheismum methodicum seu praecisivum* provocant, qui scientia speciali iure tenetur. Quamquam physicus, e. g., ad fidem confitendam est obligatus, physica tamen scientia methodice athea est, quia Deus non cadit sub eius obiecto formali. Quae physica indifferens est erga Deum, quia Deus extra ambitum est eius methodi, sicuti omnia alia obiecta non physicalia. Indifferentia autem methodica nullo modo adminiculum dat indifferentismo humano.

Interdum indifferentium animus *atheismi agnostici* contagione debilitatus est, qui ab atheismo expresso militantium sat est diversus.

Quem indifferentismum vel negligere vel parvipendere nefas esset. Sunt enim homines a Deo vocati, qui aegritudine illa animi patiuntur, et tamen sunt homines a nobis eo gradu alieni ut alienitatem superare certis mediis non valeamus. Indifferentismus ipsas methodos pastorales nostras et apostolicas receptas in crisim deducit.

79

Exc.mus P. D. PAULUS LEO SEITZ

Episcopus Kontumensis

Un schema de trente trois mille mots ne peut pas contenir rien que de bonnes choses, surtout quand il a pris le parti de la *via media* pour plaire à tout le monde et quand il prétend, constitution pastorale, s'adresser à tous les hommes du monde. Il y a même trop de choses; comment pourra-t-il pratiquement être discuté article par article au Concile? et pourtant la gravité

du sujet le demande. Si on se presse, ne risque-t-on pas le vote de « confiance » — ou de lassitude —, ce qui ne serait pas faire preuve d'un grand respect pour le Monde. On peut être inquiet du fait que non seulement la traduction française est distribuée mais que les versions *in alias linguas* sont prêtes (on voit d'ailleurs mal comment il peut être traduit et intelligible dans les langues d'Asie notamment!); ne serait-ce pas un signe qu'on le considère comme au point? Il serait peut-être plus consciencieux d'en tirer quelques propositions fortes à discuter et voter, et de laisser le reste à l'étude — ce que l'état actuel du texte requiert.[1]

Les uns le trouveront naïvement optimiste, les autres lui reprocheront son naturalisme, son terrénisme; tous conviendront qu'il ne pêche pas par excès de prophétisme; il s'est certes tenu à l'abri des imprudences — le tout est de savoir si cette « sagesse » convient (non point au goût du Monde mais à la mission de l'Eglise).

A première lecture, avant d'en avoir exploré le fond, on ne peut qu'être sensible à des caractères remarquables de forme, caractères qui se trouvent converger... et nous mènent plus loin.

§ 97 on parle de procédés (limitatifs des naissances) dont la « moralité présente une sécurité suffisante » (de quorum moralitate habetur sufficiens certitudo) — tous les mots portent... pour ne rien dire. Est-ce cela que le monde attend?

§ 104 « il appartiendra aux évêques de déterminer avec plus de précision (magis determinent) » et justement comment le pourront-ils? A-t-on encore besoin d'énoncer des généralités?

§ 43 la fraternité sociale « n'est pas sans lien avec le Royaume » (non sine connexione) — c'est vraiment peu dire! le texte est généreux en formules négatives (pas peu, on ne peut pas ne pas, etc. ...), timidités qui ôtent toute force à l'expression et sont signes qu'on *n'ose pas* se compromettre.

§ 59 « parmi les nombreuses questions... celles-ci ne doivent pas être oubliées » (recolere iuvat — le latin est plus fort; il semble que le texte ait été composé en français) et il s'agit des questions essentielles!

§ 95 « la misère est si criante que l'on croirait entendre l'appel du Christ » (quasi voce...) — le chrétien y entend le Christ *lui-même* et en frémit, car il connaît l'évangile: « j'avais faim... ».

§ 101 (au sujet de l'objection de conscience) « il semble assez opportun (sat conveniens) »: c'est peu dire quand il s'agit de respecter un droit de la personne, aujourd'hui plus que jamais — il est vrai que la conscience des Français n'est pas un modèle à ce sujet.

A côté de ces timidités (honte de crier l'Evangile?) il y a trop de naïvetés

[1] Ou encore de présenter cet opus « treizième » non comme une Constitution mais comme une sorte de Lettre Encyclique du Concile.

qu'on ne peut laisser passer (même en comptant sur la bienveillance du Monde), ainsi:

§ 38 « les réalisations les plus étonnantes de l'esprit humain » (maxime mira) — il s'agit des « engins (machinae) qui triomphent des espaces infinis »; on en disait autant pour l'invention de l'automobile; tout cela n'est pas plus « étonnant » que la découverte du feu ou la taille de la pierre.

§ 40 « ces découvertes, si elles sont véritables (sic), ne seront jamais contraires à la foi, puisque (sic) le Créateur de l'Univers est aussi le Dieu de la Bible » (si vera sunt... cum Creator universorum idem sit...) ici on devrait avoir honte de s'exprimer en apologiste datant du siècle des philosophes.

§ 52 au sujet de *Mt.* 25, 31 s. « la chose est assurément surprenante » (sane mirari) — il est vrai qu'il vaut mieux être surpris maintenant qu'au jour du Jugement.

§ 101 « en toute guerre... on doit toujours observer les règles d'humanité » (observandae sunt normae humanitatis) — c'est pire que naïf, c'est choquant dans la bouche de ceux qui parlent pour Dieu. Le droit « naturel » et la guerre humanitaire: serait-ce le message du Concile?

De nombreuses maladresses et ambiguités d'expression seraient à revoir:

§ 3 « il y a en tout être humain quelque chose de divin » (le latin est meilleur: « divinum quoddam semen).

§ 20 « Adam, le premier homme » (primus homo) — surtout en français l'article défini singulier est gênant.

§ 23 si le mouvement de socialisation « comporte des dangers certains (pericula certa) il est cependant source de nombreux avantages » (multa commoda) — il est surtout dans la ligne de l'évolution de l'humanité et un signe parlant pour les chrétiens.

§ 42 « le culte de la beauté » (pulchritudinis cultus, ce serait plutôt la « culture » du beau — souhaitons ici que la formule latine soit la formule originale) est dit « conforme à la volonté divine »; c'est pour le moins ambigu.

§ 45 « Dieu s'est fait homme pour que l'homme devint Dieu » — les hommes de notre temps sont-ils avertis de la *theologia commercii* des Pères? Par contre il en est qui reprochent aux chrétiens leur orgueil, à ce sujet précisément.

§ 51 « la gloire de Dieu c'est l'homme vivant » (citation incomplète); même remarque, à replacer dans un contexte.

§ 52 « synthèse (synthesim) de l'effort humain... avec les plus hautes valeurs religieuses » — cette synthèse ne doit pas être présentée comme faite, mais à faire, et qu'on peut manquer (dénote une faiblesse de l'anthropologie initiale).

§ 68 « la sagesse ancestrale (sapientia maiorum) en échec » si l'intensification des rapports entre groupes humains lui fait échec c'est donc bien le moment de mettre en question cette « sagesse » vétuste.

Il aurait fallu éviter les formules qui supposent une philosophie greco-latine antique:

§ 3 « homo totus cum corpore et anima, corde et conscientia, mente et voluntate » ce langage équivaut à une prise de position philosophique mais n'est pas celui de la Révélation.

Il aurait fallu éviter aussi d'ignorer le pluralisme des civilisation — ainsi (du moins en traduction française) « les bienfaits de la civilisation doivent s'étendre à tous les peuples »; ce n'est admissible que s'il s'agit d'une culture (civilis cultus) humaniste universelle (en devenir) (§ 9).

« Passer de fiançailles honnêtes à de légitimes noces », « guider les jeunes par de sages conseils qu'ils accueilleront de bon gré » (§ 62) — on croirait lire un manuel de morale pour écoles laïques.

« Pour entreprendre des opérations belliqueuses les armes atomiques ne sont pas nécessaires: les armes dites conventionnelles y suffisent » (§ 98); une fois de plus, quand l'Eglise quitte le langage de la Révélation elle ne surpasse pas les plus ordinaires moralistes du monde.

Au sujet de l'égalité de tous les hommes: « ceci correspond tout à fait à la doctrine chrétienne » (§ 30). Ici on ne se contente pas de prendre le langage du monde, on veut tellement s'adapter pour ne pas lui déplaire, qu'on compromet la doctrine.

Le schema est plein de telles formules (notamment chaque fois qu'il traite du progrès, de la « domination du cosmos »), comme pour dire aux hommes de ce monde: « mais tout ce que vous pensez (ou que nous croyons que vous pensez) c'est justement cela le christianisme! ». Cette insistance démagogique, pour flatter les destinataires du texte, est peut-être habileté, elle pourrait être aussi infidélité — au sens le plus fort du mot. Aux gens d'esprit elle paraîtra surtout naïveté.

Ce faisant, on entend se montrer sous un jour favorable, sans craindre, semble-t-il, d'être taxé d'hypocrisie. Ainsi: « différentes circonstances... expliquent que, dans quelques régions, la communauté des chrétiens ait pu apparaître (sic) comme l'amie des riches et des puissants »... et la suite (§ 56) — « Les chrétiens qui reconnaissent le Christ dans leurs frères ne peuvent se reposer dans la richesse et l'opulence » (§ 57) (noter qu'on a jugé la redondance utile « copiis et opulentia »); mais qui nous croira?

Tout cela n'est-il pas remarquablement convergent? N'ont été soulignées jusqu'ici (à titre d'exemples, entre autres) que des *formes* de la rédaction du schema, mais le style est l'expression d'un esprit: tout se passe comme si on avait peur d'être *signum cui contradicetur* par ce que le christianisme a d'unique et d'original. Il est entendu qu'on entre dans une ère de dialogue; on va donc parler la langue de l'autre, on s'adapte au monde, on adopte ses points de vue; on taira même la voix de Dieu pour mieux entendre ses sages: « Notre époque a besoin d'un supplément d'âme... Son avenir serait sombre si elle ne savait pas se donner des sages (sapientiores quosdam). A cet égard, de nombreux pays économiquement pauvres, mais

riches de la sagesse héritée de leurs ancêtres, pourront puissamment l'y aider » (§ 13). Mais les chrétiens savent où trouver un supplément d'âme: c'est l'Esprit du Christ, ils savent que le monde ne peut *se* donner de vrais sages car la sagesse est un don de l'Esprit, ils savent ne pouvoir trouver d'aide hors de Dieu, ils savent enfin que le présent est sombre parce que le monde n'a que des sages, il lui faut des Prophètes.

Dépassons maintenant ces « formes », qui peuvent bien, après tout, n'être que des apparences, de simples précautions oratoires pour ne pas buter les interlocuteurs de bonne volonté; poussons un peu plus loin l'investigation.

Comme pour ménager une transition avec ce qui précède on pourrait souligner ici une certaine façon de supposer les hommes vertueux (quand ce n'est pas « bons chrétiens ») pour ne blesser personne, de supposer le problème résolu pour esquiver la difficulté: « Le droit des parents d'élever leurs enfants selon les règles de leur conscience, notamment en matière religieuse, doivent être pleinement (omnino) sauvegardés » (§ 61) — ce qui n'est pas évident si on a en vue des païens (comme il y en a encore tant) travaillant inconsciemment à dégrader leurs enfants en leur faisant suivre les mêmes traditions amorales qu'eux.

Le § 63 illustre une façon typique d'esquiver le problème de la limitation des naissances: « (les époux) constamment attentifs et dociles à la volonté du Dieu vivant, se formeront un jugement prudent, etc. ... ». Il est permis de leur souhaiter des directives plus précises et, pour former leur jugement, la lumière de la Révélation sur la condition de l'homme.

Malgré les précautions prises le schema manque d'homogénéité et de rigueur dans le développement; il y a des redites qui l'allogent et même des inconséquences: ainsi le § 63 recommande une généreuse procréation et le § 97 prévoit qu'on informe les populations de méthode à fin limitative.

Le § 76 commande de tendre à une augmentation de la production et le § 96 situe plus justement la solution du côté de la répartition.

Plus graves sont les faiblesses sur le terrain de la doctrine: « L'homme a reçu mission de soumettre la terre... de dominer les créatures, ... de gouverner le cosmos » (§ 38) — certes, mais il ne faut pas laisser de côté le fait que l'homme a refusé cette mission en tant que mission venant de Dieu, qu'il s'est révolté et donc déchiré, et qu'il doit d'abord se dominer lui-même, résoudre douloureusement sa tension interne, s'achever en l'unité (à l'image de Dieu) par la croix.

« Le Seigneur est la joie et la plénitude des aspirations de tous les cœurs » (§ 47) — autre est une allocution fervente, autre une constitution conciliaire; cette christologie est un peu courte; au moins ne serait-il pas inutile de préciser qu'il s'agit des cœurs *convertis,* dont les aspirations sont donc *retournées.*

La première partie du schema s'achève sur le § 58 intitulé « l'espérance du Peuple de Dieu »; il est curieux de constater que cette espérance est

limitée à ce monde-ci, sans aucune ouverture eschatologique. L'Eglise, dit-on, se réjouit du progrès de l'évangile, répond au monde, s'adapte, mais ne dit-elle pas au Seigneur: « Viens! »?

L'Eglise regrette, est-il dit au § 40, des erreurs dans sa conception des relations entre la foi et la science; mais on ne lui demande pas de se justifier, on attend qu'elle répare,[2] ce qui vaut mieux qu'une promesse de ne pas recommencer (pag. 32, ligne 32).

Quand on s'est fixé pour but d'éclairer l'homme sur sa condition, sur le sens de sa vie et de sa mort, on doit veiller à une grande rigueur dans l'enseignement: ainsi le § 17 est une bien maigre réponse aux questions graves de la fin du § 9; elle sera de plus immanquablement mal comprise des non initiés: « la mort est entrée dans le monde par le péché » (on a oublié de noter la référence *Rom.* 5, 12) — il n'est pas question ici d'enseigner la fable d'une créature sans péché et sans mort (ce que le texte pourrait laisser croire), il n'est pas question de la mort biologique (liée à tout ce qui est vivant) mais de la mort comme violence déchirante, de la mort comme peine, de la mort comme signe de mort à soi-même (ou sinon, de mort éternelle).

Au § 30, de ce que tous les hommes ont été créés à l'image de Dieu on déduit l'égalité de tous les hommes entre eux, vérité parait-il de plus en plus reconnue (pas en fait, en tout cas). Cela a tout l'air d'un sophisme. Entre tous les hommes il y a communauté d'origine et de vocation, mais les situations existentielles diffèrent pour chacun; entre les cultures et les civilisations il y a un facteur commun: l'esprit de l'homme, il y a complémentarité mais en aucun cas non plus égalité (ce serait absurde à prétendre). L'Eglise n'a pas à suivre les brandisseurs de slogans qui, se dispensant de penser, ruinent cela même qu'ils veulent défendre.

Au § 31 le sophisme est patent: « Onésime, bien qu'intérieurement libéré, restait esclave, mais son esclavage était virtuellement condamné ». C'est se payer de mots pour se dispenser d'agir. Comme s'il suffisait de condamner l'esclavage pour que les hommes vivent libres! Et à celui que la société fait vivre en esclave il faut une rare force de caractère pour sentir son moi libre. Avec un tel raisonnement on pourrait justifier toutes les situations de fait et se contenter que le mal soit « virtuellement » condamné; ainsi on dirait de la guerre: « les hommes continuent à s'entretuer, mais

---

[2] D'une part en réhabilitation des hommes tels que Galilée (et d'autres victimes de l'Index), d'autre part en se montrant positivement ouverte à la Culture scientifique — ce que ne fait pas le schema, qui (§ 68, 69) associe « autonomie de la culture technique » et « humanisme hostile à la religion » (comme si l'humanisme des « humanités » était plus religieux!) et se montre méfiant envers les disciplines scientifiques — alors que de nos jours il faut repenser l'éducation chrétienne en fonction de la culture scientifique (non exclusive, certes) qui fera l'homme de demain (comme on l'envisage, timidement, au § 74).

ils ont maintenant conscience de l'inanité de la guerre qui se trouve, par là, virtuellement condamnée » et on attendrait que l'usure des siècles ait raison de cette institution dont la cause est perdue d'avance — ce qui satisfait l'esprit.

Et c'est hélas cet esprit qu'on retrouve dans la section du schema consacrée à la guerre (§ 98-101). Et c'est là que le schema en prend le plus à son aise avec la Révélation, pour mettre les hommes à l'aise. A une heure où l'on peut se demander si Vatican II ne sera pas interrompu par la guerre comme Vatican I, où la guerre est l'angoisse n. 1 de tant d'hommes qui regardent désespérément vers nous, il vaut la peine de s'y arrêter pour en juger avec le seul critère possible: la Révélation, car, comme le dit excellemment le même schema (§ 56), « se qui juge l'Eglise, c'est l'Evangile ».

Dans ce texte, qui engage l'Eglise — laquelle parle aux hommes au nom de Dieu —, que trouve-t-on? Une distinction entre la guerre entre armées combattantes et la guerre visant la destruction de villes entières — cette dernière seulement étant condamnée comme crime. Mais qui ne voit que cela donnera bonne conscience aux nations belligérantes, alors qu'en fait aucune guerre n'épargne les civils? Comme si « tout acte de guerre » quel qu'il soit, n'était pas un crime! Anéantir une ville, un village, ou un simple petit enfant, tout cela est crime, et il faut le dire.

On traîne encore l'expression « motifs légitimes de guerre » — à l'heure présente surtout, l'Eglise devrait s'interdire un tel langage que les hommes ne peuvent entendre que comme une approbation et qui est en soi radicalement opposé à l'Evangile. On parle de « proportion raisonnable » (sic) entre ces motifs et les conséquences de l'action violente; cette casuistique fait horreur; on se demande comment on peut écrire cela en 1965.

On a l'air de dire qu'une guerre « légitime » peut se suffire des armes « conventionnelles », les armes atomiques n'étant pas nécessaires. La distinction est raffinée, mais les armes « conventionnelles » ne *tuent*-elles pas elles aussi?

Puis le texte se reprend: « on ne peut pas facilement *absoudre* la consciece humaine de tels actes de guerre, *quelle qu'en soit la nature* ». Mais quel besoin de cette formule d'ecclésiastiques? La proclamation de la doctrine est une chose, l'absolution des consciences en est une autre; il est toujours possible d'absoudre un pécheur, toujours impossible de lui masquer son devoir.

« Si la guerre était conduite jusqu'à la dernière limite des moyens scientifiques modernes, il ne s'ensuivrait rien d'autre qu'une extermination parfaitement réciproque des partis opposés et presque universelle. *En conséquence,* après avoir épuisé toutes les possibilités de conciliation, il peut ne pas être illicite de défendre... » — on souhaite que ce soit une coquille (le latin ménage mieux la transition: quamvis ergo...).

« Aucune nation n'a le droit de se proposer comme fin l'anéantissement d'un peuple ennemi » — cette formule qui repousse à l'extrême l'objet

de la condamnation est d'un laxisme effarant car sans aller jusqu'à l'anéantissement les nations belligérantes ont encore un vaste champ libre pour propager leurs horreurs.

« La Providence divine demande avec insistance à l'humanité de se libérer de l'antique servitude de la guerre et de mettre ainsi un terme au danger actuel ». Mais où se situe le problème? il n'est pas question d'avoir peur du *danger* (ce que les ignorants ont reproché aux objecteurs de conscience), mais peur de s'opposer à la Loi de Dieu. Le texte fait parler la Providence, mais ce n'est pas du tout ce qu'Elle a dit; Elle a dit: « Tu ne tueras pas! » (*Ex.* 20, 13) et: « Ne craignez pas ceux qui tuent le corps » (*Mt.* 10, 28).

« Les chrétiens ont le grave devoir non seulement de souhaiter de toutes leurs forces ce refus de la guerre, mais, en agissant sur l'opinion publique, de le réclamer avec insistance et de tendre à le réaliser selon leurs possibilités ». Toutes ces circonlocutions, embarrassées et embarrassantes, parce qu'on n'ose pas dire: tout chrétien a le grave devoir de se refuser à la guerre.

« Il n'est permis à personne de donner ou de suivre des ordres qui sont manifestement contraires à la loi divine, comme le massacre d'innocents ou de prisonniers ». Mais le soldat combattant sur lequel on tire est-il moins innocent que les civils de l'intérieur qui cultivent de vieilles haines au sein de leur propre famille? Quelle est la Loi divine? « Tu ne tueras pas! » sans distinction d'« innocents » ou pas. Tout ordre humain de tuer un homme est violation de la loi de Dieu seul Maître de la vie. Le schema se contredit; au § 11 il affirme: « Dieu déclara solennellement qu'Il demanderait compte aux hommes *du sang de tout homme* », au § 29: « le précepte de l'amour s'étend à tous nos ennemis » et au § 101 on distingue les cas où on peut tuer (avec amour?). Il est vrai que dans ses tergiversations le schema a un silence significatif au § 27: « Tout ce qui va contre le caractère sacré de la vie, comme le génocide, l'avortement, l'euthanasie, ou même le suicide délibéré... toutes ces pratiques infamantes sont la honte de notre civilisation ». On peut relire tout le texte de près, en français comme en latin, il n'y est pas fait mention de l'assassinat et de la guerre (serait-ce compatible avec le « respect de la personne humaine » — titre du paragraphe —?).

Comment ne pas voir enfin que, quelles que soient les habitudes contraires prises et qui sont justement à mettre en question, le problème de la guerre est insoluble, inextricable, si on s'écarte de la Révélation. Ce monde anxieux, où l'homme a peur de l'homme, les peuples étant plongés dans la nuit et leurs responsables dans les drames de conscience (quand ils en ont une), est en droit d'attendre de l'Eglise la Lumière divine; et voilà ce qu'on lui donnerait comme réponse? Serait-il donc inoui de souhaiter que l'Eglise tienne ce langage:

L'Eglise constate que les hommes n'ont pas renoncé à se faire la guerre et qu'ils la font de façon de plus en plus totale; sa douleur est immense de voir que la loi divine est refusée, pour le malheur de l'humanité; ce

malheur, avec ses deuils, ses destructions, ses atrocités, est le sien aussi, car tout ce qui est fait aux hommes est fait au Christ, donc à elle.

L'Eglise se sait dépositaire de la Révélation divine, qui fait d'elle un porte-parole de Dieu pour répondre aux questions que les hommes se posent et pour lesquelles leurs philosophes et leurs scientifiques n'ont pas de solution.

Sans se permettre d'interprétation minimisante, sans rien cacher de la vérité révélée, avec une loyauté qu'on ne saurait lui reprocher, l'Eglise assemblée en Concile rappelle l'imprescriptible loi divine connue des croyants: *Tu ne tueras pas* (*Ex.* 20, 13); Jésus, le Christ et Seigneur, enseigne à nouveau cette loi absolue et exige même davantage de ceux qui le suivent: « quiconque se fâche contre son frère devra en répondre » (*Mt.* 5, 21).

Le malheur des hommes ira croissant tant qu'ils résisteront à Dieu, refuseront leur condition de créatures, prétendront disposer de la vie de leurs frères. Seule la reconnaissance de leur situation réelle, dans le respect scrupuleux de toute existence, peut permettre aux hommes de construire la communauté humaine.

Pour ne pas gêner des états « chrétiens » (généreux en subsides) va-t-on scandaliser le reste du Monde, va-t-on manquer l'occasion providentielle de manifester une fidélité courageuse, en publiant un texte incapable de freiner la violence? Le langage prophétique est plus vraiment réaliste que le langage du monde.

Le Concile parle-t-il vraiment aux hommes pour Dieu? Tient-il alors un langage de Prophète? Va-t-on par peur d'aborder la seule Réalité tourner autour, comme tenu de prendre le langage du monde?

Qu'on n'objecte pas que le Monde actuel ne pourrait supporter un tel langage. Israel ne supportait pas davantage celui d'Amos et d'Isaie, ni les disciples celui de Jésus. Dieu parle en ses envoyés, pour tous; mais tous ne peuvent recevoir cette parole. Malgré tout Dieu la profère, sans rien minimiser; ceux qui sont de Dieu l'entendent. Dès son âge de primitivité le peuple Hébreu entendit la Parole absolue: Tu ne tueras pas! Maudit qui en supprimera un iota. Prétendrait-on corriger la méthode divine? Aurions-nous honte de Son Absolu dans un monde qui n'a pas Son Esprit?

Le Monde attend-il de nous les flatteries des faux prophètes ou bien l'attitude paradoxale et anachronique du courageux porte-parole de Dieu? Ne mésestimons pas le Monde à ce sujet, nous décevrions gravement tous ceux qui ont quelque esprit et qui, même entre eux, n'admettent plus les formules ambigües. On a tant dit qu'il fallait promulguer ce trop célèbre opus 13 du Concile sous peine de décevoir profondément le monde; il y a un petit ton de chantage là-dessous et on décevrait davantage le monde en publiant un tel texte, qui pèche (tout ce qui précède le prouve) parce qu'on n'a pas osé s'adresser aux hommes en prophète de Dieu. Ce courage que l'Eglise attend de chaque évêque en son diocèse, de chaque missionnaire

exposé à l'incompréhension voire à la persécution, ne l'aurait-elle pas assemblée en Concile? Suivrait-elle la prudence humaine plus que l'Esprit?

Si le Concile proclamait le devoir strict, en conscience, pour tout chrétien de se refuser absolument à toute guerre, il ferait plus pour la paix du monde qu'en argumentant selon un moralisme dépassé — car alors il se trouverait des hommes pour l'entendre et surtout Dieu qui nous attend là. Ceux qui se justifient de faire la guerre pour empêcher le progrès du communisme feraient bien d'y réfléchir plutôt que de l'expérimenter tragiquement: aucune violence n'empêchera le monde entier d'être marxisé car le marxisme *renaîtrait au cœur même* des pays belligérants qui croiraient l'avoir écrasé, il se réveillerait dans leur mauvaise conscience; car le communisme international n'est pas de même ordre que les Etats et leurs armées, il est de l'ordre de l'esprit — un christianisme en négatif le fer et le feu ne peuvent l'anéantir. Seule l'héroïque fidélité du Peuple de Dieu supprimerait sa raison d'être, de même que c'est son infidélité qui l'a fait naître (et le ressusciterait en prétendant le tuer). La leçon éternelle de l'histoire d'Israel serait-elle donc vaine? Plutôt la captivité à Babylone que la guerre portée par l'Egypte, plutôt l'Eglise du silence que la désobéissance à l'imprescriptible loi de Dieu. Si l'heure de la réparation de notre infidélité est venue, il ne sert de rien d'essayer de la reculer en faisant jouer la puissance de la matière (ce serait naif). Le petit Reste s'est formé dans le silence de Babylone, il faut y passer pour rentrer à Jérusalem. Tant que nous résisterons aux impératifs évangéliques nous fortifierons le pseudo-évangile ramassé sur ce que nous rejetons, collant à nous comme une ombre tant que nous ne serons pas nous-mêmes assez diaphanes à la Lumière du monde, le Christ, que nous obscurcissons. S'il se trouvait seulement dix Pères conciliaires pour oser crier cela, Dieu arrêterait le feu sur Sodome.

(*Ecclésiologie*). Ce qui est dit là, longuement vu la gravité et l'urgence du sujet, à propos de la guerre n'est que l'illustration sur un point critique du défaut fondamental du schema. Il n'a pas le ton qu'il faut parce que son ecclésiologie est insuffisante.

L'Eglise en effet est dans la condition du monde tout en la transcendant infiniment; on ne peut négliger ni l'un ni l'autre de ces pôles entre lesquels existe une tension — le deux branches de la croix, le *signum cui contradicetur*.

Certes le schema, dès son § premier, puis dans tout le chap. IV (notamment § 49), situe justement le rôle de l'Eglise dans le Monde, mais cette vue théorique n'informe pas assez les développements plus pratiques, peut-être parce qu'elle est insuffisamment « réaliste » (au sens de la ligne 2, page 39 du texte latin).

On parle trop de l'Eglise et du Monde comme s'il s'agissait de deux unités affrontées, bien délimitées.

Le Monde c'est la création bonne, aimée de Dieu qui lui donne Son Fils; c'est aussi le domaine des révoltés contre Dieu, l'empire des puissances

qui le détournent de sa fin — deux aspects du même Monde, deux pôles, un de pesanteur et un de grâce, entre lesquels il est tendu, de même que l'homme, tendu entre les limites de sa condition présente et l'infini de sa destination future.

« L'Eglise — écrit R. Schnackenburg dans une remarquable étude sur *Eglise et Monde* (in l'*Eglise dans le Nouveau Testament,* p. 207) — demeure aussi dans cette situation du " monde ": se détournant du monde en tant qu'il passe et qu'il est néant, et pourtant tournée vers sa bonté propre de créature et sa détermination eschatologique ». Comme le moi chrétien tendu entre deux aspects de son être: le fils de Dieu qu'il est radicalement depuis le baptême et le vieil homme enraciné dans ce monde, l'Eglise participe à la condition du monde par son temps historique, son milieu de croissance, la nature (et ses limites) du signe qu'elle est; en même temps elle le transcende par le Christ dont elle est Corps et Sacrement, vivant déjà l'ère du Royaume qu'elle rend présente (d'où la nécessité pour l'Eglise, tout en utilisant les mots employés par le monde, de prendre le ton prophétique qui révèle leur sens réel — on voit de plus, dès ici, qu'une mise au point ecclésiologique appelle la même rigueur en christologie et en anthropologie).

« Se tourner vers sa bonté propre de créature » ce n'est pas seulement reconnaître l'image divine permanente en l'homme, en tout homme, ni s'en tenir à une tolérance de principe, mais c'est rechercher, pour le racheter, ce que chaque homme, chaque civilisation, a de plus original et radicalement sain, comme voyant d'avance ces valeurs accomplies en plénitude et assumées dans le Royaume.

« Se détourner du monde en tant qu'il passe » c'est non seulement ne pas y ancrer son espérance, mais éviter ses tentations et, dans la mesure où l'Eglise emprunte provisoirement certains de ses moyens, reconnaître leur précarité, n'en ériger aucun en loi; c'est savoir quitter toute formulation liée à une langue, tout style d'action lié à une économie, toute forme cultuelle liée à une culture, tout jugement lié à une mentalité particulière; c'est être perpétuellement disponible à la Grâce pour être la voix de l'Esprit qui parle par les prophètes.

L'Eglise partage la condition du Monde, où elle n'est pas une aristocratie mais un ferment — ce qui exige un abîme de pauvreté et de dépouillement. L'attitude de l'Eglise dans le Monde s'actualise en les gestes des chrétiens qui, à la fois dans la condition du Monde et citoyens du Royaume en tant que renés, réalisent leur vocation: par leur métier d'homme, qui ne peut cependant être exercé comme tout le monde, car leur conduite doit être telle que les hommes s'interrogent à leur sujet; ou par leur consécration exclusive à la manifestation du Royaume au sein de ce Monde — comme le font éminemment les religieux et les missionnaires.

Toute vie chrétienne doit être confession du Christ et le chrétien a reçu l'Esprit qui lui donne de le faire authentiquement et efficacement.

L'existence même de l'Eglise montre comment ce Monde est transformé

en Royaume, comment la Création, sortie de la bouche du Tout-Autre peut retourner en Lui comme plénitude du Père.

Le chrétien ne s'interroge pas sur le rapport à établir avec le Monde, comme s'il n'en était pas, alors que son être chrétien est relation vivante du Monde avec Dieu et que la permanence de son « moi » fait le lien entre ce qui est assumé et ce qui reste à assumer. Ni noyé dans le Monde, ni évaporé dans l'Au-delà, le chrétien a tout simplement à devenir ce qu'il est, ses actes constituent une échelle entre le Monde présent et le Monde futur où descendent des énergies divines et montent des forces humaines consacrées. Refaire en lui l'unité qui l'accomplira (interférences anthropologiques) c'est la solution de tous les problèmes de l'Univers.

Les membres de l'Eglise n'ont pas à chercher le contact avec le Monde, mais à reconnaître une connaturalité; ils n'ont pas tant à se rapprocher qu'à prendre conscience de leur proximité avec tout homme. Ils manifestent comment, en eux déjà, c'est ce Monde-ci qui se transforme en Monde à venir. Ainsi ils sont vraiment sacrement de la consécration de l'Univers, qu'ils signifient aux yeux de leurs frères par leur existence propre, dans un va-et-vient incessant entre la contemplation du Tout-Autre et la contemplation de Son image en tout homme, entre l'acte cultuel d'adoration et l'action d'homme coopérateur du Créateur par son travail dans la reconnaissance de sa condition de créature.

Notre schema a notamment pour but de préciser ce que la nature de l'homme exige que ce monde soit, donc pourquoi et comment le transformer — et cela pour tout homme, chrétien ou non, car le plan de Dieu n'est pas limité aux chrétiens et l'homme se détruit s'il ne le suit pas.

(*Christologie*). L'ecclésiologie de base du schema aurait été plus féconde dans le sens indiqué ci-dessus si sa christologie avait été plus ferme; celle-ci tient principalement dans le § 20 (et encore 36 et 45 s.), adroitement conduit parce qu'il est un peu question de tous les aspects du sujet, bien qu'il se trouve finalement plutôt unilatéral dans un optimisme qui, parce qu'il constate le problème résolu dans le Christ victorieux, laisse échapper les dimensions du drame qui s'est conclu à la Passion, drame qui continue en nos existences humaines.

Le Christ est présenté comme l'Homme parfait, achevé, triomphant de la mort sans qu'il semble y avoir eu lutte. On a beau le dire homme comme nous, on ne voit pas très bien comment tous nos problèmes sont résolus en lui; il se présente là comme un Modèle tout-fait sans qu'on sache comment il s'est fait et donc si loin de nos pauvres existences qu'il n'apparaît plus beaucoup dans le cheminement concret du schema.

L'énumération des lignes 24 à 26 (page 18 du texte latin) est significative à cet égard: il est dit que le Christ a travaillé, a réfléchi, a agi, a aimé... mais il n'est pas dit qu'il a peiné, eu faim, été *tenté,* dans l'angoisse, au bord du refus — et cela il fallait le dire aussi, et c'est peut-être surtout cela

qu'il fallait dire dans un tel schema qui s'adresse à des hommes pour qui rien ne va tout seul, sans lutte.

Le § 36 est de même ton et présente une énumération également typique dans le même sens: Il a mené la vie d'un artisan, il a pris part aux noces, il s'est invité, il a mangé... mais il a jeûné aussi, pour vaincre le Malin — cela on ne le dit pas puisqu'on s'arrête par principe à ce qui ne manifeste pas de transcendance. On nous dit que Jésus a révélé aux hommes « la magnificence de leur vocation » (en omettant la promesse d'être persécutés) « en se servant du langage de l'existence la plus quotidienne » ... c'est dénaturer l'Evangile: les mots sont bien les mots de tout le monde, mais le langage est biblique et prophétique, retournant complètement leur sens au point d'être trop dur à entendre (« Je suis le pain de vie » — « renaître de l'eau et de l'Esprit », etc. ...). Il n'est pas étonnant après cela qu'on fasse tenir à l'Eglise le langage du Monde.

Il institue, dit-on encore, une nouvelle communion fraternelle: elle se réalise en son propre Corps. Avec une telle pauvreté de langage on évacue le mystère de l'entrée en communion avec le Père par le Fils de ceux qui s'identifieront douloureusement au Fils. En fait de pouvoir avec cela « pénétrer l'évolution présente du monde », on passe à côté du mystère de l'homme.

Le § 45 semble prendre un mouvement plus dialectique: Celui, dit-on, qui est doux et humble de cœur est aussi Celui qui déploie sa force d'un bout du monde à l'autre — soit, mais il ne s'agit pas d'un triomphalisme qui compose avec la suavité; la royauté universelle est la résultante de l'humilité de la condition de fils et de l'énergie qui se fait violence pour témoigner jusqu'au bout.

Au § 46: « c'est par la croix seulement qu'il a voulu régner » — certes mais il ne faut pas réduire cette croix au bois d'un gibet, il faut lui reconnaître toute sa dimension, coextensive à l'existence de Jésus qui *contredit* le Monde et ses habitudes; car, finalement, Il n'a rien fait comme tout le monde, au point qu'on croyait ses facultés dérangées (*Mc.* 3, 21).

Le Christ n'est pas venu seulement pour consoler mais pour heurter, il est venu sauver le Monde, on peut dire aussi qu'il est venu le contredire — et c'est en le contredisant qu'il l'a sauvé. C'est une des significations de ses désaccords profonds avec les Pharisiens, avec les prêtres, les maîtres en théologie, les détenteurs du pouvoir, tous ceux qui systématisent et simplifient. C'est ainsi que Jésus peut aussi bien dire qu'il nous donne sa paix (*Jn.* 14, 27) et qu'il n'est pas venu établir la paix mais la division (*Lc.* 12, 51).

Un des grands mystères de Jésus c'est qu'il a résolu la contradiction non dans la révolte, mais dans l'obéissance, c'est à dire dans la reconnaissance, l'acceptation de sa condition de Fils; et c'est alors, au terme de cette lutte, au sommet de cette existence tragique jusqu'au sang de Gethsemani et du Calvaire, que Dieu l'a ressuscité « ce Jésus que vous avez crucifié (parce

que vous ne pouviez plus le supporter, tout en exaltant par là même le Signe de contradiction) et qu'Il l'a fait (époièsen) Seigneur et Christ » (*Act.* 2, 36). Voilà les éléments d'une christologie dynamique, qu'il fallait souligner. On est passé à côté.

(*Anthropologie*). Peut-être est-on passé à côté parce qu'on n'a pas été sensible au véritable drame intérieur de l'homme. Une anthropologie plus réaliste aurait conduit à exprimer une christologie plus complète.

La psychologie sous-jacente au schema est indigente, pas d'analyse profonde du drame interne de l'homme — qui est pourtant à la base de tous les problèmes étudiés; il y a plus de psychologie dans un roman contemporain ou dans la tragédie classique. Et, par là, l'infra-structure anthropologique n'est pas atteinte.

Il est certes très juste d'appuyer une étude de l'homme sur l'« Image »; encore faut-il voir *tout* ce que cela comporte en le situant dans le contexte de l'économie du salut. On nous présente l'homme comme « synthèse » de la création parce qu'image de Dieu, mais cette synthèse reste pratiquement à faire car l'homme est concrètement en situation antithétique. On dit l'homme milieu de la « symphonie » du monde, en se référant au cantique des créatures du livre de Daniel, mais les compagnons d'Azarias n'ont pu chanter ce cantique qu'après avoir passé par le feu, victorieux de l'épreuve. On dit que tous les éléments du monde trouvent leur achèvement en l'homme — en l'homme parfait qu'est le Christ glorieux, mais certainement pas en l'homme dans sa condition présente, qui n'est pas « achevé ». Le grand malheur de cette anthropologie, plus incomplète encore que rudimentaire, est d'être imperturbablement *statique*. Avant d'être une « symphonie » l'homme est un carrefour d'éléments qui se heurtent, un champ de forces qui s'opposent, entre un infini de grandeur et un infini de détresse; son « image » est une réalité dynamique à réajuster par la conversion et conduire à la ressemblance.

Du fait qu'elle est conçue statiquement l'« image » est présentée systématiquement d'un point de vue optimiste. Les œuvres de l'homme sont qualifiées de *mirifice* (§ 13, ligne 16) mis en parallèle avec les *mirabilia Dei* (ligne 19). On a le même tableau au § 38: soumettre, dominer, gouverner (cf. critique supra).

L'unilatéralisme (une fois de plus) des citations bibliques du § 11 est condamné par cet a priori: toute la création bonne, l'homme couronné de gloire et de splendeur... Mais il y a beaucoup plus de textes bibliques qui, dans l'autre sens, révèlent la détresse, la bassesse, la rupture, car justement le langage biblique est ainsi fait qu'il rend compte, par des propositions opposées qu'on ne peut citer les unes sans les autres sous peine de leur faire dire n'importe quoi, de la dialectique du monde en marche.

Au § 14 on suppose tout homme doté de conscience morale (c'est généreux et bienveillant, mais ce n'est pas réaliste); au § 15 on exalte la grandeur de la liberté (ce qui est tout théorique car le conditionnement est

constable dans tous les milieux) « Dieu permet à la créature de se révolter » — l'expression peut être mal interprétée; en tout cas, après cela, il est difficile de dire: « il n'est pas question de considérer la créature raisonnable comme une sorte de rival (quasi aemulam) du Créateur » (§ 39); car en fait elle se montre telle.

Au § 16 on rattache la dimension sociale de l'homme, sa vie de relation, à fin de communion, à l'image de Dieu un et trine; mais on oublie de dire qu'à ce sujet l'image réclame d'abord de l'homme qu'il réalise l'unité en lui (et cela du fait qu'on n'a pas vu sa dualité).

Le § 8 est autrement réaliste, il emploie les mots « contradiction » et « rupture d'équilibre » — mais il fait de ces phénomènes la conséquence moderne de la rapidité de l'évolution, au lieu de les rattacher à la nature même de l'homme. Déséquilibre, dit-on, entre l'intelligence pratique et l'intelligence théorique, entre l'efficacité et la morale, entre la condition et le désir — mais on s'arrête en chemin, on était bien parti, il fallait aller jusqu'au bout: jusqu'à la tension profonde en l'homme (en tout homme, par nature) entre le pôle de la finitude, des limitations, du point de vue, et le pôle de l'infini du désir, de l'exigence d'achèvement de l'absolu de la vérité. « L'humanité de l'homme, écrit P. Ricœur, c'est cette dénivellation, cette polarité initiale, cette différence de tension » (Finitude et culpabilité, I, p. 109). On aurait mieux compris alors ces « conflits dramatiques » dont il est question dans la dernière ligne du § 8.

Vivant dans sa condition présente et appelé à un infini de grandeur, l'homme connaît un déséquilibre (provisoire) de nature et un déchirement de fait (comme il passe en fait de la faillibilité à la culpabilité); c'est ce qu'a remarquablement représenté Dostoievski en tous les grands personnages de ses romans. Cette dualité est une dualité de polarité (donc dynamique et résoluble) non de constitution (statique et immuable); elle n'a rien à voir avec le dualisme orphique de l'« âme » et du « corps ». Pour la constater sans la vaincre laborieusement l'existentialisme conduit à une impasse. Or la solution de cette dialectique se lit en toutes lettres dans l'économie révélée du salut: c'est la conversion, à laquelle les prophètes appelaient les hommes. Cette voix prophétique doit toujours être entendue opportune et importune; il n'y a pas de solution ailleurs.

Pour n'avoir pas vu la vraie situation de l'homme, notre schema, qui s'imagine l'homme autre (simple, alors qu'il est encore double), n'est pas conduit à la vraie solution, ne fait pas entendre une voix de prophète. Souffrance et déchirement, tendances contradictoires, aspirations opposées, on est passé à côté de tout cela. Son point de départ étant de l'ordre de l'hypothèse, il ne répond pas aux besoins réels de l'homme et le laisse dans sa situation. Pour apporter aux problèmes de notre temps une solution qui s'impose et dans une langue intelligible il faut être capable d'élaborer d'abord une anthropologie réaliste, dynamique, conduisant au Christ qui répond par la croix et rassemble dans l'unité. Traiter l'homme en homme, de façon objective,

humaniste et pratique, c'est le traiter en référence au Christ, qui n'est pas une des dimensions de l'homme, mais leur sens même.[3]

---

[3] Karl Rahner parle, en ce sens, du Christ *Avenir* de l'homme. Sur ce point de rencontre de l'anthropologie et de la christologie la doctrine exprimée dans sa conférence de Salzbourg (mai 1965) répond aux besoins du monde *huius temporis* plus que tout optimisme insuffisamment structuré, et il ne s'agissait pas d'un concilium de purs théologiens!

80

EXC.MUS P. D. ERNESTUS SENNA DE OLIVEIRA

Episcopus Conimbricensis

Si tempus et sanitas sat mihi suppeditarent, multa notare vellem circa praedictam constitutionem. Sed saltem aliqua innuam:

1. Ante omnia circa titulum: Ob saltem aliquas rationes, iam ab aliquibus Patribus optime adductas, et nominatim ab exc.mis arch. Matritensi (Morcillo) et Diamantinensi (Sigaud) non mihi placet quod materia de qua agitur inscribatur sub titulo « Constitutio ». Melius esset, mea humili sententia, quod ille titulus, verbi gratia, hoc modo enuntietur: « Declaratio Ecclesiae ad mundum hodiernum ».

2. Nimis vaga, longa et diffusa, et ideo forsitan fastidiosa pro pluribus, Constitutio mihi apparet, praesertim quoad expositionem introductivam et quoad caput primum (in quo de cetero, meo humili iudicio, aliqua minus exacte dicuntur, v. g., pag. 13, n. 12 « corporali conditione »; alia omittuntur, v. g., quoad peccatum originale, — pag. 15, n. 15 —, quod, proh dolor, omnes homines infecit et in naturalibus velut vulneravit; vel saltem incomplete considerantur, v. g., pag. 18, n. 20, in quo tantum « de Christo Homine perfecto » agitur, cum, mea humili sententia, loqui deberet etiam ut Salvator et Redemptor noster pro nobis crucifixus.

3. Circa cap. II, pag. 25, n. 31: mihi videtur sat conveniens ut affirmetur quod, etsi omnes homines sunt aequales quoad suam communem naturam, quia omnes corpore organico et anima rationali praediti sunt, non sunt tamen omnes aequales quoad differentias accidentales quae in omnibus fuerunt, sunt et semper erunt sat diversae, sub respectu morali, intellectuali et physico, ita ut non omnes, eodem modo, parati sint aut parari possint ad omnia munera rite exercenda, ad quae proinde de facto saltem aliqui accedere non possunt.

Haec, inter multa alia, circa primam partem constitutionis praedictae mihi occurrunt, sed pro nunc haec tantum innuere possum, et sit mihi venia.

81

EXC.MUS P. D. OTHO SPÜLBECK
Episcopus Misnensis

Ut schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* adhuc melius fideles quoque qui sub regimine marxistico-atheistico versantur, in discussionibus cum a-catholicis immo cum atheis adiuvare possit, modus loquendi schematis in quibusdam partibus transformandus est. Cum athei nostrae regionis declarant se Deum reicere, quia religio individualismum et proin egoismum oeconomicum et iniustitiam socialem foverit, modus cum eis loquendi characterem socialem hominis clare exprimere debet. Multum adiuvaretur, si character socialis, quem Sacra Scriptura inde ab initio homini attribuit, in schematis modo loquendi quoque aperte doceretur.

In hunc finem sequentes modificationes propono:

1. Titulus cap. I « De humanae personae vocatione » modificetur. Propono « De generis humani vocatione ».

2. In toto cap. I modus loquendi concretus (« homines » aut « nos ») praeferatur abstracta formulatione « homo ».

Ratio ad 1 et 2 modificationem. Evitanda est impressio, acsi constitutio de conceptu mere philosophico hominis et non de vivis hominibus nostri temporis loqueretur. Immo homines quoque qui extra Ecclesiam vivunt et christianam fidem nesciunt, intelligant de sua vita agi et Ecclesiam toto generi humano solidarem esse.

3. N. 11. inde a lin. 13 (pag. 13: « Hoc autem dominium ... creavit eos ») emendetur sequenti modo: « Hoc dominium homines nonnisi in societate et per societatem exercere valent. Intellectu enim et conscientia corde et voluntate praediti, ad similitudinem Dei, qui caritas est, se invicem diligere et sese libere pro aliis impendere possunt et debent. Nam Deus non creavit hominem solum, sed inde a primordiis " masculum et feminam creavit eos " ».

Ratio. Sacra Scriptura dominium super terram generi humano et non homini singulo attribuit (*Gen.* 1, 28). Indoles socialis eius dominationis, quae a Sacra Scriptura suo modo pronunciatur, rationi quoque sanae correspondet: homo singularis de facto dominium super terram nec intellectu nec voluntate exercere potest.

4. N. 16 « De sociali indole hominis » (pag. 15) transponatur. Inserendus est in n. 11 immediate post lin. 19 (pag. 13).

5. In initio n. 16 omittantur verba: « Homo dum materiae praeest, omni homini similis est ». Eorum loco inserantur verba: « Itaque sine relationibus cum aliis nec vivere nec dotes suas explicare possunt ».

6. N. 16 exhausto sequantur ex n. 17 linn. 22-27 (pag. 16). Initium sententiae in lin. 22 sequenti modo emendetur: « Homines communionem

cum fratribus suis actuare nequirent nisi ad communionem cum ipso Deo invitarentur et moverentur ».

Ratio ad modificationes 4, 5, 6. Commendata textuum transpositio melius doctrinam Sacrae Scripturae exprimit, personam humanam essentialiter et creatam et destinatam esse ad vitam socialem: ad unionem cum Deo et ad unionem cum fratribus. Quae profunda individui et societatis connexio similitudine hominis cum Deo uno et trino confirmatur.

Societas humana et unio hominis cum Deo intime coniunguntur. Quia societas humana sine unione cum Deo — et singuli hominis et totius societatis — vivere nequit, depravabatur societas quoque per peccatum originale.

Propositis modificationibus etiam clarius elucescit, facultates corporis et mentis hominis, praesertim libertatem et conscientiam (cf. nn. 12-15), ad communicationem hominis cum Deo et cum fratribus destinatas esse.

7. N. 20 (pag. 18, linn. 21-22) post verbum « restituit » inseratur: « et unitatem generis humani eodem peccato destructam in ecclesia sua reparavit (*Eph.* 2, 15; *Io.* 17, 22 sq.) ». *Ratio*: munus Salvatoris Nostri secundum doctrinam S. Scripturae non spectat ad redemptionem singuli hominis tantum, sed ad reparandam quoque unitatem generis humani in Deo. Aspectus socialis redemptionis pro hominibus nostrorum temporum maximi est momenti.

8. N. 49 (pag. 38, lin. 22) post verbum « unitatis » inseratur: « qua ipse Deus novo modo in mundo praesens fieri vult ». *Ratio*: praesentia Ecclesiae quae est corpus Christi ipsum Dominum praesentem in mundo reddit. Praesentia Dei vivi in medio populi eius iam temporibus Veteris Testamenti spes et gloria Israelis fuit. Praesentia Christi in medio Ecclesiae correspondet indigentiis mundi, qui restaurandus est in Christo (*Eph.* 1, 10).

9. Textus n. 51 (pag. 39, linn. 28 ss.) « Christus ... socialem spectaret » sequenti modo emendetur: « Christus enim Ecclesiae suae nullum mandatum *novum* concredidit, quod ad ordinem politicum, oeconomicum, socialem spectaret, sed fidelibus suis spiritum humilitatis, libertatis, amoris donavit, ut illos ordines secundum voluntatem creatoris et agnoscerent et adimplerent ». *Ratio*: Christus in Ecclesia munus exercet universale ad reparandam vitam individualem et socialem totius generis humani. Falsum esse videtur Christum Ecclesiae suae nullum finem relate ad ordinem politicum, oeconomicum, socialem assignavisse.

10. Textus n. 52 (pag. 41, linn. 12 s.) « Christianus officia sua ... discrimen adducit » sequenti modo emendetur: « Christianus officia sua temporalia adimplens, officia adimplet erga Deum ipsum et aeternam suam salutem efficit ». *Ratio*: clare elucescat, christianos in mundo agere non solum ob timorem peccati sed imprimis ex amore erga Deum optimum quem in creaturis eius amant.

82

Exc.mus P. D. RUDOLFUS IOSEPH STAVERMAN

Episcopus tit. Mosinopolitanus, vic. ap. Sukarnapuraensis

Loquor nomine conferentiae episcoporum Indonesiae. Conferentia nostra in genere schemati *de Ecclesia in mundo huius temporis* favebit, sed iudicio nostro partes valde inter sese distant valore, prout adhuc exponetur in interventionibus nostris ad singula capita. Nunc rogo attentionem vestram pro sequentibus:

1. Quoad vocem « pastoralis » in titulo: plene consentimus cum iis quae em.mus card. Silva Henriquez nuper in hac aula relate ad titulum tam clare notavit. Cum eo proponimus titulum « Constitutio » sine additione.

2. Commissio competens conata est textui characterem universalem tribuere. Et revera non sine fructu. Tamen opinamur textum etiam sub hoc aspectu ameliorari posse. Expositio introductiva, ceteroquin optima, impressionem adhuc occidentalem facit. Timeo ne mundus orientalis sese in hac descriptione modo insufficienti recognoscat. Quare in numero sexto schematis commendamus additionem incisae sequentis: « Omnis regio mundi evolutionem hanc dirigere conatur secundum propriam suam identitatem ». Conferentia nostra insuper in disceptatione partis secundae huius schematis quaedam concreta proponet.

3. Concilium sermonem dirigit ad omnes homines (n. 2, pag. 5, linn. 15 ss.), et primos gressus facere intendit ad colloquium instituendum cum tota familia humana (n. 3, pag. 6, lin. 5). Ad verum colloquium tamen requiritur ut colloquentes sese ponere possint in plano communi. Hoc planum commune, nostra opinione, nequit esse nisi experientia hominum mundi huius temporis cum suis problematibus, prout bene describuntur in expositione introductiva. Colloquium insuper requirit ut participantes *coniunctim* solutiones novarum quaestionum quaerere conantur, unusquisque durante colloquio afferendo lumen ex parte sua. A. v., in afferendo lumen nostrum, quod est Christus Dominus, paupertatis spiritu imbutos nos esse oportet, prout tam praecellenter anno praeterito em.mus D. card. Lercaro fortiter et suaviter mentibus nostris impressit. De facto autem schema, speciatim in parte prima, viam inversam sequitur ponendo a priori doctrinam de homine ad imaginem Dei creato, cuius interpretatio ceteroquin non tam obvia et clara est quam proponitur (n. 37, pag. 30, lin. 15). Sic exprobratio apriorismi in n. 9 aliis facta (pag. 10, linn. 28-29), in schema ipsum cadit. Praeterea, Ecclesiam proclamando sedem huius colloquii, ut expressis verbis fit in numero centesimo quinto (pag. 82 linn. 27-28), schema colloquium potius operit, quam aperit. In interventione nostrae Conferentiae ad Tertium et Quartum capitulum aliam et nostra sententia meliorem viam proponere intendimus.

4. Subjectum colloquii nostra ex parte est Ecclesia ut communitas fide-

lium. Quare vox « Ecclesia » claritatis non solum, sed maxime etiam veritatis causa tantum in hoc sensu adhibeatur. Quando Concilium intenditur, Concilium dicatur; quando Hierarchia, Hierarchia dicatur, et non Ecclesia. Speciatim in hoc schemate de praesentia Ecclesiae in mundo, vox « Ecclesia » restringatur ad communitatem fidelium (scriptis addo quaedam exempla ubi nostra opinione significatio vocis « Ecclesia » non est clara). Haec autem communitas fidelium etiam comprehendit, licet diverso modo, omnes Ecclesias et communitates ecclesiales. Quod quidem certe post promulgata in sessione tertia oblivisci non licet. In colloquio cum mundo huius temporis Oecumenismus ab initio in mente nostra adesse debet, et quidem tum quia divisio Christianorum scandalo est mundo et obscurat lumen Evangelii, tum quia Christiani colloquendo et cooperando in mundo hodierno unitatem a Christo deprecatam adimplere debent. In schemate autem Oecumenismus nullam realem partem habet.

5. Ecclesia omnes homines ad colloquium invitans historiam suam cum virtutibus et peccatis, cum meritis et demeritis, tam in capite quam in membris, secumfert. Nostra opinione necesse non fuisset de hac historia loqui in hoc schemate. Si autem fiat, maximi momenti est ut fiat cum veracitate et sinceritate. Hae enim qualitates in nostra aetate summe aestimantur. Schema de hac re loquens, bene quidem inchoat, sed una vice ridiculo modo mentionem facit de quibusdam rugis et altera vice Ecclesiam disculpat attentionem dirigendo ad quosdam anonymos adversarios (n. 56, pag. 43-44; cf. etiam textus sequentes ubi idem minimalismus invenitur: « In quibus erratis ipsi credentes non omni semper culpa carent » n. 18, pag. 17, linn. 8-9: « neque errores exclusive catholicorum fuerunt » n. 40, pag. 32, linn. 29-30).

Conferentia nostra convictionem habet quod sincero et forti modo loquendi fideles nostri non conturbantur, sed confortantur, et omnes homines ad fiduciam erga Ecclesiam excitantur.

Significatio vocis « Ecclesia » clara non esse videtur in sequentibus locis: pagg. 10, lin. 40; 12, lin. 22; 17, linn. 34, 43; 18, lin. 6; 38, lin. 23; 39, linn. 25, 28, 31, 35; 40, linn. 3, 10; 43, lin. 7.

* * *

Dialogus inter Ecclesiam et mundum (Enc. Litt. *Ecclesiam suam*) necnon et nova synthesis inter Evangelium et humanas valores (Constitutio de Eccl. haec) se dirigere debent ad concretam et vivam socialem realitatem eiusque evolutionem, sicuti invenire potest ubique terrarum pro diversitate locorum, non autem ad unam alteramve formam fixam vel praeteritam vel futuram.

Constitutio pastoralis haec optime describit processum individualizationis et dissolutionis sensus communitatis in quam societas occidentalis delapsa est.

Bene etiam viam ad novum reconstruendum sensum communitatis secundum spiritum Evangelii indicat. Insuper ut instituatur harmonia nova inter

diversas vitae publicae activitates et navitates, quae usque nunc saepe inter se conflictari videntur, valida consilia praebet.

Attamen, quamquam Constitutio pro tota humanitate valorem se habere perhibet, multas humanitatis et Ecclesiae regiones nullo modo attingit, eas nempe ubi evolutio societatis et unio diversarum publicae vitae activitatum omnino contrariae sunt ac illae quae in societatibus occidentalibus observantur.

1. Ibi in genere habetur quaedam collectivistica societas, quae nuper quidem tendere coepit ad maiorem praebendum locum et dignitatem personae individuae, sed semper compagem collectivam praefert aggregationi individuorum. Ibi sanatio malorum socialium ex nimis coarctata libertate subiectorum ortorum, omnino aliis viis et remediis indiget ac in societate occidentali. Ex tali diversitate quae pro sat magna parte mundi valet, via uniformis a Constitutione indicata nulla omnino solutionis principia affert. Immo impressionem gignit Ecclesiam se imprimis gentibus occidentalibus eorumque problematibus interesse. Impressionem dico tamquam omnes aliae culturae tantum per viam destructionis antiquorum vinculorum socialium ad novam redintegrationem pervenire possint: quod autem contradicit doctrinae universalis Ecclesiae de adaptatione missionali quae in nn. 6, 22 prioris textus clare redditur et in hoc novo textu misere omissa est.

2. Aliquid tale valet de quaestione unitatis et separationis Ecclesiae et civitatis civilis. Revera duae inter se oppositae tendentiae: completa identificatio ordinis civilis et religiosi necnon absoluta eorum separatio, Ecclesiae aeque nocent. Tamen processus historicus hac in re in occidente non pro semel et pro semper viam pro universo mundo continet. In multis novis statibus cooperatio et coniunctio inter religionem et ordinem civilem tales bonas fructus pro utraque affert ut radicalis eorum separatio quam Constitutio laudat hic tali bonae cooperationi viam claudit. Infrastructura mentalis plurium ex tertio mundo regionum sociali integratione mutua diversarum activitatum gaudet; ergo pluralitas variarum structurarum et varia earum receptio Evangelii a Constitutione agnosci debet.

Res quae nimis exclusive tantum pro occidente valent passim inveniuntur in Constitutione, in particulari autem nn. infra indicatis, ad quorum emendationem sequentes proponuntur novae formulationes:

N. 6: ut ad finem huius numeri addatur aliquid sicut: Illorum ad progressionem nitentium populorum sors specialem huius Synodi sollicitudinem movet. Illi enim omnibus suis viribus meliorem vitam socialem, quae cum concretae conditioni suae quadrat, intendunt. Tamen saepe ad hoc obtinendum, propter rationes legitimas, contrariam ac quae in occidente necessaria est viam pergunt, scil. de nimis arcto collectivismo vel communalismo se emancipare volunt ad maiorem individuae personae dignitatem obtinendam. Ius ad propriam et indigenam nationalem, et cum suis traditionibus recte congruentem, perfectionem iure sibi vindicantes, totum huius mundi ambitum in bonum influere non negligant. Luce clarius est eos alia habere proble-

mata in transitionis hoc tempore ad novas structuras sociales ac in occidente, et aliis quoque solutionibus indigent. Quare Sacra haec Synodus totum Dei populum, et praesules, et totum Ecclesiae gregem, clara voce vocat ut, memores « verbum Dei » alicui determinato evolutionis gradui « non esse alligatum (cf. *2 Tim.* 2, 9) ad vias coniunctim quaerendas, ut illis dictis populis ita Evangelium annuntietur ut revera eorum providentialiter disposito ingenio quam optime correspondeat.

N. 18: ut addatur sententia: Multi etiam sunt qui negativo modo atheistae dici possunt, scil. qui in animismo versantur, attamen spem in aliquam supramundanum et providem Numen agnoscunt.

N. 19: Sententia incipiens a « Quaerimus ... non agnoscunt » (pag. 17, linn. 42-44) aequivoca est, eaque atheistae perverse abuti possunt ut discriminationem ac reiectionem atheismi, si alicubi est, his verbis tamquam argumentis adhibitis, abolescere possint. Si v. g. in Indonesia, sicut etiam in aliis statibus obtinetur, atheismus statum legalem non habet, ex auctoritate huius Constitutionis Pastoralis arma sibi sumere possunt ad agendam contra talem discriminationem; quod risibile est. Ergo scribatur: « Quaerimus insuper quo iure potestatem in civitate, quippe quae non esset nisi a Deo (cf. *Rom.* 13, 1) in detrimentum eorum, qui in Deum credunt, adhibere audent, tantummodo quia in Deum credunt ... » vel: « Quare fundamentalia iura personae humanae, nempe ut agnoscat suum Creatorem, non agnoscunt ».

N. 23: De multiplicitate socialium vinculorum. Etiam a contrario inculcari debet. Etiam cessatio vinculorum, quae libertati nocent, aliquando necessaria esse potest.

N. 33: Ethica individualistica criticismo subicitur. A pari etiam ethica nimis collectivistica criticismo subici debet.

N. 40: Formido nimis arctae coniunctionis inter religionem et ordinem mundanum criticismo subicitur. Sed etiam metus differentiationis inter utrumque ordinem, quae utrique prodest, eidem criticismo notari debet.

Hic etiam bene autonomia culturae nominetur, sicut in textu priore schematis XIII sub 6, 22. Ut illa mentio reddatur.

Nn. 51-52: Dialogus quis inter Ecclesiam et mundum his in numeris commendatur et quidem ita ut, statuta autonomia culturae, tamen mutuum adiutorium laudatur. Nullus magis utriusque in hoc dialogo partis modus ulterius invenitur. Sed praesertim populi, in processu socialis et civilis evolutionis involuti, maiorem et distinctiorem hac in re a Matre sua et Magistra Ecclesia doctrinam exoptant atque sperant.

N. 86: Iura sese coadunandi .. cui addi debet: et iura sese dissociandi, si necesse est, scil. ex vinculis legum traditionalium (droit coutumier) nimis arctis.

N. 87: Ad sententiam: « Quapropter societatem politicam secundum varias formas constituunt ».

Illa sententia multo minus dicit quam in textu priore schematis XIII dicitur sub 24, 6 in quo statuitur: « ut populi sicut desiderant sui iuris fiant ».

Hic ius ad gubernium sui supremum, liberum et independens (souveraineté) explicite indicatur necesse est: idque hisce causis: *a*) libertas populorum absolute necessaria est ad pacem mundi; *b*) dignitas hominum ut sint liberi (nn. 11-15 huius Const. Pastoralis) quaerit libertatem nationum; *c*) reverentia erga personam humanam (n. 27), libertas et coniunctio (n. 32), insuper rerum terrestrium autonomia (n. 40) in quorum terrestrium valorum ordine primus locus in statu civili occupatur tale complementum, exigunt.

N. 89: ad verba « Spem suam non reponit ». Haec sententia non consentanea esse patet cum diplomatica Vaticana, quae semper, sive Romano Pontifice, sive eius nuntiis loquentibus, gratias agit erga auxilia civitatis civilis erga opera Ecclesiae oblata. Quae voces insincerae videntur, si haec apodictica elocutio tenetur. In multis civitatibus, cum religionis adhuc arcta coniunctione cum compage sociali ornatis, spem Ecclesiae talem necessariam esse putamus, ut chaos magnum vitetur et structura peccaminosa impediatur.

Intense rogamus ut, si hae emendationes nondum communiter acceptabiles esse putantur, totius orientis et Africae episcopatus necnon eorum periti necessitatem harum emendationum sedulo perpendant.

Nomine conf. ep. Indonesiae.

83

Rev.mus P. D. MICHAEL SUDRES

Superior generalis Clericorum S. Viatoris

Post par. n. 19 schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* quae agit de problemate atheismi, addatur nova eaque congrua paragraphus quae agat de problemate *communismi.*

1. Omnino insufficiens habendus est n. 19 quippe cum atheismus sit quidem unus ex fundamentalibus erroribus communismi, at non unicus neque communismi proprius et exclusivus. Unde, etiamsi communismus, hypothetice loquendo, non esset atheus, respuendus nihilominus esset ob negationem aliarum veritatum fundamentalium ordinis naturalis (v. g. spiritualitas et immortalitas animae; dignitas personae humanae; libertas in re religiosa, associationis, informationis, etc.

2. Hodie forma periculosissima et virulentissima sub qua veluti incarnatur et operatur atheismus est « communismus ». Proinde de communismo, et quidem sub suo explicito nomine quemadmodum factum est in Enc. *Divini Redemptoris* Pii XI, f. r., Concilio Vaticano II agendum est.

3. Numquid aliud problema magis pastorale invenitur, quam problema impediendi, quominus fideles per communismum athei evadant? Permulti enim censent se, cum athei non sint, posse communismo adhaerere.

4. Fideles expectant ut Concilium loquatur de hoc argumento, ut tollantur e sinu Ecclesiae dubia, incertitudines, fallaciae circa possibilitatem concordiae inter communismum et christianismum.

5. Omnes qui persecutionem passi sunt aut patiuntur ex parte communismi — catholici, orthodoxi, protestantes, iudaei, asseclae cuiusvis religionis — expectant a Concilio solatium quoddam et solidarietatem.

6. Si Concilium de communismo sileret, silentium hoc, in mente fidelium, aequipararetur, tacitae abrogationi eorum omnium quae contra communismum dixerunt et scripserunt recentiores Summi Pontifices, necnon et condemnationum pluries a S. Officio irrogatarum. Damnum psychologicum inde sequuturum, necnon et despectus Magisterii Ecclesiae, esset immensi ponderis. Insuper Ecclesiae argui facile posset de opportunitatis studio, de falso timore, de maiore praeoccupatione erga iudaeos quam erga christianos persecutioni obnoxios.

7. Communismus exoptat et expectat silentium Concilii: quod profecto gravem significationem habet. Nemo dubitare potest per ingentem operam propagationis communismum in sui favorem silentio Concilii abusurum fore, cum legenda confusione idearum apud fideles.

8. Quomadmodum, gravi quidem iniuria, hodie a nonnullis accusatur Pius XII v. m. de silentio erga victimas nazismi, sic post Concilium, iure meritoque, accusaretur Collegium Episcopale de silentio erga victimas communismi.

84

Exc.mus P. D. AEMILIUS TAGLE COVARRUBIAS

Episcopus Vallis Paradisi

Parte I: cap. I. *a*) n. 11, pag. 13, agregar despues de la lin. 13: « El hombre está dotado de alma espiritual e inmortal. Por eso es capaz de ejercer supremacía con su inteligencia ... etc.

b) De la conciencia: n. 14, pag. 15, lin. 3, agregar: « Dios ha establecido un orden objetivo y una ley que el hombre está moralmente obligado a respetar y cumplir. Al hacerlo encuentra la verdad y el bien, la felicidad y la paz. Al faltar cae en la desgracia y merece la sanción ».

c) De la libertad: n. 15, pag. 15, lin. 16 despues de « iuris Dei » agregar: « El hombre no posee una libertad absoluta, sino una libertad que debe ejercitar hacia la verdad y el bien. Sólo en este recto ejercicio de la libertad actúa el hombre conforme a su dignidad ».

d) N. 19. Del ateísmo: Es indispensable un párrafo que explícitamente se refiera a los aspectos concretos y pastorales del communismo.

e) N. 19, pag. 17, lin. 39, se diga en vez de « invitamus »: « Suam contra Deum oppositionem rationibus validis atque puris *nequit* fulciri ». *Razón*: el texto sugiere la posibilidad de que tengan razón los ateos.

f) Afirmación del orden sobrenatural. N. 20, pag. 19, al final agregar: « Cristo con Su Muerte y Resurrección nos ha merecido el ser elevados a un estado más que humano, el orden sobrenatural de la gracia. Constituídos en él estamos capacitados para participar en la misma vida de Dios, lo cual constituye nuestra auténtica grandeza y nuestro eterno destino ».

N. 18, pag. 16, lin. 38. Después de Plures, se suprime « legitimum », pues una autonomía legitima no se opone a Dios. En vez de « perducunt » decia « potest perduci ».

Cap. II: a) n. 27, pag. 24, lin. 9, en vez de decir « Item reverentia pro persona exposcit ut « ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur » se diga « ad amplexandam religionem » porque debe aplicarse a todas las religiones.

b) pag. 24, linn. 10-14. Se suprima o se modifique de acuerdo a la nueva presentación que se espera de la libertad religiosa.

Cap. III: *a*) n. 37, lin. 6, quitar « perobscura remanent », el cristiano tiene la claridad de la fé.

b) n. 39, lin. 26, quitar « ut quidam obiiciunt » por inútil y perjudicial.

c) n. 40, pag. 32, linn. 24-33. Quitar todo el párrafo. Confesión de un caso particular que desdice del conjunto general.

d) lin. 41, quitar la cita del Indio, tenemos mejores nuestras.

e) n. 46, pag. 35, lin. 29: en vez de « Christus qui nullius hominis adhaesionem cogit » digase « adhaesionem physice cogit » porque moralmente obliga.

f) n. 41, pag. 33, linn. 11 y 12. Borrarlas por ser ambiguas y prestarse a falsas interpretaciones. Lin. 13 borrar « tamen ».

Cap. IV: *a*) n. 51, pag. 39, linn. 28-30: se diga: Christus enim Ecclesiae suae nullum mandatum concredidit ... qui ad ordinem politicum, oeconomicum, socialem *directe* spectaret.

b) n. 53, pag. 41, linn. 38-40: se suprima « ne censeant laici ... » hasta « illos ad hoc missos esse » y continuar « laici potius, sapientia christiana ... ». Aparece como una disminución perjudicial de la misión de los pastores.

c) n. 55, pag. 43, linn. 10 y 11. En vez de « loco praesertim theologorum se diga « imprimis Pastorum ».

d) n. 49, pag. 38, lin. 19. No puede afirmarse que el único fin de la Iglesia es que los hombres tengan la vida de Cristo. ¿Y la gloria de Dios? Habria que decirlo.

[*Subscripserunt etiam*] A. Menchaca Lira, ep. tit. Pinara; A. Mery Beckdorf, arch. tit. Fasi, coad. La Serena.

85

Exc.mus P. D. ANGELUS TEMIÑO SAIZ
Episcopus Auriensis

I - Scopus schematis, afferendi mundo hodierno et suis structuris nuntium evangelicum, est omnibus laudibus dignus. Schema, praeterea, non pauca continet quae huic fini vere deserviunt.

Tamen liceat opinari textum quammultis non satisfacturum in mundo, cui dirigitur; et non magnam utilitatem esse allaturum. Potius quam laetitiam et solamen deceptionem producet multis alia spectantibus, immo et moerorem.

Eis, qui nomine catholico gloriantur et viris timoratis aliarum religionum, textus valde probabiliter nimis vacuus sensu supernaturali videbitur, et plus aequo in rebus mundanis, quae Deus disputationi hominum reliquit, sese immiscens. Tradens etiam doctrinas, quae vel non sufficienter maturarunt, vel non satis conformes Magisterio Ecclesiae, vel mutationibus sunt obnoxias constanter. Tandem parum aptum ad actuales confusiones depellendas.

II - *Ad magis particularia.* Prima pars est obscura, impraecise, nimia continens non satis connexa neque inter se, neque cum illis quae in secunda parte traduntur. Propterea, ut iam dictum est in aula, oporteret, putamus, totaliter esse reficiendam.

Primum caput secundae partis, satius foret omittere, et illam materiam relinquere R. Pontifici, qui significavit de illa indicaturus et locuturus, si expediat, audita commissione mundiali virorum et mulierum ab ipso convocata. Nam quod mundus spectat de hac re matrimoniali, est praecise quod sibi reservavit R. Pontifex. De aliis nec curant homines, neque de his indigent.

Secundum caput huius secundae partis, ut est, exiguum solamen afferet viris cultoribus scientiae et artium. Quaedam considerationes generales possent dari in prima parte et in secunda omitti.

Tertium caput maximi momenti est, et si de quibusdam emendetur, approbatione dignum nobis videtur. Aliquas emendationes proponimus:

N. 79, pag. 62, linn. 36-37. *Dicit*: « Remuneratio autem laboris tanta etc. ». *Dicatur*: « Remuneratio autem laboris, si res patitur, tanta etc. ... ». *Ratio*: ita debet dici, ut praecludatur via exigentiis, qua aliquando satisfieri non possunt, sine periculo maioris detrimenti pro omnibus.

Ad n. 79, pag. 63, linn. 5-6, ubi dicit: « Praeterea sufficiens quies et otium eis concedenda sunt, ut vitam etc. ... », sic reficiendum puto: « Societas ita res oeconomicas ordinare curabit, ut laborantibus sit facultas vitam etc. ... ». *Ratio*: est eadem ac in praecedentibus, i. e., debet assignari ut finis pro viribus assequendus, non ut realitas immediate ordinanda.

Ad n. 80, pag. 63, linn. 27-30, ibi dicit: « Inter iura fundamentalia personae humanae adnumerandum est ius laborantium libere condendi consociationes, etc. », melius dicatur: « Inter iura personae humanae adnumerandum

est ius laborantium, *salvo bono communi,* libere condendi consociationes, aut earum navitatem libere participandi sine ultionis periculo ad honestam defensionem suorum bonorum intra societatem ». *Ratio*: in textu nimis extollitur ius laborantium sine ullo respectu ad bonum commune, neque ullus limes apponitur.

Ad n. 80, pag. 63, lin. 42, ubi dicitur: « ... desideria laborantium » addatur: « si aliter non fuerit sufficienter provisum ». *Ratio*: nam operistitia unicum medium possibile non est ad vindicanda iura, ac generatim saporem politicum habent magis quam oeconomicum vel socialem. Immo potius damnum oeconomicum individuis et societati gignit. Nec facile est haec discernere et praevidere.

Ad n. 81, pag. 64, linn. 17-31, haec omnia omittantur. *Ratio*: melius est ea societati civili de his ordinandis relinquere.

Ad n. 82, pag. 64-65. Ut in praecedentibus diximus melius esset ea omittere.

Ad cap. IV. Oporteret hoc reficere et vitare, ne nimis appareat lineam politicam mutationibus obnoxiam approbare.

III - *Proponimus suprema delineamenta huius schematis reficiendi.*

Pars prima: Proponantur principia generalia christiana in quibus innitantur solutiones ad problemata de quibus in secunda parte.

Huiusmodi principia haec esse possent: 1. Deus est pater omnium hominum, qui per gratiam in adoptione filiorum Dei nos constituit, et ad participanda bona divina caelestia et aeterna in regno Patris. Non abs re esset hic exponere doctrinam catholicam gratiae sanctificantis et sublimem dignitatem, quam homo per donum gratiae consequitur.

2. Ex praecedenti sequitur omnes homines fratres in Deo esse, et ut tales sese diligere debent sincero amore. Hoc ansam praebet exponendi praeceptum caritatis Christi et ad caritatem veram et practicam erga omnes homines provocandi. Haec doctrina christiana maximi ab omnibus existimatur, et ut principium singulare relationum humanarum proponi debet.

3. Dignitas naturalis hominis etiam commemoranda est, ratione naturae intellectualis qua capax est ad libertatem exercendam seu ad dominium suorum actuum et ordinationem suae vitae, ad scientias et culturam excolendas. Capax est etiam ad elevationem ad ordinem supernaturalem et dona divina participanda.

Ad lumen istarum veritatum debent solvi problemata quae in secunda parte proponuntur per modum consectarii.

Secunda Pars. 1. Agendum est speciatim de atheismo, communismo et materialismo, utpote maxime oppositi Deo et hominis bono.

2. De immoralitate, qua dignitas humana naturalis et supernaturalis pessumdatur.

3. De discriminatione omni vitanda, utpote opposita fraternitati universali.

4. Bellum ut horribile fratricidium damnandum.

5. Appetitus inordinatus divitiarum vel dominationis est respuendus utpote causa praecipua paupertatis et bellorum.

6. Aequa bonorum distributio inter individua et inter populos, salvo ordine et legitimo incentivo ad laborem, procuranda est.

7. Cultura et bona spiritualia etiam naturalia maximi existimanda et promovenda sunt, quae etiam ad caelestia perducunt.

8. Politica christiana populorum veram dignitatem hominis et rectam libertatem provocans, procuranda est.

9. Ut individua, pariter nationes amicabili foedere consocientur et mutuo se adiuvent, ut vera et stabilis pax regnet in mundo, et felicitas et fruitio bonorum in terris possibilis, ad omnes extendatur. Ad hoc obtinendum non parum conferre posset auctoritas mundialis vere efficax, quae indolem particularem populorum non destruat, sed potius vereatur.

86

Exc.mus P. D. GREGORIUS B. VARGHESE THANGALATHIL

Archiepiscopus Trivandrensis Syrorum Malankarensium

N. 13, pag. 47, linn. 28-30. Verba: « Quo circa ... praestare possunt » nullo modo omittantur praetextu brevitatis. *Ratio*: haec declaratio est verissima: ostendit solidarietatem omnium hominum et dat fiduciam eis qui carent opulentia materiali.

N. 27, pag. 23, linn. 35-36. Omittantur verba: « Qui, repente nobis in televisione occurens ». *Ratio*: haec verba indirecte manifestarent, quod Concilium loquatur ex visione christianorum occidentalium tantum.

N. 40, pag. 32, linn. 41-43. Non omittatur citatio ut requirebatur a quodam Patre in Concilio. *Ratio*: apta est citatio et ad rem; multum iuvabit huiusmodi ad instituendum dialogum verum Ecclesiae cum mundo et non tantum monologum coram mundo. Ipsa Sacra Scriptura et praesertim S. Paulus citant poetas et auctores extraneos.

87

Exc.mus P. D. IULIANUS VAIVODS

Episcopus tit. Macrianensis maioris, adm. ap. Rigensis

Audiatis oratiunculam, brevissimam omnium orationum, quales in hac aula conciliari dictae sunt.

Senex sum, sed nondum anniculus episcopus et quidem unicus episcopus in Concilio e vastissimo mundi imperio, nempe Unione Sovietica. Sentio

me inter tot et tantos sicuti « passer solitarius in tecto » ideoque non audeo abuti vestra patientia post tam longas et disertas perorationes de evitandis bellis.

Unum solummodo volo vobis annunciare. Ultimum bellum fecit in Unione Sovietica terribillimam devastationem. Ideo nunc nemo civium totius Unionis Sovieticae vult novum bellum neque Regimen Sovieticum umquam bellum aggressivum commovebit. Hoc, in quantum humana fragilitas scire potest, scio et huic augusto Concilio testificor.

88

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS CLEMENS VAN HOECK

Episcopus tit. Cissitanus, abb. null. Pietersburgensis

Pag. 25, n. 30, linn. 7-11 dicitur: « Omnis igitur discriminandi modus, aut politicus, aut socialis, aut « culturalis », secundum sexum, stirpem, socialem conditionem, linguam, tribum, « castam », pellis colorem vel religionem damnandus et sensim removendus est, utpote humani generis conscientiae et Dei proposito contrarius ».

Amplitudine sua, absentia cuiuslibet restrictionis, defectuque flexibilitatis ac omnis considerationis erga bene dispositos, haec condemnatio « omnis modi » discriminationis est vehementior, ac minus rationi consentanea quam quaelibet alia condemnatio a Concilio facta.

1. Non suppeditat definitionem verbi « Discriminatio », quod proinde in sensu latissimo accipitur.
2. Sine attenuatione condemnat rationem agendi tempore praeterito, saepe in Ecclesia et etiam ab Ecclesia usurpatam.
3. Nullum ex argumentis in favorem dictae rationis agendi allatis suggerit.
4. Multas quaestiones suscitat, quin ullam viam eas solvendi suggerat.
5. Vim lacerantem infert conscientiae multorum Christianorum non sat paratorum.
6. Potest provocare tumultos tum in Ecclesia tum in rebus publicis, nutriendo fallacem spem rerum quarum attentum examen vix incohatum est.

Res cum ita sit, textus ut nunc proponitur mihi simpliciter inacceptabilis videtur.

Verum quidem est quod post condemnationem, nulla apposita restrictione aut conditione, factam, in textu mentionem fieri quod « sensim » removendus est modus discriminandi; sed haec adiectio videtur attenuatio verbotenus tantum facta, quae nemini satisfaciet.

Ne impossibile reddatur colloquium cum bene dispositis, propono ut, prout fert mens pacifica Concilii, textus recognoscatur, verbum « damnandus » expurgetur et dicatur: « Omnis igitur discriminandi modus, aut politicus, aut socialis, aut « culturalis », secundum sexum, stirpem, socialem conditionem, sensim removendus est, utpote humani generis conscientiae et Dei proposito contrarius ».

89

EXC.MUS P. D. LEONTIUS ALBERTUS VAN PETEGHEM
Episcopus Gandavensis

Petitur ut in parte I schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis,* loco quod opportunius videbitur, inseratur mentio problematis « Alcoholismi », qui constituit aggressionem contra dignitatem humanam, et calamitatem pro vita physica, morali et religiosa victimarum, sicut et pro vita sociali ipsorum et familiarum eorum.

Petitur insuper ut conscientia christianorum et mundi evigiletur et adducatur ad assumendam responsabilitatem relate ad praedictam calamitatem:

1. *modo sociali,* per collaborationem associationibus caritativis quae volunt monere christianos et homines in genere de periculo alcoholismi, assistentiam socialem afferre familiis victimarum;

2. *modo individuali,* arcendo pueros et iuniores ab usu et praesertim abusu alcoholico, consiliando adultis praxim temperantiae, praestando assistentiam psychologicam, moralem et socialem victimis alcoholismi.

« Les habitudes de boissons alcoholisées, à la mode dans tous les pays et dans toutes les classes sociales, aboutissent chez un certain nombre de personnes à une *maladie* qui jette un trouble grave et irréparable dans leur personnalité, c'est-à-dire dans les facultés psychiques et morales qui conditionnent leur comportement, pour le bien ou pour le mal, dans la vie sociale de tous les jours. Ce trouble doit être pris au sérieux au point de vue spirituel comme au point de vue profane ».

90

EXC.MUS P. D. PASCHALIS VENEZIA
Episcopus Arianensis

1. In cap. III huius partis constitutionis, asseruntur hae tres veritates:

a) in n. 44, lin. 21: « Propter peccatum hominis, terra fuit maledicta » ...

b) in n. 45, pag. 34, linn. 39-40: « In divino igitur redemptionis consilio omnes humanae actiones locum suum obtinent ».

c) in n. 46, linn. 27-28: « Per solam crucem regnare voluit, relinquens exemplum ut, cum Eo compatientes, cum Eo quoque conregnemus ».

Attamen non explicatur quomodo nos cooperari possumus ad destruendum peccatum; quem locum obtinet dolor et patiens in divino redemptionis consilio et quem valorem habet dolor noster.

Oportet dare solutionem christianam problematis doloris mundo huius temporis. Multi hodie hominem existimant solum ex quantitate rerum quas

ipse producit suo labore et rerum materialium quantitatis usu et asserunt eliminandos homines improductivos.

Adest dolor *in mundo*: ex quaestione sociali (*Gen.* 3, 17-18); ex malis socialibus, ut fame, bello, genocidio, etc.; ex malis personalibus physicis et moralibus; ex persecutione Ecclesiae et omnis religionis.

Adest dolor *cosmicus*: « Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc » (*Rom.* 8, 22).

Adest dolor *in alio mundo*; dolor expiatorius in Purgatorio, dolor aeternus in inferno.

Homines semper et, particulari modo nostris temporibus, has quaestiones sibi posuerunt: cur, quid, unde, sit dolor. Edonismus practicus, pragmatismus, exsistentialismus, communismus, buddhismus solutionem propriam dant sine vel contra Deum et periculosam. Et nos scimus has ideas habere magnum influxum in mundo hodierno ad diffusionem atheismi.

2. Christus dat veram solutionem problematis doloris, non tantum theoreticam sed realem et in seipso. Immo, ut asserit Paulus VI, f. r.: « Cristo non mostra soltanto la dignità del dolore: Cristo lancia una vocazione al dolore » (*Sermo* 27-3-1964).

a) Dolor non est considerandus in homine, sed in voluntate Dei (*Io.* 9, 2-3).

Causa omnium dolorum est peccatum (*Rom.* 5, 12). Malum et calamitas non est dolor sed peccatum, quia a vita et a mundo aufert omnem valorem, et hominem facit infelicem cum a Deo eum separet et excludat a sua regno et subicit creaturam servituti corruptionis (*Rom.* 8, 18-23).

Iesu ergo missio non est destruere dolorem sed peccatum et quidem per dolorem (*Col.* 2, 13-15; *Mc.* 14, 36)?

b) Dolor ergo est exhibitio et probatio caritatis Dei erga homines: « Sic enim Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret; ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam » (*Io.* 3, 16; *Rom.* 5, 6-11; 8, 32) et hominum erga Deum et proximum (*Io.* 15, 12-13; *Rom.* 8, 32-39; *2 Pt.* 4, 12). Immo Deus dolore auget caritatem nostram (*Io.* 15, 2) ut arctius in ipso maneamus (S. Iustinus, *Dial. cum Tryph. Iud.* 110).

S. Augustinus « Deus meus — ait — cum me adversis rebus exagitat, aut merita examinat aut peccata castigat mercedemque mihi aeternam pro toleratis pie malis temporalibus servat » (*De Civ. Dei,* I, 29).

Dolore Deus utitur ut medio educationis populorum et singulorum (*2 Mch.* 6, 12). S. Augustinus sic respondet ad quaestionem: « Cur ergo divina misericordia etiam ad impios ingratosque pervenit? ... Patientia Dei ad poenitentiam invitat malos, sicut flagellum Dei ad patientiam erudit bonos; sicut severitas Dei puniendos corripit malos » (*De Civ. Dei,* I, 8, cf. et 9).

c) Ex eo quod quis vocatur inter Christi discipulos vocatur ad dolorem. « Per baptismum facti sumus crucifixi caro »; ut asserit S. Leo Magnus (*Sermo* 63, 6; 66, 3); « in Eucharistia Christum passum recipimus ut prius simul compatiamur ut postea simul glorificemur (*Rom.* 3, 17) » ut ait S. Th.

III, 73, 6 c. St. 79, 2, ad 1. Discipulus Christi est qui « communicat Christi passionibus » (*2 Petr.* 4, 12).

Non ergo dolor ipse, sed abnegatio suipsius et acceptio et devota oblatio suae crucis, amore Dei et proximi est conditio electionis et admissionis ad sequendum Christum et signum distinctivum disciputi Christi (*Mt.* 8, 19-22; 10,39; *Mc.* 8, 34 ss.; 10, 43; 13, 9-13; *Lc.* 9, 57-62; 14, 25-27; 17, 33; *Io.* 12, 24 s.).

Ideo Iesus vocat beatos pauperes, patientes et persecutionem ferentes.

d) Ex latere Christi morientis nata est Ecclesia, ex doloribus Christi et Ecclesiae renascitur mundus ad novam vitam. Immo dolor est nota verae Ecclesiae et ratio suae fecunditatis (*Io.* 12, 24-25, 32; *Eph.* 2, 13-18; *Is.* 52, 13; 53, 11-12; *Gal.* 4, 19; *Apoc.* 12, 1-2 ss.; *Gal.* 4, 22-27; *Is.* 54, 1 ss.).

TERTULLIANUS, *Apol.* c. 50, 12-13: « Plures efficimur, quoties metimur a vobis; semen est sanguis christianorum »; S. IUSTINUS, *Dial. cum Tryph. Iud.* 110; *Ep. Barn.* 5, 5.

e) Ex hoc oritur apostolatus doloris. Christus dat omni nostro dolori virtutem redemptivam, expiatricem, beatificantem propriam suae crucis ita ut, « dum unus punitur, plurimi corriguntur » (S. AMBR., *In Ps.* 118, v. 137). (PIUS XII, *Myst. Corp.*: *A.A.S.*, 1943, pag. 245-247; *Serm.* 7 oct. 1957; IOANNES XXIII, *Serm.* 19 mart. 1959; PAULUS VI, *Serm.* 27 mart. 1964; 11 mart. 1964; 16 apr. 1965).

Sic S. Paulus: « ... adimpleo ea quae desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia » (*Col.* 1, 24) et: « Ideo omnia sustineo propter electos, ut et ipsi salutem consequantur in Christo Iesu, cum gloria caelesti » (*2 Tim.* 2, 10). Ideo omnis patiens, praesertim permanenter aegrotus, habet in Corpore Christi Mystico peculiarem locum et missionem positivam activam etiam si indigeat caritate aliorum. Paulus VI f. r. asserit eum habere « una condizione " di favore " rispetto alla redenzione operata dalla Croce del Signore » (*Serm.* 27, 3, 1964).

Martyrium habet primum locum. Vocatur gratia et gloria. S. Cyprianus adfirmat martyrium esse non solum quoddam remedium vitae, sed esse sicut fluvium aridam terram irrigantem et vivificantem (*De Laude Mart.*, c. 23).

3. Inde humiliter peto, venerabiles Patres: *a*) Ut aliquo modo haec doctrina in schemate inseratur ut omnibus clare pateat in mundo hodierno valor doloris et missio patientis, qui non est tantum obiectum sed subiectum operans caritatis.

b) « Dum paene infinita ante oculos nostros adversatur miserorum multitudo, i. e. infirmorum, pauperum, artubus mutilorum, in viduitate vel orbitate degentium » *repetamus* ad eos exhortationem Pii XII in Enc. *Mystici Corporis* (*A.A.S.*, 1943, pag. 246), ut dolorem sanctificent.

c) Ut infirmorum sodalitas in mundo organizetur ad eos docendum propriam vocationem et valorem proprii doloris et ad unienda dolores et merita omnium cruci Christi ut Ecclesia Mater semper sanctior et fecundior fiat ut atheismus destruatur.

d) Ut publica et solemnis fiat a nostro Concilio laus Martyribus nostri temporis; quorum plures cardinales et episcopi sunt et aliqui hic sunt. Ipsi praesertim simul cum aliis patientibus sustinent nostrum laborem, fortiorem faciunt nostram fidem et praeparant fructum Concilii, « caelum novum et terram novam ».

91

Beat.mus P. D. IOSEPH VIEIRA ALVERNAZ

Patriarcha Indiarum Orientalium

I. Prooemium est potius litterarum exercitium in quo sunt plura verba sed non multae ideae et fit confusio magna circa quod intelligendum est per verbum *mundus* et mundo huius temporis attribuuntur multa quae evenient tantum post Iudicium Universale quo iusti separabuntur a peccatoribus.

N. 5. Loquitur de excessu populationis quod non est phaenomenon tam clarum ut multi dicunt. Videatur interventio exc.mi D. Mariani Gaviola, ep. Cabanatuan. die 7 octobris.

N. 15. Non fit distinctio inter libertatem physicam et libertatem moralem.

Prima certe est dos humanae naturae, quamvis non tam ampla ut multi putant, et revera a multis negata, cum persona humana est conditionata a circumstantiis in quibus vivimus et activitatem nostram exercemus.

Libertas moralis non existit quia homo ab initio subiectus est legibus a Creatore impositis quibus conformare debet vitam suam. Etiam in hac vita leges Creatoris sanctionem habent ex ipsa natura.

Distinguendum est atheismum ab antitheismo. Multi enim sunt contra Deum, alii nolunt cogitare de Deo nec de vita futura. Si cogitarent agnoscerent causam universalem omnium rerum et cui non est causa et tale esset Ens supremum quem Deum vocamus.

N. 25. Supponitur quod felicitas perfecta potest existere in hac vita. Experientia docet quod in aliquibus nationibus ubi organizatio socialis perfectior est et omnes habent quae necessaria sunt suicidia sunt numerosiora quia plus sentiunt vacuitatem et vanitatem huius vitae temporalis.

Nn. 28, 29. Respectus adversariorum necessarius est sed non possumus admittere corruptionem iuvenum et eorum perversionem et propagationem atheismi et immoralitatis inter eos qui adhuc non habent maturitatem ad distinguendam veritatem ab errore.

Etiam defendere debemus vitam nostram et filiorum nostrorum. In Evangelio inveniuntur consilia perfectionis et praecepta vitae ordinariae. Qui nubunt et habent filios providere debent ad eorum sustentationem, educationem et defensionem. Qui volunt perfecti esse non nubent, non habent filios quibus providere debent. Dominus dixit: Si vis perfectus esse.

N. 30. Aequalitas fundamentalis est vera, sed homo differt a muliere

et non sunt duae personae aequales. Non omnes pontifices, non omnes sacerdotes. Unus quisquam suum locum habet in corpore sociali et etiam in corpore supernaturali quod est Ecclesia.

N. 31. Sunt verba. Certe caritas Christi omnes amplecti debet sed unusquisque suas functiones et responsabilitatem habet.

N. 34. In quacumque organizatione pauci sunt qui dirigunt, tales tamen suam responsabilitatem debent agnoscere et obligationes quas habent erga alios.

Non omnes sunt caput, sunt etiam manus et pedes.

Textus videtur supponere perfectam evolutionem hominis esse naturalem et possibilitatem in hac vita iuxta theorias a Teilhard du Chardin propositas quae reapse sunt falsae si supponuntur possibiles ante Resurrectionem finalem.

N. 40. Nescio cur culpabilitas Ecclesiae tam saepe confiteatur. Ecclesia enim est sancta et immaculata et infallibilis quamvis eius membra saepe sint peccatores et errori subiecti. Peccata et errores sunt culpae membrorum Ecclesiae non ipsius Ecclesiae.

N. 43. Exercitia litteraria tantum.

N. 50. Deus vult omnes homines salvare sed non omnes homines volunt a Deo salvos fieri.

N. 52. Certe omnes professiones honestae possunt a bonis christianis exerceri sed aliquae sunt periculosiores. S. Alphonsus de Liguori et S. Andreas Avellinus et alii relinquerunt professionem advocati et S. Martinus professionem militis quia putaverunt eas esse sibi periculosiores.

N. 54. Verum est quod dicitur sed non obliviscatur ministerium Verbi.

N. 57. Verum est quod dicitur de paupertate sed saepe opera caritatis et educationis exigunt bona terrena non pauca.

N. 60. Iuxta dictum circa n. 5, praerapidum augmentum populationis non est phaenomen tam clarum ut multi asserunt. Datur concentratio populationis in magnis urbibus et notum est quod populatio urbium augmentat tantum ex influxu populationis ruricolae. Praeterea timendum est quod coniuges educati et revera capaces bene educandi plures filios familiam suam limitent ad unum vel duos qui deveniunt egoistae et volunt esse centrum omnium curarum. Ceteri qui parvam habent educationem plures habebunt filios nisi compulsive sterilizentur et societas deveniet barbara et inculta. Praeterea ad limitandum numerum filiorum, medicus quidem dicebat quod pluria media efficacia erant dummodo coniuges parati essent ad abortum perficiendum quando revera effectus non sequatur. Notum est quod in aliquibus urbibus numerus abortorum maius est quam numerus vivorum natorum. Praeterea in regionibus ubi datur sic dicta explosio populationis puellae matrimonio dantur adhuc impuberes. Diminutio filiorum obtineretur si matrimonium efficeretur cum iuvenes revera sunt apti ad matrimonium contrahendum.

Libris et spectaculis praesertim cinematographicis erotismum iuvenum

artificialiter excitatur et statim volunt matrimonium contrahere. Castitas est magna virtus quae cultivanda et defendenda est.

Notandum est quod in nationibus ubi prosperitas materialis maior est et ubi magis dictum est quod numerus filiorum limitandus est sunt quae non habent numerum operariorum sufficiens ad industriam suam exercendam et operarios ab aliis nationibus debent recipere.

N. 65. Non est verum quod bona culturalia sint facilioris acquisitionis quam bona materialia. Si parentes sunt pauperi non habent media necessaria ad filios educandos nec facilitatem scholas frequentandi. Tamen nn. 65, 66, 67, 68, sunt potius exercitia litteraria.

N. 72 est contradictorium n. 65, sed omnia sunt potius litteratura.

N. 84. Notandum est quod qui negotiationi operam dant id faciunt propter lucrum et lucrus talis esse debet quod perditas quae saepe veniunt possint sustineri sine negotii ruina.

N. 94. Saepe evenit quod nationes quae propter magnam miseriam subsidia aliarum nationum recipiunt, ad bella promovendam eisdem utuntur et quod bene serviret ad machinas agricolas comparandas ad machinas mortiferas adhibetur.

N. 97. Quaestio fit quando de augmento populationis agitur sed non quando agitur de arma mortifera praeparanda.

N. 98. Quoad ad arma et bella, puto quod exercitus aliquo modo est necessarius. Post bellum 1914-1918 multae nationes putarunt quod exercitus non essent amplius necessarii, sed statim apparuerunt exercitus privati ad bella partium politicorum facienda. Ideoque obiectio conscientiae ad servitium militarem ut dicitur non est admittenda.

Etiam si auctoritas internationalis existeret bella non vitarentur ut praesens experientia mundi docet.

Deploranda est perversio conscientiarum quae permittit ut ad arma conficienda semper sint media pecuniaria sufficientia sed non ad educationem iuvenum et pauperes adiuvandos.

92

Exc.mus P. D. ANTONIUS GREGORIUS VUCCINO
Archiepiscopus tit. Aprensis

De Ecclesia in mundo huius temporis, seu melius: *de Ecclesiae dialogo cum hominibus huius temporis. Raison*: Venant de Dieu l'Eglise désire dialoguer avec le monde des hommes avec l'intention de les servir « Ancilla mundi ».

Dépouillée de tout apparat triomphaliste, à l'exemple de son Epoux elle vient *ministrare non ministrari.*

L'acte conciliaire porte le titre de *Constitutio pastoralis.* Or, le propre du Pasteur c'est « amat oves suas », au point de ne faire qu'un avec son troupeau.

L'Eglise est la Mère du genre humain. Elle le porte en elle pour enfanter des fils de Dieu. Elle éprouve une sollicitude maternelle pour le monde des hommes.

Il faudrait rapporter ici une grande partie de l'allocution pontificale prononcée à l'occasion de l'ouverture de la quatrième session du Concile Vatican II. Contentons-nous de quelques passages.

« Amor enim, quo communio nostra roboratur, nos non segregat ab hominibus, non sinit nos ab aliis esse alienos nostrisque tantum commodis servire. Quinimmo, amor, utpote cum a Deo proveniat, universalitatem persequi nos docet: veritas nostra impellit nos ad caritatem ... Hoc modo toti generi humano nos obligari sentimus. " Omnibus debitores sumus " (*Rom.* 1, 14). Ecclesia, in hoc mundo, non seipsam tantum quasi finem spectat, sed cunctis hominibus inservit ... Ea est nuntia amoris, ea est fautrix verae pacis ... ».

Le Concile est pour l'Eglise une occasion de manifester son amour pour le monde. En effet qu'est-ce que le Concile présent? Le Pape répond: « Non oblivisci fas erit, huc tamquam ad suum exitum confluere cursum historiae salutis, hoc est divini amoris terrenas vicissitudines. Num nos effugiet, Ecclesiam, huius Concilii ope, plenius ac perfectius consciam factam esse sive de se ipsa ... sive de natura muneris sui, quod dives ac ferax semper exstitit vitalium veluti germinum ad novo vigore donandum hominum societatem? »

Et encore ceci: « Quid Ecclesia, quid nos aliud agere possumus, nisi hunc (mundum) contemplari ac diligere. Quare in hac mundi contemplatione haec Sessio ... potissimum versabitur; deinde, ac praesertim accedet amor; amorem dicimus erga homines qui hodie sunt, ut sunt, ubi sunt, scilicet erga homines universos ».

L'Eglise apporte au monde un message d'amour, en redisant au monde les paroles du Christ: « Sic enim Deus dilexit mundum ut Filium suum daret, ut salvetur mundus ». « Deus prior dilexit nos et misit Filium suum » (*1 Io.* 4, 10).

A ce message d'amour, normalement, les hommes doivent répondre ainsi: « Et credidimus caritati quam habet Deus in nobis » (*1 Io.* 4, 16).

Comment doit être présenté au monde ce message d'amour?

Paul VI sait que les hommes de notre temps ont une préférence pour les faits. Il disait tantôt « huc (le moment du Concile) tamquam ad suum exitum confluere cursum *historiae salutis,* hoc est *divini amoris* ... ».

Cet aperçu historique des faits dus à l'amour divin permettra à l'Eglise de mieux connaître les hommes de ce temps et aussi de mieux les servir. Elle devra donc se mettre à l'école de cette Providence paternelle qui « omnia fortiter et suaviter disponit ».

Le passé nous aidera à mieux comprendre le présent, car nous sommes héritiers du passé. L'état présent du monde n'est pas une apparition spontanée. Hier explique aujourd'hui.

Or, l'histoire de l'amour divin est racontée dans un livre divin, qui porte, par conséquent, toutes les garanties de la vérité historique. Ce Livre contient la Dialogue de Dieu avec le genre humain déchu.

Il ne faut donc pas nous contenter de parsemer le texte du schéma de quelques allusions et citations bibliques, mais prendre la Bible comme fil conducteur dans le dédale du passé. C'est Dieu qui se sert des hommes pour faire l'histoire et pour l'écrire aussi. Dieu est le Maître de l'histoire. Ne dit-on pas couramment: « L'homme propose et Dieu dispose ».

Puisque la raison d'être de l'Eglise, sa mission vraie, est de constituer l'unique Peuple de Dieu, n'est-il pas logique d'avoir constamment sous les yeux le cours séculaire de l'histoire du Peuple de Dieu, qui n'est pas d'hier?

Le dessein de Dieu est fait de lignes maîtresses, qu'il nous faut connaître pour que nous puissions être ses vrais collaborateurs, puisqu'il daigne se servir de nous.

La grande ligne maîtresse de cette histoire, on l'a déjà dit, c'est « Deus dilexit mundum ». C'est une vérité de Foi.

Principaux faits concernant l'histoire « divini amoris » envers le monde des hommes.

Le récit commence dans les deux premiers chapitres du livre de la Genèse.

Dieu pense à l'homme quand il crée le ciel et la terre « et omnia quae in eis continentur ». Tout cela c'est pour son fils bien aimé, l'homme.

« Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram ». On dirait que les Persones divines viennent de tenir conseil.
texte du schéma.

L'Amour, qui est Dieu, a fait l'homme à son image. Or, Dieu est mul-

C'est le moment de rapporter, mais brièvement, ce qui est dit dans le
tiple et un.

Il en sera de même de l''homme, qui sera un dans une nature complexe et un dans un ensemble de personnes: le genre humain, issu d'un seul couple humain.

L'unité est un trait divin.

Dieu leur dit: « Multipliez vous et croissez. Dominez la terre ». Vous êtes à l'image de l'Amour, qui est fécond. Dominez la terre pour qu'elle puisse vous servir.

L'homme était donc le sommet de la création visible. « Gloria et honore coronasti eum. Super omnia opera manuum suarum constituit eum ».

Dieu, qui connaît la valeur de sa créature, lui donne un avertissement tout paternel. L'homme risque de jeter un regard trop prolongé sur lui-même, au point d'oublier de lever les yeux vers Celui de qui il a tout reçu. Il n'est qu'un vassal, un être relatif, qui se rapporte à un autre pour exister. S'il tente d'oublier cette référence à son Créateur, il se coupe de la source de Vie et il débouche sur la Mort.

L'homme fut infidèle à l'Amour. Il n'a pas cru à l'Amour. Il se lança vers l'Absolu. L'esprit homicide et menteur le lança dans une grande aventure:

« Eritis sicut dii ». Pour vous, plus de mystère. Omniscients. Plus besoin de Celui qui veut vous dominer en vous maintenant dans l'ignorance.

Et l'homme tenta de se dépasser. Qu'arriva-t-il? Coupé de la source de vie il se décomposa dans son être intime. Un combat commença en lui, un combat qui allait déborder hors de lui. Combat entre deux forces opposées. Dorénavant il y aura deux hommes dans chaque homme. Dichotomie qui devra finir par la séparation totale, la mort. Combat qui déborde sur le champ social. Caïn contre Abel. Le genre humain a perdu son union avec Dieu, son unité intime, son union sociale. Il deviendra une race éparpillée, dispersée, écartelée, portant en elle des germes de mort. Le péché, signe de Satan, s'est installé dans le monde.

Les plus merveilleuses productions du genie de l'homme porteront en elles le signe de la mort. Cela est symbolisé par ces paroles: « Maledicta terra in opere tuo. Spinas et tribulos germinabit tibi ».

L'Amour s'exprime maintenant, en termes de miséricorde. Par une Promesse Dieu s'engage à réparer l'irréparable, en annonçant une victoire sur la mort et sur le père de la mort. Adam et sa postérité s'accroche à cette Promesse.

Dieu veille à ce que cette Lumière ne s'éteigne point. Il en confie la garde à un peuple, dont l'unité sera assurée par la foi à la Promesse divine.

Cette foi à l'Amour de Dieu pour les hommes sera mise souvent à l'épreuve. Mais Dieu veille toujours. A son Peuple infidèle il fait entendre la voix de ses envoyés, tantôt menaçante, tantôt indulgente. Véritable Pédagogie divine inspirée par un immense Amour, telle est l'histoire du Peuple élu, annonce d'un peuple plus nombreux que les étoiles du firmament et le sable de la mer. En lui seront bénies, c'est-à-dire réunies toutes les nations.

Les temps de l'attente sont accomplis. L'Espérance du monde entre dans le monde. Dieu lui envoya son Fils unique, né d'une femme, issu de la race de David, Fils de Dieu et Fils de l'homme, unissant en sa Personne le divin et l'humain, la sainteté et le péché, cachant sa gloire de Fils Unique, et ne faisant paraître que l'humilité d'un Fils d'homme, se dépouillant de sa dignité divine et revêtant la misère du pauvre. Propter nos egenus factus est. Exinanivit semetipsum.

Chargé du péche de l'homme il en accepta malédiction et mort. Et la malédiction a été changée en bénédiction et de la mort est sortie la vie: qui mortem moriendo destruxit et vitam resurgendo reparavit. C'est jusque là qu'il a aimé le monde.

A ceux qui ont cru à son Amour le Père envoya l'Esprit, qui est Vérité et Amour. Le nouveau Peuple de Dieu avait pris naissance dans le Sang du Christ et le feu de l'Esprit. Cet Edifice vivant a pour clé de voûte le Christ mort et ressuscité. Le Christ, présent dans l'assemblée des croyants, l'Eglise, parle, éclaire, guérit, nourrit, fait croître son Peuple.

Il se proclame la Vérité. Donc, capable de donner une solution aux grands problèmes qui préoccupent l'homme et qui concernent ses origines, sa desti-

née, son comportement en ce monde, sa vocation cosmique. Il n'y a qu'un Sauveur et ce Sauveur c'est Lui.

Il est au milieu du monde, invisible en lui-même, mais visible par l'Eglise, son Peuple, qui est aussi son Témoin.

Et ce Peuple en marche a traversé déjà vingt siècles, il a étendu ses rameaux sur toute la surface terrestre. L'Eglise est devenue « fundamentum et columna veritatis ».

Elle porte le Christ au monde, parce qu'elle aime le monde.

Dans quel monde elle porte le Christ? Quel accueil le monde réserve-t-il au Christ?

Etat présent du monde, décrit dans le texte du schéma.

Il est fait de contrastes et de contradictions.

Première constatation. La tendance générale des individus et des peuples c'est la socialisation. Le monde actuel va vers son unification. Il ambitionne de constituer la famille des peuples. L'existence de l'organisme des Nations Unies en est une preuve évidente. Paul VI parlait ainsi dans son adresse à l'ONU: « Vous existez et vous travaillez pour unir les nations, pour lier entre eux les Etats ».

Un autre fait: les associations, les syndicats, les groupes se multiplient. Les relations internationales se ressèrent de jour en jour. Le monde a soif d'unité. C'est un signe des temps. L'Eglise s'en réjouit, car elle aussi existe pour réaliser l'unique Peuple de Dieu.

Deuxième constatation. Jusqu'ici les progrès réalisés sont étonnants. Ils sont dus au génie de l'homme, à ce qu'on appelle la science, par laquelle l'homme parvient à mettre à son service le plus grand nombre possible de possibilités que recèle la nature. Dans ce domaine ses conquêtes lui assurent des avantages énormes. Nouveau Prométhée il s'est lancé à la conquête de l'espace. Son ambition est de reculer le plus possible cet horizon qui s'appelle mystère.

La production des biens de toute sorte répond aux exigences de son esprit et de son corps. De jour en jour il se sent plus maître du monde qu'il habite. Les statistiques démographiques annoncent une hausse constante. En ce moment l'homme réalise au maximum la consigne divine: « Multipliez-vous, peuplez la terre et dominez-la ».

Naturellement le progrès réalisé fait honneur au génie de l'homme.

Troisième constatation. Une injustice criante fait tache sur le tableau que nous venons de brosser. Elle s'appelle répartition inégale des biens que le progrès procure aux hommes, et dont un tiers seulement des hommes profite et jouit.

Deux hommes sur trois ne sont qu'à demi rassasiés. Faim, ignorance, maux mal soignés, logements primitifs, servitudes, tel est le partage des deux tiers des hommes de ce temps.

Quatrième constatation. La course aux armements, et quels armements. Les prétendus grands disposent d'armes terriblement catastrophiques, dont ils tiennent à conserver le monopole, afin de mieux dominer les petits. On affuble cela d'un nom qui jure, la paix sur pied de guerre. Au lieu d'un rameau d'olivier, elle brandit une épée. Les armements entretiennent la haine et l'ambition.

Ces contrastes et ces contradictions ne favorisent guère l'union et la fraternité.

Dernière constatation. L'homme moderne prétend supprimer le mystère grâce aux progrès réalisés par la science. D'où un scepticisme assez diffus devant tout ce qui est entouré du voile du mystère. Il est porté à ne plus croire qu'à ses expériences et à remettre en question une bonne partie de l'héritage légué par le passé.

La science c'est la clé de tous les mystères, le « sésame ouvre-toi », qui lui permettra de jeter la lumière sur ce qu'il appelle les mythes du passé, sans excepter le sentiment religieux. Il entend en lui une voix mystérieuse qui lui dit: « Un jour tu sauras tout. Tu seras ton propre dieu. Ton génie te libérera de toute limite ».

Et pourtant il y a des limites que la science ne pourra jamais franchir, car il y a des problèmes humains auxquels elle est incapable de donner une vraie solution. Origine et destin de l'homme et de la race des hommes, sens de la vie présente, sens de la souffrance, de la mort, tout cela échappe à l'expérience scientifique et même au génie du philosophe. Tant que ces problèmes majeurs ne seront pas résolus l'homme ne parviendra pas à neutraliser, en partie du moins, le dualisme intérieur qui crée en lui un déséquilibre, une absence d'unité, source de toutes les injustices et inégalités, de toutes les discriminations et ambitions, qui maintiennent les divisions, les haines et les luttes, autant de facteurs ennemis de l'union et de la fraternité. Oui, la source du mal est dans l'homme. Cette remarque est dans l'Evangile.

Conclusion: Elle nous est donnée par Paul VI dans son adresse aux Nations unies. « Le danger ne vient ni du progrès ni de la science, dont le bon usage pourra également résoudre un bon nombre des problèmes qui assaillent l'humanité.

Le vrai péril est dans l'homme lui-même, maître d'outils toujours plus puissants, aptes à réaliser les plus grandes ruines et les plus hautes conquêtes.

En un mot, l'édifice de la civilisation moderne devra se régler selon des principes spirituels, qui soient capables non seulement de le soutenir, mais aussi de l'éclairer et de l'animer. « Or, de tels principes ne peuvent avoir leur fondement qu'en la foi en Dieu. Au Dieu inconnu? Oui, au Dieu inconnu, dont parlait s. Paul devant l'Aréopage: ignoré de ceux, les mêmes qui sans l'avoir aperçu, le cherchaient lui qui leur était proche, ainsi qu'il arrive à tant d'hommes de notre siècle. Quant à nous en tout cas et aussi pour tous ceux qui accueillent la Révélation ineffable, que le Christ a faite de lui-même, c'est le Dieu vivant, père de tous les hommes ».

L'Eglise va au devant des hommes de ce temps et leur propose le Christ, clé de l'histoire humaine, lumière éclairant leurs problèmes majeurs, vie et force, capable de réaliser unité et paix parmi les hommes, bref Sauveur du monde, dans le passé, le présent et l'avenir.

Envoyé de Dieu le Christ vient au monde pour accomplir le dessein miséricordieux du Père. « Père, j'ai accompli l'œuvre que vous m'aviez confiée. Et maintenant glorifiez votre Fils, comme Il vous a glorifié Lui-même ».

Et le Fils sera glorifié en traversant le tombeau, car ce tombeau sera glorieux, puisqu'il aura reçu Celui qui est la Vie et servira de témoin de la victoire du Christ sur la mort. Le Christ ressuscité est l'Homme nouveau en qui est en germe le peuple nouveau de Dieu. L'Eglise est déjà tout entière dans le Christ ressuscité « qui mortem moriendo destruxit et vitam resurgendo reparavit ».

Il est venu libérer l'homme de la mort par sa mort et lui procurer une vie nouvelle en ressuscitant d'entre les morts « primogenitus mortuorum ».

En Christ mort et ressuscité commence le Peuple nouveau de Dieu, l'Eglise.

L'Eglise, animée de l'Esprit du Christ, engendre les membres du Peuple de Dieu selon le type nouveau, venu du ciel, le Christ. Chaque baptisé revêt le Christ. Il est christiforme.

Le Christ, présent dans l'Eglise avec son Esprit, le Christ glorieux, le Christ ressuscité vient au devant de chaque homme pécheur et il l'appelle à le suivre. Lui, Parole vivante du Père, révèle par la bouche de ses hérauts, le dessein du Père qui veut que tous les hommes soient sauvés, c'est-à-dire réunis à Dieu et unis entre eux.

Dans le chap. IV de la première partie il est dit: « Unicus finis propter quem vivit (Ecclesia) est Christi propositum exsequi, ut homines vitam habeant et abundantius habeant, et filii Dei, qui erant dispersi, congregentur in unum. Ipsa est veluti sacramentum intimae cum Deo unionis totiusque humani generis unitatis » (n. 49).

Comment l'Eglise remplit-elle sa mission d'unité? Dans le même n. 49, par. 2, il est dit que l'Eglise, grâce au Christ et à son Esprit, présents en elle, offre aux hommes la solution des grands problèmes qui les préoccupent. Et la raison? « Solus autem Deus, qui hominem ad imaginem suam creavit, his quaestionibus responsum praebet, plenissime quidem in Revelatione ».

La Révélation c'est Dieu faisant connaître par son Fils, sa Parole vivante, son dessein concernant le salut de l'homme pécheur. Pour que celui-ci adhère à la Parole de Dieu l'Eglise parle au nom de Dieu. La réponse de l'homme c'est la Foi à la Parole de Dieu. « Fides ex auditu ». Une seule Foi à l'unique Parole de Dieu crée une vraie communion entre les croyants « donec perveniamus ad unitatem fidei ».

La Parole de Dieu dissipe les ténèbres de l'erreur et introduit dans la lumière: « illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum ». C'est

une première libération, accomplie par la Foi au Dieu se révélant et en même temps un lien vivant unissant tous les croyants.

Aux hommes de notre temps, ferrus de science expérimentale, il faut rappeler ce que l'Epître aux Hebreux dit de la foi au chap. II, merveilleuse synthèse du plan du salut ayant pour trame la Foi à la Promesse de Dieu, en fait au Christ promis par Dieu comme Sauveur des hommes.

« Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium ».

La Foi est la garantie des biens que l'on espère, la preuve des réalités qu'on ne voit pas. N'est-ce pas ce qui manque aux hommes de ce temps, obstinément accrochés aux biens présents, ces réalistes, qui ne veulent pas entendre parler de réalités invisibles?

Or, le nouveau Peuple de Dieu prend naissance avec la Foi. L'exemple d'Abraham, père des croyants, est typique. Le monde moderne est pauvre en Foi. Il lui manque un point d'appui solide.

La Foi chrétienne est fondée sur la Parole de Dieu, qui annonce comme un Fait absolument certain, savoir la Résurrection du Christ. Car si le Christ n'est pas ressuscité, dit St Paul, notre Foi est vaine, notre espérance aussi.

Ici, il faut dire que c'est sur ce fait que s'opère la séparation entre croyants et incroyants. Croire ou ne pas croire au Christ ressuscité, tel est le critère qui divise les hommes. Il en fut ainsi dès le commencement de l'Eglise.

Disserter sur l'athéisme n'est pas très concluant, car Dieu en lui-même échappe à la recherche historique. Or, la Résurrection du Christ est un Fait qui a eu ses témoins humains. Admettre la Résurrection du Christ c'est croire en Dieu.

Puisque les hommes de notre temps veulent des faits dûment établis pourquoi ne pas les placer devant le Fait de la Résurrection historiquement établi?

Le Fait de la Résurrection pose le fait de la mort du Christ.

C'est autour de ce mystère, appelé pascal, que se fait le rassemblement des croyants. C'est en vivant ce mystère, mystère de mort et de vie, que le croyant détruit en lui le règne de l'infidélité, héritée du premier ancêtre et y établit celui de la Foi qui conduit à l'amour. Ainsi est instaurée l'union avec Dieu par le Christ dans son Esprit.

Le mystère pascal, c'est-à-dire le Christ mourant pour faire mourir le péché et la mort, et ressuscitant, pour nous apporter une vie selon Dieu, est au centre du Peuple de Dieu. Il était figuré par le tabernacle de l'Alliance autour duquel s'assemblait le peuple de Dieu au désert, le peuple en marche vers la terre promise. C'est autour du Christ, mort et ressuscité, présent sous les espèces eucharistiques, que se fait le rassemblement des chrétiens. L'Eucharistie est un centre d'unité et de fraternité. Sa vitalité se fait sentir dans les autres sacrements et même la prière.

Tout le réseau des vertus chrétiennes, vertus théologales et autres, sont nourries et accrues en s'abreuvant à la fontaine du septenaire sacramentel.

En bref, plus qu'à n'importe quelle autre époque, à ce tournant de l'histoire, les hommes de notre temps, qui ont l'air bien vivants, mais qui en réalité sentent la mort et la décomposition, ont besoin du Christ qui dit à tous: « Je suis la Vie et la Résurrection ».

L'homme moderne doit faire mourir en lui le souffle satanique qui lui a été transmis par le fleuve du sang. Ensuite il devra, par la Foi et l'Amour pour le Christ, mort et ressuscité, mis en lui par l'Esprit, se laisser saisir par le Christ « a Christo comprehensus sum », pour ne faire qu'un avec Lui. C'est en Lui que tous les croyants forment le Peuple unique de Dieu. C'est en Lui que toutes leurs activités et aussi toutes les épreuves de ce temps prennent un caractère à la fois divin et supratemporel.

Tous les problèmes examinés dans le schéma XIII s'éclairent à la lumière, qui est le Christ: « Ego sum lux mundi ». Au centre du monde présent il nous faut placer le Christ de l'Evangile, Parole vivante de Dieu, Parole crucifiée, Parole ressuscitée, toujours vivante, toujours appelant à elle tous les hommes.

De cette façon seulement ce schéma sera la Voix de Dieu se faisant entendre aux hommes de ce temps. Le Concile doit faire un acte de Foi vibrant au Christ, qui aime les hommes et à la « philanthropie du Père » qui leur a envoyé son Fils, pour être leur Sauveur, c'est-à-dire pour les libérer de tout ce qui sépare et leur procurer tout ce qui unit.

* * *

Partis I, cap. IV: De munere Ecclesiae in mundo huius temporis. Propter maiorem cohaerentiam schematis de quo nunc disceptatur, mihi videtur opportunum transferre in capite IV numeros 43 usque ad 47 capitis III ubi sermo fit de civitate terrestri et caelesti, de universali dominatu Christi, de Alpha et Omega. Ratio est: quia haec omnia respiciunt activitatem Christi in Ecclesia. Propter supradictam rationem cohaerentiae, propono aliquod argumentum, quod vestro subiicio prudenti iudicio.

Cum schema nostrum inscribatur « Constitutio pastoralis », pastoris autem officium est suas cognoscere oves eisque cibum congruum praebere, ante omnia perquirendum est quaedam est conditio in qua versatur mundus huius temporis. Sed de hoc iam satis est disceptatum ideoque possumus concludere:

1. Mundus hodiernus quodam effrenato impetu aufertur ad amplificandam humanae personae autonomiam, aliquoties usque ad totalem liberationem, praecipue quantum attinet ad Dei dominium et ad valorem absolutum legis moralis. Hoc venenum ab antiquo serpente in corde primi hominis insitum fuit, famosa illa suggestione satanica: « Eritis sicut dii ». Ex hac secutae sunt seiunctio hominis a Deo et disiunctio hominis ab homine. Et sic, finis unitatis fuit initium dolorum.

2. Supradicta propensio, quae in dignitate humanae personae radicatur,

non est condemnanda, sed potius moderanda, ita ut non sit absoluta sed intra fines inclusa; quae autonomia multum iuvabit ad promovendam evolutionem progressivam generis humani, quod hodie disiunctioni et dispersioni subiectum est.

Usque hodierna die permulta media excogitata sunt ad instaurandam unitatem et cohaerentiam generis humani, inter qua eminet Charta iurium hominis. Ab aliis proponuntur progressus scientificus vel technicus vel industrialis vel moralis, sed haec omnia videntur inhabilia ad instaurandam veram et firmam unitatem et stabilem cohaerentiam generis humani.

Mundo hodierno in tam ingenti miseria prolapso favet Mater Ecclesia, nam aliena non est ab eo, cum, sicut dicitur in schemate, « ex philanthropia Patris procedens » venit in mundum imbuta amore Patris erga eum. Ioannes vidit sanctam civitatem cuius nomen est Pax, i. e. Ierusalem, descendentem a Deo, habentem claritatem Dei, scil. dona Dei. Vocatur Sponsa Agni quocum fit unum. Venit ad homines, quia propter eos facta est, munus suum exercendum, quod hoc modo significatur in schemate: « Unicus finis propter quem venit Ecclesia est Christi propositum exsequi, ut homines vitam habeant, et, filii Dei, qui erant dispersi, congregentur in unum. Ipsa est veluti sacramentum intimae unionis cum Deo totiusque generis humani unitatis ».

Primum donum « philanthropiae Patris luminum » quod praebet Ecclesia hominibus est Verbum Patris, ita ut omnes qui accepturi sunt Verbum Dei, ab Ecclesia traditum, a malo dispersionis spiritus liberentur et « ad unitatem fidei perveniant ». Officium nostrum est nuntiare et iterum nuntiare fratribus nostris quod non in solo pane vivit homo, sed in omne verbum quod procedit ex ore Dei ». Ita per fidei donum instauratur unio hominis cum Deo et etiam unitas eamdem fidem profitentium. Denique, lumine fidei ducti, homines huius temporis facilius possunt solvere ingens problema unitatis generis humani, in qua unitate omnia alia problemata humana complectuntur.

Et nunc gaudeamus paulisper. Nam mundus vocem Ecclesiae desiderat audire. Alludo ad proximam orationem Sancti Patris ex cathedra organismi unionis nationum.

Alterum donum « philanthropiae Patris », quod per Ecclesiam nobis impertitur, est sacrificium Crucis, iuxta illud: « Deus erat in Christo (in cruce pendenti), mundum reconcilians sibi ». Apostolus autem scribebat non Iudaeis: « Nunc, vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi ». Ipse vero Christus « reconciliet ambos (populum hebraicum et gentes) in uno corpore, Deo per crucem interficiens inimicitias in semetipso ». Iamvero, sumentibus Sanguinem Christi traditur Spiritus Christi, qui est Unio et Communicatio, liberat eos a malo dispersionis et iungit eos ad efficiendum unum Corpus. Unde merito vocatur « sacrificium Crucis » seu sacramentum eucharisticum « signum caritatis et vinculum unitatis ». Iuxta Scripturam vita est in sanguine, utique propinquitas, et, insuper, testis foederis erat sanguis, quae omnia significant unionem et communionem.

Praeterea, ut dicitur in schemate, « Ecclesiae cum sit veluti sacramentum intimae cum Deo unionis et totius generis humani unitatis », sine interruptione per septenarium sacramentale, quod ad suam pertinet naturam, operatur, auget et restaurat id quod ab ea significatur et in ea continetur, i. e. intimam unionem cum Deo et totius generis humani unitatem. Commiscendo se enim cum credentibus, per modum osmoseos communicat eis Spiritum Christi, ita ut possint omnes dicere cum apostolo: « Vivo autem, iam non ego, vivit vero in me Christus », in quo omnes unum sumus.

Constat autem quod ubi adest vera vita sacramentalis, Ecclesia, quae est sancta, donum suae sanctitatis impertitur his qui per fidem cum ea iunguntur. Sanctitas autem est intima cum Deo unio et communio cum aliis hominibus, nam ipsa definitur « fides quae per caritatem operatur ».

Praeterea cum sit catholica, seu universalis, Ecclesia capax est generi humano veram cohaerentiam et fraternitatem universalem impertire, amovendo discrimina orta e diversitate gentis, coloris, conditionis socialis, et adimplendo verba apostoli: « Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Iudaeus neque Graecus, non est servus neque liber, non est masculus neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo ».

Denique, ad fideliter custodienda et integre tradenda hominibus omnia dona gratiae, veritatis et caritatis, Ecclesia aedificata est supra firmam petram, i. e. super « fundamentum Apostolorum », quibus Dominus dixit: « Euntes docete omnes gentes. Qui vos audit me audit ». Quid autem securius Verbo Christi? Quid securius Ecclesia quae est « fundamentum et columna veritatis »? De qua etiam dixit Dominus: « Et portae inferi non praevalebunt adversus eam ».

Conclusio: Ex iam dictis patet Ecclesiam magno adiumento esse ad acquirendam veram autonomiam, humanae dignitati congruentem, quae non potest cogitari seorsum ab instauratione unionis cum Deo et unitatis generis humani.

93

EXC.MUS P. D. CAROLUS WEBER
Episcopus Iceuvensis

Ad n. 19. De problemate atheismi. Atheismus se intelligit et describit in oppositione ad Theismum. Negat igitur personalitatem et transcendentiam Dei, etiam creationem ex nihilo et conservationem huius mundi. Atheismus tamen, ubi invenitur in historia cogitandi ingenii humani, induit diversissimas formas non simpliciter ad invicem reducendas. Sed nihil impedit, quominus aliquas rationes fundamentales Atheismi explicemus.

I. De Atheismo simplici. Haec forma Atheismi saepe declarat, se esse agentem contra quamlibet doctrinam, quae « Esse Absolutum » formae finitae cogitandi et intelligendi adaequat. Qui processus diversis modis propagatur. Cuius finis maxime est acceptio illius, quod est « Esse Absolutum »,

ingentis, deformis, et obscuri (e. g. Nirvana), de quo mens humana numquam aliquid dicere potest modo obligato. Haec forma semper areligiosa non est, sed saepe ut forma religionis purior et menti humanae aptior praedicatur.

II. De Antitheismo.[1] Nostris temporibus Atheismus simplex additamentis novis in aliam formam sic dictam « Antitheismi » transformatus est. Haec « ideologia » pugnat contra existentiam cuiuslibet « Esse Absoluti » et religionis humanae et producere vult novum statum evolutionis generis humani pugna per totum mundum peracta. Docet, Antitheismum esse unicam et unice validam solutionem problematis Dei et solutionem hanc argumentis ex scientiis esse fultam. Affirmat, Antitheismum hominem liberare a phantasmate Dei auxiliantis, ducere eum ad seipsum, ut omnes suas vires profectui oeconomico ac sociali impendat atque felicitatem suam in his terris constituat. Quae « liberatio » in multis regionibus vi potestatum publicarum et subsidiis dignitatem personae humanae et libertatem civium graviter offendentibus perficitur. Finis huius operationis est genus humanum, unum et solidarium, quod vivit pro hoc mundo tantum. Ecclesia perniciosas illas doctrinas reiciens expostulat, ut iura humana fundamentalia agnoscantur et serventur. Sincere fatetur, homines omnes, credentes et non credentes communiter in hoc mundo habitare omnesque ad hunc mundum aedificandum opem conferre debere.

III. De colloquio cum formis Atheismi. Quin etiam sec. expertos[2] sunt ansae positivae et utiles et aptae pro colloquio inter Atheismum et Christianismum.

1. Illi, qui systemata Atheismi asserunt, negant doctrinam, quae « Esse Absolutum » formae finitae cogitandi et intelligendi adaequat. Haec doctrina docet aliquod verum a christianismo accipiendum. Debent christiani modum cogitandi, intelligendi et dicendi de Deo a formis temporis antiqui et medii aevi liberare et uti categoriis personalibus, quae aptiores sunt, exprimere facta historiae salutis. Fortasse categoriae personales de Deo potius ab assertoribus Atheismi simplicis accipiuntur.[3]

2. Antitheismus transformat hominem quasi in deum, per quod homo fit centrum totius mundi. Est haec sententia depravatio doctrinae christianae. Secundum doctrinam christianam est etiam homo centrum huius mundi nempe Christus, homo et Deus. Per incarnationem et totum opus salutis homo non fit deus sed particeps divinae naturae.[4]

3. Antitheismus intendit, totum genus humanum coniungere in unam

---

[1] Cf. HENRY DE LUBAC, *Die Tragödie des Humanismus ohne Gott.*

[2] Cf. JOSEF RATZINGER, *Atheismus* in: *Weisheit und Zeugnis,* Düsseldorf 1964.

[3] Cf. *Lib. Sapientiae* 13, 2-7.

[4] Cf. *Col.* 1, 12-20; cf. *Ordo Missae*: Oratio, cum sacerdos infundit aquam vino miscendam: « Deus qui humanae substantiae ... ».

solidariam societatem, ut profectus omni modo in hoc mundo promoveatur. Opus huius mundi est vinculum, quod facit omnes unum. Opus huius mundi numquam perficitur in praesenti tempore sed in futuro (paradisum futuri). Est etiam distortio doctrinae christianae. Christus est fundamentum unitatis in hoc mundo, ille est, qui facit omnes unum. Ex hac unitate ex Christo et in Christo facta debent homines opus huius mundi perficere. Sciant, per hoc opus praeparare mundum futurum nempe novum caelum et novam terram.[5] Novum caelum et nova terra non solum sunt dona Dei in fine huius saeculi sed etiam sunt munera ab hominibus facienda. Non possunt christiani ab hoc opere se removere, sed debent secundum mandatum, quod Deus dedit hominibus, facere. « Crescite et multiplicamini et replete terram, et subiicite eam... »,[6] attendentes, quid Apostolus moneat: « Nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri: ut probetis quae sit voluntas Dei bona, et beneplacens et perfecta ».[7]

Ex his ansis positivis et maxime ex vita religiosa fundata in fide, caritate et spe possibile est verum colloquium cum Atheismo et verum testimonium pro Deo vivente.

94

Exc.mus P. D. BRUNO WECHNER

Episcopus tit. Cartennitanus, aux. Oenipontanus

I. *Schema generatim placet,* quamvis emendationibus adhuc indiget. Placet praeprimis, quia Ecclesia in eo ad omnes homines et ad problemata huius temporis se convertit, parata cum humilitate ad eorum solutionem servitium praestare et ad dialogum invitare.

II. *Animadvertenda censeo*: 1. *Ad titulum.* Loco « Constitutio pastoralis » substituatur potius e. g. « Litterae conciliares ». Quae nova denominatio magis contento schematis correspondet et magis ad dialogum invitat, quem intendit.

2. *Ad textum eiusque scopum.* Textus omni modo abbreviatur, tamen ita, ne claritas pereat, omittendo praesertim iterationes et quasdam assertiones (e. g. piae exhortationes), quae sine detrimento omitti possint et debeant (n. 9 in secunda parte, 10, 17, 29, 30, 31, 33, 37, 38).

Longitudo textus forte ex eo provenit, quia status quaestionis schematis necnon eius scopus non satis clari appareant. Titulus enim « De Ecclesia in mundo huius temporis » nimis generalis est, quare oportet, ut saltem in textu quaestiones et scopus clare enuntientur, ad quas schema nostrum re-

---

[5] Cf. *2 Pt.* 3, 13.
[6] *Gen.* 1, 28.
[7] *Rom.* 12, 2.

spondere intendit aut super quibus cum mundo hodierno dialogum facere cupit. Textus ita sine dubio brevior et clarior fieri potest.

3. *Ad dispositionem materiae.* Dispositio materiae schematis, praesertim primae partis, apte et modice mutetur!

Cap. IV tamquam caput centrale totius schematis in initio partis I ponatur. In eo patefaciendum esset, quae Ecclesia ad vitam mundi conferre posset et ex altera parte, quae mundus ad vitam Ecclesiae confert (n. 55).

1. Incipiendum esset a numero primo Constitutionis *de Ecclesia,* ab Ecclesia nempe, « veluti sacramentum et instrumentum intimae cum Deo unionis totiusque generis humani unitatis ».

Ex hac Ecclesiae visione ostendendum esset, quae Ecclesia ad vitam mundi conferre posset per praesentiam Christi in ipsa, qui suam Incarnationem sacramentaliter in ea continuat et per Ecclesiam suam mundo Verbum suum et Vitam suam confert (ad hoc aliquo modo nn. 49-51 et n. 54 in fine spectant).

2. Ostendendum esset, quod et quomodo Ecclesia ipsa ut communitas visibilis mundo inserta sit (n. 56), mundo indigeat et eo uti debeat (n. 55).

3. Ostendendum esset, quod et quomodo Ecclesia in mundo praesens fiat per eius membra, quae ut cives cum omnibus suis fratribus in familia humana in aedificanda societate mundo serviunt et spiritu evangelico eum perfundere et perficere student (cf. nn. 53-53, 54 et 57).

His praemissis igitur sequens dispositio materiae proponitur:

Titulus: Litterae conciliares de Ecclesia in mundo huius temporis.

Expositio introductiva: Prooemium constans nn. 1-3 et 10 (sub uno numero!) et postea nn. 4-9, qui manere possunt.

Pars I: De principiis fundamentalibus. Cap. I. De Ecclesia eiusque membris in mundo; cap. II. Quid Ecclesia cogitat de persona humana; cap. III. Quid Ecclesia cogitat de hominum communitate; cap. IV. Quid Ecclesia cogitat de humana activitate in universo mundo.

Quod capp. II-IV attinet, ibi tantum de principiis respectivae materiae agatur.

Pars II: De quibusdam problematibus urgentioribus mundi hodierni. Quoad hanc partem valde desiderandum videtur cum aliquo capite de persona humana incipere et quidem ita, ut in parte prima solummodo principia semper et ubique valentia indicentur, particularia autem in cap. I partis II ponantur, ubi demum concretius dici posset de persona humana nostris diebus plurimis et maximis periculis exposita.

4. *Ad terminum « Populus Dei ».* Terminus « Populus Dei » in textu schematis saepe adhibitus, a non-christianis, qui alloquuntur, vix bene intelligi potest. Ad opinionem ducere potest acsi solummodo catholici in amore et cura Dei essent. Qua de re loco termini « Populus Dei » « Ecclesia » poni posset.

[*Subscripsit etiam*] St. László, ep. Sideropolitanus.

95

EXC.MUS P. D. MATTHIAS WEHR
Episcopus Trevirensis

N. 2, pag. 5, lin. 27: Verba « donec - salvetur » deleantur. *Ratio*: revelatio divina nos non docet mundum « quatenus sub signo Maligni positus est » in fine et per fidem salvatum iri.

N. 7, pag. 8, lin. 40: Loco « eventus singularis » scribatur: « factum » aut « dictum singulare ». *Ratio*: Deum negare non est eventus sed factum aut dictum.

N. 16, pag. 15, lin 36: Loco « fides » scribatur: « doctrina catholica ». *Ratio*: ea quae sequuntur partim sunt sententiae theologicae e veritatibus fidei deductae, e. g. personas divinas relationibus constitui.

N. 18, pag. 16, lin. 39: « personali » deleatur. *Ratio*: locutio, traditioni catholicae non plane consona, errori de Deo trino occasionem praebere potest. Fortasse sufficit intentioni contextus scribere: personalem dependentiam.

Nota 21, pag. 20: Verba ex determinatione Chalcedonensi prolata primo loco secundum cursum historiae ponantur.

N. 30, pag. 25, lin. 21: Verba « teste s. Iacobo » deleantur, aut dicatur: « teste epistula s. Iacobi ». *Ratio*: nomen auctoris, de quo dissentiunt eruditi, tali modo ne inculcetur.

N. 35, pag. 28, linn. 9-10: Scribatur: « (vocati sunt), ut iam nunc vitam divinam participent vires divinas ad communem salutem accipientes ». *Ratio*: ipsa vocatio divina ab effectibus distinguatur.

N. 36, pag. 28, lin. 29: Deletis in lin. 29 verbis « quasi essent alii aliorum membra », textus hoc fere modo mutetur: « ... scil. Corpore suo, in quo omnes *inter se invicem sunt* membra et, secundum dona diversa singulis concessa, mutua sibi praestare debent servitia ». *Ratio*: 1. Verba « quasi essent » deleri debent, quia in Corpore Christi revera omnes invicem membra sunt et conceptus theologici non merae metaphorae sunt sed analogice praedicantur. 2. Textus, ita modificatus, clarior evadit.

N. 40, pag. 32, lin. 41: Nomen sapientis, cuius dictum allegatur, in nota apponatur.

N. 40, pag. 33, lin. 2: Deletis verbis « ad Eum non attendimus, scribatur: « non omnes attendunt ». *Ratio* patet.

N. 44, pag. 34, lin. 19: Loco « obscuro » ponatur: « arcano ». *Ratio*: adiectivum « obscurum » hic minus aptum quam « arcanum » videtur.

N. 46, pag. 35, lin. 22: Loco « invocabant » ponatur: « postulabant ». *Ratio*: discipuli interrogaverunt ad modum postulantis (non invocabatur ignis).

N. 56, pag. 43, linn. 30-31: Deletis verbis « lex salutis ... incarnetur », scribatur: « ut salus divina velut semen in genus humanum peccatis infectum spargatur ». *Ratio*: 1. Contextus non de lege salutis sed de ipsa salute

verba postulat. 2. « Humanitas » conceptus univocus non est. 3. Verbum « incarnari » non adhibeatur tamquam metaphora.

N. 61, pag. 47, lin. 33: Loco « christiana ascesi » scribatur « virtutibus christianis ». *Ratio*: ipsae virtutes dirigunt et nobilitant, « ascesis » exercitium non sufficit.

Pag. 47, lin. 43: Loco verbi « colit » dicatur « suscitat ». *Ratio*: clare enuntietur amorem divinum non modo nutrimentum sed etiam fontem virginitatis esse.

N. 79, pag. 62, lin. 32: Loco « Credimus » scribatur: « Tenemus ». *Ratio*: id quod sententia profert non est articulus fidei.

N. 90, pag. 72, lin. 13: Loco « ex uno Patre » scribatur « ex uno Adamo ». *Ratio*: « Pater » (cum littera initiali P maiuscula) intellegitur de Deo Creatore. S. Paulus autem loco allato (*Act.* 17, 26) agit de descensu generis humani ab Adamo. Mythi gentilium fabulantur de hominibus a deo progenitis.

N. 91, pag. 73, lin. 6: Scribatur aut: « a Deo ( ) Patre promanantis » aut « a Deo et Patre Domini nostri Iesu Christi promanantis ». *Ratio*: 1. Pro mutatione altera cf. *2 Cor.* 1, 3; *Eph.* 1, 3; *Col.* 1, 3. 2. Vide infra ad n. 105, pag. 83, lin. 11.

N. 105, pag. 83, lin. 11: Loco « Patrem » ponatur: « Creatorem et Dominum unumque Redemptorem ». *Ratio*: Deum Patrem omnium hominum nominare alienum est a traditione Ecclesiae. « Pater omnium » invenitur *Eph.* 4, 6; sed secundum contextum est Pater omnium nostrum idest christianorum; cf. Gottlob Schrenk in Th W NT 5, 1014. Graeci, Philo, Iosephus, Stoici aliique deum patrem omnium hominum nominant; cf. Walter Bauer, *Wörterbuch z. NT* col. 1157, Gottfried Quell, Th W NT, 5, 951-959. Sacra scriptura V. T. Deum non dicit patrem omnium hominum, cf. Bauer, *ibid.*, Quell, *ibid.*, 964-974. In libris N. T. Deus Pater omnium hominum non exhibetur, sed Pater Iesu Christi (passim), fidelium (passim pater noster, vester), luminum (*Iac.* 1, 17), spirituum (*Hebr.* 12, 9); Iudaei gloriantur patrem habere Deum (*Io.* 8, 41) secundum usum V. T. (cf. Bauer, *ibid.*, Schrenk, *ibid.*, 983-1016). De Mt. 5, 43-45 cf. Schrenk 990 sq. « Die europäische Aufklärung hat als modernisierte stoische Interpretation die allgemeine Vaterschaft über alle Menschen in die Bergrede hineingelesen ». « Das Wort Vater gehört denen, welche die Botschaft " euer Vater " von Jesus annehmen. Das gilt auch da, wo der Ausgang von der menschlichen Analogie der Vatererfahrung genommen wird (*Mt.* 7, 9-11; *Lk.* 11, 11-13). Auch wenn Umrahmungen einen weiteren Kreis setzen (*Lk.* 6, 27; *Mt.* 23, 1) bekommen die Zuhörer die *Vaterwahrheit nicht als allgemeinde Weltwahrheit* zu hören, sondern in der neuen sinngebenden Wertung, die das Jüngersein einschließt (*Lk.* 6, 35 f; *Mt.* 23, 8 f) ».

N. 106, pag. 83, lin. 32: Loco « Pater » aut ponatur « Deus » aut « Pater noster ». *Ratio* eadem ac supra.

Praeterea latinitas multis locis elegantia omnino caret. Schema est translatio ex lingua alia in latinam aegre facta. Mendae non absunt. Cf. n. 4, pag. 7,

lin. 10; n. 5, pag. 7, lin. 8; n. 5, pag. 7, lin. 37; n. 6, pag. 8, linn. 15-17; n. 9, pag. 10, lin. 40; n. 10, pag. 12, lin. 14; n. 11, pag. 13, lin. 15; n. 11, pag. 13, lin. 18; n. 12, pag. 13, lin. 35; n. 12, pag. 14, lin. 3; n. 13, pag. 14, lin. 17; n. 15, pag. 15, lin. 9; n. 16, pag. 15, lin. 31; n. 17, pag. 16, linn. 18-19; n. 17, pag. 16, lin. 24; n. 18, pag. 16, lin. 34; n. 18, pag. 16, lin. 37; n. 20, pag. 18, lin. 33; n. 25, pag. 23, lin. 1; n. 27, pag. 23, lin. 32; n. 32, pag. 26, linn. 18 ss.; n. 34, pag. 27, lin. 43; n. 35, pag. 28, lin. 13; n. 36, pag. 28, lin. 24; n. 37, pag. 30, lin. 11; n. 38, pag. 30, lin. 28; n. 38, pag. 31, lin. 4; n. 39, pag. 31, lin. 34; n. 40, pag. 31, linn. 39-40; n. 41, pag. 33, linn. 9-10; n. 47; pag. 36, linn. 3-4; n. 49, pag. 38, lin. 29; n. 56, pag. 43, lin. 35; n. 61, pag. 47, lin. 34; n. 65, pag. 52, linn. 6, 7-8; n. 67, pag. 52, lin. 32, pag. 53, lin. 1; n. 68, pag. 53, linn. 7-8; n. 70, pag. 54, lin. 41; n. 77, pag. 61, lin. 36; n. 79, pag. 62, lin. 40; n. 87, pag. 69, lin. 26; n. 88, pag. 69, lin. 31; n. 89, pag. 70, lin. 33; n. 89, pag. 70, lin. 41; n. 89, pag. 71, lin. 15; n. 91, pag. 73, lin. 16; n. 92, pag. 74, lin. 6; n. 93, pag. 74, lin. 22; n. 95, pag. 75, lin. 20; n. 98, pag. 77, lin. 15; n. 100, pag. 79, lin. 41; n. 101, pag. 80, lin. 12.

Insuper displicent abundantia inutilisque repetitio verborum multis in locis exhibitae.

[*Adhaeserunt etiam*] B. Stein, ep. tit. Dagnensis, aux. Trevirensis; C. Schmidt, ep. tit. Thasiensis, aux. Trevirensis.

96

Rev.mus P. D. ATHANASIUS WELYKYJ

Superior generalis Ord. Basiliani S. Josaphat

Observationes generales. De momentoso et simul amplissimo schemate nostro unum tantum vestrae sapientiae proponere audeo: Interna quadam necessitate Ecclesia premitur ut de rebus propositis mentem suam aperiat; mundus universus, etiam non credens responsionem claram Ecclesiae Christi anxius exspectat; Patres Concilii nostri propter fidelitatem ad doctrinam Christi et simul ob responsabilitatem eorum erga totam familiam humanam, quodam quasi timore anguntur, antequam sententiam eorum emittant.

Hoc statu rerum considerato, ne quaedam enascantur aequivocationes, ne exspectationes frustrentur et maior Patrum unanimitas in suffragando textu procuretur, propono, ut — scienter et conscienter — Concilium nostrum schema nostrum mundo universo praesentet sub titulo: « Litterae Synodales (vel conciliares) *de Ecclesia in mundo huius temporis* », loco alterius tituli « Constitutio pastoralis ». Res enim ipsa multum iuvari potest, si recta in luce seu ordine cogitationis poneretur, et quidem ob sequentes rationes:

1. volens-nolens, schema nostrum ipso suo tenore, stylo et rebus tractatis totam christianitatem, imo — totam humanitatem alloquitur et pro de-

stinatario habet, cuius attentionem et collaborationem poscitur; tam amplo vero et dispari coetui Concilium vix quidquam « constituere » valet, optimo tamen iure « litteras synodales » mittere potest;

2. Ecclesia catholica vult colloquium quoddam seu dialogum cum tota humanitate instituere in plurimis campis vitae et activitatis; pessime tamen colloqui inciperet et libertati colloquentium praeiudicaret, si a priori quamdam constitutionem unilateralem, firmam et immobilem ederet; optime tamen ageret, si materias dialogi suamque sententiam « litteris synodalibus » sollemnibus omnibus colloqui cupientibus communicaret;

3. schema agit « de Ecclesia in mundo huius temporis », non solum in sensu reali, seu de mundo terrestri, sed imprimis in sensu temporali, seu de mundo nostri saeculi, qui evolvitur, mutatur, praeterit; non convenit ut de re fluida et mutabili, Concilium quidquam immutabiliter et definitive « constituat »;

4. constitutio proposita definitur « pastoralis », non quidem quia solis destinatur pastoribus Ecclesiae, sed quia modo pastorali alloquitur omnes; homines tamen nostri temporis, qui saepe ex externis agunt et iudicant apparentiis, sensu obvio adiectivi « pastoralis » duci, in periculo sunt ne debitam praestent huic documento attentionem; « constitutio » potius rem ipsam in mentem inducit, « litterae » personas afficiunt et spectant;

5. ipse stylus et locutio, personalis etsi pluralis, plenus interrogationum, exclamationum, repetitionum, explanationum etc. melius et aptius convenit « litteris » ad personas directis, quam « constitutioni » de ipsa re agenti;

6. tenor schematis et res tractatae, rerum veterarum et novarum iuxtapositio, scil.; rerum et sententiarum opinabilium, discutibilium cum doctrinis certis et ab omnibus acceptis permixtio; rerum et eventuum historicorum syntheses et quaedam summaria passim proposita; eventuum et processuum naturalium et socialium descriptiones non ex omni parte perfectae, Patribus Concilii timorem quemdam incutiunt antequam dicant sollemniter « probamus, decernimus, statuimus », etsi res ipsae placent; hic status animi multum laxari potest, si res ageretur de « litteris synodalibus » edendis, et maior unanimitas in suffragando obtineri possit;

7. revera schema nostrum sensu proprio et classico fere nihil « statuit », sed potius explicat, declarat, exponit, monet, hortatur, invitat, suadet etc. Eidem proinde notam « constitutionis » tribuere, esset res forsan excessiva;

8. pro praxi conciliari, schema praesens est res nova quoad tenorem, formam et stylum; novo proinde sub titulo praesentetur, ex analogia documentorum Summi Pontificatus desumpto, quae optime et apte inter constitutiones apostolicas et litteras encyclicas distinctionem faciunt;

9. et tandem, filiali obsequio praemisso et professo, liceat mihi et haec subiungere: Summo nostro Pontifici et Concilii Praesidi, forsan, pro gravitate negotii praesentisque textus tenore et charactere, convenientius erit ut proponamus textum hunc probandum, subscribendum et publicandum, potius

quam uti illis tremebundis: auctoritate apostolica « approbamus, decernimus ac statuimus ».

Patres venerabiles, meae paucitati ignoscentes, rem ipsam et rationes adductas consideretis, et commissioni respectivae, quae forsan necessaria auctoritate et facultate non gaudet, vestro suffragio in « modis » probandis iniungatis, ut pro finali suffragatione vobis praesentet schema sub titulo: « Litterae synodales de Ecclesia in mundo huius temporis ».

* * *

Aliis tribus PP. Concilii consentientibus: A. Senyshyn, J. Martenetz, A. Hornyak.

De titulo (pag. 5). Dicatur: « *Litterae Synodales* de Ecclesia in mundo huius temporis ». *Ratio*: *a*) ob destinatarios, qui latius patent quam Ecclesiae potestas constitutiva; *b*) ob dialogum instituendum cum mundo, quem « constitutione » praeiudicare possumus, optime tamen « litteris » incipere valemus; *c*) ob materiam schematis, quod de rebus mutabilibus agit (huius temporis) et futura saecula forsan non amplius ligabit, eisque quasi praeiudicat ne et futurae generationes « de mundo eorum temporis » agant; *d*) ob formam et stylum schematis, modum loquendi et proponendi, quae magis conveniunt litteris quam constitutioni, etsi pastorali; *e*) ob maiorem consensum Patrum Concilii procurandum, qui « constituere » de his timent; *f*) ob faciliorem approbationem Summi Pontificis obtinendam.

De prooemio: pag. 5, lin. 7. Mutetur: loco « Regnum Patris » in « Regnum *Dei* ». *Ratio*: dictio magis usitata in mundo et magis intelligibilis etiam non christianis.

Pag. 5, lin. 14. Addatur: « ... versus finem *humanitatis* nonnisi... ». *Ratio*: maioris claritatis causa.

Pag. 5, linn. 26-27. Omittatur sententia: « licet... salvetur ». *Ratio*: quia sic expressa res est aequivoca; sufficit si agamus modo positivo et de mundo salvando, non de illo mundo, qui per suam naturam Deo adversatur et adversabitur in aeternum. Vel si placeret agi etiam de hoc mundo, tunc agendum esset calamo profusiori; alioquin sileamus. De « mundo » quem Christus definitivit, reprobavit, iudicavit quique in « mysterio iniquitatis » fundatur, nobis loqui non licet.

Pag. 6, lin. 12. Dicatur potius: « ... in capite *huius* explanationis *collocatur* ». *Ratio*: vitanda est locutio personalistica et futuristica; est schema decreti prout debet apparere iam promulgatum; ideo non « colloca*bitur* », sed de facto iam est collo*catum*.

Pag. 6, lin. 13. Mutetur: loco « Episcopi » in « Patres Concilii ». *Ratio*: in Concilio sunt etiam membra Concilii non-episcopi, deliberativa voce gaudentes; ne eorum dignitati noster textus praeiudicare videretur.

Expositio introductiva. Pag. 6, lin. 23. Mutetur: loco « indolem saepe dramaticam » in « indolem saepe *angustiis refertam,* qua notatur ». *Ratio*:

terminus « dramaticam » redolet aspectum nimis terrestrem, et fidei christianae de Providentia Divina non satis correspondet.

Pag. 6, linn. 24-25. Omittatur sententia: « Idonei auctores... delineant ». *Ratio*: non decet consessum conciliarem opinionem quorundam auctorum, etsi « idoneorum », hoc modo expresse canonizare; Concilium enim ex propria scientia et experientia agat oportet, quibus ad abundantiam praeditum est. Ceterum de rebus agitur, quae scientiam Patrum Concilii non superant.

Pag. 6, lin. 34. Dicatur: « Nam » loco « ita ». *Ratio*: ob logicam sequentiam.

Pag. 7, lin. 1. Addatur dictio: « Numquam, *forsan,* genus humanum... » (lin. 1); « Nunquam, *forsan,* mundus suam... » (lin. 3). *Ratio*: locutio est nimis apodictica, et quoddam iudicium historiographicum canonizat; plura enim essent consideranda (et non solum quoad Americam vel Europam), de quibus nondum satis edocti sumus. Quaedam moderatio in huiusmodi sententiis proferendis servanda esset.

Pag. 7, lin. 14. Dicatur: loco « plena »: « profunda ». *Ratio*: locutio posset inducere quamdam opinionem de quadam « totali » substantiali transmutatione, quod verum non est, saltem pro credentibus in Deum; solummodo materialismus crassus autumat quamdam transmutationem substantialem.

Pag. 8, lin. 17. Addatur: « congruentem » personalizationem « *servat et* promoveat ». *Ratio*: quaedam « personalizatio » semper naturam humanam concomitat et concomitare etiam debet, et hoc affirmare possumus addendo hanc particulam; promotio « personalizationis » spectat quasdam manifestationes eiusdem congruentes pro varietate temporum et circumstantiarum.

Pag. 8, lin. 27. Mutetur hoc modo: « ... statui rerum hodierno bene *aptari videntur*. Inde *sequitur* gravis perturbatio ». *Ratio*: legenti patet, quia affirmatio nimis categorica est, et quemdam incautum inducere valet ut omnia praeterita in crisim vocet, prout etiam ex praxi cotidiana constat.

Pag. 8, lin. 29. Addatur: « *In hoc statu rerum et mentium* plures passive ». *Ratio*: logice melius connectitur cum praecedentibus.

Pag. 8, lin. 34. Addatur: « Novae *hae* conditiones... ». *Ratio*: ob connexionem cum praecedentibus, ubi hae conditiones describuntur et definiuntur.

Lin. 38. Addatur: « ex altera *tamen* parte... ». Lin. 41. Addatur: « sed interdum *etiam* quaedam potestates... ». *Ratio*: melior logica connexio huius sat longae sententiae.

Pag. 9, lin. 1. Addatur: « ... proponunt *eamque applicare in societate student et variis mediis et modis applicant* ». *Ratio*: non agitur revera de quadam « platonica » propositione, sed de vi, constrictione et abusu potestatis et mediorum et subsidiorum publicorum. Haec sunt facta et realitas. Ne simus proinde timidi et reticentes in iis, quae omnibus fere nota sunt in universo mundo, et de quibus documenta probata clamant ad Dominum.

Alioquin Concilium nostrum derisioni hominum hodiernorum et futurorum exponeretur.

Pag. 9, lin. 7. Compleatur textus hoc modo: « ... infert et aequilibrium *in rerum natura per Dei providentiam insitum* disrumpit *et discrepantias gignit* ». *Ratio*: innuatur natura huius « aequilibrii », alioquin in aëre manebimus. Ultima phrasis inducit hic quae dicuntur postea in linn. 19-28.

Pag. 9, lin. 21. Mutetur: loco « novae » dicatur « *profundioris* necessitudinis inter virum ac feminam» . *Ratio*: revera non possumus dicere de novis necessitudinibus in hoc campo, quia aliquomodo tangeret consilium creativum Dei; sed loquendum est potius de profundiore intelligentia et sensu necessitudinum quae Deus inde ab initiis creavit et posuit; alioquin materialistis puris nostram doctrinam christianam accommodemus est timendum.

Pag. 9, linn. 27-28. Compleatur sic: « ... propriae " ideologiae " disseminandae *seu modorum et rationum cogitandi, sentiendi et agendi*; quod mutuas diffidentias, inimicitias *et certamina* indesinenter fovet ». *Ratio*: ut saltem quaedam idea « ideologiae » indicetur.

Pag. 9, lin. 39. Deleatur dictio: « vivida conscientia moti ». *Ratio*: superflua, et distrahit ab ipsa re expressa.

Pag. 10, lin. 18. Mutetur: loco « quae cum ita sint », dicatur: « Exinde ». *Ratio*: logice meliori modo exprimitur consequentia.

Pag. 10, linn. 21-22. Transponatur haec sententia: « Quae homo expetere *et obtinere* pro bono suo non poterit, nisi seipsum superans », et ponatur ad finem lin. 24, post verbum « sibi arripit ». *Ratio*: melior sequentia idearum.

Pag. 10, lin. 25: deleatur haec linea: « At quo... significat? ». *Ratio*: interrogationes rhetoricam redolent, in qua Concilium non debet morari. Et sic de omnibus aliis interrogationibus rhetoricis schematis. Melius dicatur eadem res modo positivo, indicativo.

Lin. 25. Dicatur proinde: « Unde quaestionem de vita eiusque sensu sibi instanter ponit ».

Pag. 10, linn. 27-28. Corrigatur et compleatur sic: « *Attamen* (loco: sane) plurimi homines... considerandis *et solvendis* impediuntur... ».

Pag. 10, linn. 29-30. Dicatur: « *Alii demum,* coram hodierna mundi evolutione, *et numero semper crescente, sibimetipsis aliisque quaestionem hanc proponunt et respondere student.* Ita haud raro... ».

Pag. 10, linn. 34-37. Ponatur in indicativo haec phrasis: « ... eiusque membrorum obtruduntur: *de vita, de malo, de dolore et morte ac de iis quae eam subsequuntur* ». *Ratio*: interrogationes hae rhetoricae stylum constitutionis mutant quem nimis levem reddunt.

Pag. 10, lin. 42. Compleatur sequentibus: « ... intendit, *et quae sentiat, credit et profitetur sequentibus capitibus fidens proponit* ».

Pars I: De Ecclesia et conditione hominis.

De prooemio: pag. 12, lin. 19. Addatur: « ... in integra hominis vocatione *et fine ultimo,* sunt posita ».

Cap. I: pag. 13, linn. 4-5. Dicatur: « ... velit. *Inde quaestio de homine fundamentalis est momenti* ». Consequenter deleatur lin. 5, nempe interrogatio: « Quid vero est homo? ». *Ratio*: propter stylum magis convenientem documento conciliari.

Pag. 13, lin. 8. Addatur: « ... ut ad finem suum *ultimum* dirigitur ». *Ratio*: patet ex doctrina de fine ultimo hominis.

Pag. 13, linn. 21-22. Addantur sequentia: « Homini in peccatum lapso *seu a fine suo ultimo distracto,* misericordiam amoris *sui* non denegavit. *Inde* cum omni carne super terram foedus *novum salutis* iniit... ». *Ratio*: ad maiorem claritatem et ut innuatur essentia peccati.

Pag. 14, lin. 8. Addatur: « ... ut fides docet, *etsi mortale,* non est... ». *Ratio*: determinatio haec exigitur ex contextu (periturum, resuscitabitur).

Pag. 14, lin. 14. Addatur: « ... ad sola " phaenomena " physica *intuenda et* cognoscenda... ». *Ratio*: ob rationem gnoseologicam.

Pag. 14, lin. 25. Addatur: « Magis, *forsan,* quam saecula anteacta... ». *Ratio*: assertio videtur nimis apodictica in iudicio historiographico proferendo.

Pag. 14, linn. 28-30. Compleatur dictio: « Quocirca plures nationes *etsi* oeconomice pauperes, *tamen* sapientia a maioribus accepta *et exculta* ditiores, aliis eximium emolumentum praestare possunt, *ad vitam hominis vere dignam ducendam* ». *Ratio*: patet ex propositis.

Pag. 14, lin. 34. Mutetur: « Aliquid enim *profundius* in se habet... » (loco « intimius »).

Pag. 15, lin. 2. Compleatur hoc modo: « ... Fac hoc et hoc devita; *immo, fac bonum et evita malum. Hanc* legem *ut normam moralitatis,* in corde suo inscriptam habet... ». *Ratio*: hoc quod propositum est aliquomodo etiam animalibus adscribi posset, quae instinctu aguntur ut possint vitam agere; immo etiam cuidam conscientiae erroneae. Proinde complenda est dictio, prout proposuimus.

Pag. 15, linn. 10-12. Compleantur hoc modo: « At nonnisi libere homo ad bonum se convertere *et a malo avertere* potest, et libertas est in eo praecellens divinae imaginis signum; quo bono ceterum multi coaevi nostri ardenter afficiuntur *suamque in hoc dignitatem considerant.* Non est *enim libertas* mera... ». *Ratio*: patet ex propositis.

Pag. 15, linn. 19-20. Addatur: « ... aut coactionis, *quam tota sua natura abhorret.* Deus *enim* ipse hominem... ».

Pag. 15, lin. 32. Mutetur: « ... dotes explicare *valet*; ita ut... » (loco: « potest »). *Ratio*: forsan nimis asseritur dictione « potest ».

Pag. 15, linn. 39-41. Rescribatur forma indicativa: « Persona humana igitur, cum ad imaginem Dei unius et trini creata sit, signum eius in se habet. Enimvero si... » (omissa interrogatione). *Ratio*: forsan melius expedit modo indicativo loqui, et evitare nimiam rhetoricam.

Pag. 16, lin. 7. Addatur: « ... Plenitudo ergo legis est dilectio (*Rom.* 13, 9-10), *et imum humanae societatis fundamentum* ».

Pag. 16, lin. 17. Compleatur: « ... Populus Dei *seu Ecclesia* tamen affirmat *et credit* hominem... ». *Ratio*: ob claritatem et distinctionem a populo Dei Veteris Testamenti, et ob non christianos.

Pag. 16, lin. 31. Addatur: « ... et qui *plenam et perennem* vitam sunt adepti ». *Ratio*: etiam vita terrestris est vera.

Pag. 16, lin. 34. Addantur sequentia: « ... intimam et vitalem *hanc* hominis cum Deo rationem *ipsi humanae naturae insitam* nullo modo aut non recte percipiunt ».

Pag. 16, lin. 38. Compleantur: « Plures enim optatum autonomiae *et civilis libertatis* eousque perducunt... ».

Pag. 17, lin. 5. Addantur haec: « Multi, *curis terrenis distracti,* non vident... ».

Pag. 17, lin. 12. Compleatur textus: « ... praefatam interrogationem *de homine deque eius vitae sensu et fine nec non de iis quae mortem sequuntur* omnino aufugere valet... ».

Lin. 14. Addatur: « ... et humiliorem inquisitionem *veritatis* hominem vocat seque Ipsum per ea quae facta sunt naturali rationis humanae lumini obiicit, ut docet apostolus gentium: " Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque eius virtus et divinitas: ita ut sint inexcusabiles, quia, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt " (*Rom.* 1, 19-21) ».

Pag. 17, linn. 15 ss. Totus hic numerus sic rescribatur: 19. (*Problema atheismi*). Naturali rationis humanae lumine collustratum, nunquam genus humanum existentiam Dei negare valuit, etsi in singulis et in communi in plurimis de eius essentia erravit. Deus enim perenne sui testimonium in rerum creatarum natura hominibus ostendens, et viam salutis supernae aperire intendens (cf. *Rom.* 1, 19-20; 2, 10-11), inde etiam ab initio protoparentibus sese manifestavit. Post eorum autem lapsum eos in spem salutis erexit (cf. *Gen.* 3, 15), redemptionem promittens, ab indeque sine intermissione generis humani curam egit. Postquam multifariam multisque modis Deus locutus est in prophetis, « novissime diebus istis locutus est nobis in Filio » (*Hebr.* 1, 1-2), in Christo nempe Iesu, qui revelationem hanc Dei in creaturis inceptam, complendo perfecit ac testimonio divino confirmavit. Naturali proinde lumine humanae rationis et claritate divinae in Christo revelationis, genus humanum praepeditum fuit et hucusque impeditur ne Deum negaret eique debitum cultum exhiberet, atheismum proclamans.

Nunc vero, nostris hisce diebus omnibus compertum est exsurrexisse qui systematicam Dei negationem probare contendunt omnibusque modis et viis attentant, ut suam doctrinam atheam generi humano ex toto vel in parte intrudant. Exinde nunc primum in historia humani generis de vero problemate atheismi loqui possumus, non quidem in campo veritatis, sed in modo sentiendi, loquendi, agendi singulorum vel etiam communitatum et societatum. Atheismus hic quidem diversissimas induere potest et induit formas, non simpliciter ad invicem reducendas. A multis enim colitur et aliis etiam

proponitur. Immo, in multis regionibus data opera spargitur, a potestatibus publicis sustentatur et variis mediis et modis actionis socialis, praesertim in iuvenum educatione, diffunditur, civium libertate despecta.

Inter funestissimas et gravissimas huius temporis formas atheismi systematici, imminet ille qui a Marxio eiusque asseclis et discipulis proponitur et diffunditur ea sub specie, acsi homo, multifariis miseriis ligatus, in certis ac definitis condicionibus socialibus ac oeconomicis positus, sibi perfectionem libertatis ac felicitatis sub specie supraterrestris entis repraesentaret Deumque effingeret, cui immaginationis suae figmento deinde se subicit, ab eo salutem exspectans et a terrestri navitate sese avertens, sicque quodammodo se a seipso abalienat. Ab huiusmodi religiosa alienatione et servitute homo enixe liberandus est, ut omnes suas vires profectui oeconomico ac sociali impendat atque felicitatem suam in his terris constituat eamque vivat, nullo respectu habito Dei, vitae futurae et regni caelorum.

Atheismus ille, quem marxisticum vocitant, quique non ex studio veritatis originem suam ducit, sed ex appetitu bonorum materialium, et ex desiderio socialium revolutionum nutritur et in dies crescit, ad fidem in Deum e corde multitudinis extirpandam, pseudo-argumenta ex scientiis affert et saepe subsidiis utitur, quae dignitatem personae humanae graviter offendunt, iustitiam socialem distributivam laedunt et ordinem publicum pervertunt ac pessumdant.

Ideo Ecclesia Christi, fideliter tum Deo tum homini addicta, desinere umquam potest, quin perniciosas illas doctrinas actionesque dolenter sed firmiter et palam coram toto mundo totoque genere humano reprobet et reiciat, utpote quae religiosae experientiae totius generis humani contradicunt, hominem ab innata eius excellentia et dignitate deiciunt, societati humanae grave afferunt nocumentum et Dei Creatoris iura laedunt ac conculcant.

Propterea Patres Concilii Vaticani, undequaque stirpium, gentium, popopulorum universi orbis terrarum congregati genusque humanum personis suis totamque Universalem Ecclesiam officiis suis, sine distinctione aetatis, status, classium repraesentantes, graviter hortantur omnes in Deum credentes ne similibus doctrinis aures praebeant easque prorsus respuant ac ab iis quorum curam gerunt, praesertim autem a iuvenibus avertant coetusque familiares et communitates nationales ab hisce perniciosis doctrinis praeservare satagant, aptis adhibitis mediis.

Declarant item Concilii Vaticani Patres, eos qui pro fide in Deum proque religiosa libertate personae et communitatis humanae defendenda angustiis premuntur, immo discriminationes et persecutiones, saepe etiam usque ad sanguinis profusionem, patiuntur dignitati personae humanae totoque generi humano excelsum praestant servitium et Dei eiusque iurium veri sunt testes et defensores, omni humana et caelesti laude et honore digni.

Pariter Concilii Vaticani Patres, vocem totius generis humani gerentes, civitatum rectores interpellant, ne fidei in Deum obstent, ne inter homines

credentes et non credentes discrimen inducant et ius fundamentale personae humanae in re religiosa agnoscant et tueantur.

Illos vero qui haec systemata athea asserunt et diffundunt, iidem Concilii Patres instanter invitant, ut sincere inquirant, num suam contra Deum oppositionem rationibus validis atque puris fulcire valeant, omnibus aliis considerationibus characteris socialis vel oeconomici seclusis et bono humanitatis vero inspecto.

Ecclesia, atheismum *quemcumque* reiciens, sincere fatetur homines omnes, credentes et non credentes, communiter in hoc mundo habitare omnesque ad hunc mundum aedificandum hominumque felicitatem procurandam opem conferre debere. Omnes item pro sua humana dignitate veritatem omnem quaerant oportet omni vi et conatu. At pro credentibus libertatem simul expostulat, ut in hoc mundo etiam Dei templum exstruere sinantur, communitatem praesertim christianorum in Ecclesia congregatorum, quae veritatem de Deo palam proclamare Eiusque mandatis obedire sit libera.

Ecclesia apprime novit se cum secretissimis humani cordis desideriis concordare, cum vocationis humanae dignitatem et in re religiosa libertatem vindicat, sicque illis qui iam de altiore sua sorte desperabant, spem restituit. Nuntium eius, nedum hominem minuat eiusque felicitati etiam in hoc mundo noceat, sed lucem, vitam et libertatem ad eius utilitatem fundit et dignitatem auget. Nullum praeter illud cordi hominis satisfacere valet: « Fecisti nos ad Te, Domine, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in Te » (20).

Ratio: patet ex ipsa natura textuum rescriptorum. Non licet Concilio tacere de maxima calamitate temporum nostrorum, sed humanitatem omnem totis viribus defendere, suaviter quidem, sed non minus fortiter.

Atheismum marxisticum non nominare, esset quasi quaedam offensio credentium et omnium hominum bonae voluntatis, immo, forsan etiam cuidam latenti sinceritati ipsorum marxistarum noceret.

De atheismo atheo agere, non significat ullomodo ipsum systema communismi oeconomici et politici offendere. Atheismus hic crassus ipsis asseclis communismi saepe non placet, sed quasi quaedam haereditas acceptanda proponitur.

Item attendendae sunt voces Patrum in aula et fidei confessorum in mundo atheo.

Pag. 19, lin. 7. Addantur haec: « ... clamemus in Spiritu: Abba, Pater! *simusque omnes inter se fratres* ». Ratio: melius introducitur cap. II, nempe « de hominum communitate », quae profundius fundatur in fraternitate.

Cap. II (De hominum communitate): pag. 21, linn. 1-12. Textus ponatur in forma praesenti, non in futuro, ut e. g. in memoriam revocat, insistit, reducuntur, convertuntur. *Ratio*: imaginemus textum iam promulgatum esse et in manibus hominum extra aulam conciliarem inveniri.

Pag. 21, lin. 19. Compleatur textus: « ... et cordis perfectionem pervenire

plene potest *ac valeat* ». *Ratio*: forsan nimia asseruntur, vel saltem cautius procedendum est Concilio.

Pag. 21, lin. 25. Mutetur dictio: loco « ex pondere » dicatur potius « ex imperfectione ». *Ratio*: difficulter intelligitur quid sibi vult « ex pondere ».

Pag. 21, lin. 28. Compleatur dictio: « ... omnes in peccato *seu in insufficientia eorum relationis ad Deum et ad proximum* conveniunt... ». *Ratio*: forsan melius erit naturam huius peccati innuere.

Pag. 23, lin. 20. Addatur: « Nunc primum, *forsan,* in historia humanitatis... ». *Ratio*: cautius loquendum dum proferamus iudicia de historia. Non sunt adhuc omnia omnino nota.

Pag. 23, lin. 35. Omittatur sic et simpliciter dictio « in televisione », quia non est verum quod « esurientes » per studia televisifica cursitant pro libitu; vel, si placeret, dicatur potius: « repente nobis *in persona vel mediis communicationis socialis* occurrens... ».

Pag. 24, lin. 10. Absolute omittatur vox « catholicam », citando tantummodo sensum canonis, non litteram (cf. etc.). *Ratio*: lex valet pro omnibus religionibus, et ex hoc modo dicendi quis idiota posset illationem facere omnino falsam, acsi catholici et ii soli attentarent adversus reverentiam humanae personae.

Pag. 24, lin. 10. Melius dicatur hic loco « Populo Dei », « Ecclesiae ». *Ratio*: ne confundantur obiectum (nationes) et subiectum (populus Dei); vox « Ecclesia » est magis usitatus terminus et intelligibilis, cum loquimur etiam ad non fideles, ad non christianos.

Pag. 25, linn. 18-19. Dicatur in forma indicativa hoc modo: « *Ut paucis plura innuamus et clare illustremus, semper et ubique et in quibuscumque adiunctis pari* reverentia tractan*dus est* dives et pauper, potens et debilis, operarius et dominus, *civis et advena, vir ac mulier.* Si autem... ». *Ratio*: modus interrogativus propositus non convenit huic gravissimae assertioni.

Pag. 25, lin. 29. Addatur: « ... inaequalitates oeconomicae, *politicae,* sociales ac culturales inter membra... ». *Ratio*: patet, quia adest adhuc discriminatio politica non minus gravis momenti.

Pag. 26, lin. 15. Compleatur: « Libertatem, *praesertim civilem, socialem ac politicam* aequales nostri *et contemporanei* nostri magni aestimant... ». *Ratio*: ut saltem quaedam species innuantur, ne mentes legentium divagent ad quasdam libertates quae potius sunt velleitates et libidines.

Pag. 26, lin. 27. Addatur: « ... coercitiones vitae socialis *et civilis* accipit... ».

Pag. 26, post lin. 36. Addatur novus numerus de classibus oeconomico-socialibus et factionibus (partito) politico-civilibus, quia hae formae « socializationis » hodie adhuc in vigore sunt immo quaedam « lucta classium » et factionum politicarum ordinem publicum perturbat et bonum commune impedit; loquendo de mundo « nostri temporis » forsan de his tacere non licet, praesertim in hac parte quasi doctrinali. Proinde propono, ut haec quaestio tractetur hoc vel simili modo:

32-a. (*De communitate classistica et partitaria*). Inter diversas formas consociationis humanae quae ex una parte naturae hominis immediatius congruunt, ut familia, stirps, et communitas politica, ex alia vero ex libera eius voluntate procedunt et ad modum vivendi et agendi pertinent, ultimis hisce saeculis in variis partibus generis humani ad pleniorem maturitatem pervenit quaedam conscientia communis inter diversos homines et familias sortis in rebus oeconomico-socialibus nec non cuiusdam mentium convergentiae in rebus politico-civilibus.

Ex conscientia hac inter homines eiusdem oeconomico-socialis conditionis ortum habuit quaedam quasi naturalis conspiratio mentium, operum et conatuum ad propria iura exigenda vel privilegia defendenda vel etiam commoda promovenda et fovenda in sinu totius communitatis humanae, praesertim s. d. industrialis. Conscientia hac semper magis crescente, colluctationes asperae mox excreverunt inter varias societatis classes quae, ut sibi bona intenta facilius procurarent dominium etiam politico-civile appetere coeperunt. Exinde, iustis e causis et legitimis principiis exorta, consociatio classistica mox in funesta prorupit consectaria, communitatem civilem disrumpendo, luctas et conflictationes generando, odia et vindictas collectiva suscitando, bonum commune totius communitatis negligendo et commodis singularum classium postponendo, non infrequenter libertate aliorum conculcata. Nemo est qui non videt luctam classium, debitos limites et fines excedentem, progressionem consociationis communitatum civilium retardare vel etiam impedire posse ac valere.

Conscientia communitatis laboris et sortis communis, qua classes variae in communitate humana aluntur, in se ipsa communitati humanae non obstat, immo eidem plurima bona afferre potest, quia unitas inter homines in varietate perfectiorem attingit formam, quae ex una parte uniformitatem abhorret, ex alia vero luctam excludit, ad harmoniam conspirat et ad altiora bona omnibus partibus communia tendit. Nemo est proinde qui non videt societatem classisticam, luctam classium, dictamen unius classis super aliis, progressione generis humani maturante, magis magisque oblitum iri. Meminere enim debet homo, sive individuus sive consociatus, se propria bona et commoda procurare et defendere debere iusta ratione habita iurium et bonorum aliorum sibi aequalium, quae negare vel impedire non licet. Nisi seipsum superet homo, nisi classis appetitum bonorum moderet, vera ac maiora bona nec sibi nec aliis procurare valet, neque toti communitati prodesse potest.

Quae de classibus oeconomico-socialibus dicta sunt, valent etiam de iis hominibus, qui conscientia propriae responsabilitatis de bono communi totius societatis politico-civilis moti, vires suas et conamina in unum conferunt, ut mandato obtento, totam communitatem hominum et rem publicam moderent, iuxta propriam de bono communi persuasionem. Meminerint homines, qui singuli vel sociati (partito politico) rem publicam moderant vel ad regimen communitatis civilis contendunt, ne suos modos toti communitati vel maiori

eiusdem parti nolenti iniuste vel vi adhibita vel etiam fraude intrudere praesumant, commodorum propriae factionis gratia vel appetitu dominatus ducti. Non sua vel suorum praeprimis quaerant, sed quae sunt in bonum totius communitatis. Spiritu servitii socialis ducantur. Progressioni vere humanae omnium studendum est, et qui sive singulus sive sociatus politico-civile moderamen exercet, imprimis prae oculis bonum totius habeat oportet, cui commoda partis subordinanda sunt. Totum enim partibus constat, et bonum totius in partes necessario redundat, nec semper contraria valet illatio. Pars enim nunquam totum exaequare potest, neque bonum partis totius communitatis exaequare valet.

Cavendum item homini huius temporis est, ne appetitu bonorum vel dominatus ductus, undequaque congestis viribus et opibus idem sentientium, communitati sociali vel civili propriae, cum qua intimius coniungitur suapte sua natura, voluntatem suam suaeque factionis vel classis imponat, vinculis naturae disruptis. Revolutionem rerum ad alios efferre non licet, coniunctio vero inter genus humanum mature evolvenda est, ab individuo ad universam humanam familiam.

33. (*Quod ultra ethicam individualisticam progrediendum sit*) ... *Ratio*: haec vel similia in schemate ponenda esse puto; si placet propositio, extensor schematis de meliori textu et loquela providere potest.

N. B. Si non placeret hoc loco agi materias similes tunc forsan agendum sit in parte II, cap. III (quoad classes sociales), et cap. IV (quoad factiones politicas), locis aptis haec vel similia inserendo.

Cap. III (Quid significet humana navitas in universo mundo): pag. 30, linn. 1-5. Ponantur quaestiones in forma indicativa, et non interrogativa, e. g. in hunc modum: « Praesens rerum evolutio coaetaneis nostris, sive in Deum credant sive non credant, multas quaestiones proponit, nempe: de cursu generali eventuum et rerum, de sensu humanae navitatis, de fine nisus et conatuum hominum, et in genere de mysterio mortis et sensu vitae ». *Ratio*: decet magis praesens documentum non per rhetoricas procedere formas.

Pag. 30, linn. 15-20. Ponatur textus in forma praesenti: « ... qu*ae* doctrin*a* penitius *est consideranda* (nn. 38-39), *qua exposita, consideranda venit* humana navitas *in connexione* cum Regno Dei (nn. 40-44), *unde* recto tramite *patet* via ad mysterium universalis dominatus Christi (nn. 45-47) ». *Ratio*: immaginemus constitutionem iam promulgatam, non promulgandam vel solummodo in intentione manentem.

Pag. 32, lin. 30. Vel dicatur: loco « catholicorum »: « christianorum », vel compleatur: « christianorum vel catholicorum ». *Ratio*: non sola religio catholica stat in Tribunali, sed in universum omnis religio, et christiana in specie, prout constat ex scriptis marxistarum praesertim.

Pag. 32, linn. 41-43. Omittatur citatio: quia non satis expressiva, nec utilis. Possumus potius quidquam ex Sacra Scriptura citare. Nemo exspectat a PP. Concilii sapientiam Indiorum, sed doctrinam christianam.

Pag. 33, linn. 1-2. Compleatur hic textus: « ... replent, Deus ipse adest *praesentiamque suam sufficienter manifestat, etsi tantummodo* submisse *et in umbra rerum* loquens, *cui loquelae attendamus omnes oportet* ». *Ratio*: in hoc est etiam ratio theologica rerum creatarum, ut hominem ad cognoscendum Deum ducerent.

Pag. 33, linn. 3-13. Totus hic numerus reformandus videtur, quia nihil fere dicit; alio quidem stylo, magis indicativo, idea ibi existens exprimatur.

Cap. IV (*De munere Ecclesiae in mundo huius temporis*): pag. 38, lin. 1. Omittatur verbum « a nobis ». *Ratio*: vitandus est hic modus personalisticus, ubi fieri potest, sine damno.

Pag. 38, linn. 11-12. Ponatur textus in indicativo, et proinde dicatur: « propon*enda sunt* » vel potius propon*untur* »; « explan*amus* ». Textus considerandus est ut iam promulgatus, et in manibus hominum.

Pag. 38, lin. 35. Addantur haec: « ... ut manifestatio mysterii Dei, *ut participatio in divina scientia de Deo ipso, de mundo universo, qua* homini simul... ». *Ratio*: non sufficit provocare ad « mysterium » Dei, sed indicandum in quo evenit haec « manifestatio » mysterii; non omnia mysteria Deus homini manifestavit, sed quae ad salutem hominis sunt necessaria.

Pag. 39, lin. 30. Compleatur dictio: « ... qui ad ordinem politicum, oeconomicum, socialem *directe vel exclusive* spectaret ». *Ratio*: non possumus sic et absolute affirmare carentiam cuiuscumque mandati, ne false homines missionem Ecclesiae intelligant. Et tamen obiectum missionis Ecclesiae est idem numero homo politicus et oeconomicus et socialis; quaedam connexio adest, etsi non directa vel exclusiva.

Pag. 40, lin. 32. Addatur particula « ... scandalum *enim* gignit... », ob consecutionem logicam meliorem.

Pag. 41, lin. 41. Addatur: « ... propria negotia *et responsabilitates* in se recipiant ». *Ratio*: relate ad alios homines, quae relatio necessaria in dictione « propria negotia » vix invenitur.

Pag. 42, linn. 4-7. Omittatur hic textus simpliciter, quia est sat obscurus et nimis particularis: patet, neminem posse auctoritatem Ecclesiae obligare, nisi auctoritas haec ipsa.

Pag. 42, linn. 19-20. Omittatur hic textus emphaticus et rhetoricus, vel ponatur in forma affirmativa. *Ratio*: magis decet generali characteri constitutionis.

Pag. 42, lin. 40. Addatur: « ... sumimus transimus, *et mundum universum Deo consecramus et offerimus* ». *Ratio*: patet.

[*Subscripserunt*] A. Senyshyn, arch. Philadelphiensis; J. Martenetz, ep. tit. Soldaia; A. Hornyak, ep. tit. Ermontis.

97

Exc.mus P. D. IOANNES WHEALON

Episcopus tit. Andrapenus, aux. Clevelandensis

De schemate in genere. 1. Uti antea scripsi, melius est hoc documentum non esse *Constitutionem,* sed « Allocutionem » vel « Epistolam » vel quid simile — propter plures rationes antea descriptas.

2. Titulus quem praefero proinde est: « Allocutio ad homines huius temporis ».

3. Stylus huius documenti est sicut stylus epistolae personalis. Si re vera hoc documentum futurum sit Constitutio, deinde sit brevius, concisius, clarius.

4. Caput de matrimonio et familia omnino non placet. Est nimis verbosum et nebulosum in re maximi momenti. Necesse est doctrinam certam, claram de his rebus statuere.

5. Multae sunt exhortationes piae quae generaliter non placent in hoc contextu.

Prooemium. In genere, placet. N. 1, linn. 19-20: finis huius operis, opinor, melius describendus est uti doctrina hominibus huius mundi data ut mundus melius in futurum evolvatur.

N. 2, lin. 26: Verba « sub signo Maligni » nil significant pro non-christianis et parum pro christianis.

Expositio introductiva. N. 4, pag. 6, linn. 23-24: haec invocatio auctorum idoneorum omnino non placet. Concilium Oecumenicum ipsum est auctoritas et ad alias auctoritates oportet non referre. Talis invocatio non est Concilii digna.

N. 5, pag. 8, lin. 4: analogia « per ignem experientiae » est valde usitata et haud Concilii digna.

N. 7, pag. 8: oportet mentionem habere de pansexualismo, qui fortasse pro maioribus hominibus est periculum maius quam atheismus.

Cap. I: De humanae personae vocatione. N. 12, pag. 14, lin. 2: haec sententia videtur praeiudicium exprimere contra vitam caelebem. Sunt illi et illae qui de carne et sanguine non participant non plene homines?

Cap. II: De hominum communitate. N. 27, pag. 23: necesse est seipsum relinquere et de seipso oblivisci priusquam homo potest reverentiam veram erga alios habere.

N. 27, pag. 23, linn. 38-39: ebrietas et alcoolismus sunt mala communia contra personam.

N. 27, pag. 24, lin. 3: etiam divortio et familiae derelictio.

N. 27, pag. 24, lin 4: et etiam absentia laboris pro viro qui laborare vult.

N. 27, pag. 24, lin. 10: melius esset si fides catholica hic non nominetur,

sed religio simpliciter dicta. In spiritu declarationis *de libertate religiosa,* mentio hic habeatur contra vim in re religiosa.

N. 30, pag. 25: ea quae dicuntur de discriminatione propter stirpem non sunt sufficientia.

Cap. III: *Quid significat humana navitas*. N. 40, pagg. 31-32, linn. 23-32: haec paragraphus omnino non placet. Ecclesia videtur sese prosternere ante scientiam. Melius esset hanc paragraphum omittere.

N. 42, pag. 33: hic aliquid dicendum est de obligatione hominis se educandi, et de necessitate laboris personalis in vita. Adsunt nunc in aliquibus terrae regionibus difficultates de « automatione », etc.

N. 44, pag. 34: tota paragraphus non placet. In documento sobrio, haec paragraphus apolyptica non ponenda est.

98

Exc.mus P. D. IOSEPH ZAFFONATO
Archiepiscopus Utinensis

Hic non illa vel ista schematis textus correctio proponitur, etsi non pauca videntur corrigenda, quae minus clare definita vel minus recte expressa apparent. Verbi gratia, in ipsa mundi definitione nullus locus relinquitur illi « mundo » qualis in verbis Iesu Christi damnatur; et in n. 63 nimis presse affirmatur coniugum esse filiorum numerum determinare, etsi ante et post conditiones limitativae enumerentur. Sunt et complura alia quae brevitatis amore subtacentur.

Quaedam autem sedulo perpendenda videntur, non ad hanc vel illam correctionem obtinendam, sed ad totius schematis stylum et quodammodo spiritum immutandum.

1. *Cui textus dirigitur?* Parvi non est claram notionem habere cui textus dirigatur. Utique schema exemplum esse vult « colloquii », ut dicitur, Ecclesiae cum mundo. At si concrete loqui volumus, quisnam illud perleget, quisnam illi studebit? Quatuor puto classes futuras. Primae accensendi erunt « mundani », qui « mundane » illud examini, fortasse spretui, subiugabunt. In secunda illi stabunt qui « mundani bonae voluntatis » vocari possunt, quique aliquali expectatione et fiducia in ista constitutione quorumdam problematum indicationem vel solutionem exquirent. Tertiae vero illos addicam, qui uno nomine christiano nobis coniuncti catholicae Ecclesiae varia de causa non adhaerent, et in constitutione nostram a sua diversam mundi mundique problematum conceptioni, interpretationem ac solutionem inquirent. Quartam denique classem nostri fideles, immo et theologi, efformant, quibus permagni est intelligere qualem catholicorum habitudinem cum mundo Sacrosanctum Concilium proponat. Has classes ascensive numeravi, quia a prima ad quartam, mea sententia, succrescit constitutionis influxus. Mihi enim

videtur constitutionem utique mundum respicere; sed eius primarius effectus erit aliquali nova erga mundum habitudine catholicos imbuere, secundarius vero consensum « christianum » reperire, quantum fas est, in hoc argumento cum fratribus separatis. Alii effectus his subiiciendi erunt. Hoc verum, instabo, si « concrete » loqui volumus.

2. « *Quid* » *dicere intendimus?* Utique mundum coaevum, incredulitate ac conscientiae morumque laxitate signatum, eiusque in praesens graviora problemata evangelica luce illucescere cupimus; ast in casu, praesertim in secunda schematis parte, agitur de theologia, ut ita dicam, « adplicata », quae descendit nempe de principiis ad iudicia practica. Num unanimis consensus adest in huiusmodi, quae facta est, adplicatione? Etsi vero unanimis hic consensus affirmatur, aliquid dicendum videtur. Non ambigo quin necessarium sit ut animose, Spiritu Sancto inspirante, dicendi responsabilitatem non vitemus; pariter autem congruum prudensque habeo ne in cupiditatem nimia vel nimis dicendi non incidamus.

Pastores sumus; hanc ideo constitutionem quam prolaturi sumus aperte « pastoralem » vocamus. Pastorum est in singularitate personae, loci, temporis problematisque animas in Christi mensuram elevare. At pastoralis cura hoc proprium habet, non ut intellectualiter quamvis situationem explicet, sed potius ut cuiusque animae intrinsecam vim divinae gratiae copulet, et sic — non generice sed in singulari — quisque homo Deo adiuvante suam situationem resolvat. Principiorum ergo expositio necessaria est; magis necessaria vero excitatio virtutis et corresponsionis ad Deum.

Putamusne problemata, quae ineffabiliter singularia fiunt, specioso quodam analyseos et verborum miraculo resolvi posse? Principia ergo proponantur; animae excitentur; et quin longius in quaestionum adiunctis et consequentiis immoremur, divinae gratiae libertati animarumque magnanimitati locum respectuose sinamus.

3. « *Quomodo* » *loquemur?* Pastoralis est constitutio proditura; pastoralis sit ideo etiam constitutionis elocutio. Permagni enim est non tantum quod dicitur, sed modus quo dicitur.

Quae autem pastoralis locutio esse debeat perperam est edissere. Certo certius, si homiletico et affectivo sermoni indulgendum non est, qui conceptuum et verborum proprietate non innitatur et substantietur, tamen nobis pastoribus et patribus magis loquendum puto quam doctoribus: suasivo ergo et paterno eloquio, magis quam theologico aut scientifico aut iuridico. Num hoc est constitutionis eloquium? Ab unoquoque exigitur et expectatur ut iuxta modum sibi proprium loquatur. Quis est noster proprius modus, quaeve expectatio iusta nostri loquendi modi?

4. « *Quantum* » *loquendum?* In illa generali christiana modestia puto et inscribi posse Sacrosancti Concilii modestia. Ceterum, nonne habemus Summum Pontificem quotidie loquentem? Nonne Synodum Episcoporum invectum habemus, cuius est problemata et situationes evangelicae veritati

comparare? Quid urgemur grave volumen efformare, veluti nunc omnia dicenda essent?

His praemissis, quasi intrinsecis conditionibus — quae mea est sententia — nostri sermonis, duo haec vota mea sunt pro textus emendatione:

1. Constitutionis moles reducatur, quantum possibile est. Principiis fundamentalibus eisque perspicue et incisive propositis instemus. Hoc est urgens, hoc est maximum. Sed incongrua sollicitudine ne premamur ita ut ad nimis particularia problemata descendamus, verbi gratia in materia de vita coniugali, aut de hac vel illa oeconomica quaestione — saepe usque ad minutiora protracta, prout ubi agitur de cusione et reali valore monetae —, de vita politica in communitate nationali et internationali, de armorum distinctione, de conscientiae ut dicunt obiectoribus et de aliis eiusdem generis. Nullum dubium quin sint magni momenti quaestiones, sed dubium est num prosit et cui prosit tritior descriptio et instantia. Cur, iterum dicam, haec omnia particularia posteriori documento non relinquimus, quod ipsis Patrum suggestionibus innixum a Summo Pontifice vel ab Episcoporum Synodo emanetur, ita ut Concilii constitutio evadat insimul brevis, solemnis et suavis, summis principiis personans ac humanis supernaturalibusque exhortationibus referta?

Unum puto ab omnibus optari, Concilii vocem efficacem omnibus resonare; quae efficacitas multo sermone haberi posse non videtur.

2. Locutio suavior et paternior sit, ita ut, ex textu, ore nostro Christi os loquatur evangelica simplicitate. Haec vero evangelica bonitas et simplicitas summopere commendanda videtur, ut clarior effulgeat misericordia Domini, quae est nostra, super turbas. Huic enim primus locus. Nam Deus « tradidit mundum disputationi eorum ». Nonne nobis indixit magis misericordiam quam disputationem?

Sed haec loquendi methodus confert non solum ad formam, sed et ad substantiam textus. Ipse Dominus Iesus nonnunquam usus est sermone interrogativo, potius quam explicativo. Cur et nos gravi interrogatione problemata humanae conscientiae non revocamus, sic ipsam conscientiam locupletantes, nullo resolutionis mytho abstracti et illecti?

Usque ad mundi medullas pertingentes, paterne et fortiter, conscientiae examen excitemus, caritatis vias indicemus, mundi metanoiam provocemus. Adsit quidem doctrina; nec tanta nec talis tamen, quae Patrum humilem adprecationem fere extinguat vel ultimo loco reponat.

99

Exc.mus P. D. RADULFUS ZAMBRANO CAMADER

Episcopus Facatativensis

1. Satius esset in titulo loco « constitutionis » vocabulum *nuntium* ponere, propter implicationes iuridicas verbi « Constitutio ».

2. Accuratiores esse oportet versiones huius documenti ad linguas ver-

naculas. Agitur interdum de discrepantia vere substantiali, verbi gratia: « perturbatio in modo agendi (n. 7, pag. 8, lin. 27) quae in textu hispanico legitur: « modificación en los comportamientos y aun en las reglas de conducta » in errorem gravem christianos inducere potest. Idem dicendum circa versionem hispanicam n. 8, ubi experientia novae necessitudinis inter virum et feminam, per « experiencia de relaciones nueva entre los sexos » translata est. Sed immo in textu latino, agitur de quid novum? Apud romanos et graecos olim talia existebant ac hodie.

3. Textus latinus n. 13, linn. 25 et 26, loquitur de supplemento animae, sermonem instituens de veritatibus fundamentalibus metaphysicis. Melius est perspicue loqui de veritatibus metaphysicis tamquam de cibo proprio mentis humanae.

4. Nostras ambitiones coarctare oportet in mensuranda natura divina ope categoriarum humanarum. Deum ita cognoscere possumus iuxta revelationem historice factam ut intimiorem notionem mysterii divini describere supervacaneum sit. Proinde delenda sunt verba « mere serviliter prostratos nullius praetii aestimat », n. 15, linn. 23, 24, pag. 15, nisi probentur solidis argumentis ex revelatione.

5. Pulcherrima conclusio n. 16, pag. 15, lin. 41; pag. 16, linn. 1 et 2, minime necessario deducitur ex hoc: « homo in terris sola creatura est quam Deus propter seipsum voluerit », ita ut ex hac veritate possis inferre, ergo « homo ex seipso ad alios refertur ».

6. Supervacanea est expressio « nimis » in lin. 6, pag. 27, n. 33.

7. Conclusio: « nemo solus neque pro seipso solo salvatur », ex praemissis non deducitur, nam responsio hominis ad gratiam, de qua pendet salvatio, non promanat ex eo quod modo communitario factum sit nuntium evangelicum, neque ex sola actione salvifica, deficiente cooperatione humana. Finis salvificus revelationis potuisse impleri acceptatione gratiae unius creaturae humanae tantummodo, v. g. Beatae Mariae Virginis.

8. Nimis synthetice proponitur mysterium Corporis mystici in n. 36, pag. 28, non enim attingit incredulorum mentem, ad quos etiam schema dirigitur. Aut diffusiore calamo tractetur, aut omnino supprimatur.

9. Pag. 32, linn. 12, 13, 14, quomodo demonstrari potest Deum rerum naturalium ordinem firmum voluisse atque hanc exigentiam vereri oportere hominem? Hoc ex sola hominis impotentia eruitur? Ast quotidie videmus capacitatem hominis augeri in legibus physicis de facto aestimandis ope interventus humani. Revelatio non docet immutabilitatem legum physicarum prout scientiis physicis hae describuntur.

10. In n. 46, pag. 36, afferentur textus S. Scripturae, v. g. *Mt.* 4, 10, ut intelligatur a non christianis, qui S. Scripturam ignorant. Illi non facile intelligere possunt verba « donec Dominus veniat » (n. 49, pag. 38, lin. 19); neque probe sciunt testimonium reddendum a Populo Dei, iuxta n. 53.

11. Paragraphus finalis n. 52 non est perspicua, eo sensu quo exhibetur synthesis in qua exercere possunt homines navitatem terrestrem.

12. Homo magis movetur concreta salvatione peracta fratrum, quam doctrina abstracte proposita; de cetero, non doctrina catholica, in qua de concreta salvatione hominum agitur, sed expositio abstracta esse potest. Proinde satius est expungere verba: « doctrinis abstractis », quando sermo est de doctrina catholica ut in casu (n. 55, pag. 43, lin. 20).

13. Quid ad rem missio Ecclesiae prout exponitur prima paragrapho n. 73, pag. 56, linn. 25-32? Quaestiones mere philosophicae a magisterio ecclesiastico alienae documento Conciliari non conveniunt. Philosophorum est synthesim scientiarum naturalium proponere, principiis philosophicis compositam. Ipsis hunc laborem perficiendum relinquamus. Pressius proponantur veritates contentae hac assertione: « religione neglecta, cultus integri hominis dilabitur », pag. 57, lin. 17, nam hoc in textu non evincitur.

14. Absolute non potest damnari sic dicta fuga capitalium; si in determinatis adiunctis deest tranquilitas politica in aliqua natione, quod saepe saepius contingit in regionibus adhuc progredientibus, vel adsunt perturbationes in re oeconomica. Licet homini quaerere loca extra propriam nationem ubi inversiones oeconomicae securiores evadant. Adde quod paucae personae securitatem atque prosperitatem uni nationi reddere nequeunt propria capitalia ibi insecura relinquendo. Hoc esset idem ac bona propria negligenter in discrimen relinquere, cum damno communitatis universae. Quis potest obligationem singulariter quibusdam imponere? Proinde reformetur textus n. 77, pag. 61, linn. 33 ss.

15. N. 83, pag. 65, lin. 6, supervacanea est expressio « essentialiter », nam non apparet personae humanae dominium rerum materialium essentiale esse, si aliis viis certis secura redditur evolutio personae, attamen de facto hoc est maxime utile. Idem dicendum est de autonomia familiari, de autonomia personalitatis, de autonomia libertatis humanae coniuncta cum dominio privato rerum materialium. Ideo propono delenda esse verba « plane necessarium » et « necessaria » linn. 17 et 18 eiusdem paginae.

16. Cum admittatur in societatibus oeconomicis minus progressis non raro destinationi communi bonorum ex parte satis fieri per consuetudines et traditiones communes ipsi communitati proprias (pag. 64, linn. 17 ss.), atque cum in posteriori tempore incrementum demographicum parcelationes in dominio privato impedire possit, satius est mutare coniunctiones copulativas per disiunctivas « aut ... aut », pag. 65, lin. 9 in textu « faveatur omnium accessioni aut singulorum, aut communitatum, ad quoddam bonorum exteriorum dominium ». Ita proprietas privata non proponeretur adeo absolute ac si esset fidei dogma, vel ac si esset veritas revelata, cum sit tantum principium rationis naturalis.

100

PLURES PATRES CONCILIARES

A.

Nos infrascripti enixe rogamus ut documentum Conciliare quod de Ecclesia in mundo huius temporis tractat non plus titulo « Constitutionis » orneretur, sed, sicut pluries in Aula est postulatum, titulo materiae tractatae magis congruo. Talis titulus sit *Epistula Pastoralis* vel *Litterae Synodales* vel *Nuntius solemnis Concilii.*

[*Subscripserunt*] G. L. Leech, ep. Harrisburg; W. Condon, ep. Great Falls; J. Ryan, ep. Hamilton; R. Dwyer, ep. Reno; Th. Gorman, ep. Dallas-Fort Worth; P. Hagarty, ep. Nassau; Z. Dachtou, arch. Urmya; J. Burke, prael. null. Chimbota.

B.

Nos infrascripti humiliter petimus ut titulus huius constitutionis immutetur, ita ut fit *Allocutio Concilii Oecumenici ad homines huius temporis,* vel aliud simile. Pro hac immutatione, duae rationes dantur:

1. Homines huius temporis, ad quos hoc documentum dirigitur, vocem « Constitutio » simpliciter non intelligunt. Significatio documenti debet omnibus clara esse; ita etiam et titulus.

2. Constitutio conciliaris postulat maximum laborem, curam pro omni verbo, approbationes plures, etc. Sed tempus deest pro tanto labore. Melius esset hoc documentum adprobare uti litteras vel adlocutionem. Talis forma litteraria maiorem libertatem Patribus et Commissioni dat, et minus temporis in eo praeparando postulat. Etiam, propter naturam documenti, valorem plenum habet tantum ad tempus.

[*Subscripserunt*] Clarence Elwell; J. Whealon; J. Maloney; B. Coscia; F. Austregesilo de Mesquita; G. Okoye; A. Cuniberti; L. Sanchez Moreno Lira; V. McCauley; H. Soenneker; J. Gomes; P. Tou; T. Mancini; I. Phakoe; O Nuti; H. Clinch; I. Strecker; L. Byrne; G. Rehring; S. Kocisko; B. Flanagan; W. Connare; V. Leonard; C. Vogel; J. Grillinger; F. Begin; R. Gallagher.

C.

Prooemium pag. 5, linn. 25-26: Le monde « totus in maligno positus », le monde dont Dieu a dit: « Vae mundo »; le monde dont il a dit: « Je ne prie pas pour le monde », et: « J'ai vaincu le monde », ne sera pas sauvé mais détruit. Il y a ici une confusion.

Pag. 6, lin. 17: « Nulla ambitione terrestri movetur ad »: serait à supprimer; le seul fait de parler ainsi excite le soupçon. (Un évêque m'a dit: « c'est ainsi que parlait Hitler »).

Expositio introductiva pag. 8, linn. 34 et 39-40: Novae conditiones ... in ipsam vitam religiosam vim exercent ... Dei negatio ... non amplius eventus singularis est ... ». On paraît faire résulter ainsi l'extension de l'athéisme, des « novae conditiones », qui sont amenés par le progrès humain, et donc irréversibles. C'est à peu près dire que progrès humain et athéisme sont liés. Ce qui est faux, et fort dangereux.

Pag. 10, linn. 41-42: « Concilium, libertatem et legitimam autonomiam hominis servans, eum ad solutionem detegendam adiuvare libenter intendit ». Rien là de mauvais. Mais il vaudrait mieux que le Concile montre plus nettement sa foi: il doit dire la vérité sur l'homme, et lui indiquer la voie du salut. Il est porteur, pour le monde entier, de la seule espérance.

Pars I prooemium pag. 12, linn. 24-25: « Sub lumine fidei »: cela est dit du ch. 3, mais dès le début du ch. 1 on fait appel à la foi (n. 11: imago Dei: n. 12: resurrectio carnis: etc.).

Cap. I, pag. 13, linn. 5 ss.: « Ad imaginem Dei »: si l'on fait appel à la Révélation, mieux vaudrait donner sa lumière complète, que l'on trouve dans le Nouveau Testament.

Pag. 14, lin. 10: Comment parler de la résurrection de la chair sans même une allusion au Christ et à sa résurrection?

Pag. 14, linn. 24-25: Homo vivit « de veritatis perceptione et verbi Dei acceptione ». Comment entendre ici ce « verbum Dei »? S'agit-il de la révélation proprement dite? On parle cependant, linn. 28-30, de la sagesse de certaines nations, qui ne sont sans doute pas chrétiennes. Il y a donc là quelque ambiguité.

Pag. 15, linn. 2-4: Il y a une loi inscrite dans le cœur de tout homme. « Huius legis lumine, christiani cum omnibus hominibus coniuncti, solutionem inquirunt etc. ». N'y a-t-il vraiment pas plus pour le chrétien? Ne trouvent-ils aucune lumière dans leur foi? Et que signifie tout ce schéma, si le chrétien n'a pas d'autre lumière que celle qui luit pour tous les hommes? C'est ce que l'on pourrait déduire de ce texte, qui serait donc à revoir légèrement.

Pag. 16, linn. 11 ss. (tout le n. 17): Il semble insuffisant d'envisager la mort au seul point de vue individuel. Mais pour compléter sans doute faudrait-il une refonte trop considérable, en vue d'une présentation du salut cosmique dans le Christ.

Pag. 16-17, n. 18: Il serait bon de noter que les divers athéismes diffèrent, mais parfois se contredisent dans leurs motivations. Pour les uns, l'homme n'a plus besoin de Dieu, il peut progresser, dominer, bref, se sauver seul. Pour les autres, devant un monde où règne le mal et le désordre, ils désespèrent et ne peuvent croire en un créateur bon.

Pag. 17, linn. 8-9: « In quibus erratis ipsi credentes non omni semper culpa carent ». C'est bien bref. On pourrait appuyer, avec plus d'humilité, comme le fait Paul VI dans *Ecclesiam suam*.

Pag. 17, linn. 15-16: « Comperimus autem plures systematicam Dei ne-

gationem probare ». C'est très vrai et il faut le maintenir. Mais pourquoi semble-t-il ne le dire que du seul athéisme communiste, dont il est question dans le paragraphe 19? La place en serait dans le précédent.

Pag. 17-18: Cette analyse du marxisme est faible.

Pag. 18-19, n. 20: Série d'excellentes affirmations, mais qui ne sont guère amenées par ce qui précède, et ne forment pas avec le reste un tout organique.

Pag. 18, lin. 22: Le Christ n'a pas seulement « restitué » en l'homme la ressemblance divine. Cette ressemblance divine vint de lui.

Tout le chap. I: Bien peu de références aux Pères, dans un sujet où les Pères sont si riches.

Cap. II: Pag. 21, lin. 4: « ... plane exposuerunt ». Le « plane » est excessif.

Pag. 23, linn. 35-36: « ... esuriens qui, repente nobis in televisione occurens, sopitam conscientiam nostram interpellet ». Il vaudrait mieux changer cela, qui peut être mal interprété, comme si « nostra conscientia » était celle des Pères du Concile, qui ne connaîtraient la misère humaine que par la télévision. (Des prêtres très sensibles à ce qui peut provoquer l'anticléricalisme, l'ont remarqué.)

Pag. 25, linn. 9-10: Qui dit « damnandum » ne peut ajouter « et sensim removendus ».

Pag. 26, linn. 15-16: « Libertatem aequales nostri magni aestimant ». Est-ce bien universellement vrai?

Pag. 28, lin. 29: « quasi essent alii aliorum membra ». C'est atténuer la vérité dogmatique.

Cap. III: pag. 30, linn. 15-21: Ces sortes de résumés par anticipation sont-ils bien nécessaires? On pourrait abrèger en les supprimant.

Pag. 30, linn. 29 ss.: L'idée traditionnelle de l'image de Dieu ne signifie pas uniquement la domination de la créature. Et s'agit-il ici d'un commandement proprement dit?

Pag. 31, lin. 13: « immensa mundi spatia vincunt »: secundum quid! On sent là une volonté d'admiration un peu naive.

Pag. 31, linn. 24-27: Ce n'est pas pleinement convaincant, et c'est insuffisant. Le schéma ne montre pas comment seule l'espérance chrétienne, donnant au croyant la certitude que le monde aboutira (transfiguré), l'assure pleinement de la valeur des tâches terrestres.

Pag. 31, linn. 27-30: C'est très vrai. Mais le schéma fait trop peu de place à cette responsabilité qui croît avec le pouvoir de l'homme et qui rend notre histoire si dramatique. (Peut-être cela pourrait-il venir dans la 2ème partie, au chapitre de la culture.)

Pag. 32, lin. 16: « humili et constanti animo »: cette humilité n'est pas très en situation; humble ou non, si le savant fait une découverte, il est conduit par la main de Dieu en cela.

Pag. 31, lin. 23: Certes, on nous le permet!

Pag. 32, linn. 23-32: Bonne intention. Mais on sent trop bien que la phrase « huiusmodi etc. » est une ajoute mal insérée. On aimerait un aveu plus humble, pas pour s'excuser devant le monde, mais pour s'accuser devant Dieu.

Pag. 32, lin. 35: On oublie qu'on s'adresse à l'incroyant.

Pag. 32, linn. 40-44: Mieux vaudrait dans un texte conciliaire ne pas citer un auteur non chrétien, dont il n'est pas sûr que la Divinité dont il parle soit un Dieu personnel ou le Dieu suprême.

Pag. 33, lin. 2: « non attendimus »: cette 1ère personne est trompeuse. Ne pas oublier que c'est le Concile, c'est à dire l'Eglise enseignante, qui parle.

Pag. 33, lin. 42: Bonnes idées, mais qui semblent être plutôt une parenthèse, et n'annonceront pas les paragraphes suivants.

Pag. 33, linn. 27-30: « Regnum quidem Dei thesaurus est, etc. Gratia tamen minime destruit naturam, etc. ... ». C'est très exact. Mais on éprouve un peu de gêne à voir affirmer l'essentiel sous forme de concession, comme si l'Eglise avait à se faire pardonner le plus intime de sa foi.

Pag. 34-35, n. 45: Excellentes choses (comme, par exemple, supra, au n. 20). Mais ce n'est pas relié très organiquement au reste. La christologie, qui aurait pu être l'âme de cette 1ère partie, est surajoutée ici et là par morceaux. Sans doute n'y a-t-il pas lieu maintenant de tenter une refonte d'ensemble, il convient donc se réjouir que ces morceaux existent.

Pag. 35, n. 46: C'est très bien. Mais c'est un peu « surajouté », et on ne parle que de *l'exemple* du Christ, ce qui donne un Ton trop purement « moralisant ». C'est la situation même du chrétien et de toute l'Eglise dans le monde, c'est la nature du salut, qui entraîne la réalité de la croix pour la vie chrétienne ... On convient d'ailleurs que cela n'est pas facile à exprimer en quelques mots. Mais le caractère d'optimisme un peu facile d'une partie du schéma semble méconnaître cet aspect essentiel de la foi et de la vie chrétienne.

Pag. 38, linn. 1-4: Est-ce bien utile? on pourrait supprimer cette phrase.

Pag. 38, linn. 8-14: Résumé anticipé du chapitre, dont on pourrait faire l'économie, puisque il faut tendre à raccourcir le schéma.

Pag. 39, n. 50: Numéro important, qui vient peut-être un peu tard.

Pag. 40, linn. 16-17: C'est une citation de S. Irénée, mais si incomplète, qu'elle en est falsifiée. Et c'est là un signe de l'« humanisation » tendencieuse qui pointe ici et là dans le schéma. Irénée disait: « Gloria Dei, vivus homo, et vita hominis, visio Dei ».

Pag. 41, linn. 15-16: Encore un cas où le Christ n'est qu'un « exemple »; et on pourrait le contester. La vie de Jesus à Nazareth (l'Evangile ne dit rien de son travail) n'a pas grand'chose à voir avec la science et la technique.

Pag. 44, linn. 20-23: Mal dit. Nous devons reconnaître nos « proprias infirmitates »; mais ne pas les attribuer à l'Eglise en tant que « Sponsa Christi, Mater fidelium ».

Pag. 44, n. 58: Comme ce paragraphe est faible! Il ne réalise pas le titre: l'espérance du Peuple de Dieu; et ne dit pas que le Peuple de Dieu est porteur de la seule Espérance qui vaille pour le monde.

[*Subscripserunt*] J. Cucherousset, arch. Bangui; P. Etoga, ep. Mbalmayo; S. Gaumain, ep. Moundou; P. Chami, arch. Bosra; A. Nujaim, ep. Baalbek; A. Tsiahoana, ep. aux. Diego-Suarez; P. C. Nkou, ep. Sangmelima; E. Verhille, ep. Fort Rousset; F. Ndong, aux. Libreville; J. Zoa, arch. Yaoundé; J. Adam, arch. Libreville; A. Messmer, ep. Ambanja; A. Loucheur, praef. ap. Bafia; A. Hubert, ep. tit. Sais; L. van Heygen; P. Dalmais, arch. Fort Lamy; J. Wolff, arch. Diego Suarez; J. David, ep. Majunga; H. Véniat, ep. Fort. Archambault; V. Sartre, arch. tit. Beroe; A. Baud, ep. Berbérati; F. Cléret de Langavant, ep. tit. Mactaris; A. Maanicus, ep. Bangassou.

D.

Expositio Introductiva pag. 10, lin. 39. Il faut ajouter un court passage sur l'*aspiration à l'absolu,* quelque chose comme: « Il est certain qu'un nombre croissant d'hommes est en quête d'absolu, les uns choqués par l'injustice, les autres brimés par de nouvelles formes d'esclavage, certains conscients des limites de la science devant les problèmes de la transcendance, plusieurs mûrs par un désir de plein épanouissement spirituel. Trop souvent illusionnés ou arrêtés dans leur aspiration par quelque absolu fallacieux ou tronqué, ils attendent, au plus profond d'eux-mêmes, le message chrétien de l'absolu divin. Dieu seul peut combler l'homme en plénitude, jusqu'à le conduire à la vie éternelle. Déjà dans la lumière de la foi, l'homme approche du Dieu unique, dans la trinité des personnes divines, et quand à la foi succédera la vision face à face, l'homme, dans le même élan de charité qui l'animait dès la terre, l'homme divinisé aura, uni à Jésus-Christ, homme et Dieu, atteint le suprême dépassement. C'est en ce sens seulement, contrairement aux conceptions matérialistes, que l'homme, participant à la vie même de Dieu, est authentiquement le dieu de l'homme ».

[*Subscripserunt*] Helder Camara, arch. Olinda et Recife; J. de Souza Lima, arch. Manáus; S. Fernandes de Araújo, ep. tit. Verinopolis; José Mauro, ep. Iguatú; A. Nozonha, ep. Itabira; A. Melillo, ep. Piracicaba; D. Picâo, coad. Santos; Ioannes, arch. tit. Martiropoli; B. Neto, ep. tit. Cremna; J. B. da Motta e Albuquerque, arch. Vitória S. S.; W. Calheiros, aux. Rio.

E.

Infrascripti Patres Concilii considerato momento atheismi militantis hodierni ac materialismi marxistici pro Ecclesia Christi ac pro mundo universo humiliter petunt, ut specialis sub-commissio tum a patribus Concilii tum a peritis instituatur, cuius erit totam rem gravissimam de doctrina materialismi marxistici, de atheismo militante ac de persecutione actuali religionis consi-

derare atque remedia opportuna contra tot mala proponere. *Rationes* nostrae petitionis:

1. Valde brevis et non adaequata tractatio rei in schemate « de Ecclesia in mundo huius temporis », pag. 17, n. 19.

2. Confusio apud multos catholicos iam vigens et in futuro praevisa propter sic dictum dialogum et cooperationem cum atheis et communistis.

3. Actualis severa et subdolis persecutio omnium religionum in vastissimis regionibus mundi. De hoc Concilium commode tacere non potest. Non deludendi sunt ii, qui sub atheismo marxista ultimis viribus religionem defendunt, totam spem in Ecclesia collocant atque animo anxio decisiones huius Sacri Concilii expectant.

4. Propagatio doctrinae materialismi marxistici ac atheismi etiam in regionibus a regimine communistarum liberis, praesertim apud iuvenes operariosque.

[*Subscripserunt*] I. Ziadé, arch. Beiruth; J. Rancans, ep. tit. Marcopolis, aux. Riga; Fr. Brazys, ep. tit. Zella; O. Nuti, ep. Canalones; I. Borecky, ep. Torontinus Ucrainorum; J. Gabro, ep. S. Nicholas of Chicago Ucrainorum; Th. Doury; S. Sorrentino, ep. tit. Gerasa; A. Mistrorigo, ep. Treviso; C. Grant, ep. tit. Alinda; B. Sloskans, ep. tit. Cillio; C. Sipović, ep. tit. Mariamme; H. Gad; J. Satowaki, ep. Kagoshima; M. Callaro, ep. Sabina; José, ep. Propriá; H. Compagnone.

F.

Infrascripti Patres conciliares reverenter petunt ut, post par. n. 19 schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* quae agit de problemate atheismi, addatur nova eaque congrua paragraphus quae agat ex professo de problemate *communismi*.

A) *Rationes positivae, quae urgent additamentum petitum.* 1. In periodo praeparatoria Concilii constat circiter 600 Patres postulasse ut de communismo ageretur. In hoc sensu nonnulli Patres locuti sunt et scripserunt perdurante III sessione; item in IV sessione. Atqui omnino insufficiens habendus est n. 19 quippe cum atheismus sit quidem unus ex fundamentalibus erroribus communismi, at non unicus neque communismi proprius et exclusivus. Unde, etiamsi communismus, hypothetice loquendo, non esset atheus, respuendus nihilominus esset ob negationem aliarum veritatum fundamentalium ordinis naturalis (v. g. spiritualitas et immortalitas animae; dignitas personae humanae; libertas in re religiosa, associationis, informationis etc.; ius proprietatis et hereditatis; conceptio Status totalitarii etc.).

2. Concilia debent detegere et proscribere errores quales in concreta realitate, et non in abstracto, serpunt suo quoque tempore. Atqui hodie forma periculosissima et virulentissima sub qua veluti incarnatur et operatur atheismus est « communismus ». Proinde de communismo, et quidem sub suo explicito nomine quemadmodum factum est in Enc. *Divini Redemptoris* Pii XI f. r., Concilio Vaticano II agendum est.

3. Concilium Vaticanum II habet characterem eminenter *pastoralem*. Sed numquid aliud problema magis pastorale invenitur, quam problema impediendi quominus fideles per communismum athei evadant? Permulti enim censent se, cum athei non sint, posse communismo adhaerere.

4. Concilium in schemate XIII agere intendit de problematibus *mundialibus* (v. g. familia, fames, bellum, incrementum demographicum etc.). Sed mundiale existimandum est iam in facto, et adhuc magis in periculo proxime futuro, phoenomenon communismi, qui plusquam dimidiam partem mundi opprimit.

5. Concilium intendit promovere « l'aggiornamento » ut dicitur, doctrinae et praxis Ecclesiae. Ergo facere non potest quin iudicium suum sollemne proferat de hoc actualissimo problemate.

6. Fideles expectant ut Concilium clarissime et maximo robore loquatur de hoc argumento, ut tollantur e sinu Ecclesiae dubia, incertitudines, fallaciae circa possibilitatem concordiae inter communismum et christianismum.

7. Centena et centena millia eorum, qui persecutionem passi sunt aut patiuntur ex parte communismi — catholici, orthodoxi, protestantes, iudaei, asseclae cuiusvis religionis — expectant a Concilio solatium quoddam et solidarietatem: en valor *oecumenicus* petiti additamenti.

B) *Rationes negativae quae, ex adverso, identidem exigunt petitum additamentum.* 1. Si Concilium de communismo sileret, silentium hoc, in mente fidelium, aequipararetur, iniusta quidem sed fatali consequentia, tacitae abrogationi eorum omnium quae contra communismum dixerunt et scripserunt recentiores Summi Pontifices, necnon et condemnationum pluries a S. Officio irrogatarum. Damnum psychologicum inde secuturum, necnon et despectus Magisterii Ecclesiae, esset immensi ponderis. Insuper Ecclesiae argui facile posset de opportunitatis studio, de falso timore, de maiore praeoccupatione erga iudaeos quam erga christianos persecutioni obnoxios.

2. Communismus ardenter exoptat et expectat silentium Concilii: quod profecto gravem significationem habet. Nemo dubitare potest per ingentem operam propagationis communismum in sui favorem silentio Concilii abusurum fore, cum lugenda confusione idearum apud fideles.

3. Quemadmodum, gravi quidem iniuria, hodie a nonnullis accusatur Pius XII v. m. de silentio erga victimas nazismi, sic post Concilium, iure meritoque, accusaretur Collegium Episcopale de silentio erga victimas communismi.

C) *Solvuntur difficultates contra additamentum.* 1. Dicunt: est superfluum agere de communismo, cum de eo iam egerint recentiores Romani Pontifices. *Resp.* Non est superfluum, quia maiorem vim et efficaciam tribuit argumento consensus sollemnis totius Concilii. Ceterum Concilium nostrum etiam de aliis rebus, iam a RR. Pontificibus tractatis, tractat.

2. Dicunt: est damnosum pro christianis sub communismo gementibus. *Resp.* Fieri non potest ut christiani Ecclesiae silentii maiorem poenam habeant

in posterum, quam ea quam nunc habent. Ceterum: *a*) id expresse petierunt Patres qui persecutionem passi sunt; *b*) Ecclesia debitrix est veritatis, quando necessarium est, etiam cum sui ipsius detrimento temporali; *c*) probabilius communismus, si de eo agat sollemniter Concilium, aliquem concipiet timorem ratione opinionis publicae mundialis.

Infrascripti Patres specimen quoddam petiti additamenti examini Secretariae Generalis Concilii reverenter subiiciunt. Gratias denique agunt plurimas.

[*Subscripserunt*] F. Estaves Dias, ep. Lusitanus; I. Gopu, coad. Visakhapatamensis; H. Altomare; A. R. Mennonna, ep. Neritonensis; I. Valle Gallardo, aux. Iquique; A. D'Souza, arch. Calcutta; R. Guilly, ep. Georgetown; N. Capasso, ep. Acerra; C. Cafferata, ep. San Luis; J. Odongo, ep. tit. Baanna; J. Pastorino, ep. tit. vic. ap. Benghazi; B. Falcucci, arch. tit. Preslavo; I. Chelucci, ep. Ilcinensis; P. Maleddu, praef. ap. Hingan; Caesar card. Zerba; H. Delgado, arch. Pamplona; C. A. Mosquera, arch. Guayaquil; P. Carta, arch. Sassari; G. Paro, ep. tit. Diocesarea di Isaurio; A. Tedde, ep. Ales e Terralba; A. de Hornado, praef. ap. San Francisco Xavier; F. Tubino, aux. Limanus; A. Almarcegui, sup. gen. ORSA; J. McCarthy, arch. Nairobi; J. Arango, praef. ap. Guapi; A. Mery B., coad. La Serena; J. Komba, ep. tit. Tignicensis; Th. Moscatelli, abb. praes. Congr. Cist. Italiae.

G.

Infrascripti Patres Conciliares te in Domino urbanissime salutantes, ea quae sequuntur tibi exponere desiderant.

In discussione schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis,* plures Patres animadverterunt schema non sufficienter loqui de quaestione pastorali maxima huius temporis, scilicet, de communismo. Quaedam dicuntur in parte I, n. 19 de atheismo. Sed non adest sermo clarus de oppositione radicali inter communismum, sumptum tamquam systema socio-oeconomicum etiam abstrahendo ab eius atheismo dialectico, et religionem christianam.

Haec lacuna implenda est, ne damna ingentia populus christianus patiatur, nam Concilium de re tanti momenti tacere non potest sine maximo scandalo pusillorum.

Illis rationibus moti quas in folio adnexo invenies, petitionem missuri sumus mensae praesidentiae, rogantes ut in redactione nova schematis XIII paragraphus nova inseratur in qua clare exponatur oppositio insuperabilis et insanabilis inter communismum et ordinem naturalem et a fortiori, christianum.

Ut haec nostra petitio maiorem vigorem habeat, necesse est ut a numero quam maximo Patrum subsignetur.

Hac de causa te rogamus, Excellentissime Pater, velis documentum adnexum benigne subsignare et subsignatum nobis mittere, qui ipsum, mediante secretaria Concilii, mensae praesidentiae mittemus.

[*Subscripserunt*] H. Ceol, ep. Kichow; B. Bertoli, vic. ap. Tripoli; G. Cabana, arch. Sherbrooke; P. Lacchio, arch. Changsha; P. Tobar, ep. Cuttack;

R. Graffin, arch. tit. Mistia; V. Youn, ep. Su won; R. Martin, ep. Vera Paz; M. Ferreira da Silva, arch. tit. Cizico; P. da Costa Vaz, ep. Guarda; L. Castán Lacoma, ep. Siguenza-Guadalajara; D. Tavares Baeta Neves, ep. Sete Lagôas; I. Nepote Fus, ep. tit. Elo; G. Layek, arch. Aleppensis Armenorum; Mesrob Terzian, ep. tit. Comana di Armenia; Abilius del Campo, ep. Calahorra; D. Mansilla, ep. Ciudad Rodrigo; J. Lopez Ortiz, ep. Tuy-Vigo; C. Alvim, arch. Lourenço Marques; S. Conti, prael. Roráima; J. Grotti, ep. tit. Tunigaba; F. Erviti, praef. ap. Sahara Spagnuolo; J. Prou, abb. sup. gen. Congr. Galliae O.S.B.; X. Morilleau, ep. tit. Colonia in Cappadocia; P. Sfair, arch. tit. Nisibenus; Ph. Cueto, ep. Tlalnepantla; J. Dalton, ep. Yola; F. Niccoli, ep. Colle di Val d'Elsa; H. Delgado, arch. Pamplona; A. Biancheri, ep. Rimini; M. Legarra, ep. tit. Superciano; A. Pietrulla, ep. Tuberao.

101

CONFERENTIA EPISCOPORUM ITALIAE

Conferentia Episcopalis Italiae postulat unanimiter ut titulus schematis XIII sit non *Constitutio Pastoralis* sed *Declaratio Pastoralis.* Ita magis respondere videtur suo fine suaque natura et materia.

102

COETUS EPISCOPORUM SCOTIAE

Infrascriptus arch. S. Andreae et Edimburgensis G. J. Gray, praeses coetus episcopalis Scotiae, in nomine eiusdem coetus sequentes animadversiones quoad primam partem huius schematis ita praebet:

1. Ad cap. II, n. 27. Loco « Item reverentia pro persona exposcit ut ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur » (ultima paragrapho), melius esset « Cuicumque homini exercitium libertatis religiosae debetur ».

2. Ad cap. II, n. 31. Quoad verba ultimae paragraphi: « Quocirca magni esset emolumenti, si iura quae plurimae nationes omnibus agnoscunt hominibus, sub omni regimine politico reapse observarentur », animadvertendum est talem sermonem male dispositum et debilem esse, eo quod, etiam dato emolumento observationis iurium hominum ex parte omnis regiminis politici, potius tamen affirmandum est officium ex iustitia talis agnitionis et observationis.

3. Ad cap. II, n. 32. *a*) Quoad verba paragraphi primae: « Verum est hominem, quamvis germen autonomiae in se gerat, potius liberum fieri quam nasci », talia verba, singulari orationis suavitate praedita sunt, sed in ordine ontologico accuratius hominem etiam nasci liberum est affirmandum.

b) In eadem paragrapho exponitur periculum absentiae vitae socialis, sed caput vere ruinae huius saeculi, potius est incrementum coercitionum

vitae socialis et Status in detrimentum iurium hominis qua personae privatae, quam timor solitudinis.

c) Tota haec sectio n. 32 nimis verbosa est. Opus est conceptus clariores habeantur.

4. Ad cap. II, n. 33. Omittenda sunt verba paragraphi secundae: « Ita in variis regionibus... aliorum periculo exponere », tamquam haud digna Concilio Generali, eo quod, principio huiusmodi iam agnito, enumeratio singularium partium quoad regiones specificas non exigatur.

5. Ad cap. III. Totum hoc caput de conceptibus nimis reconditis quidem mysticis tractat. Rescribendum est modo simplici sineque ornatu.

6. Ad cap. IV. Hoc caput prolixum est; itemque argumenta eiusdem haud firma videntur. Desiderium brevitatis.

a) Quod ad n. 53. *De munere laicorum*: Stylus huius sectionis mere negativus nobis videtur, praesertim ubi tractatur de missione Ecclesiae et de modo agendi laicorum cum pastoribus; ideoque omittenda sunt verba: « Ne censeant laici Pastores... » usque ad « ad hoc missos esse », tamquam verba inutilia, superflua et male sonantia.

b) Quod ad n. 56. *De temporum vicissitudinibus*: Tota haec sectio omittenda est; immo melius intelligendum est Concilii Generalis Ecclesiae convocationem solius Romani Pontificis praerogativam esse.

Animadversiones quoad totum schema in genere. 1. Promulgandum potius est non in forma Constitutionis Conciliaris sed tamquam Litterae Pastorales Collectivae Episcoporum cum Romano Pontifice.

2. Desiderandum est ut tota sermo brevius necnon verbis magis concisis compositus sit.

103

CONFERENTIA EPISCOPORUM LINGUAE GERMANICAE ET SCANDIAE

1. Pag. 5, lin. 27: Verba « donec... salvetur » deleantur. *Ratio*: revelatio divina nos non docet mundum « quatenus sub signo Maligni positus est » in fine et per fidem salvatum iri.

2. Pag. 6, lin. 21: « De spe et angore » reapse non correspondet materiae huius numeri 4.

3. Pag. 7, lin. 15: Non bene dicitur *rerum* transmutatio in *mentem* induci.

4. Pag. 8, lin. 11: Typus industrialis dicatur potius: « penitus transformans », non « penitus subvertens » condiciones vitae socialis.

5. Pag. 8, lin. 40: Loco « eventus singularis » scribatur: « factum » aut « dictum singulare ». *Ratio*: Deum negare non est eventus sed factum aut dictum.

6. Pag. 9, lin. 6: Num reapse hae contradictiones « ineluctabiles » dici possunt?

7. Pag. 10, lin. 13: « de bonitatis gradibus » non intelligitur.

8. Pag. 13, linn. 5-24: Celerius hic textus Deum inducit, quam ut explicare possit, quid sit Deus. Nonne Deus non cognoscitur nisi ex intima natura hominis cognita. Si ergo iam ab initio hominis natura explicatur ex « imagine Dei », ista explicatio ab hodierno homine atheismo infecto (pag. 17, lin. 15 ad pag. 18, lin. 12) fere ut petitio principii haberi vix non potest. Expositio aliter ordinari deberet. Descriptio adaequata hominis potius detegat Deum, quam vice versa.

9. Pag. 14, linn. 14-19: Altiores facultates hominis exhibentur modo potius platonico quam christiano tamquam facultates mere contemplativae seu theoreticae. Iam vero de facto non tantum ut tales attingunt Deum, sed ipsa earum indole etiam practica (amore in proximum et activa autodeterminatione, qua homo « responsabilis » seipsum et mundum suum active efformat). Haec si non videntur et dicuntur, radix problematis totius schematis de facto non tangitur nec datur responsum ad ultimas quaestiones, quas hodiernus existentialismus et marxismus circa rectam anthropologiam ponunt, quibus homo in suis praecise facultatibus superioribus non est « ens mere contemplativum », sed etiam essentialiter « practicum » (cf. etiam pag. 14, lin. 24). Haec indoles humana essentialiter et radicitus etiam practica non redigi debet ad solum « virtutis exercitium » (pag. 15, linn. 7 s.). Hic non satis profunde aestimantur et ponderantur, quae pag. 31, linn. 20-22 breviter tanguntur.

10. Pag. 15, linn. 20-29: Non satis attenditur ad distinctionem *clarius* exhibendam inter « naturalem » libertatem psychologicam et libertatem filiorum Dei, qua illa libertas liberatur.

11. Pag. 15, lin. 36: Loco « fides » scribatur: « doctrina catholica ». *Ratio*: ea quae sequuntur partim sunt sententiae theologicae e veritatibus fidei deductae, e. g. personas divinas relationibus constitui.

12. Pag. 16, lin. 11 - pag. 17, lin. 14: Intima natura destinationis supernaturalis nec satis accurate exhibetur, nec loco, qui par est, ponitur, nec ita ex desiderio (utique supernaturali) intimae naturae hominis inserto illustratur, ut ab homine, quem alloqui vult schema, facile intelligi possit.

13. Pag. 16, lin. 39: « personali » deleatur. *Ratio*: locutio, traditioni catholicae non plane consona, errori de Deo trino occasionem praebere potest. Fortasse sufficit intentioni contextus scribere: personalem dependentiam.

14. Pag. 17, lin. 15 - pag. 18, lin. 12: Sagaciter quaedam de atheismo moderno dicuntur. At discriptio eius melior esse videtur quam adumbratio refutationis eiusdem atheismi. De hac reapse nihil dicitur nisi pag. 17, linn. 32-34; pag. 17, linn. 36-38. Et haec secundaria potius sunt nec immediate tangunt fundamentales rationes absurditatis atheismi.

15. Pag. 18, lin. 13 - pag. 19, lin. 7: Quae de Christo, homine perfecto dicuntur, in se ipsis considerata sunt praeclara. Attamen *a*) homini incredulo,

qui etiam alloquendus est (pag. 5, linn. 18 s.), nullam praebent ansam, ex qua in ambitu suae ipsius anthropologiae saltem suspicari possit, quid velint dicere christiani in professione Christi. Aliquatenus « mysterium hominis » ad « mysterium Christi » ducere potest et non solum vice versa (pag. 18, linn. 13 s.).

16. Pag. 20, nota 21: Verba ex determinatione Chalcedonensi prolata primo loco secundum cursum historiae ponantur.

17. Pag. 21, lin. 4: Deleatur « plane ». *Ratio*: verius est.

18. Pag. 25, linn. 7-17: Loco « damnandam » dicatur « superandam » vel « relinquendam ». *Ratio*: exaggerata videtur sententia *omnem* modum « discriminandi » inter homines esse *damnandum*. Dantur enim iura fundamentalia hominis, quae semper actu urgent, et iura quasi historica, quae varia sunt iuxta condiciones sociales etc., quae non semper et ubique actu habentur. Estne e. g. omnis structura socialis iuxta « castas » semper et ubique contra legem naturalem! Id forte hodie valet. At semper? Explicari deberet, cur et quomodo esse possit evolutio historica actualizationis legis naturalis iuxta condiciones sociales, quae ipsae dynamice iuxta legem naturalem evolvi debent. At de hac quaestione schema silet, licet reapse fundamentalis esset pro argumento totius schematis. Nec textus sibi bene constat. Quomodo id, quod damnandum est, tantum « sensim » removendum est (pag. 25, linn. 9 s.); qualis est differentia inter exclusionem omnis « discriminationis » (statim efficiendam) et lentam diminutionem disparitatum (pag. 25, linn. 9 s.; pag. 25, lin. 31)? Estne verum operarium et dominum ubique *pari* reverentia (sociali) esse tractandos an est pia exaggeratio (pag. 25, linn. 18 s.)? Estne verum *quaecumque pericula* nobis esse subeunda, ut ubique terrarum personam humanam honoremus (pag. 25, lin. 42)?

19. Pag. 25, lin. 21: Verba « teste Sancto Iacobo » deleantur, aut dicatur: « teste epistula S. Iacobi ». *Ratio*: nomen auctoris, de quo dissentiunt eruditi, tali modo ne inculcetur.

20. Pag. 26, linn. 2-5: Haec nec exegetice nec historice (« servitus radicitus devicta » inter christianos, qui per saecula nihil fecerunt contra multas formas servitutis?) extra dubium posita sunt. Potius deleantur.

21. Pag. 26, linn. 15-18: Repetitio est.

22. Pag. 26, linn. 20-23: Argumentatio nimis simplex (« in tristitiam incidit »; « taedio affectus »).

23. Pag. 26, linn. 34-36: Repetitio.

24. Pag. 26, linn. 37-41: Repetitio.

25. Pag. 27, lin. 16: Relate ad quid necessitudines sociales tenent « primas partes »?

26. Pag. 27, lin. 42: Loco « ac » scribatur « quae ».

27. Pag. 28, linn. 9-10: Scribatur « (vocati sunt), ut iam nunc vitam divinam participent vires divinas ad communem salutem accipientes ». *Ratio*: ipsa vocatio divina ab effectibus distinguatur.

28. Pag. 28, lin. 29: Deletis in lin. 29 verbis « quasi essent alii aliorum

membra », textus hoc fere modo mutetur: « ... scilicet Corpore suo, in quo omnes *inter se invicem* membra et, secundum dona diversa singulis concessa, mutua sibi praestare debent servitia ». *Ratio*: 1. Verba « quasi essent » deleri debent, quia in Corpore Christi revera omnes invicem membra sunt et conceptus theologici non merae metaphorae sunt sed analogice praedicantur. 2. Textus, ita modificatus, clarior evadit.

29. Pag. 30, linn. 1-5: Repetitio.

30. Pag. 30, lin. 11: « curiositas » rem, quae intenditur, non bene exhibet.

31. Pag. 30, linn. 22-31, 38: In his nn. 38 et 39 multa satis indistincta et confusa manent et hinc ad quaestionem de significatione navitatis humanae (pag. 30, lin. 3) non datur clarum responsum.

V. g.: amelioratio condicionum vitae socialis (pag. 30, lin. 25) *qua talis* immediate dici potest obligatio *moralis* hominis. Iamvero forte existunt varii modi possibiles talis ameliorationis. Quomodo et qua ductus norma homo eligit inter plures istos possibiles modos? Nullum datur responsum, licet hoc maximi esset momenti. Estne « mandatum » homini datum sibi subiciendi et dominandi creaturae (pag. 30, linn. 29-31) obligatio *moralis* homini imposita? Qua mensura id vere dici potest? Nullum datur responsum, licet necessarium sit. A. v. transformatio mundi per hominem activa habet aspectum moralem, sed iste illam non exhaurit. Sensus, normae et directiones transformationis activae mundi qua talis ex una parte et normae *moralis* executionis et sensus religiosus huius transformationis ex altera parte numquam clare distinguuntur. Sed hic cardo totius quaestionis est, quae in mundo olim « statico » vere persentiri non potuit. « Creatoris opus peragere » (pag. 31, lin. 7): quid est hoc, si accurate perpenditur?

32. Pag. 31, linn. 11-14: Laus harum machinarum astronauticarum satis indiscreta potius omittatur. Quaeri enim iure potest, num de his ea dici debent, quae de armis nuclearibus pag. 78, linn. 38-40 dicuntur. Hic bene apparet defectus supra notatus. Non dantur normae regulativae ipsius evolutionis et transformationis activae mundi qua talis. Hinc, ubi non immediate deteguntur contradictiones contra leges morales iam semper notas, omnia in ista evolutione incunctanter probantur.

33. Pag. 31, linn. 39 s.: Etiam hic detegitur fundamentalis incertitudo expositionis: estne verum *omnia* ultimatim vim religiosam induere? Etiam qua *talia?* V. g. electio qua talis inter constructionem machinarurm astronauticarum aut omissionem talis constructionis? Quid est « ultimatim » (pag. 31, lin. 40)? Si talis vero vis religiosa ultimatim in omnibus invenitur, cur hoc valere dicitur tantum « pro credente » (pag. 31, lin. 39)?

34. Pag. 32, lin. 41: Nomen sapientis, cuius dictum allegatur, in nota apponatur.

35. Pag. 33, lin. 2: Deletis verbis « ad Eum non attendimus » scribatur: « non omnes attendunt ».

36. Pag. 33, linn. 14-36: Vera quidem sunt, sed nullatenus videntur respondere ad quaestionem pag. 33, linn. 3-13 iure merito positam. Ibi quae-

ritur de *habitudine* inter sortem eschatologicam historiae humanae a Deo dandam et id, quod homo per plenam dominationem mundi (asymptotice obtinendam) efficiet. Sed si respondetur hominem magis valere propter id quod est quam propter id quod habet, ad hanc quaestionem nihil respondetur. Idem dicendum videtur de nn. 43 et 44.

37. Pag. 34, lin. 19: Loco « obscuro » ponatur: « arcano ». *Ratio*: Adiectivum « obscurum » hic minus aptum quam « arcanum » videtur.

38. Pag. 35, lin. 22: Loco « invocabant » ponatur: « postulabant ». *Ratio*: discipuli interrogaverunt ad modum postulantis (non invocabatur ignis).

39. Pag. 38, lin. 15 - pag. 39, lin. 6: Haec, quae hic dicuntur, etsi verissima in se, non videntur rationes exhibere, propter quas Ecclesia mundo debeat « praesens » esse in illo modo specifico, qui est argumentum totius schematis et in specie huius capitis IV (ea quae pag. 38, linn. 23-30 dicta sunt, alibi iam dicta erant). Nam de facto unice agitur de missione supernaturali immediate salvifica Ecclesiae. Haec missio Ecclesiae, utpote visibilis, etiam aliquam « praesentiam » Ecclesiae in mundo exigit et supponit. Iamvero illa praesentia, de qua hic agendum est, non potest simpliciter cum illa identificari, quin problema iniuste simplificetur. Deberet dici hanc praesentiam pro missione salvifica *in* mundo exigere et secum necessario ducere praesentiam « coexistentiae » et dialogi *cum* « mundo », qui et quatenus ab Ecclesia distinctus est et manet et sua autonomo iure activo gaudet et non tantum est materia passiva activitatis Ecclesiae.

40. Pag. 39, lin. 7 - pag. 41, lin. 18: Haec expositio mutuae simul distinctionis et connexionis inter « ordinem redemptionis » et « ordinem creationis » problemata hodierna non satis attingit et solvit. Multa obscura manent. Sine dubio ex eo, quod Creator utriusque ordinis sit ipse unus Deus et Christus, nondum sequitur Ecclesiam, utpote merum Dei instrumentum, eadem habitudine ad ordinem creationis frui ac Deus (Christus) redemptor. Ergo tota expositio pag. 39, linn. 10-22 est vera, sed non clare apparet, quid ea efficiat relate ad habitudinem *Ecclesiae* ipsius ad « ordinem creationis ». Propterea primum « consectarium » (pag. 39, lin. 23), brevissime tantum enuntiatum (pag. 39, linn. 24-27), non clare probatur et omnia quae postea adiunguntur (pag. 39, lin. 28 - pag. 40, lin. 9) fere apparent tamquam satis infelix restrictio et emendatio principii generalis antea enuntiati (pag. 39, linn. 24-27), quod neque probatum neque clare et caute enuntiatum esse videtur. Revera: estne verum « Ecclesiae ministerium » (quid est hoc: actio Ecclesiae hierarchicae qua talis? Actio christianorum omnium Ecclesiam constituentium?) « ad *universas* res *omnia*que problemata humana necessario extendi »? Utique adicitur: « sub respectu sibi proprio » (pag. 39, lin. 26). Iam vero praecise quaeritur, num iste respectus (qui traditionaliter dicitur « ratio peccati ») reapse a nobis vere inveniatur in *omnibus* rebus, in omnibus problematibus. Hoc praecise quoad rem videtur negari a schemate in subsequentibus (pag. 39, linn. 28-30). Hodie praecise quaeritur, utrum necne « in *omnibus* rebus », « in *omnibus* problematibus » a nobis et praecise ab Ecclesia hierarchica qua

tali detegi possit « modus quo res istae ad Regnum Dei referendae sunt » (pag. 39, linn. 32 s.). Si iste modus non potest inveniri in « omnibus rebus » (inveniri a *nobis,* licet Deus ipse eum certe perspiciat et velit), quid deinde vult axioma: Ecclesiae ministerium ad omnes res necessario extendi? Si Ecclesia reapse de omnibus iudicare posset, quia omnia habent « rationem peccati » ab auctoritate ecclesiastica in concreto perceptibilem, quomodo non ita sibi adscriberet « dominationem terrestrem » (pag. 40, lin. 4), etsi indirectam et velatam? Haec omnia non tali accurata et profunda expositione videntur tractari, ut iustae expectationi hominis hodierni satisfaciant. Aliter: schema supponit (pag. 40, linn. 22-33) ipsa « negotia terrestria » esse intrinsecum et essentiale momentum « vitae religiosae » (pag. 40, lin. 28). Haec, si recti intelliguntur (quomodo, dicendum esset), tuto dici possunt et magni momenti sunt pro vita practica. Iamvero tunc praecise oritur quaestio, cui schema non clare respondet, cur Ecclesia tamen non dominetur simpliciter istis « negotiis terrestribus », licet ipsa intrinsece pertineant ad « vitam religiosam ». Dici debuisset « Ecclesiam », qua hierarchicam et auctoritativam, praecise non posse directe, immediate et in concreto dominari ipsi *toti* vitae *religiosae,* licet haec sit vita eiusdem Ecclesiae qua populi Dei. Deinde tantum patent, quae de incompetentia Ecclesiae « in ordine politico, oeconomico, sociali » qua tali (pag. 39, lin. 31) dicuntur. Deinde etiam clarius distingui possent munus laicorum et munus Pastorum.

41. Pag. 42, linn. 7-20: Haec spectant ad ipsam missionem presse et immediate *religiosam* laicorum, ad eorum apostolatum proprie dictum, non vero ad argumentum hic tractandum. Idem dicendum est de iis, quae de Pastoribus pag. 42, linn. 28-40 dicuntur. Non enim hic agendum est de activitate Pastorum stricte religiosa (immo sacramentali), sed de eorum habitudine ad mundum qua « profanum ».

42. Pag. 43, linn. 30 s.: Deletis verbis « lex salutis... incarnetur » scribatur: « ut salus divina velut semen in genus humanum peccatis infectum spargatur ». *Ratio*: 1. Contextus non de lege salutis sed de ipsa salute verba postulat. 2. « Humanitas » conceptus univocus non est. 3. Verbum « incarnari » non adhibeatur tamquam metaphora.

43. Pag. 47, linn. 6-25: Matrimonii institutum dicitur hic « ad procreationem et educationem prolis ordinari » (pag. 47, linn. 18 s.). Haec sensu positivo sine dubio verissima sunt, dummodo caute intelligantur. Iamvero exspectatur *hic adaequata* descriptio naturae matrimonii. Hinc iam hic dicenda essent et in veram unitatem cum hic dictis redigenda, quae pag. 49, lin. 34 de « vi fundamentali » (cf. etiam pag. 48, linn. 36 ss.; pag. 48, lin. 25) matrimonii insinuantur. Si vere in lucem poneretur, cur ipsa facultas generandi in homine mirabiliter exsuperet ea, quae in inferioribus vitae gradibus fiunt (pag. 50, linn. 40 ss.), talis intima unitas finium matrimonii melius, quam de facto hic fit, illustrari possent.

44. Pag. 47, linn. 23-25: Quaeri potest, num iam mere *naturalis* amor coniugalis *absolutam* indissolubilitatem matrimonii exigat, sicuti hic doceri

videtur. Haec cautius dicenda essent, quia secus etiam intrinseca dissolubilitas mere naturalis matrimonii (v. g. per Privilegium Paulinum) ultimatim in discrimen vocatur.

45. Pag. 47, lin. 33: Loco « christiana ascesi » scribatur « *virtutibus christianis* ». *Ratio*: ipsae virtutes dirigunt et nobilitant, « ascesis », exercitium non sufficit.

46. Pag. 47, lin. 33: Loco verbi « colit » dicatur « *suscitat* ». *Ratio*: clare enuntietur amorem divinum non modo nutrimentum sed etiam fontem virginitatis esse.

47. Pag. 49, linn. 36-38: Sensus huius sententiae non bene perspicitur. Unitas matrimonii potius aequalitatem et dignitatem personalem utriusque sexus patefacit quam viceversa.

48. Pag. 50, lin. 29: Post « vita » addatur « hominis ».

49. Pag. 52, linn. 16-27 (n. 66): Haec alibi iam dicta esse videntur quoad rem. Idem videtur dicendum de pag. 52, lin. 28 - pag. 53, lin. 4 (n. 67).

50. Pag. 53, linn. 13-16 et pag. 53, linn. 21-22: bis idem dicitur.

51. Pag. 53, linn. 28-36: Haec alibi iam dicta sunt quoad rem.

52. Pag. 54, linn. 19-24: Haec pie dicuntur. Iamvero non tangunt et superant eas difficultates, quae ex scientiis naturalibus hodiernis et harum inevitabili atheismo methodologico exoriuntur. Non est verum cultorem scientiae naturalis qua *talem* in opere ab ipso qua tali praestando Deum quasi detegere. Praecise dici debuisset, cur et qua ratione haec methodologica restrictio scientiae naturalis ad mera phaenomena non debeat quasi pervadere mentalitatem ipsius hominis totius qua talis, qui has scientias excolit. Eadem dicenda esse videntur de his, quae pag. 57, linn. 6-16 proferuntur.

53. Pag. 54, linn. 36-40: Etiam hic occurrit simplificatio problematis, quae laudari nequit. « Symbiosis » christianismi et culturae Hellenisticae-Romanae-Occidentalis, quae per millennium habebatur eodem modo in futuro non instaurari poterit cum aliis culturis. Haberi poterit pacifica coexistentia Ecclesiae et christianismi cum aliis culturis et sine dubio etiam mutuus influxus. At homogenea mutua compenetratio utriusque elementi, ita ut evadat « cultura plene christiana » in tota vita publica, sociali, politica etc., in futuro exspectari nequit, quia futura cultura « pluralistica » remanebit. Hinc praecise « cultura occidentalis » (a pace Constantina usque ad saeculum XIX) non potest esse « exemplar » concretum pro coexistentia variarum culturarum et Ecclesiae. Verum igitur problema vitae Ecclesiae in aliqua cultura futura non apparet.

54. Pag. 56, linn. 25-31: Etiam hic non potest non videri simplificatio problematis. Habetur enim hodie essentialiter maior difficultas quam olim redigendi « in synthesim » varias disciplinas et artes. Haec omnes in tantam molem a singulis non perceptibilem excreverunt (haec est praecise aliqua fundamentalis indoles aetatis nostrae), ut in *singulis* in positivam synthesim redigi nequeant. Hinc problema hucusque non habitum; hinc nova functio communitatis qua talis tamquam novum et necessarium subiectum unicum

talis synthesis: hinc quaestio, quomodo talis functio a communitate qua tali praestari possit.

55. Pag. 56, lin. 39 - pag. 57, lin. 2: Etiam haec pietate nimis simplici et optimistica dicta esse videntur. Problemata « tourismi », usus temporis a labore liberi, actionis culturalis « collectivae » difficiliora sunt quam hic supponi videntur.

56. Pag. 57, linn. 16-23: Haec alibi quoad rem iam dicta sunt.

57. Pag. 60, linn. 9-10: Haec sententia prorsus est superflua. Possuntne cogitari beneficia quae non sunt gratissima?

58. Pag. 60, linn. 27-32: Bis idem dicitur, et quidem tale, quod alibi iam dictum est.

59. Pag. 62, lin. 12: Nec probari potest *quodvis* discrimen inter opifices indigenas et extraneos esse iniustum, et tale postulatum sapit optimismum illusorium.

60. Pag. 62, lin. 29: Quid significat « ex more »?

61. Pag. 62, linn. 32-33: Quod hic asseritur, non est aliquid specificum *laboris* Deo oblati, sed valet de omni actu humano in gratia facto. Hinc hic sapit aliquam tendentiam glorificandi ad modum Marxismi laborem ultra debitum modum. Insuper hic textus laborat ex defectu conceptus clari « laboris ». De se sermo est hic et esse debet de labore valores oeconomicas producente. De facto vere saepius subintelligitur hac voce quaevis legitima actio humana. Secus enim non dici posset *unumquemque* habere officium laborandi (pag. 62, linn. 35 ss.).

Loco « Credimus » scribatur « Tenemus ». *Ratio*: id quod sententia profert non est articulus fidei.

62. Pag. 64, linn. 9-12: Haec saltem valde incaute dicta esse videntur. « Ius strictum » (pag. 64, lin. 12) videtur supponere aliquem, a quo id ius repeti potest, qui est subiectum verae obligationis moralis relate ad illum, qui illud ius strictum habet. Si vero aliquis nihil de facto possidet, quisnam est in concreto ille, qui stricta obligatione huic illud reddere debet, ad quod iste hic ius strictum habere dicitur? Homo habet ius strictum in re, quam de facto legitime possidet, relate ad omnem, qui hanc rem ei auferre vult. Sed habetne ius strictum in *rem,* quam non possidet, eo ipso, quia secus non habet « partem bonorum sibi et suae familiae sufficientem »? Eodem modo (non obstante sententia S. Thomae) incautum esse videtur dicere hominem res exteriores, quas possidet, non « tamquam sibi proprias, sed tamquam communes habere » debere (pag. 64, lin. 10). Multo melius esset iam hic evolvere ideam de « munere sociali dominii » privati (pag. 65, linn. 27-29). Deinde etiam melius apparebit, cur schema non obstante assertione iuris stricti ad rem propriam caute dicat *favendum* esse accessioni ad quoddam bonorum externorum dominium (pag. 65, linn. 9 s.).

63. Pag. 72, lin. 13: Loco « ex uno Patre » scribatur « ex uno Adamo ». *Ratio*: « Pater » « cum littera initiali P maiuscula) intellegitur de Deo Crea-

tore. S. Paulus autem loco allato (*Act.* 17, 26) agit de descensu generis humani ab Adamo. Mythi gentilium fabulantur de hominibus a Deo progenitis.

64. Pag. 73, lin. 6: Scribatur aut « *a Deo* ( ) *Patre promanantis* » aut « *a Deo et Patre Domini nostri Iesu Christi* promanantis ». *Ratio*: pro mutatione altera cf. *2 Cor.* 1, 3; *Eph.* 1, 3; *Col.* 1, 3. Deum Patrem omnium hominum nominare alienum est a traditione Ecclesiae. « Pater omnium » invenitur *Eph.* 4, 6; sed secundum contextum est Pater omnium nostrum, i. e. christianorum. Graeci, Philo, Iosephus, Stoici aliique Deum patrem omnium hominum nominant. Sacra Scriptura V. T. Deum non dicit patrem omnium hominum. In libris N. T. Deus Pater omnium hominum non exhibetur, sed Pater Iesu Christi (passim), fidelium (passim), luminum (*Iac.* 1, 17), spirituum (*Hebr.* 12, 9); Iudaei gloriantur patrem habere Deum (*Io.* 8, 41) secundum usum V. T.

65. Pag. 76, lin. 1 et pag. 76, linn. 16 s. non bene concordant. Ibi opes sunt « quasi inexhaustae », hic « sat amplae ».

66. Pag. 76, linn. 23-35: Iure reicitur *illimitata* competentia auctoritatis publicae circa problema demographicum *quacumque* ratione efficaci solvendum. Iamvero res ita proponitur, ac si Civitati nulla omnino legitima competentia competeret. Estne hoc verum? Auctoritates civiles mediaevales et recentiores, non reluctante Ecclesia, maiorem competentiam sibi vindicaverunt. Si matrimonium et prolis generatio tantum « ad extremum (?) et *per* se » spectant ad singulos (pag. 76, lin. 28), cur idem « *nullo* modo » (pag. 76, lin. 29) spectat ad Civitatem?

67. Pag. 80, lin. 17: Hoc principium de se legitimum paulo aliter enuntiari deberet. Nam si praesumptio iuris stat pro mandato auctoritatis publicae, donec violatio legis divinae per hanc auctoritatem « manifeste » pateat, nimis raro legitima resistentia contra abusus auctoritatis publicae fieri poterit. Ex natura rei sufficere videtur, ut subditus prudenter iudicet *multo probabilius* esse auctoritatem publicam iniustum quid iubere.

68. Pag. 83, lin. 27: Aut *numquam* habetur ius mediocriter vivendi, aut etiam hodie tale ius non potest negari unicuique in omni casu.

69. Pag. 83, lin. 11: Loco « Patrem » ponatur « Creatorem et Dominum unumque Redemptorem ». *Ratio*: cf. n. 64.

70. Pag. 83, linn. 29 s.: Dubitari potest, num homo reapse de ipso exitu obiective operis sui in terris adimplendi in die iudicii reddere debeat rationem. Exitus ipse enim non unice pendet a bona hominis voluntate. Immo christianus scit exitum operis sui terrenum numquam correspondere suae intentioni.

71. Pag. 83, lin. 32: Loco « Pater » aut ponatur « Deus » aut « Pater noster ». *Ratio*: cf. n. 64.

104

PLURES PATRES CONCILIARES GALLIAE

I. *De Prooemio.* Analysis condicionis humanae in mundo hodierno incompleta nobis videtur, et modo nimis exclusivo sociologica. Optamus ut illam sequatur recognitio magis excussa de coaevorum mente circa quaestiones quae ad religionem pertinent. Alludit quidem ad eam numerus 7, sed quasi transeundo et modo nimis brevi.

Haec recognitio imaginem atheismi ostendere debet; de atheismo revera agitur, cap. I, nn. 18-19; sed aptiorem locum obtinerent hae paragraphi in Prooemio. Quae de atheismo dicuntur, falso et modo paene exclusivo ad marxismum referuntur, cum marxismus una tantum sit ex formis atheismi, singulariter diffusa, sed quae minus proprie ostendat mutationes quae in mentibus supervenerunt, quam generalis voluntas Deum praetermittendi ob rationes scientifico-philosophicas quas schema nequit ignorare. Unde oriuntur suggestiones quae in Doc. I adnexo proponuntur.

Cogitationes illae praebere quidem videntur mentium evolutionem quae sit occidentalibus civilizationibus propria; attamen necessarium est adnotare cogitandi modos ab Occidente ortos velociter in omnes nationes invadere et « phaenomenon » universale effici.

II. *De anthropologia trium priorum capitum.* Theologicis et biblicis fundamentis carere videtur, et plus aequo praetermitti christologicum modum quo hominem animo perspicimus. Ut ad huiusmodi defectum afferatur remedium, proponimus:

1. Ut commoretur in eo quod propriam indolem confert anthropologiae christianae. Optime quidem notat schema, n. 55: « Quod plurimi non credentes adhuc ab Ecclesia exspectant, non est manifestatio cuiusdam veritatis mere humanae, quam ab aliis fontibus quaerunt, sed ostensio mysterii hominis prout ex revelatione Christi elucet ». Plerique non credentium non exspectant ab Ecclesia ut solutionem praebeat problematum quae ad familiam, ad res oeconomicas aut sociales aut politicas aut internationales aut culturales pertinent, quibus praesto esse debent, neque putant huiusmodi problematum solutionem Ecclesiae competere; magis autem intendunt ad ea quae de homine docet Ecclesia tanquam a Deo ea accipiens. Potius huiusmodi doctrina penitus convenit cum problematibus quae ipsis de seipsis in mentem exsurgunt, viasque aperit ad dialogum in quo confitentur Christianismum aliquid quod legitime dicatur habere.

Praeterea bonum esset ut anthropologia illa eisdem principiis niteretur quae adhibentur in Constitutione dogmatica *Lumen gentium,* et Decreto *de Episcoporum pastorali munere in Ecclesia* necnon in Decreto *de apostolatu laicorum.* Aliter regressum quemdam manifestaret, relate ad anthropologiam quae in supranotatis conciliaribus documentis exponitur.

Proinde proponimus ut ad n. 10 (qui introducit ad I partem) addantur lineae quaedam, quae ab exordio mentem intenderent ad hominis perceptionem, quae in revelatione Christi aperte fundatur.

Facultas est huiusmodi sententias pluries resumere in tribus capitulis (cf. Doc. II adnexum).

2. Ut fortius fundamentum theologicum et biblicum praebeatur tribus illis capitulis, proponimus mutationes quae in Doc. III adnexo inveniuntur. Item aliquot in melius faciendas mutationes exponimus in adhibendis textibus Scripturae (cf. idem Doc.).

III. *De cap. IV.* In missione propria Ecclesiae commorari vellemus, Ecclesiologiam nempe constituere quae magis congruat cum christologia et anthropologia praecedentium capitum. Unde exsurgit necessitas ostendere meliori modo unitatem consilii divini quod expanditur secundum totam religiosam mensuram, in Creatione et Redemptione et Divinisatione.

Servare intendimus viam qua schema progreditur, et in quantum fieri poterat, paragraphorum ordinem in tutum ponere. Studuimus ut meliori modo ultima verba capituli ad secundam partem schematis introducerent (cf. Doc. IV adnexum).

Document I.

Plus profondément, la situation présente dépend d'une transformation séculaire de l'esprit, qui intéresse directement la foi religieuse comme l'ensemble des valeurs humaines.

Fait fort de l'humanisme antique et de l'éducation chrétienne de l'Occident jusqu'à la fin du Moyen-âge, devenant conscient de soi avec une intensité redoublée, l'homme s'apprend à être radicalement libre. Avec une énergie désormais sans limites, il veut la possession souveraine de soi-même, le gouvernement autonome de son histoire terrestre et la puissance de recréer un monde comme il l'entend. Par la science et la technique moderne, il se donne des capacités indéfiniment croissantes de connaître toutes choses et d'agir efficacement sur elles, y compris lui-même, opérant ainsi constamment la refonte de la condition humaine.

Reconsidération se fait alors de toute la tradition spirituelle, de toute la culture, de toute la religion. L'esprit ne recule point devant la réforme totale de ce que l'homme est en vertu de ce qu'il a reçu de son passé, y compris, pour chacun, sa première formation d'enfance et de jeunesse. Quelque tragique que le déchirement puisse être, la crise est acceptée et traversée.

Ce qui se vit ainsi depuis sept siècles enfante l'humanité moderne. Lorsqu'il y accède pour son compte, l'individu répète quelque chose de ce devenir au dedans de sa conscience personnelle. Quant à l'élite de chaque génération, elle pousse de toutes ses forces encore plus avant, donnant à ce qui l'inspire toujours plus de concentration et de puissance.

L'homme peut en venir à ce point de conscience et d'énergie en conservant au dedans de lui-même la lumière de la foi, s'il la possède déjà. Mais

il arrive souvent que cette promotion spirituelle s'accompagne du rejet de la foi antérieure. Parfois même c'est sur ce rejet qu'elle s'appuie pour achever de se définir et de se consolider. De même, une fois qu'il a ainsi formé son esprit, l'homme peut-il accéder à la foi, s'il ne la possède point. Mais l'accès à la foi religieuse, ou le retour à celle-ci, est alors un processus humain d'une grande difficulté qui, sauf cas personnels, ne se produit pas. Des décisions spirituelles ont été prises. L'homme, d'ordinaire, ne revient point sur celles-ci.

Au terme du devenir collectif qui s'est poursuivi depuis maintenant plusieurs siècles, les décisions négatives à l'égard de la foi existent dans notre monde tout aussi bien que les décisions positives en faveur de leur maintien. Des individus exemplaires ont témoigné jusqu'au supplice et jusqu'à la mort de l'énergie de leur négation. Des penseurs de haute qualité se sont employés à la faire valoir et à la raisonner le plus fermement qui se puisse. De très grands génies l'ont auréolée de leur prestige. L'incroyance a désormais sa propre tradition, ses chefs de file et ses héros. Dans l'état présent du monde, une humanité non-catholique et souvent totalement incroyante porte en elle un immense et admirable patrimoine de richesses et de grandeurs humaines, et tout ensemble un très profond obstacle spirituel dressé contre l'acceptation des enseignements de l'Eglise.

L'obstacle n'a pas toujours les mêmes principes ni les mêmes conséquences religieuses. Néanmoins, depuis cent cinquante ans, il tend à apparaître de façon de plus en plus générale sous les espèces de l'athéisme. Négation de Dieu, aversion à l'égard de toutes les formes de la religion, cet athéisme est plus encore la résolution de faire l'homme tout entier à partir de soi-même et de l'univers, nulle autre source de la genèse humaine n'apparaissant plus à l'horizon de l'existence. L'homme de l'incrédulité ne désire plus se faire Dieu; il veut devenir soi-même, librement, souverainement, dans un univers fait humain; et il entend qu'on le laisse tranquille sur le reste auquel il ne croit pas, dont il s'apprête à dissoudre jusqu'à l'idée.

Pourtant, c'est un fait que la décision de l'incroyance n'est pas encore le dernier mot de la genèse humaine. La religion subsiste, malgré les théories faciles qui prédisent son élimination totale pour demain. Le christianisme et le catholicisme rassemblent une partie considérable des hommes. L'âme croyante a traversé, elle aussi, la crise radicale de la conscience moderne, et la foi n'a pas été déracinée du cœur de tous. Aujourd'hui la foi sait qu'elle peut s'épanouir librement et victorieusement dans la conscience renouvelée de la grandeur de l'homme, sans renoncer à l'amour que Dieu lui a fait connaître en Jésus-Christ. Elle regarde d'un oeil nouveau ce monde des hommes auquel le croyant lui-même appartient. L'histoire du salut continue. Tranquille sur son propre compte, la foi catholique se dispose à aborder fraternellement tout homme comme il est, à parler avec lui de la chose humaine commune, à commencer par celle d'ici-bas. Interrogée plus avant par le monde qui continue de lui demander ce qu'elle est, et par quelle autorité, elle est prête à répondre comme elle a toujours répondu: la parole salutaire de Dieu et le

don de son amour à chaque jour de ce monde: Jésus-Christ, hier et aujourd'hui, et pour tous les siècles.

Car, si l'esprit de l'humanité, lorsqu'il s'est confirmé résolument dans l'incroyance, est aussi le parti vécu de ne plus interroger ni la foi, ni l'Eglise, le monde des hommes, le monde concret de tous les hommes continue de faire monter une immense et confuse interrogation envers l'Eglise et envers la foi. Cette interrogation est celle de la création humaine elle-même: cela va-t-il réussir? Sur quoi cette action et ses œuvres vont-elles déboucher? Cette interrogation est aussi celle des multitudes d'êtres de bonne volonté qui se demandent si, tout de même, d'aventure, les vieilles traditions spirituelles de l'humanité ne contiendraient pas en elles davantage encore que le dernier parfum d'un vase vide et qui a chance d'être totalement évanoui demain, si quelque vraie source, derechef prête à quelque jaillissement inédit, ne les habite. Enfin et par dessus-tout cette interrogation est celle de la misère et de la douleur. Les hommes souffrent, et toute la gloire de l'esprit humain n'y change encore que peu de chose, même si la civilisation qu'elle promeut peut être considérée comme ayant déjà fait beaucoup pour rendre la masse humaine moins misérable. La plupart de ceux qui souffrent, souffrent sans lumière et sans remède; l'effort que l'homme a fait ici pour se rendre moins misérable se répercute là en plus de misère pour les autres. L'interrogation du monde, sous toutes ses formes à la fois, à commencer par celle de l'affliction imméritée, elle est l'interrogation des pauvres et des petits de ce monde, bousculés et offensés par la marche en avant des grands et des puissants. L'Eglise sait que, par vocation et mission qui lui fut confiée devant la Croix de son Sauveur, elle est la mère spirituelle de ces petits et de ces affligés. Elle sait aussi qu'il lui faut, comme de nouveau, réapprendre du Crucifié et de la Mère des douleurs à ne pas trahir ces petits et ces affligés dans le monde tel qu'il est devenu aujourd'hui.

C'est à cette interrogation du monde que, dans le respect qu'il veut entier de la liberté et de l'autonomie de l'homme, quelqu'il soit y compris celui qui entend ne point recevoir le message de la foi, le Concile veut aider chacun à apporter de lui-même et pour lui-même quelque réponse.

Document II.

N. 10. (Impulsionibus spiritus ad consummationem mysterii Christi Iesu, Filii Dei, respondendum). Populus Dei, a Patre convocatus, in vita omnium hominum intime implicatus, et perspiciens quantam vim hic status rerum in modum agendi membrorum suorum exerceat (...), in eventis, postulationibus, optatis, quorum una cum ceteris (...) hominibus partem habeat, signa praesentiae Domini (cf. *Mt.* 28, 20, in fine), eiusque interventus animadvertere satagit, et Eius voci, a Spiritu Sancto in conscientiis suggesta (cf. *Io.* 14, 26), incunctanter oboedire debet. Spiritus enim replevit orbem terrarum (*Sap.* 1, 7; cf. *Act.* 2, 1 ss.) ad consummandum opus Domini Iesu qui omnia

in omnibus adimpletur (*Eph.* 1, 23) in gloriam Dei Patris (*Phil.* 2, 11). Omnes autem homines, secundum diversitatem gratiarum, ministrationum et operationum (cf. *1 Cor.* 12, 4 ss.), Dei cooperatores sunt et esse debent (cf. *1 Cor.* 3, 9) usque dum perficiatur divinum hoc consilium seu oeconomia divina.

Ad illam humanam divinamque vocationem implendam, fides potest et debet auxilium decretorium praebere. Integra autem fides christiana fundatur supra confessionem Petri dicentis: « Tu es Christus, Filius Dei » (*Mt.* 16, 16). In lumine illius confessionis, vel potius in lumine tanti mysterii Iesu, omnes eventus omnesque homines magis ac magis intelligere debet, secundum illud verbum Pauli: « Non enim iudicavi me scire aliquid inter vos nisi Iesum Christum et hunc crucifixum » (*1 Cor.* 2, 2).

In divina enim oeconomia, omnia ad Deum Patrem, per Filium Eius in Christo, id est in Messia (cf. *Io.* 1, 41), Spiritu Sancto cooperante (cf. *Lc.* 1, 35; *Act.* 2, 1 ss.), incarnatum, in mysterio Paschae, id est crucis et resurrectionis vertuntur. In revelatione Sacrarum Scripturarum, quae testimonium perhibent omnes de Iesu (*Io.* 5, 39), haec « recapitulatio » omnium creaturarum (*Eph.* 1, 10) in mysterio Domini Iesu ita multimodis manifestatur ut in fide appareant homines, et in ipsi tota quoque creatio (cf. *Rom.* 8, 18), ab ignorantiis et mendaciis suis ad lucidam integramque veritatem in Christo Propheta necnon aeterno Verbo Dei transire, ab infirmitatibus nefandisque ignaviis suis ad efficacem regni Dei potentiam in Christo Rege regum et Domino dominantium (*Ap.* 19, 16) procedere, ab iniustitiis tandem et peccatis suis erga Deum et proximum ad redemptionem perfectamque sanctitatem in Christo Sacerdote, omnium hominum salvatore (*1 Tim.* 4, 10) consecrari. Sic Dominus Iesus est verus Adam (cf. *Rom.* 5, 14) in quo omnes homines naturam suam a Deo creatam non tantum agnoscere sed etiam acquirere et ad perfectionem ducere possunt et debent.

Cum autem Iesus personaliter sit, in sua integra natura humana, aeternus Dei Filius in unitate amoris Spiritus Sancti, hominibus fratribus suis pariter communicat filialem adoptionem divinam caritatemque Spiritus Sancti in eorum cordibus diffusam (*Rom.* 5, 5), ita ut filii Dei nominentur et sint (*1 Io.* 3, 1), viventque in communione Filii (*1 Cor.* 1, 9) et in communione Spiritus Sancti (*2 Cor.* 13, 13) ad gloriam Patris. Et haec est anthropologia, sicut aiunt, specifice christiana quam in omnibus hominibus omnibusque humanis eventis fides Ecclesiae discernit et de die in diem perfectius discernere debet, secundum quam etiam in mundo operari debet.

Ad tantum munus obeundum omnes vires humanas colligere debet populus Dei, intellectum et spiritum inventionis, omnes tum mentis tum cordis facultates, omnes denique scientiae disciplinas. (...) Fides enim, nedum christianos in mundi navitatibus implicatos ... etc. ... sunt posita. Insuper, communicatio Sancti Spiritus et caritas quam diffundit in cordibus hominum eos continuo edocent quaecumque Dominus Iesus mandavit eis (*Io.* 15, 26) et ad ea implenda fortiter et suaviter eos movent.

Ideo Concilium imprimis bona ... etc.

N. 11 (De homine ad imaginem Dei). In fine huius n. addere istam paragraphum:

Sciunt autem christiani quis homo sit vera et perfecta « imago Dei », scilicet Iesus Christus, Filius Dei (cf. *2 Cor.* 4, 3-4; *Col.* 1, 15; etc.), et iam supra diximus (n. 10) quomodo omnes homines possunt et debent Iesu Christo, Filio Dei, assimilari, tam in Eius messianitate, quam in communicatione quem Ipse hominibus dedit filiationis suae divinae caritatisque divinae Spiritus Sancti.

Document III. Projet d'amélioration et de refonte des chap. I-III.

Chapitre I. *La vocation de la personne humaine.*

A) Difficultés: *a*) après le n. 11, d'inspiration biblique au moins à titre inchoatif, le veine biblique ne sera retrouvée qu'au n. 20. Les développements intermédiaires (nn. 12-19) sont longs et d'inspiration psychologique et moralisante;

b) le n. 17, qui évoque la solution biblique de la victoire sur la mort par le Christ s'intercale curieusement entre le portrait optimiste de l'homme (nn. 12-16) et le problème pessimiste de la non-connaissance de Dieu (nn. 18-19). Ce n. 17 sera d'ailleurs repris en fait par la fin du n. 20.

B) Solution proposée: que le texte bibliquement repris se répartisse en trois sections: 1) l'homme tel qu'il est sorti des mains de Dieu, avec ses dons merveilleux; 2) l'homme tel que l'a fait le péché, désordonné et désespéré; 3) l'homme tel que le Christ l'a régénéré, dans l'ordre et l'intimité divine retrouvée.

Concrètement ces sections se développeraient ainsi:

1) *L'homme tel qu'il est sorti des mains de Dieu.* Le n. 11 peut demeurer à peu près tel quel. Nn. 12-16 pourraient être rédigés de façon plus brève et plus biblique. Dons que Dieu a faits à l'homme et qui déterminent sa vocation: corps, âme/intelligence, conscience, liberté — nn. 12-15 —. Le n. 16, qui expose la nature sociale de l'homme, se placerait mieux au chap. II, qui traitera précisément de l'homme en tant que membre d'une société.

Note 10 supprimer ce texte, qui bien qu'assumé par la Liturgie, représente un contresens probable sur un texte obscur, voire désespéré.

Note 13 corriger: *1 Sam.* 16, 7.

2) *L'homme tel que l'a fait le péché.* Le péché est mentionné à quelques endroits du texte, mais insuffisamment. Ce drame décisif de la destinée humaine, qui a compromis la « vocation » divine de l'homme, doit être traité pour lui-même, à la fois pour procurer le portrait de l'homme réel et pour préparer la recréation par le Christ.

Ce développement prendrait la place des nn. 17 (début) et 18-19. Puis-

que nous envisageons de reporter la substance des nn. 18-19 dans une Introduction plus substantielle qui ferait le portrait phénoménologique de l'homme actuel dans ses crises et ses désespoirs, la chose serait reprise ici de façon biblique, en s'aidant en particulier du tableau de Romains ch. I: par le péché l'homme refuse de reconnaître et servir son Créateur. Conséquences dans tout son être: ténèbres de l'esprit, affaiblissement de la conscience et de la liberté (*Rom.* 1, 32 b), corruption des mœurs, corps voué à la mort. La fin tragique de ce tableau serait l'angoisse de l'homme acculé à la mort et au néant (cf. début du n. 17) et préparerait bien le chant de triomphe du n. 20.

3) *L'homme tel que le Christ l'a recréé.* Le n. 20 peut être gardé dans sa substance. Mais deux idées devraient y être dégagées plus clairement et avec plus de force: *a*) l'œuvre du Christ est une « recréation » qui refait en mieux l'œuvre de Dieu abîmée par le péché. Le Christ Image de Dieu rend à l'homme cette image de « fils » (*Rom.* 8, 29) et avec elle la vraie « connaissance » cherchée contre Dieu au Paradis terrestre; *b*) la rédemption du Christ régénère l'homme jusque dans son corps, par la Résurrection et l'ordre sacramentel. Cet aspect, physique, ontologique, du salut, peu sensible dans le texte et peu perçu en fait par bien des théologiens, est un élément capital, tant pour la recréation intégrale de l'homme que pour les conséquences qui en découlent dans l'ordre social (ch. II) et dans l'ordre cosmique (ch. III), comme nous le dirons plus loin. Ici le triomphe sur la mort (fin du n. 20 + n. 17) en dérive directement.

N.B. Dans les références bibliques du texte actuel, supprimer celles de la note 25: ce sont des parallèles de *Lc.* 17, 33 (cité dans le texte) et on pourrait aussi bien renvoyer à *Mt.* 16, 25 et *Lc.* 9, 24.

Chapitre II. *La communauté des hommes.* Ce chapitre se divise en 1) principes fondamentaux, 2) Orientations pratiques.

Ces dernières sont bonnes, encore qu'elles pourraient utilement, en bien des points, s'appuyer sur des enseignements bibliques, par citations ou références.

Mais ce qui surprend tout à fait, c'est que les « fondements théologiques » tirés de la Bible (nn. 35-36) viennent à la fin de ces orientations pratiques, alors qu'ils devraient plutôt venir avec les « principes fondamentaux » et les pénétrer. En d'autres termes les nn. 35-36, mieux étoffés, devraient commander les nn. 22-26.

On obtiendrait par exemple: *a*) nn. 35-36 remaniés: fondements théologiques des principes de la vie sociale; *b*) nn. 22-26: prise de conscience de ces principes par l'expérience même du monde moderne; *c*) nn. 27-34: orientations pratiques.

Les fondements théologiques (bibliques) pourraient se développer ainsi: 1) Vocation sociale de l'homme: le salut biblique est collectif. Dieu choisit un peuple pour recevoir et vivre son message. Jésus reprend et épanouit ce peuple dans un Peuple nouveau qui est l'Eglise;

2) vocation universelle: Dieu destinait Israël à transmettre son message à toutes les nations. Jésus accomplit ce plan en abolissant les limitations raciales et nationales d'Israël et en adressant son Evangile à toutes les nations. L'Eglise réalise cette mission (exemple déterminant de Paul);

3) égalité de tous les hommes dans cette destinée supérieure. Par sa mort/résurrection le Christ supprime dans l'Homme Nouveau les distinctions de race, de nation, de rang social, voire de sexe (*Col.* 3, 11; *1 Cor.* 12, 13; *Gal.* 3, 28). Les hommes ont en lui même origine et même fin (*Eph.* 4, 4-6). Ils sont tous fils du même Père; cf. l'Evangile et la paternité cosmique de Dieu en *Eph.* 3, 15;

4) exercice de cette solidarité sociale, jadis dans le péché et maintenant dans la grâce. Tous membres du Corps du Christ, soit en fait soit en intention, et au sens réel, physique dit plus haut, les hommes doivent s'entr'aider et construire ensemble le monde nouveau: *Rom.* 12, 4-13; *1 Cor.* 12, 4-27; *Eph.* 4, 7-13;

5) équilibre entre les droits/devoirs de l'individu et ceux de la société. L'A. T. a insisté d'abord sur l'aspect collectif du salut. Avec Ezéchiel apparaît le sens de la responsabilité individuelle, qui tempère le caractère social du salut mais ne le supprime pas, s'harmonise plutôt avec lui. Dans le Christ cette dialectique s'établit entre la liberté et responsabilité souveraines de l'homme dans l'affaire de son salut personnel et son obligation de servir la société, tant temporelle que spirituelle. Paul demande à l'individu chrétien d'opérer son salut par l'union personnelle au Christ, mais affirme en même temps que dans le Christ il rejoint ses frères, et doit même limiter sa liberté pour leur service (*1 Cor.* 9, 19-22; et *1 Cor.* 8-10; *Rom.* 14-15 passim).

Vus dans cette lumière les nn. 35-36 contiennent beaucoup d'éléments utiles, mais qui devraient être plus développés ou mieux appuyés sur l'Ecriture. Le point 5 n'y paraît guère. Le début du n. 36 est nettement insuffisant: le Verbe incarné n'a pas seulement voulu « entrer » dans la solidarité humaine, il l'a bel et bien recréée de façon nouvelle et plus profonde.

N.B. Remarques sur les références actuelles du chap. II (pages et lignes de l'éd. latine).

N. 29, p. 24, lignes 32-33. On pourrait citer aussi *Rom.* 12, 14-20.

N. 30, p. 25, lignes 4-5 *Eph.* 4, 4-6 viendrait bien ici, surtout si on développait un peu le texte. Lignes 9-10. Cf. *Col.* 3, 11.

Note 10. *Rom.* 2, 1-2 semble peu ad rem: il s'agit ici de ne pas condamner le frère pour des choses dont on se rend soi-même coupable. Ensuite plutôt *Rom.* 14, 4-12.

N. 31, p. 25, lignes 2-3. Citer peut-être *Philém.* 16; cf. *Eph.* 6, 9.

N. 32, p. 26, lignes 26-29 est bien illustré par *1 Cor.* 9, 19-23.

N. 35, p. 28, lignes 8-11. Cf. *Eph.* 4, 4-6.

N. 36, p. 28, lignes 26-29. Ces lignes trop brèves appelleraient bien des citations soutenant des développements: *Rom.* 8, 9; *1 Cor.* 12, 12-27; *Rom.* 12, 4-13; *Eph.* 4, 7-13.

Chapitre III. *Signification de l'activité humaine dans le monde.* Les thèmes bibliques sous-jacents à ce chapitre semblent être ou insuffisants ou dispersés. Voici, me semble-t-il, les grandes lignes du message biblique qu'il faut exploiter ici:

1) Le Monde (Kosmos) est étroitement lié au sort de l'homme, de par la création. Il ne l'est pas « d'une façon qui nous échappe totalement » (n. 44). Ce lien est clairement établi dès le récit de la création, avec fréquents échos dans la Bible (n. 38), et ce qui en résultera dans l'ordre nouveau du Christ découle directement de cette situation première. Le monde est le cadre de l'homme: celui-ci doit « dominer » la création, c'est-à-dire l'utiliser dans le service de Dieu, et ainsi lui donner sa signification. L'homme « microcosme » est une idée des Pères qui pourrait être utilisée ici.

2) Le Péché, en désordonnant l'homme dans ses relations avec Dieu et en lui-même, a du fait même désordonné le monde en supprimant ou détournant sa relation à Dieu. Ici mettre en valeur l'importance des Puissances mauvaises qui ont introduit le péché et conquis abusivement l'empire du monde. Doctrine fondamentale de Jésus (le « Prince de ce monde », « Béelzéboul », etc.) et de Paul (*Eph.* 2, 2; 6, 12, etc.). « Non sans l'influence du Malin » dit de la soumission du monde à la vanité (n. 44) est beaucoup trop bénin.

3) En détruisant le Péché, le Christ a délivré et recréé le monde. Cela est supposé à plusieurs reprises dans le schéma, mais sans qu'on voie le monde ontologique de cette rédemption, qui l'explique en profondeur et rend compte de la croix. Le voici:

a) l'explication profonde chez Paul est le caractère ontologique, physique, du salut. Jésus, Parole incarnée, a régénéré l'homme jusque dans son corps par la Résurrection. Tous les chrétiens deviennent son Corps (au sens physique, et pas seulement social): ordre sacramentel; cf. chap. I. Or le corps de l'homme fait partie de l'univers physique; c'est par lui, instrument de l'âme, que l'homme se rattache au cosmos. En recréant le corps de l'Homme Nouveau, et toute la société chrétienne (cf. ch. II), l'œuvre du Christ atteint, indirectement mais réellement, tout l'Univers physique qui en est le cadre. C'est cette solidarité du corps et de l'Univers, dans l'esclavage comme dans la délivrance, qu'exprime magnifiquement *Rom.* 8, 19-22. La « récapitulation » par le Christ, non seulement du genre humain, mais de tout le cosmos, est donc le fruit de son œuvre rédemptrice (*Eph.* 1, 10; *Col.* 1, 20). A mon avis, c'est encore cette idée que Paul exprime par le « Plérôme » = Plénitude de l'Univers que le Christ remplit et dont il se remplit (*Eph. Col.*): Paul adopte un terme plus vaste que « Corps » pour embrasser la totalité de l'être créé pris en charge par la libération du Christ.

b) Les Puissances mauvaises sont vaincues et dépouillées par la croix de l'emprise qu'elles avaient acquise, et que Dieu leur concédait, sur le monde ancien (*Col.* 2, 14-15). A titre d'administrateurs (Kosmokratores, *Eph.* 6, 12) du fonctionnement du monde et des religions anciennes (même la Loi

mosaïque, raisonne s. Paul, donnée par des « anges »), les Puissances cosmiques et angéliques avaient une réelle créance sur l'homme pécheur: pour sa prévarication elles exigeaient sa mort. Jésus subit cette mort, paie la dette, et du fait même, met fin à la domination des anciens tyrans.

c) Désormais le monde, remis au service d'un homme justifié, retrouve son ordination à Dieu. Jadis solidaire du péché, il redevient solidaire de la grâce. Et c'est la tâche du chrétien de rétablir le monde dans sa vraie relation à Dieu, de lui faire servir Dieu, non seulement dans l'ordre primitif de la création, mais aussi dans l'ordre régénéré et exalté de la recréation, ou « nouvelle création ». Cette pénétration profonde du monde par la vie du Christ dans les chrétiens s'opère avant tout par l'ordre sacramentel: collaboration des éléments du monde physique à l'ordre de la grâce; puis par tout le culte-liturgie qui en découle; enfin par toute l'activité terrestre des hommes redevenus fils de Dieu et qui construisent avec ce monde la cité céleste qui en est l'épanouissement. D'après la Bible le monde eschatologique, c'est-à-dire les « cieux nouveaux » et la « terre nouvelle » seront encore un Univers physique, mais comme transfiguré et pneumatisé par le rayonnement de la vie de Dieu dans le Christ et dans les élus béatifiés.

Vus à la lumière de cet enseignement biblique, plus d'un passage de ce chapitre paraîtra insuffisant. La question principale est posée au n. 41. Or les réponses qui suivent ne satisfont pas entièrement.

Le n. 42 montre que l'homme s'accomplit intérieurement en travaillant. Sans doute, mais il y a plus. Le travail a sa valeur objective dans l'ordination, ou réordination, du monde physique à Dieu, à la suite du Christ ou plutôt avec lui et par lui.

Le n. 43 revient à l'ordre social par des considérations qui conviendraient mieux au ch. II.

Les nn. 44-47 expriment d'une certaine façon l'enseignement biblique, mais sans dégager ses racines profondes: d'une part le lien ontologique entre la salut du Christ et le corps de l'homme, d'autre part le lien ontologique entre le corps de l'homme et l'Univers physique, qui entraîne celui-ci à la suite de celui-là.

N. B. sur les références bibliques du texte actuel: n. 42, note 15: *Mt.* 16, 24 convient peu (renoncer à soi et aux siens); mieux *Mt.* 19, 21 (renoncer aux richesses); n. 46, p. 35, ligne 20: préciser dans le texte la « tentation »: dominer le monde, et citer *Mt.* 4, 8-9. Ligne 23: ce texte de *Lc.* 9, 55 est rejeté par les critiques comme non authentique et venant de Marcion; préférable de l'éviter. Lignes 23-27: ces lignes, avec leurs citations, seraient mieux placées dans le chapitre sur la guerre et la paix. Lignes 30-31: cf. *Apoc.* 3, 20. Ligne 33: cette citation ne serait-elle pas mieux à sa place dans le paragraphe sur la conscience et la liberté (nn. 14-15)?

Document IV. Refonte de la rédaction du chapitre IV (I Pars).

La mission de l'Eglise dans le monde de ce temps [1]

48. (*But de ce chapitre*). Tout ce que nous avons dit sur la vocation intégrale de l'homme, sur la communauté des hommes, sur la signification ultime des efforts humains, concerne, à des titres divers, la foi et l'action de l'Eglise.[2] Dans ce chapitre, c'est de l'Eglise elle-même, en tant que communauté visible des croyants [3] vivants en ce monde, qu'il sera question. C'est elle, en effet, qui, détournant l'homme à la fois de l'orgueil et du désespoir, manifeste le Christ Sauveur, seul capable de conduire l'homme à son étonnante destinée.[4]

Après avoir rappelé ce qu'est l'Eglise dans le monde (n. 49) et sa mission propre (n. 50), nous tirerons les conséquences qui découlent de cette mission (n. 51). Puis, après avoir montré le rôle ( ) de chacun dans le Peuple de Dieu (nn. 52, 53), nous verrons comment l'Eglise elle-même est conviée au dialogue avec le monde (n. 54) et selon quel esprit elle répond aux exigences actuelles de sa mission (nn. 55-57).[5]

49. (olim 49, 50 passim) (*La présence de l'Eglise dans le monde*). Née de l'amour du Père pour tous les hommes, l'Eglise n'est autre que « Jésus-Christ répandu et communiqué » aux hommes qui deviennent ainsi son propre corps. Un tel mystère, comme celui du Christ, est à la fois visible (parce qu'il

---

[1] Les principes suivants ont guidé les auteurs de cette « refonte »:

a) Ne pas faire un texte « nouveau », mais « réemployer » l'ancien à concurrence de 70 à 80 pour cent.

b) Puisqu'il s'agit d'un chapitre consacré à l'Eglise, être plus explicite sur *sa mission propre.* En conséquence une ecclésiologie, qui soit plus conforme à la christologie, et per là en harmonie avec une complète anthropologie chrétienne.

c) Cette refonte insistera donc davantage sur l'unité du *dessein* divin qui se déploie, selon sa dimension religieuse, dans la « Création-Rédemption-Divinisation ».

d) Enfin, nous avons gardé le plus possible le mouvement et la suite des paragraphes, sauf exceptions signalées.

[2] Tout ce qui vient d'être dit ne se limite pas à l'*enseignement* de l'Eglise, mais intéresse déjà *la vie chrétienne.*

[3] Une certaine ambiguité demeure dans le chapitre sur l'aspect selon lequel on considère l'Eglise: tantôt les chrétiens dispersés, tantôt le Magistère. Nous pensons qu'il faut d'abord parler de *la communauté des croyants* (ce qui n'exclue pas l'aspect institutionnel), conformément à *Lumen Gentium.*

[4] Le Christ et le christianisme sont *plus* qu'une force pour accomplir une destinée (« Vivre pour moi, c'est le Christ »).

[5] On comprendra, par la lecture, le mouvement des différents numéros. On part de ce qu'est l'Eglise (en tant qu'immergée dans le monde); on définit sa mission; puis les acteurs de cette mission; et l'on tire les conséquences de cette présence active de l'Eglise au milieu du monde, sur le plan du dialogue.

est humain) et invisible (parce qu'il est divin), qu'il s'agisse des chrétiens dispersés dans le monde et témoins de la vie du Seigneur ou qu'il s'agisse de l'institution de l'Eglise, garante du message du Christ et détentrice des sources de vie divine.[6] En raison de ce double aspect visible et invisible, l'Eglise est en quelque sorte le sacrement de l'union profonde de l'homme avec Dieu et de l'unité de tout le genre humain, dans le Christ. En d'autres termes, l'Eglise est le mystère du Christ, né, mort et ressuscité pour tous les hommes, mystère rendu présent par les chrétiens (cf. *Eph.* 3, 8-11).[7]

Pour les croyants, en effet, ce mystère ne peut se réduire à une idéologie parmi beaucoup d'autres. En manifestant à l'homme le mystère du Christ, non seulement l'Eglise lui découvre par le fait même le sens de sa propre existence, c'est-à-dire sa vérité totale, mais elle lui donne encore de rencontrer Celui qui, totalement Dieu (totus Deus) s'est fait totalement homme (totus homo) afin que l'homme devienne enfant de Dieu.[8] Pour l'homme, la réalité suprême est la Parole même de Dieu qui s'est faite chair dans le Christ Jésus, source de toute sainteté.

Par son Incarnation, en effet, le Verbe du Père a assumé l'homme tout entier, corps et âme; en Lui, il a sanctifié toute la Création, y compris la matière, si bien que tout ce qui existe et tout ce qui sort des mains de l'homme, clament vers le Seigneur, en qui tout a été créé.[9] De même, par le Christ, l'histoire des hommes et l'histoire du Salut sont étroitement liées. Sous l'impulsion de l'Esprit Saint, au travail dans le monde, le Christ Seigneur tient sous son emprise glorieuse tout le cours des siècles passés et à venir, en purifiant le cœur des hommes et les conduisant vers lui, dans une libre adhésion de leur part.[10]

---

[6] Cette phrase reprend la substance de *Lumen Gentium* (sur les deux aspects de l'Eglise) et souligne la *continuité ontologique* de l'Eglise et du Christ (cf. théologie paulinienne).

[7] L'Eglise est l'actualisation du mystère du Christ dans le monde. Nous rejoignons ici toute la tradition chrétienne, spécialement patristique. Cette présence n'a pas la même teneur en tous points; la chose sera amplement précisée plus loin. Mais il semble essentiel d'affirmer cette présence au milieu du monde: sel de la terre, levain dans la pâte.

[8] Nous sautons le deuxième paragraphe du n. 49, car il semble avoir été amplement traité dans les chapitres précédents; de plus l'Eglise y est trop présentée comme une réponse aux problèmes de l'homme. Dans le texte proposé, les formules dépassent le plan de la pure vérité. Il semble qu'il soit important d'affirmer ici que la Vérité est *Quelqu'un.*

[9] Nous ajoutons « ce qui sort des mains de l'homme », car le monde est de moins en moins celui d'une Nature vierge, et de plus en plus ce que l'homme en fait. Cette clameur vers le Christ dit assez que cette œuvre humaine connaît aussi ses douleurs et ses impasses.

[10] Nous reprenons ici ce qui est dit passim dans le n. 51, en l'intégrant dans la Seigneurie du Christ. Mais nous évitons d'utiliser la difficile formulation des rapports entre Création et Rédemption.

L'Eglise est donc, dans le monde, le signe efficace de la destinée de l'homme et du monde dans le Christ, jusqu'à ce qu'il revienne.[11]

50. (*La mission de l'Eglise dans le monde*).[12] En disant ce qu'est l'Eglise, nous affirmons du même coup ce qu'est sa mission. A vrai dire, cette mission n'est pas différente de celle du Christ, puisque le Christ l'accomplit par elle. L'ambition de l'Eglise n'est donc pas de s'opposer aux désirs légitimes des hommes, elle n'est pas davantage de construire un autre monde ici-bas qui nous mettrait à l'écart des difficultés et des misères du temps présent; elle est, en réalité, l'accomplissiment progressif et douloureux de la Pâque de l'humanité dans la Pâque du Christ, c'est-à-dire le passage mystérieux de tout ce qui est terrestre dans la gloire de Dieu. En un tel passage, l'Eglise ne prétend pas se substituer à l'homme, responsable des tâches qui relèvent de son intelligence et de ses projets, mais, au cœur de toutes ces tâches, elle conduit l'homme vers son Seigneur, qui seul peut le combler. C'est d'ailleurs en livrant à l'homme ce que radicalement l'homme ne peut jamais se donner, à savoir son accomplissement dans le Christ, que l'Eglise garantit l'autonomie et la rectitude de l'œuvre de civilisation et l'empêche de refermer l'homme sur lui-même dans une suffisance mortelle.

Ainsi la mission de l'Eglise, et par là l'œuvre des chrétiens dans le monde, s'étend-elle à l'ensemble des événements et des problèmes qui forment la trame de l'histoire humaine.[13]

51. (olim 52 et 57) (*Les conditions d'exercice de cette mission*). Si telle est la mission intégrale de l'Eglise qui ressaisit toute l'œuvre du monde pour l'ouvrir au don de Dieu qui la dépasse radicalement, alors de la condition essentielle de la réalisation de cette mission se trouve dans les chrétiens eux-mêmes, au coude à coude avec leurs frères les hommes.[14]

---

[11] Cette formule veut résumer de façon concise la signification même de l'Eglise par rapport au monde et à l'humanité; nous y introduisons la note eschatologique pour bien montrer que l'œuvre qui mystérieusement s'accomplit dans le temps doit être consommée dans le retour du Christ.

[12] Il nous a semblé nécessaire de dire plus précisément ce qu'est cette mission de l'Eglise, avant de montrer pourquoi elle est universelle. Le texte du schéma n'aborde pas cette question de fond de façon assez explicite. Nous pensons répondre ici aux critiques qui lui ont été faites.

[13] Ce développement répond aux idées suivantes: *a*) montrer le fondement de la mission proprement religieuse de l'Eglise; *b*) dire pourquoi une telle mission laisse intacte ou plutôt donne son fondement à la responsabilité des hommes. Ainsi les développements ultérieurs du schéma seront mieux préparés.

[14] Nous avons reporté plus loin le contenu du n. 51: en effet, ce numéro si on le lit attentivement ne parle plus du Peuple de Dieu, mais pratiquement du Magistère (cf. les expressions: « juge », « traite », « déclare » avec souvent le Concile comme sujet).

Nous rappelons — dans la suite logique du texte — que la présence de l'Eglise au monde est donc la présence des chrétiens eux-mêmes.

S'il est vrai, en effet, que c'est dans les chrétiens que se réalise le signe visible du Christ Sauveur du monde, il importe au plus haut point que les chrétiens soient unifiés au plus profond d'eux-mêmes, par le Christ Jésus, dans tout ce qu'ils font. A cette condition essentielle, l'Eglise sera présente aux hommes.[15] Mais c'est là une grave exigence.

Ils se tromperaient, en effet, gravement ceux qui, sachant que nous n'avons pas ici-bas de cité permanente, mais que nous marchons vers la cité future, croiraient pouvoir pour cela négliger leurs tâches humaines, sans s'apercevoir que leur foi, compte tenu de la vocation d'un chacun, leur en fait un devoir plus pressant. Mais ils ne se tromperaient pas moins ceux qui, à l'inverse, croiraient pouvoir se livrer entièrement à des activités terrestres en agissant comme si elles étaient étrangères à leur vie religieuse — celle-ci se limitant alors pour eux à l'exercice du culte et à quelques obligations morales déterminées. Le divorce que l'on constate trop souvent entre la foi et le comportement quotidien de beaucoup est une des plus graves erreurs de notre temps. Il constitue un scandale qu'il faut dénoncer.

Bien plus, les chrétiens doivent sans cesse se rappeler que c'est au nom même de Dieu que les prophètes ont publiquement dénoncé les injustices et pris la défense des opprimés. Ils l'ont fait en termes souvent véhéments, parce qu'ils voyaient dans l'injustice non seulement un désordre social et une offense aux pauvres, mais une violation de la loi divine et une insulte à la sainteté de Dieu: « Qui outrage le pauvre outrage Celui qui l'a fait » (*Pr.* 17, 5). Parole du Seigneur: « Le jeûne qui me plaît n'est-ce pas celui-ci: détache les chaînes injustes, délie les liens de l'oppression, renvoie libres les affligés, brise toute espèce de joug? Partage ton pain avec celui qui a faim, héberge les pauvres et les sans-abri; revêts celui que tu vois nu et ne te dérobe pas devant celui qui est ta propre chair » (*Is.* 58, 6-7).

Cette doctrine, Notre Seigneur ne l'a pas affaible, mais il en a fait sa vie, puisque c'est se donnant pour les hommes, qu'il se donne à son Père et nous donne à Lui. A notre tour, nous devons donner notre vie pour nos frères, pour que s'accomplisse en nous le mystère du Christ.[16] Dès lors, en manquant à ses obligations humaines et quotidiennes, le chrétien manquerait à ses obligations envers Dieu et il mettrait en danger son salut éternel (cf. *Mt.* 25, 31-46).

---

[15] Ici, nous introduisons tout le développement du n. 52. Nous pensons fonder l'unité de la vie chrétienne non pas sur une « synthèse » entre deux « ordres » primitivement séparés, mais dans l'unité d'une seule vie, *unité dont le Christ est l'auteur au cœur du Chrétien.* Alors le n. 52 s'enchaîne normalement.

[16] Le texte de remplacement vise à remédier à l'aspect trop « exemplariste » de la phrase du schéma. Le Christ n'a pas seulement réalisé au maximum la parole du prophète; il « noue » en un seul commandement l'amour de Dieu et du prochain, parce qu'il est l'Homme-Dieu. Il fallait montrer ici aussi que la vie chrétienne est l'exercice du mystère pascal, afin d'éviter tout moralisme.

Ainsi se réalise l'unité de la vie chrétienne. Si cette unité requiert un engagement réel dans la construction du monde avec les autres hommes, elle dépasse et accomplit du même coup cet engagement. En mourant à lui-même pour le service de ses frères, le chrétien ne cesse de recevoir et de vivre la grâce du mystère pascal. C'est pourquoi la vie chrétienne la plus engagée au cœur de la cité terrestre n'est en définitive que la mise en œuvre du mystère eucharistique.[17]

Il en est de même du devoir des chrétiens vis-à-vis des pauvres. Ceux-ci ne doivent pas être pour lui une occasion de mérites ou pour l'Eglise un groupe d'hommes plus faciles à secourir que les riches, mais ils sont, pour le chrétien qui les rencontre, un appel privilégié à cette mort à soi-même pour et par l'amour du Christ.[18]

Que les chrétiens se souviennent donc ( ) [19] d'avoir dans leur cœur les sentiments mêmes de Celui, alors qu'il était riche s'est fait pauvre à cause de nous, pour que nous devenions riches de son dénuement. Cet esprit d'amour et de pauvreté, qui doit inspirer toutes les structures de l'Eglise, indique à tous les chrétiens la voie royale: ils sauront souffrir avec ceux qui souffrent, pleurer avec ceux qui pleurent, se réjouir avec ceux qui sont dans la joie: en un mot, se faire tout à tous. Les chrétiens qui reconnaissent le Christ dans leurs frères ne peuvent se reposer dans la richesse et l'opulence aussi longtemps que tant d'hommes souffrent de la misère et de la faim.

52. (olim 53) (*Le rôle des laïcs*). Quand on envisage ainsi la mission de l'Eglise, on ne doit pas perdre de vue ( ) que, dans le Corps du Christ, qui est l'Eglise, tous n'occupent pas la même place et tous n'exercent pas les mêmes fonctions. Le Peuple de Dieu tout entier, qui est messianique, doit témoigner du mystère de la mort et de la résurrection du Seigneur à la face du monde, mais de très diverses façons.

Les professions et les activités séculières reviennent en propre, quoique non exclusivement, aux laïcs. Ils sont par là, d'une certaine manière [20] aux premières lignes de la vie de l'Eglise dans le monde, qu'ils doivent souvent contester, toujours vivifier et sanctifier. Lorsqu'ils agissent, soit individuellement, soit collectivement, comme citoyens du monde, les fidèles, et notamment les laïcs, auront à cœur, non seulement de respecter les lois propres

---

[17] L'engagement réclamé par le schéma n'est pas contredit, mais il fallait ajouter l'originalité propre de l'engagement du chrétien. La vie du chrétien dans le monde n'est pas étrangère à l'éucharistie.

[18] Même chose, nous essayons de donner le fondement proprement religieux et mystique de l'amour des pauvres.

[19] Nous supprimons ce qui serait trop de l'ordre de l'exemplarisme.

[20] Un « quodammodo » semble bien nécessaire; il paraîtrait en effet bien imprudent d'affirmer que tant de martyrs (parmi lesquels tant de prêtres et d'évêques) n'étaient pas « aux premières lignes » de la vie de l'Eglise dans le monde. Les « premières lignes », ce sont les *saints* (fidèles ou prêtres).

à chaque discipline, mais d'acquérir une véritable compétence professionnelle. Ils aimeront collaborer avec ceux qui poursuivent les mêmes objectifs qu'eux. Conscients du dynamisme et des exigences de leur foi, d'une part, des moyens techniques dont ils disposent, d'autre part, ils n'hésiteront pas à faire preuve ( )[21] d'imagination et à prendre les initiatives opportunes.

On se rappellera qu'une telle tâche ne doit jamais entraîner une démission de la conscience.[22] S'il est indispensable au laïc de soutenir sa vie chrétienne par le ministère du prêtre, signe privilégié du Christ et de ses dons,[23] il se souviendra que le prêtre n'a pas, dans le domaine de la cité terrestre, à diriger et régenter, mais à éclairer et animer. Que les laïcs ne pensent pas que leurs pasteurs soient toujours parfaitement compétents pour répondre à toutes les questions, même graves, qui se posent à eux, ou qu'ils soient habilités à le faire; mais que, conduits par la sagesse chrétienne et attentifs à l'enseignement du Magistère, ils prennent eux-mêmes leurs responsabilités.

Souvent, c'est leur vision chrétienne des choses elle-même qui les inclinera à telle ou telle solution, selon les circonstances. Mais d'autres fidèles, avec la même sincérité de foi,[24] pourront en juger autrement. Qu'ils cherchent alors à s'éclairer mutuellement et qu'ils gardent toujours entre eux la charité. Cette charité ne doit pas les conduire à un quelconque compromis, mais être le signe et la preuve que c'est bien le Christ qu'ils cherchent et dont ils vivent, au cœur de leurs options différentes.[25]

Ce rôle des laïcs, au cœur du monde, ne signifie pas que ceux-ci ont à construire une cité temporelle qui serait confondue avec la cité chrétienne. S'ils vivent du Christ en vérité, ils apprendront à livrer leur propre vie dans cette construction terrestre et par là même deviendront les signes vivants

---

[21] La formule « le cas échéant » semble vraiment malheureuse. On croirait que l'imagination dans l'action est quelque chose d'exceptionnel pour un chrétien.

[22] Deux remarques à ce sujet: *a*) le texte du schéma peut être contester (subjectivisme?) parce que la conscience paraît trop comme un « intermédiaire » entre le spirituel et le temporel; *b*) la formule que nous proposons conserve cependant la pointe du texte, car, en toute hypothèse, le chrétien qui agit ne peut le faire en dehors de sa responsabilité.

[23] Il est très bon d'insister sur la responsabilité du laïc. Mais il nous a semblé qu'il ne fallait pas parler — même ici — de la relation au prêtre d'une façon uniquement restrictive.

[24] Pour éviter le piège de l'indifférentisme, nous ajoutons sincérité « *de foi* », car il s'agit bien de la conscience sincère du *croyant,* qui s'engage comme tel; et non pas d'une sincérité humaine qui pourrait voiler l'absolu de la Vérité que l'on sert.

[25] Le texte du schéma nous a fait difficultés. En effet, s'il est vrai que des laïcs ne doivent pas engager l'Eglise dans options divergentes, est-il vrai pour autant qu'ils l'*engagent lorsqu'ils sont d'accord?* L'histoire tend à nous rendre prudents sur ce point. Nous préférons dire en quoi cette charité puise à une source plus profonde et plus exigente.

du royaume à venir; « conversatio nostra est in caelis ».[26] Ainsi agiront-ils en tout comme les témoins du Christ. Conduits par l'Esprit Saint, ils entendront ses appels, qui se manifestent dans la vie la plus ordinaire, parce qu'ils sauront les discerner.[27] Non seulement, ils voudront y répondre, mais ils chercheront à les faire connaître [28] à leurs compagnons de chemin et à associer ceux-ci à leur action. En tissant des liens entre les hommes, en partageant avec eux le même pain, en les respectant, ils leur communiqueront l'amitié de Celui auquel ils se sont livrés et ils leur manifesteront par leurs actes et par leurs paroles l'amour infini du Père.

Qui pourra jamais mesurer la portée d'un tel témoignage, véçu au milieu des préoccupations les plus humbles et les plus quotidiennes?

53. (olim 51 et 54) (*Le rôle des pasteurs, évêques et prêtres*).[29] Quant aux pasteurs, ils ont reçu la charge, confiée à Pierre et aux autres apôtres, de diriger l'Eglise de Dieu. Leur fonction, qu'ils exercent en coopération avec les prêtres,[30] ne consiste pas seulement à annoncer avec autorité le message du Christ, mais à le faire de telle façon que la vie concrète des fidèles puisse en être vivifiée, en tenant compte de leurs situations particulières, de leur milieu de vie, de leur culture. Ce qui suppose un dialogue constant et confiant.

Témoignant du message qu'ils proclament, par leur présence au milieu des hommes,[31] par la simplicité de leur vie et la qualité de leur accueil, ils ont surtout à initier au mystère du Christ et à livrer son corps dans le mystère de l'Eucharistie, pour que s'édifie l'Eglise. Non seulement, par un tel ministère, ils signifient le terme de la vie quotidienne, mais ils en livrent la source permanente. Pour l'unité de la vie du prêtre, comme pour celle des fidèles, il importe au plus haut point de considérer la totalité de l'existence humaine comme la préparation et le fruit du sacrifice eucharistique. Par la grâce du Seigneur, l'œuvre du monde encore emplie de ténèbres et l'histoire des hom-

---

[26] Pour éviter ici aussi une question disputée sur les rapports entre l'animation et l'évangélisation, nous proposons un texte qui dit la même chose en substance (en évitant tout dualisme). D'autre part, nous retrouvons les principes énoncés plus haut sur la *vie pascale* du chrétien.

[27] Cette incise est ajoutée pour prévenir tout « illuminisme » dans la « lecture » des appels de l'Esprit. La formule « conduits par l'Esprit » est celle de saint Paul (*Rom.* 8, 14).

[28] Le mot « révéler » a un sens technique réservé à l'Ecriture et à la fonction apostolique. Le texte français doit maintenir la distinction entre la lecture des signes des temps actuels et la Révélation qui a été faite une fois pour toutes.

[29] Le titre de ce numéro est ambigu. Il serait regrettable que *les prêtres* ne soient pas compris dans ce paragraphe.

[30] Cf. remarque précédente. Formule du Pontifical.

[31] Il ne suffit pas de dire que le prêtre doit parler comme de l'extérieur de toutes les choses qui constituent la vie des fidèles, il faut qu'il y ait un certain partage (avec les ruptures nécessaires); ce partage a déjà un sens apostolique. Cf. schéma sur les prêtres.

mes marquée par le pêché sont néanmoins destinées à la gloire, dans laquelle la création s'accomplira, en passant par le jugement de Dieu. Grâce à la victoire du Christ sur le péché et sur la mort nous possédons déjà le gage de cette gloire et nous sommes transformés, par l'Esprit, en celui que nous recevons.[32]

Ainsi l'apostolat du prêtre n'est-il pas étranger à l'œuvre de la construction du monde, puisque tout homme est appelé à devenir une « hostie » agréable au Père et toute l'humanité un seul corps jusqu'à ce que le Christ total ait atteint sa taille d'adulte.[33]

C'est pour les mêmes raisons que le magistère de l'Eglise, lorsqu'il se prononce, concerne toute la vie du monde et s'étend ainsi nécessairement, sous son angle spécifique, à l'ensemble des réalités et des problèmes humains (cf. n. 51).[34] Ce qui doit être bien compris.

( ) [35] La mission de l'Eglise, en effet, est religieuse. Il s'ensuit que l'aspect sous lequel l'Eglise juge des choses humaines est uniquement celui sous lequel elles sont en rapport d'une façon ou d'une autre avec le Royaume de Dieu — ce Royaume qui est à venir, mais qui est déjà présent sur cette terre, et qui, par sa propre puissance, grandit ici-bas. Lorsque l'Eglise traîte donc de ces matières, elle ne se substitue pas [36] aux techniques sociales ou aux systèmes particuliers, qui sont du ressort des pouvoirs humains. C'est pourquoi, tout en comportant des orientations précises, d'une importance décisive pour l'homme et la société, son enseignement s'accomode de formes institutionnelles et historiques très diverses. D'autre part, il respecte pleinement la

---

[32] La critique principale par rapport au texte du schéma est la suivante: l'action du prêtre (et des sacrements) apparaît trop comme une « force » de surcroît ajoutée par la grâce à l'œuvre humaine. Nous avons voulu montrer comment le ministère du prêtre signifie *l'action du Christ* qui *transcende* toute l'œuvre temporelle, sans cesser d'agir en son sein. Continuité de la vie temporelle et de la vie eucharistique.

[33] Cette phrase rejoint la définition du sacerdoce du Nouveau Testament: le sacerdoce de l'Evangile destiné à faire de tout homme un hostie agréable au Père. A nouveau le lien entre l'apostolat et l'eucharistie est souligné.

[34] Ces trois nouveaux paragraphes reprennent le n. 51. En effet, en le lisant de près, on s'aperçoit qu'il s'agit de *la fonction magistérielle* par rapport au monde. Cela s'intègre donc bien dans le numéro concernant le rôle des pasteurs. On pourrait d'ailleurs en faire un n. 54 intitulé: « La fonction magistérielle de l'Eglise par rapport au monde ».

[35] Nous sautons le début du deuxième paragraphe du n. 51. Car l'idée a été formulée plus haut à propos de la mission de l'Eglise.

[36] Le texte du schéma porte: « elle ne se situe pas ». On donne l'impression que ce qui est proprement technique n'intéresse pas l'Eglise; ce qui serait de l'ordre de la mission de l'Eglise se situerait alors dans les principes généraux. En fait, *tout* le temporel relève du spirituel selon sa spécificité propre. D'où la formule proposée: « elle ne se substitue pas ».

juste autonomie des choses, des personnes et des sociétés, puisque cette autonomie, comprise à l'intérieur du dessein de salut, correspond à la volonté même de Dieu.[37]

Le Concile considère avec grand respect tout ce qu'il y a de bon, de vrai, de juste, dans les institutions très variées que s'est donné et que continue à se donner le genre humain. Il déclare aussi que l'Eglise ( ) [38] ne recherche aucune sorte de royauté terrestre; qu'elle n'est liée, par nature à aucune culture particulière, à aucun système politique, économique et social déterminé; et qu'elle souhaite vivement pouvoir se développer, à l'avantage de tous, sous tout régime qui respecte les droits fondamentaux de la personne, et de la famille, les impératifs du bien commun et la liberté de sa mission ( ).[39]

54. (olim 55) (*L'Eglise conviée au dialogue avec le monde. Comment l'Eglise est aidée par le monde et réciproquement*).[40] Dans l'accomplissement d'une telle mission, il serait faux de concevoir l'Eglise comme un monde à part qui aurait à dialoguer avec un autre monde. Nous l'avons déjà montré, l'Eglise se construit à partir du monde, sous la puissance de l'Esprit. Autrement dit, les civilisations, les cultures, les découvertes des hommes sont comme la matrice nécessaire et ephémère où doit germer la transcendance de la vie du Seigneur. Quand l'Eglise prend figure en ce monde, c'est pour manifester le Christ, serviteur et seigneur, mais c'est aussi en empruntant les traits de son visage au monde lui-même, pour les remodeler et les transfigurer.[41]

Cependant, cette seigneurie du Christ ne doit pas faire méconnaître la valeur des connaissances et des pouvoirs purement humains. On ne deduit pas de l'Evangile le fonctionnement des causes secondes et l'apport des sciences

---

[37] Une saine théologie de *la Création* ne doit pas en évacuer la *dimension religieuse*; c'est pourquoi *l'autonomie* de l'homme n'exprime pas toute la théologie de la Création. Cette autonomie est toujours à situer à l'intérieur d'une relation de dépendance dans l'amour, la vocation et la communion. D'où l'incise proposée: « comprise à l'intérieur du dessein de Salut ».

[38] « A l'exemple du Christ » est sauté, pour éviter de traîter de la question du « dominium » du Christ sur tout le créé. C'est pourquoi plus loin, nous avons mis « royauté » plutôt que « domination », de façon à éviter toute contestation.

[39] Le dernier paragraphe du n. 51 a été omis, car il reprend des principes généraux exposés plus haut.

[40] Il y aurait danger à présenter l'Eglise comme un monde déjà *tout fait,* qui se retournerait ensuite vers « le monde » pour dialoguer. A certains égards, le monde est toujours et déjà intérieur à l'Eglise elle-même.

[41] Le schéma insiste trop *unilatéralement* sur l'aide que le monde apporte à l'Eglise. Le ton et le style peuvent être accusés de « captatio benevolentiae ». Nous ajoutons le texte proposé pour affirmer non seulement que l'Eglise donne au monde ce que le monde ne peut lui donner, mais encore qu'*elle peut fonder dans sa propre doctrine* cet apport spécifique du monde, sans préjudice pour elle. La consistance de l'homme et de la nature résulte du don de Dieu.

humaines. C'est si vrai que de nos jours, l'importance de cette autonomie légitimé risque même de voiler la présence du Créateur et Sauveur. Cependant, on peut affirmer que cette progresive découverte du savoir humain et des projets indéfinis des civilisations doit au contraire purifier notre foi et approfondir notre sens de Dieu.[42]

C'est pourquoi l'Eglise reconnaît tout ce qu'elle doit à l'histoire du genre humain. L'expérience des siècles passés, le progrès des sciences, les richesses cachées dans les diverses cultures, permettent de mieux connaître l'homme lui-même et ouvrent de nouvelles voies à la connaissance de la Vérité.[43] De ce fait, aujourd'hui surtout où les changements sont très rapides et les modes de pensée multiples, l'Eglise, pour remplir sa mission, a particulièrement besoin de l'apport de ceux qui vivent dans le monde, en connaissent les diverses institutions et les différentes disciplines et en épousent les formes mentales, hormis le pêché,[44] tant de la part des croyants que des incroyants. Il appartient à tout le Peuple de Dieu, notamment aux théologiens, avec l'aide de l'Esprit Saint, d'écouter, de reconnaître, d'interpréter les divers langages de notre temps, de les apprécier à la lumière de la Parole divine, afin que la Vérité révélée, c'est-à-dire, le Christ lui-même, puisse être mieux connue, mieux présentée, mieux prêchée[45]: les hommes de toutes les cultures et de toutes les nations pourront ainsi avoir accès aux insondables richesses du Christ.[46]

On notera, à ce propos, que nos contemporains sont beaucoup plus conscients que leurs prédécesseurs de l'autonomie et de la valeur propre des sciences humaines et de l'homme lui-même; cet état de fait ne doit pas être interprété trop vite comme un rejet de Dieu. Mais la mission de l'Eglise doit en sortir plus pure: ce que les incroyants attendent d'elle, ce n'est pas la manifestation de vérités qui sont du ressort de cette autonomie humaine, mais la présentation du mystère de l'homme tel qu'il transparaît dans la Révélation du Christ.[47] D'autre part, c'est un fait qu'ils donnent difficilement

---

[42] Avant de prendre le texte du schéma, nous montrons comment l'apport du monde et de l'histoire est requis par une purification de la foi et une sauvegarde de la transcendance de l'Eglise.

[43] On pourrait reprocher au texte de faire croire que le « monde » nous apporte des vérités nouvelles sur la Révélation. Il est légitime au contraire de dire qu'il nous aide à en prendre une meilleure *connaissance*.

[44] La loi du christianisme comme du Verbe est l'*assomption* de tout l'humain, sauf le péché. Si les « formes mentales » sont peccamineuses, il est bon de dire qu'il faut les purifier.

[45] A vrai dire, on « n'adapte » pas la vérité chrétienne, mais on l'exprime mieux, ou plutôt c'est cette vérité même qui, sous sa poussée propre, fait trouver une expression plus appropriée.

[46] Il y aurait danger d'« annexion » du profane en disant que les cultures et les nations ont accès au Christ. Il est plus prudent de dire cela des *personnes*.

[47] Nous avons explicité ce qui est dit des « valeurs d'autonomie » et qui pou-

leur adhésion à des doctrines qui resteraient abstraites,[48] alors qu'ils sont sensibles à un témoignage fraternel, vécu au milieu d'eux, et pleinement respectueux de leur liberté; ce qui, pour les chrétiens est beaucoup plus exigeant. En cela aussi, l'Eglise est aidée par le monde de ce temps.

55. (olim 56) (*Les vicissitudes de l'histoire*). (Nous ne reproduisons pas ce chapitre, que l'on peut reprendre *entièrement*).

Une seule remarque: la formule « Ce qui juge l'Eglise c'est l'Evangile » peut être un peu outrancière ou mal interprétée, en raison du fait de *la présence du Christ à son Eglise*; autrement dit, seul l'Eglise est juge de l'interprétation de l'Evangile qu'elle porte en elle; et en ce sens, elle accepte d'être réformée par son Evangile.

La formule pourrait être ôtée, ou remplacée par: « L'Eglise porte toujours en elle le principe de son renouvellement par l'Evangile et par là elle accepte d'être purifiée sans cesse ».

57. (olim 58) (*Conclusion*). L'Eglise n'a qu'un seul désir, être au cœur du monde le témoin de l'amour de Dieu pour tous les hommes,[49] notamment les petits et les pauvres, et ceux-là même qui la persécutent. Elle se réjouit de voir le ferment évangélique sans cesse vivifié par l'Esprit au travail dans tout le genre humain. Sa tâche est alors d'annoncer de toutes les manières et de livrer la source mystérieuse de ce ferment qui agit comme un douloureux enfantement (*Rom.* 8), à savoir le Seigneur mort et ressuscité. [50] L'Eglise sait en vérité qu'elle est le Temple de l'Esprit, l'Epouse du Christ, la Mère des Croyants qui, malgré ses faiblesses, et à cause de l'amour miséricordieux de son Seigneur, est demeurée, demeure et demeurera fidèle à son Epoux. Elle sait aussi que, dans la mesure où elle sera totalement fidèle à sa mission, et qu'elle prêchera à temps et à contre-temps la totalité du message évangélique, elle souffrira persécution: « Le disciple n'est pas au-dessus du Maître. Comme ils m'ont persécuté, ils vous persécuteront vous aussi » (*Jn* 15, 20).

---

vait être mal compris. Car il y a une autonomie qui est proprement le refus de Dieu.

[48] Les doctrines sont toujours abstraites. Le *marxisme,* par exemple, est une lecture abstraite, mais elle « passe » dans la vie des hommes, car elle trouve spontanément les moyens de se faire reconnaître au niveau de la vie des hommes. Le christianisme (qui n'est pas qu'une doctrine) court le danger de *rester* abstrait, c'est-à-dire de ne pas apparaître en fait réalisé dans la vie des chrétiens.

[49] Ce texte s'enchaîne tout à fait bien avec la fin du paragraphe précédent (soit la fin de l'ancien n. 56). C'est sa catholicité qui est évoquée ici: aspect central de son mystère.

[50] Il ne suffit pas de considérer le ferment évangélique *dans le monde* (ce qui est exact); il faut encore dire comment l'action de ce ferment se rapporte à la source *explicite* du Salut qui est l'Eglise. Le texte du schéma en resterait trop ici à un christianisme implicite.

Solidaire d'un monde qui parfois veut l'ignorer, et qui souvent [51] la regarde et l'interpelle, l'Eglise s'efforce de discerner les appels de l'Esprit dans ces interrogations multiples et d'y répondre généreusement. Elle sait aussi qu'il est de son devoir et de sa mission de faire entendre « clare et aperte » ces mêmes appels au Nom du Christ, là où le monde les étouffe ou les méprise.[52] Elle demande avec instance à son Bien Aimé Seigneur et Maître de maintenir et d'augmenter en elle force et courage, afin qu'elle soit reconnue, dans le monde d'aujourd'hui, comme celle qui est fidèle à l'homme parce qu'elle implore sans cesse la grâce d'être fidèle au Christ.[53]

C'est pour mieux vivre cette fidélité que le Concile examine maintenant quelques-uns des problèmes fondamentaux de l'humanité contemporaine.[54]

[*Subscripserunt*] A. Barthe, ep. Fréjus-Toulon; G. Béjot, aux. Reims; G. Bannwart, ep. Soissons; J. Brunon, aux. Toulouse; J. Vilnet, ep. S. Dié; H. Gufflet, ep. Limoges; G. Matagrin, aux. Lyon; R. Bézac, ep. Aire et Dax; M. Vial, ep. Nevers; M. Maziers, aux. Lyon; P. Rougé, ep. Nîmes; R. Boudon, ep. Mende; P. Vignancour, ep. Valence; H. Donze, ep. Tulle; A. Pioger, ep. Sees; C. Tourel, ep. Montpellier; R. Johan, ep. Agen; E. Polge, aux. Avignon; C. Dupuy, arch. Albi; J. Hermil, aux. Autun; S. Desmazières, ep. Beauvais; P. Puech, ep. Carcassonne; A. Boussard, ep. Vannes.

---

[51] Le monde d'aujourd'hui n'est pas *dans son entier* en attente de quelque chose de la part de l'Eglise. La formule ajoutée tempère cette attente.

[52] Même problème qu'à la note n. 50. Les « appels » du Christ et de l'Esprit se font entendre certainement à partir du monde. Mais ils restent implicites et donc à interprêter. C'est pourquoi, il semble nécessaire de dire qu'elle est la source (normative) de cette interprétation: l'Eglise et l'Evangile.

[53] Il n'y a qu'une fidélité depuis qu'il y a Jésus-Christ. La formule proposée tient compte cependant du fait que l'Eglise n'est pas toujours concrètement et historiquement « adéquate » à cette fidélité du Christ; mais elle a les promesses de sa grâce.

[54] Il semble bon que la dernière phrase de la première partie enchaîne sur la seconde partie. A propos des divers problèmes, ce sont les mêmes principes fondamentaux qui seront à l'œuvre.

105

Exc.mi PP. DD. EPISCOPI ALGERIAE

A. *Observationes generales.* Schema bonum est et dignum, ut videtur, unanimitate suffragiorum Concilii.

Sed meliorari potest et debet:

1. tolli debent quaestiones minoris momenti quae *unitati dynamicae* schematis obstant et vigorem textus enervant. E contra, problemata a quibus pendet aequilibrium et sors totius generis humani cum maiore firmitate tractanda sunt;

2. adhuc manent non pauci modi loquendi qui scholasticam redolent ita ut aliquae partes textus vix intelligibiles sint maiori numero hominum nostri temporis;

3. non deberent assumi opiniones theologicae quae, etsi optimae sunt, tamen non fruuntur unanimitate theologorum hodierni temporis;

4. schema omnes homines alloquitur (n. 2). Non obstante hac declaratione, saepe saepius in textu christiani distinguuntur a ceteris hominibus, cum eorum officia exponuntur. Sic non satis consulitur reverentiae quae omnibus hominibus debetur; ceterum haec officia sunt officia omnium hominum et in his exsequendis christiani et non christiani debent fraterne cooperari. Proponitur ut specialis mentio christianorum fiat quando necessitas vel utilitas hanc exigunt.

B. *Observationes particulares. Prooemium.* N. 1, lin. 5, deleantur verba « seu Populus Dei ».

Nam indebite in hoc schemate (cf. passim) unica imago Populi Dei ad designandam Ecclesiam retinetur. Quod non est conforme constitutioni *Lumen gentium.*

N. 2, lin. 26, « sub signo Maligni positus »: haec locutio non est intelligibilis pro plerisque hominibus.

Expositio introductiva. N. 4, linn. 23-25, deleantur verba: « Idonei ... delineant ». *Ratio*: exspectatur a genere humano doctrina ipsius Concilii.

N. 5, lin. 43, pag. 7, et 1-4, pag. 8, deleantur verba « Plurima ... erunt ». *Ratio*: haec verba sunt inutilia et progressum textus enervant.

Pars I. Cap. I. N. 12, lin. 34, pag. 13, « Utpote a Deo creatum » male vertitur in linguam gallicam « Comme créature de Dieu ». Dici deberet « Créé aussi par Dieu ».

N. 12, lin. 8, pag. 14, loco « fides » dicatur « Scriptura ».

N. 13, lin. 25, pag. 14, locutio « supplemento animae » est vulgaris (banale), infirma, falsa. Posset dici « spiritu vitae » vel aliquid simile.

N. 14, linn. 2 ss., pag. 15, non contradistinguantur christiani a ceteris hominibus.

N. 15, linn. 26 ss., pag. 15, melius diceretur: « Vita christiana similiter, a baptismo usque ad definitivam resurrectionem in Christo, est indesinens e servitute peccati liberatio cum ascensione ad Deum ... » etc. *Ratio*: textus schematis est nimis exclusivus. Liberatio a peccati servitute est unus ex diversis aspectibus vitae christianae.

Vel deleantur verba « E contra ... invitat » (linn. 24-29) quia non sunt ad rem.

N. 16, lin. 9, pag. 16, loco « pro mundo in dies magis unificato », dicatur « pro mundo in dies magis quaerens unitatem ».

N. 17, lin. 11, pag. 16, post verbum « quando », addatur « respuens tum philosophiam desperationis tum terrestrem messianismum ». Lin. 25, loco « plene », dicatur « recte ». Lin. 27, locutio « amoris ratio » male ver-

titur in linguam gallicam « relation d'amour ». Loco « Haec amoris ... facit », dicatur « Hac amoris ratione dirigitur ». Nam agit hic de ordine moralitatis, non de ordine ontologico.

N. 19, linn. 15-17, pag. 17, loco « Comperimus ... numerandum est », dicatur « Comperimus tamen, cum, ex una parte, multi homines ita se gerunt ac si Deus non existeret, negationem systhematicam Dei, ex parte altera, aliquando vi imponi populis sub influxu falsis ideologiis ».

N. 19, linn. 39 ss., pag. 17, redigatur cum minore solemnitate et deleantur verba « communitatem praesertim christianorum in Ecclesia congregatorum ». *Ratio*: hic tonus solemnis hodie non placet. Nulla ratio est cur specialiter mentio fiat de christianis.

Cap. II. N. 21, lin. 4, pag. 21, deleatur verbum « Sancta » (et ita in aliis locis).

N. 22, linn. 16-17, pag. 21, dicatur « natura sua ad vitam socialem vocatur sine qua ... ». Lin. 27, loco « Iamvero ... », dicatur « Iamvero homo ex sequelis peccati ad malum proclivis, nova ... ».

N. 25, pag. 23, deleantur linn. 6 et 7, quia non sunt ad rem.

N. 26, linn. 8-11, pag. 23, deleantur verba « Nunquam ... unde », quia praebent ansam multis controversiis.

N. 27, pag. 23, deleantur linn. 25-26. Lin. 39, loco « euthanasia », dicatur « diversa homicidia ».

Pag. 24, lin. 1, post verbum « coercendi », addatur « qui ita rectum usum libertatis impediunt, moralem conscientiam depravant ut possint conducere usque ad " desintegrationem " personalitatis ».

Ultima paragraphus, linn. 9 ss., aliter redigatur. Sic v. g.: « Veritas non per vim imponitur, sed propter seipsam libere amatur. Ideoque sapientissime Ecclesia decernit ut " ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur ". Laude dignae sunt nationes quae ius ad libertatem religiosam, tam personarum quam coetuum, ut quoddam elementum constitutivum boni communis considerant ».

N. 30, pag. 25, deleantur linn. 5 et 6. Secunda paragraphus (linn. 7-11). Condemnatio racismi fit verbis lenioribus! Lin. 22, dicatur firmius et simplicius: « Christus pauperes peculiari modo dilexit ».

N. 31, pag. 26, prima paragraphus, linn. 1-5, Textus confusus et parum intelligibilis pro lectoribus non-ecclesiasticis.

N. 32, lin. 33, pag. 26, dicatur: « e fraterna coniunctione ad verum bonum commune inter omnes homines pendere ». *Ratio*: non omnis coniunctio hominum bona est.

N. 35, lin. 9, pag. 28, post verbum « vocantur », dicatur « iam nunc ad vitam divinam invitati et a Deo vires ad communem salutem accipientes ». *Ratio*: qui in peccato mortali sunt non sunt actu « participantes vitam SS. Trinitatis ».

N. 36, lin. 22, pag. 28, post verbum « manducavit », addatur « in propria patria vixit, eius legibus subditus, ea quae sunt Caesari reddens ».

N. 40, linn. 23 ss., pag. 32. Non placent istae auto-accusationes, eo vel magis quod explicationes historicae quae dantur in textu valde superficiales sunt. Melius videtur silentium de hac re historica facere.

N. 41, pag. 33, duae ultimae alineae deleantur, quia inutiles sunt.

N. 42, duae ultimae alineae claritate carent.

N. 43, lin. 40, pag. 33, loco « non sine connexione », dicatur positive v. g. « ad Regnum futurum ordinantur ». Linn. 2 et 3, pag. 34: deleantur, quia inutiles et incomprehensibiles sunt pro non-christianis.

N. 45, lin. 11, pag. 35. Haec verba « Deus qui homo factus est ut homo fieret Deus » supponunt, ut intelligantur, culturam theologicam evolutam. Pro non-christianis inintelligibilia sunt et forte scandalosa.

[*Adhaeserunt*] episcopi Oran, Constantine, Laghouat, aux. Algeri.

106

PLURES PP. DD. EPISCOPI BRASILIENSES

1. *Observationes generales super totam I Partem.* Ut textus, qui nobis in genere summopere placet, melius adhuc perficiatur, praesertim in introductione nec non et in prima parte, quae nostro examini nunc subjiciuntur, nostras volumus facere observationes illas, a pluribus Patribus hac in aula iam notatas, scil.: notiones illae fundamentales totius schematis, « Populus Dei » nempe et « Mundus », accuratiori praecisioni subiiciantur, ut sat multae confusiones evitentur. Praeterea desiderandum quoque erit mentionem aliquam magis explicitam problematibus iuventutis et opificum nec non et eorum omnium qui vivunt in regionibus illis, quae « Tertius Mundus » vocari solent.

Ne schema nostrum pluribus etiam ingenuo quodam optimismo videatur laborare optandum esset ut modo magis explicito quam ille quem nunc affert textus, sermo diceretur *de mysterio peccati* tum originalis tum actualis eiusque funestis sequelis pro tota historia humanitatis. Quodque si fieret, clariori etiam poneretur in luce ambiguitas illa totius progressus humani, quam oblivisci omnino nefas est.

Haec omnia, ut recto quidem ordine componantur, exigunt ut in toto schemate explicando prae oculis semper habeatur Mysterium Crucis nec non et Resurrectio gloriosa Domini Nostri Iesu Christi. *Placuit 68 Patribus.*

Pars I: *De Ecclesia et conditione hominis.* Cap. I: De humanae personae vocatione.

2. Ad n. 11, pag. 13, lin. 8: Verba « atque ad Deum ut ad finem suum dirigitur » sic mutentur: « atque consors factus est divinae naturae ». *Ratio*: necesse est, inde ab initio, explicite loqui de elevatione hominis ad ordinem supernaturalem. *Placuit 65 Patribus.*

3. Ad n. 11, pag. 13, lin. 24: Huic numero pericopam addere decet qua homo totus ponatur in visione Dei, aliorum hominum et universi visibilis.

Ratio: ut elucubratio, nn. 12-16 facta, plurium aspectuum humanum ens integrantium, visionem non obumbret universitatis quae fundamentalis est et cui hodierni et quidem recte maxime addicti sunt. *Placuit 66 Patribus.*

4. Ad n. 12, pag. 14, lin. 10: Post verbum « Liturgia » addantur verba: « de electis ». *Ratio*: ultima sententiae pars de electis tantum dici potest. *Placuit 65 Patribus.*

4a. Ad n. 14, pag. 14, lin. 39: Verbum « abyssalem » dematur. *Ratio*: est enim superfluum hoc in casu. *Placuit 55 Patribus.*

5. Ad n. 16: Nonne oporteret hunc numerum ad Cap. II huius I partis transferre? *Ratio*: ibi enim agitur ex professo de natura hominis sociali (cf. n. 22 praesertim linn. 13-19) sicut et de fundamento theologico huius, ut ita dicam, « sociabilitatis ». *Placuit 60 Patribus.*

6. Ad n. 19, pag. 17, linn. 22-38: Quando sermo convertitur ad « unam ex his *ideologiis* », nonne clare dicere deberetur: « Secundum ideologiam marxistam-leninistam »? *Ratio*: patet, in his paragraphis agi de hac ideologia. *Placuit 58 Patribus.*

7. Ad n. 19, pag. 17, lin. 31: Supprimatur verbum: « pseudo ». *Ratio*: nullam vim addit argumento nostro et iniuriam atheis, absque necessitate, inferre posset. *Placuit 57 Patribus.*

8. Ad n. 19, pag. 17, lin. 41: Post verbum « iure » addatur verbum « quidam » vel aliud simile. *Ratio*: nequam est id quod asseritur, omnibus rectoribus tribuere. *Placuit 64 Patribus.*

Cap. II: De hominum communitate.

9. Ad n. 22, pag. 21, linn. 31-34: Sententia quae incipit a verbis « Quamobrem homo » ... usque ad « fundamentum exstruat » sic mutetur: « Attamen, multoties, permanentia alicuius formae iniustae in societate, magis inconscientiae ipsius iniustitiae debetur quam deliberatae voluntati. Homo, igitur, in omnibus a Deo pendens, propter ipsum peccatum novis indiget remediis et donis, non solum ut gaudia assequatur aeterna, sed etiam ut plene conscius fiat harum exigentiarum et ut civitatem terrenam super solidum iustitiae et caritatis fundamentum exstruat ». *Ratio*: saepe saepius quaedam « structurae » iniustae manent quia deest hominibus huius iniustitiae conscientia. *Placuit 67 Patribus.*

10. Ad n. 27, pag. 24, lin. 5: Nonne hic memorare deberetur illa gravissima conditio in qua mundus hodiernus versatur, scilicet quod tertia pars hominum famem patitur? *Ratio*: Quamvis argumentum hoc evolvatur in cap. 3 partis II, opportunum videretur illud hic indicare cum sermo sit, generatim, de gravioribus problematibus socialibus mundi huius temporis. *Placuit 64 Patribus.*

11. Ad n. 30, pag. 25, lin. 18: Loco « nonne » legatur « num ». *Ratio*: alioquin, textus negaret id quod asserere intenditur. *Placuit 62 Patribus.*

Cap. III: Quid significet humana navitas in universo mundo.

12. Ad n. 40, pag. 32, lin. 12: Addatur verbum « huiusmodi » post verbum « qui ». *Ratio*: melius exprimitur id quod dicendum est. *Placuit 61 Patribus.*

13. Ad n. 40, pag. 33, lin. 2: Verbum « non » immutetur in « nec semper ». *Ratio*: magis consentaneum veritati. *Placuit 64 Patribus.*

14. Ad n. 46, pag. 35, lin. 28: Aliquid introducatur circa valorem ad opus redemptionis perficiendum cuiuscumque angoris in unione cum Christo crucifixo assumpti. *Ratio*: doctrina est fundamentalis, quae hic si inseratur quasi in loco suo erit. *Placuit 67 Patribus.*

Cap. IV: De munere Ecclesiae in mundo huius temporis.

15. Ad n. 53, pag. 42, linn. 8-11: Remittatur in nota ad const. *Lumen gentium,* cap. IV, speciatim ad nn. 33-36. *Ratio*: sic ostenditur coniunctio duorum textuum praesertim quia const. *Lumen gentium* doctrinam explicit quae hic vix asseritur. *Placuit 67 Patribus.*

16. Ad n. 55, pag. 43, lin. 11: Post verba « Spiritu Sancto » addantur verba « in communione cum Magisterio ». *Ratio*: « fideles singuli sicut et singuli theologi ad vivendam et colendam fidem vocantur, ad ipsamque firmandam in semetipsis et eiusdem radia spargenda, semper tamen, in unione vitali cum Magisterio et sub eius ductu. *Placuit 67 Patribus.*

17. Ad n. 56, praesertim in pag. 43, lin. 4; pag. 44, lin. 4: Pluribus insufficiens videtur id quod asseritur. *Ratio*: non agitur tantum de « apparentiis », sed proh dolor, ita fuit non raro tempore praeterito et forsan etiam nostris temporibus. *Placuit 43 Patribus.*

18. Ad n. 57, pag. 44, lin. 14: Post verbum « fieri » addatur illud Pauli: « ut omnes Christo lucrifaciant ». *Ratio*: perficit, verbis ipsius Pauli, rythmum progressionis textus qui sic divitior evadit. *Placuit 63 Patribus.*

19. Ad n. 58, pag. 44, lin. 32: Post verbum « ut » addere liceat: « crescente magis in dies sua erga Ipsum fidelitate ». *Ratio*: alter est aspectus essentialis peregrinantis Populi Dei. *Placuit 63 Patribus.*

[*Adhaeserunt*] Jaime card. Camara, Avelar Brandão Vilela, José Vicente Tavora, Vicente Scherer, José de Medeiros Delgado, Alberto Gaudencio Ramos, Helder Pessoa Camara, Fernando Gomes dos Santos, João José da Mota e Albuquerque, João de Souza Lima, Adelmo Cavalcante Machado, João Rezende Costa, Eugenio Sales, Caetano Antonio Lima dos Santos, Jorge Marcos de Oliveira, Romeu Alberti, Augusto Carvalho, Vicente Zioni, Hamleto de Angelis, Belchior da Silva Neto, José Alberto Lopes Castro Pinto, Acácio Alves, Serafim Fernandes de Araujo, José Pedro Costa, Francisco Austregésilo Atayde, Wilson Laus Schmidt, José Eugenio Correa, Bernardo José Nolker, Carlos Schmidt, Ladislau Paz, José Gonçalves da Costa, Clemente José Carlos Isnard, Quirino A. Schmitz, Jeronimo Mazzarotto, Afonso Maria Ungareli, David Picão, Felipe Tiago Broers, Anselmo Pietrulla, José Thurler, Daniel Baeta Neves, Honorato Piazera, Milton Correa Pereira,

Benedito Zorzi, Geraldo Milleville, José Maria Pires, Augusto Petró, Jaime Luiz Coelho, Tomás Vaquero, Luiz Victor Sartori, Diogo Parodi, Henrique Gelaim, Silvio Maria Davio, José Mauro Ramalho, Tomas G. Murphy, José Costa Campos, Walfrido Teixeira Vieira, Francisco Borja do Amaral, Bernardo José Mieli, José Lamartine Soares, Raimundo Castro e Silva, José Alves Trindade, José Brandão de Castro, Francisco Zayek, Mario Roberto Anglim, Alfonso Niehues, Antonio Barbosa, José Nicomedes Grossi, Walmor Battu Wichrowski.

107

CONFERENTIA EPISCOPORUM ZAMBIAE

I. *In genere*:

1. *Positive*: *a*) Schema ut totum post intensum laborem commissionis competentis multum profecit. Placet imprimis pars introductoria et pars prima, et ex secunda parte cap. V.

Schema ut totum, opus Concilii Vaticani II, in sensu quo incoeptum est, ad bonum finem perducet, idque imprimis in sua indole ut Constitutio Pastoralis. Problemata nostri temporis essentialia bene describuntur et — in quantum fieri potuit — principia solutionis, in quantum Ecclesiam attingunt, evolvuntur.

b) Quamvis schema omnino novum propositum esse videtur, pro discussione in aula instituenda illae partes tantum commendantur, quae vere *novae* sunt.

2. *Negative*: *a*) Lingua latina partis introductoriae et priorum capitum partis primae nova redactione indiget, ut clarior et lucidior evadat.

b) In tota parte prima forsan aspectus christianus et dynamico-historicus (aspectus historiae salutis) non satis apparet.

II. *In specie*:

1. (*Prooemium*). *a*) Proponitur, schematis verba introductoria ad exemplum Constitutionis de Ecclesia *Lumen Gentium* concipere, ita ut finem Constitutionis Pastoralis iam ad modum programmatis exhibeant.

Exemplum hic proponitur: « Signum salutis ex voluntate Dei Patris et Christi Salvatoris in Ecclesia pro universo mundo omnique tempore erectum est. Mandato sui Fundatoris oboediens, Ecclesia sortem mundi participans illam ex vi sibi a Christo indita ad finem divinum perducere nititur. Gaudium... ».

b) Relatio inter terminos « Populus Dei », « Ecclesia », « (omnes) homines », « mundus » in prooemio non plane patet. « Populus Dei » saltem in fieri ex voluntate Dei « omnes homines » comprehendere debet.

2. Conceptus « mundi ». Formula, qua conceptus « mundi » exhibetur,

nondum plane satisfacit. Ex toto tenore textus totius schematis sub hoc conceptu *homines,* vel *familia hominum* maxime intelliguntur.

Sequentia fere elementa in hoc conceptu digesta esse debent. Per « mundum » hic intelligimus *mundum hominum* seu universae familiae humanae cum caelo et terra seu universitate rerum pro illis creatis, theatro *historiae humanae,* quae in gratia Creatoris coepta, sub signo Maligni posita et peccato detorsa, in Christo, Filio Patris, incarnato recapitulata est.

Introducatur ergo in conceptum « mundi » aspectus anthropologicus, et quidem ut primarius, dein cosmologicus et historicus.

Art. 5, pag. 7, lin. 14: loco « cum plena rerum transmutatione » dicatur: « cum *profunda* rerum transmutatione ». *Ratio*: non obstantibus transmutationibus admittendis, tamen pars « constans » negligi non debet.

Art. 6, pag. 8, lin. 11: loco « penitus subvertens » dicatur « profunde commovens ».

Art. 5 usque ad art. 9: In tota descriptione situationis modernae, ceteroquin optima, fere exclusivus influxus tribui videtur revolutioni *industriali* et novo aspectui mundi ex *scientiis* naturalibus et *progressu technico* provenienti. Alii factores evolutionis enumerentur. Profundior consideratio *philosophica* (vel etiam theologica) de parte, quam aetas nostra in historia habet, non datur.

In describenda situatione moderna nimium pondus tribuitur « mutationibus », cum e contra factores « constantiae » silentio praeteriri videntur.

Art. 9: Post longum catalogum singulorum phaenomenorum nostri temporis, series quaestionum, quas mundus hodiernus Ecclesiae ponit, nimis abrupte sequi videtur. Inserenda esset sententia, quae exprimeret, quod omnes mutationes profundae nostri temporis et tota evolutio progressiva non explevit neque explebit expectationem hominum, quam de sua habent *existentia.* Ideo profundae manent istae quaestiones!

Pars I. Art. 10, pag. 12 lin. 14: loco « auxilium decretorium » ponatur terminus magis usitatus vel perspicuus, e. g. « decisivum », vel « peremptorium ».

Pag. 12, lin. 19: quid dicit: « versus solutiones dirigit, quae... in... hominis vocatione, sunt posita »?

Pag. 12, lin. 20: loco « suffundata bona » alius terminus eligatur. Tota sententia prima clarius exprimatur.

Cap. I. Art. 12, pag. 14, lin. 10: loco « et a Liturgia docemur: Et in carne mea... » alius textus eligatur, v. g. *2 Macc.* 7, 9 et 23.

Art. 14, pag. 14, lin. 42: in « imo » conscientiae clarius exprimatur.

Art. 15, pag. 15, linn. 20 s.: Diversus usus conceptus libertatis evitetur.

Art. 16, pag. 15, lin. 32: loco « dotes explicare » forte ponatur: « evolvere », vel simile quid.

Art. 16, pag. 16, lin. 4: deleantur verba « a christiano ».

Art. 17, pag. 16, linn. 14 s.: Sententia: « Sane omnes technicae artis molimina » etc. intelligi vix potest. Tota paragraphus stylo difficili concepta est.

Art. 19, pag. 17, linn. 15 s.: *De Atheismo.* Tota paragraphus acriorem discussionem incitare posse vel debere videtur. Descriptio, lingua difficiliori data, non totum momentum motus atheistici hodierni exhibet. Nimis restringi videtur ad atheismum materialisticum, neglectis aliis tendentiis magis humanisticis, magis magisque tamen disseminatis.

Art. 20, pag. 18, linn. 13 s.: Tota paragraphus melius coniungatur cum antecedentibus, ita ut singula puncta antea notata in Christi imagine reflectantur.

Art. 20, pag. 18, lin. 18: loco « se » dicatur « si » (error typogr.).

Art. 20, pag. 18, lin. 40: In fine nominentur Christi mors et resurrectio ut solutio problematis doloris et mortis.

Cap. II. Art. 24, pag. 22, lin. 29: redit illud verbum « decretoria evolutione »; insolita expressio (cf. Art. 10); loco: « neque ei alienum est... », dicatur: « neque *huic evolutioni* aliena est... », ut sententia facilius intelligatur.

Art. 27, pag. 23, linn. 28-30: eligatur alius textus scripturisticus loco parabolae: « dives, qui... ». Proponitur *Iac.* 2, 16.

Pag. 23, linn. 31-37: totus passus nimis concretus. Omitti potest, cum applicatio omnino clara est.

Pag. 24, lin. 2: post verba: « offendunt aut laedunt » dicatur: « ut hominum *arbitrariae incarcerationes,* deportationes... » etc.

Art. 30, pag. 25, lin. 9: In verbis « pellis colorem *aut* religionem » omittatur « aut », ponatur virgula.

Art. 31, pag. 25, linn. 24-27: « Ulterius procedentes... ». Hic passus difficili lingua expressus est.

Pag. 26, linn. 2 s.: Exemplum Onesimi non bene electum est.

Art. 32, pag. 26: In hoc articulo exactius et cautius de libertatis usu, eius evolutione et diminutione sermo sit.

Linn. 27-28: « coercitiones vitae socialis *accepit* », nonne debet esse « acceptat » aut « accipit »?

Cap. III. Art. 37, pag. 30, linn. 17-18: loco « quid pro christianis significet autonomia rerum terrestrium » dicatur: « quo sensu christiani autonomiam rerum terrestrium accipiant ».

Art. 38, pag. 30, lin. 35 - pag. 31, lin. 10: Estne tam concreta enumeratio necessaria vel utilis? Aequilibrium deesse videtur, si comparatur passus cum reliquo textu, quandoque, e contra, nimis abstracti.

Art. 39, pag. 31, linn. 16-17: « opera quae homines virtute pepererunt... » dicatur: « opera quae homines *suo ingenio et sua* virtute pepererunt... ».

Linn. 27 s.: ultima sententia: « Re enim vera... ». Nexus huius sententiae eiusque argumentum melius exprimantur.

Art. 40, pag. 32, lin. 26: *a*) loco « pristinis saeculis » dicatur « aliquando »; *b*) loco « in ipsa Ecclesia » dicatur « inter christianos », nam defectus vituperatus non tantum Ecclesiam catholicam afficit.

Linn. 29-30: propterea omittatur « neque errores exclusive catholicorum fuerunt ».

Artt. 41-46: Problema in art. 41 tactum clarius exponatur, ita ut etiam responsum in articulis sequentibus datum clarius evadat. Quaestio de visione completa historiae humanae et cosmicae, prout a diversis coetibus hominum ponitur vel « solvitur », hic sub aspectu christiano ita exhibenda est, ut nimio optimismo et nimio pessimismo pari modo limes ponatur. Idea crucis Christi (art. 46) multo profundius in totam expositionem intrare posset quam hucusque fit *ut condicio scil. totius historiae hominis lapsi et redempti.*

Art. 43, pag. 34, linn. 4-10: « Certocertius, ... omnino diversa est... ». Quaeritur: cur?

Cap. IV. Art. 55, pag. 43, linn. 15-16: Deleatur prima sententia, quae sonat: « Quocirca notetur coaetaneos nostros magis magisque bonis autonomiae affici ». Incipiatur: « Illud quod plurimi... ».

Linn. 22-24: Sententia: « Talis autem... iuvatur », clarius exponatur.

Art. 56, pag. 43, linn. 25 ss.: Prima sententia huius paragraphi (De temporum vicissitudinibus) sit: « Quamvis Ecclesia ex virtute Spiritus Christi fidelis sponsa Domini sui manserit et numquam cessaverit esse signum salutis in mundo, tamen populus Dei minime ignorat... ». *Ratio*: ut periculum arceatur, ne quis putet Ecclesiam etiam in essentialibus defecisse.

[*Subscripserunt*] A. Kozlowiecki, arch. Lusaka; G. del Mestri, arch. tit. Tuscamia; F. Mazzieri, ep. Ndola; T. O'Shea, ep. Livingston; F. Courtemanche, ep. Fort Jameson; A. Fürstenberg, ep. Abercorn; R. Pailloux, ep. Fort Rosebery; J. Corboy, ep. Monze; C. Chabukasansha, ep. Kasama; N. Agnozzi, ep. tit. Adramittio; R. Hillerich, praef. ap. Solwezi.

108

CONFERENTIA EPISCOPORUM INDONESIAE

Putamus cum Patribus qui in aula iam de hac re locuti sunt, hoc schema modo nimis occidentali problemata mundi exponere.

Tertius mundus in aliquibus locis nominatur, sed paucis tantum verbis et fere semper immediate transitur ad difficultates aut phaenomena in parte

mundi occidentali. Timemus ne gubernatores novarum nationum et praesertim earum incolae christiani hoc schema parvipendant utpote ad ipsos non attinens.

Quapropter sequentes animadversiones ad numeros in toto schemate sparsos tibi reverenter proponuntur.

Plene confidimus commissionem formulam forse meliorem ac breviorem componere posse, salva textus propositi substantia.

I. Ad n. 6, pag. 8 in fine: ... tribuere cupiunt. Hi populi intendunt sese evolvere secundum propriam suam identitatem. Pro iis praecipua causa et fundamentum huius velocis mutationis est libertas nuper acquisita, qua sibi eligere valent novas structuras sociales et ut novae nationes honorifice ab aliis populis tractentur. Magni facere solent talem educationem et instructionem, quibus mentem scientificam et technicas artes sibi quam citius acquirant cum pleniore independentia. *Ratio*: textus nimis « occidentalis »; populi in evolutione in linn. 19-21 superficialiter tantum tanguntur. Additio sese restringit ad facta socialia evolutionis et ideo bene videtur accommodata huic parti descriptivae. Per haec verba ostendimus tertio mundo nos scire quid illos movet.

II. Ad n. 25, pag. 23 in fine. Pro novis nationibus specialiter urget problema transitus a structura nimis collectivistica ad libertatem humanam et personalem; pro campis culturae occidentalis autem problema potius est in transitu a systemate nimis individualistico ad pleniorem vitam socialem. *Ratio*: textus nimis uniformiter de evolutione populorum loquitur.

III. Ad n. 71, pag. 55, lin. 33. Proponitur mutatio: ad publicam vero auctoritatem pertinet condiciones et subsidia ad vitam culturalem promovendam et, praesertim in novis nationibus, cives suos conscios facere propriae suae culturae ac novas formas culturales, huic tempori accommodatas, proponere sed semper et praeprimis instandum est ne civilis cultus, a proprio fine aversus, servire potestatibus politicis et oeconomicis cogatur, nec propria indoles cultus humani formarum determinatur. *Ratio*: munus auctoritatis publicae in his novis nationibus valde latius sese extendit in educatione culturali quam in nationibus occidentalibus. Quod saepe saepius — sed non recte — « dictatorialismus » nominatur in occidente. Dicat S. Synodus sese hanc differentiam situationum intelligere.

IV. Ad n. 74, pag. 57, lin. 4; proponitur mutatio: In compositione humani civilisque cultus cum christiana institutione, maximae difficultates oriuntur pro christianis coetuum socialium illorum populorum, qui numquam christiana traditione imbuti fuerunt. Illorum nempe alta et ardua vocatio est suis concivibus monstrare, praesertim exemplo propriae vitae, nuntium Evangelicum evolutioni suae antiquae culturae non solum non obstare, sed revera ut fermentum massam totius vitae socialis pervadere ideoque suum populum ad veram synthesim nova inter et vetera perducere valere.

Experientia autem constat etiam in populis cum christiana traditione non raro oppositionem etc. *Ratio*: difficultates processus integrationis christianae doctrinae in propria cultura in tertio mundo sunt totaliter differentes a difficultatibus qui in hoc numero enumerantur.

V. Ad n. 93, pag. 74, lin. 32: addatur: ... cum *respectuosa* generositate et sine cupiditate *nec immoderati lucri nec dominationis* eo una etc. *Ratio*: textus debilis apparet in comparatione cum dictis in *Pacem in terris* quo clare dicitur:

a) omnes populi (novis nationibus minime exclusis) magni facere suum honorem *A.A.S.* 55 (1963), pag. 282, linn. 1-3.

b) nullum adiutorium minuere ius populi adiuti ad neutralitatem, libertatem politicam et ad evolutionem oeconomicam secundum propria Consilia. *A.A.S.* 55 (1963), pag. 290, linn. 9 ss.; cf. Verba Papae Pii XII in nuntio suo radiophonico.

Petitur ut in textu addatur nota referens ad *Pacem in terris,* loco cit.

APPENDIX

APPENDIX

I

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

Quoad schema de Divina Revelatione *
inter III et IV periodum Concilii

1

Em.mus P. D. ARCADIUS M. card. LARRAONA

Votum de Evangeliorum indole historica (cap. V, n. 19).

Ultima redactio facta est post diem 26 octobris 1964, sed nihili fecit E/2615, 2631, 2637, 3042, 3225, 3226, 3236, 3246, 3251, 3293, quae duo maxime desiderabant circa indolem historicam Evangeliorum: *a*) ut *obiectum* historicitatis pressius determinaretur et *b*) ut « *forma praeconii* » prorsus removeretur.

Haec duo nos etiam et desideravimus et desideramus et rogamus ut in cap. V n. 19 bene iterum consideretur et in meliore redactione approbationi Patrum proponatur.

A) *Quoad obiectum historicitatis.* Redactio praesens ita procedit: « Sancta Mater Ecclesia firmiter et constantissime tenuit ac tenet quattuor recensita Evangelia vere tradere quae Iesus Deus Filius, vitam inter homines degens, ad aeternam eorum salutem, reapse et fecit et docuit » (cf. *Act.* 1, 1).

Post sollemnem introductionem in qua appellatur ad fidem firmam et constantissimam Sanctae Matris Ecclesiae speratur etiam sollemnis determinatio obiecti tantae fidei. Tamen, formula adhibita est simplex et adeo generalis, ut cuilibet antiquo magistro applicari possit. Antiqui enim magistri graeci et iudaici « et fecerunt et docuerunt ». In contextu libri Actuum unde formula desumitur, bene intelligitur et ad ordinem supernaturalem elevata est, sed in nostro schemate clariora verba adhibenda essent ut formula bene cohaereret cum fide Sanctae Matris Ecclesiae in re tanti momenti. *Haec fides* ut minimum complectitur factum historicum incarnationis, nativitatis Iesu, electionis discipulorum, praedicationis, miraculorum, passionis et mortis, denique resurrectionis et ascensionis.

Paragraphus ita posset de novo redigi: « Sancta Mater Ecclesia firmiter et constantissime tenuit ac tenet quattuor recensita evangelia veram narrationem tradere earum, " *quae in nobis completae sunt rerum* " (*Lc.* 1, 1), videlicet, incarnationem et nativitatem Domini, electionem discipulorum, praedicationem et miracula, passionem et mortem, resurrectionem denique et gloriosam eius ascensionem ».

Haec redactio inspiratur in prologo III Evangelii quoad voces « narrationem » et « quae in nobis completae sunt rerum ». Omittit textum *Act.* 1, 1, qui verba

---

* Cf. Vol. III, pars III, pagg. 69 ss.

generaliora adhibet et, tandem, introducit determinata obiecta historicitatis, quae bene respondent *ad fidem Ecclesiae.*

B) *Quoad « formam praeconii »*. Haec locutio invenitur in medio n. 19, ubi agitur de activitate litteraria auctorum sacrorum: « Auctores autem sacri quattuor Evangelia conscripserunt, quaedam e multis aut ore aut iam scripto traditis seligentes, quaedam in synthesim redigentes vel statui ecclesiarum attendendo explanantes, formam denique praeconii retinentes, ita semper ut vera et sincera de Iesu nobis communicarent ».

Haec verba inspirantur in Instructione de historica Evangeliorum veritate data a Pont. Commissione Biblica (cf. *A.A.S.,* 56 [1964], pag. 715), sed illam modificant introducendo locutionem, quam plures Patres reiciunt, scil. « formam denique praeconii retinentes ». In secunda redactione schematis dicebatur: Evangelia « quamvis enim formam praeconii aliquando resonent... veram et sinceram historiam nobis tradunt » (cap. IV, n. 18).

In tertia et in ultima redactione tria omittuntur: *aliquando, resonent* et *historiam,* et introducitur formula universalis « formam denique praeconii retinentes ». Hac formula videtur significari Evangelia *semper* habere *formam praeconii.*

Haec locutio, quae deest in Instructione Commissionis Biblicae, debet examinari in seipsa et in contextu.

a) *In contextu*: In paragrapho immediate priore sermo est de « apostolis » qui « tradiderunt » « quae Ipse (Dominus) dixerat et fecerat ». Iam vero « his apostolis » qui tradiderunt dicta et facta Domini *contraponuntur* « auctores sacri », dicitur enim: « Apostoli quidem... tradiderunt... *Auctores autem sacri* quattuor Evangelia conscripserunt... ». Haec contrapositio inter « apostolos » et « auctores sacros » non placet, quia inter auctores sacros duo sunt « apostoli », ut « semper et ubique tenuit ac tenet » Ecclesia (n. 18).

Ex hac oppositione inter « apostolos » et « auctores sacros » concluditur in schemate quod « auctores sacri... Evangelia conscripserunt, quaedam e multis traditis aut ore aut iam scripto... ». Hoc etiam non placet, quia videtur narrationem eorum quae Dominus dixit et fecit *exclusive* dependere *ex traditione* sive orali sive scripta. Scimus autem Ioannem scribere *quae vidit et audivit* (cf. *Io.* 19, 35; 20, 30).

b) *In seipsa*: 1. Non dicitur Evangelistas retinuisse « *praeconium* », sed « *formam* praeconii ». Si diceretur simpliciter retinuisse « *praeconium* », hoc verum esset, si sensu tantum *affirmative* diceretur, non autem, si sensu *exclusivo.* Nam in evangeliis inveniuntur plura quae praedicata sunt, plura autem quae non sunt praedicata: v. g. « Evangelium Infantiae ». Quod procedit ex traditione sive Mariae, sive parentum Iesu, sive ex aliis testibus immediatis. Si quis crederet Evangelia exclusive dependere *a praedicatione,* teneretur omittere « Infantiam » et forte etiam quidquid invenitur in IV Evangelio. Sic Ioannes Steinmann scripsit *La Vie de Jésus* (Paris 1959), incipiendo a baptismate et relicto Evangelio S. Ioannis.

2. Sed iam quaeritur *quid significat « forma praeconii »*? Haec interrogatio legitime fit, quia formula de se est generalis et non ab omnibus aequo modo explicatur. Ipsum « *Kerygma* » diverso modo proponitur a diversis auctoribus, cum possit identificari cum catechesi et doctrina, vel ab illis distingui. Ipsa *theologia Kerygmatis* non eodem modo proponitur ab omnibus. Inter protestantes *Kerygma* non complectitur theologiam Ecclesiae et Sacramentorum.

3. « *Forma praeconii* » non videtur identificari posse cum « praeconio », cum « Kerygma », seu cum obiecto et materia praedicata, quia secus non diceretur « *forma* praeconii ». Unde, cum dicitur Evangelistas « retinuisse *formam* praeconii » non significatur retinuisse *tantum praeconium* seu *Kerygma,* sed aliquid amplius.

4. « *Forma praeconii* » significare vult hoc quod dicitur in Instructione Commissionis Biblicae de veritate historica Evangeliorum, videlicet « doctrinam et vitam Iesu *non simpliciter relatas fuisse,* eo solo fine ut memoria tenerentur, *sed praedicatas* fuisse ut Ecclesiae fundamentum fidei et morum praeberent »? (*A.A.S.,* 56 [1964], pag. 716).

Hoc verum est. Sed distinguendum est *factum praedicationis, finis* et *forma. Plura* quae narrantur in Evangeliis certe praedicata sunt, non vero omnia, ut puta mysteria Infantiae.

Finis est id quod intenditur praedicatione aut narratione, *forma* est modus ordinandi ideas et verba ad finem consequendum.

Finis praedicationis et finis Evangeliorum potest esse idem: fides et vita christiana. Sed *forma* est eadem?

Verum est Evangelistas non scripsisse iuxta canones modernos historiae; verum est non scripsisse chronicas, sed nunc quaeritur an scripserint *ea forma* qua Apostoli praedicabant.

5. *Forma potest esse duplex,* alia *interna,* alia *externa.*

Forma interna consistit in dispositione et distributione systematica idearum, quaeque, prout kerygma conservatur in duplice fonte Actuum et Epistolarum, in praeconio est *essentialiter theologica,* ita ut *facta* ad minimum reducantur, *theologia* autem (Christologia, Soteriologia) maxime extollatur (cf. n. 20 ubi sermo est de aliis libris N. T.). *In Evangeliis forma interna* est omnino diversa: nam *facta* occupant primum locum et maximam extensionem, *theologia* vero quasi latet, *subiacet.* Unde *in forma interna* « praeconium » et « Evangelia » ordinem idearum invertunt: « praeconium » primas partes concedit *theologiae,* « Evangelia » vero, *historiae et factis.*

Forma externa consistit in grammatica. Iam vero in « praeconio » apostolico adest « proclamatio » et praesertim « interpretatio » facti, sed simul « adhortatio » ad paenitentiam, ad baptismum, ad fidem: « Paenitentiam agite et baptizetur unusquisque » (*Act.* 2, 38). « Evigilate et nolite peccare » (*1 Cor.* 15, 34).

In Evangeliis forma externa semper est *indicativa, enuntiativa, narrativa,* sive in aoristo sive in praesenti historico. Deest autem omnino modus hortativus, quia Evangelistae *tantum tradunt, narrant* sive facta sive dicta Iesu et aliorum.

His positis, quaerimus: *quid perderet* schema de Divina Revelatione in cap. V, n. 19 si omitteretur locutio illa « formam denique praeconii retinentes », quam merito omisit Instructio Commissionis Biblicae?

Redactio ita posset componi:

Redactio schematis

« Auctores autem sacri quattuor Evangelia conscripserunt, quaedam e multis aut ore aut iam scripto traditis seligentes, quaedam in synthesim redigentes vel statui ecclesiarum atten-

Redactio nostra

« Ipsi autem aliique viri apostolici quattuor Evangelia conscripserunt, quaedam e multis sive ab ipsis visis et auditis (cf. *Io.* 19, 35; 20, 30) sive ore aut iam scripto traditis seligentes,

dendo explanantes, formam denique praeconii retinentes, ita semper ut vera et sincera de Iesu nobis communicarent ».	quaedam in synthesim redigentes, vel statui ecclesiarum attendendo explanantes, ita semper ut vera et sincera de Iesu nobis communicarent ».

In nostra redactione tria sunt nova: 1. « *Ipsi autem aliique viri apostolici* ». Ita vitatur oppositio inter apostolos et auctores sacros. Nam inter « Evangelistas » sunt duo apostoli, ut semper tenuit et tenet Ecclesia.

2. « *Sive ab ipsis visis et auditis sive* ». Ita significatur praedicationem non fuisse unicum fontem Evangelistarum, sed etiam propriam experientiam, ut Ioannis et Matthaei.

3. Omittitur locutio « formam denique praeconii retinentes », quae non conformatur Instructioni Pontificiae Commissionis Biblicae.

2

EM.MUS P. D. FERDINANDUS CARD. QUIROGA Y PALACIOS
Archiepiscopus Compostellanus

Cap. II. N. 8, pag. 15, lin. 17: Post verba: « sub assistentia Spiritus Sancti », addatur: « et sub ductu sacri Magisterii ». *Ratio*: additio opportuna videtur, ne contemplatio, studium et intelligentia credentium, quo « crescit tam rerum quam verborum traditorum perceptio », disiungatur umquam ab Ecclesiae Magisterio.

Cap. III. N. 11, pag. 21, linn. 2-4: Loco: « Divinitus revelata, quae afflante Spiritu Sancto litteris consignata sunt, in Sacra Scriptura continentur et prostant », dicatur: « Divinitus revelata litteris, afflante Spiritu Sancto, consignata, in Sacra Scriptura... », aut saltem omittatur virgula post verbum « revelata ». *Ratio*: textus, prout iacet, indicare videtur omnia divinitus revelata litteris consignata esse.

N. 12, pag. 22, linn. 25-29: Comma: « Sed ad recte sacrorum textuum sensum eruendum, respiciendum est etiam ad contentum et unitatem totius Scripturae, ratione habita vivae Ecclesiae traditionis et analogiae fidei », mutetur sic: « Sed ad recte sacrorum textuum sensum eruendum, respiciendum est *praesertim* ad contentum et unitatem totius Scripturae, *atque ad Sacram Traditionem,* ratione habita *Ecclesiae Magisterii* et analogiae fidei ». *Rationes*: 1. Dicitur « praesertim » loco « etiam », ne videatur, in exegesi libri inspirati, criteria naturalia primum occupare locum, prae criteriis theologicis. 2. « Viva Ecclesiae traditio », de qua in textu fit mentio, intelligitur traditio ecclesiastica; dum e contra memoranda videtur Sacra seu Apostolica Traditio, simul cum ecclesiastico Magisterio.

Cap. V. N. 17, pag. 32, lin. 9: Loco: « factis et signis », dicatur (sicut in priore schemate): « factis et verbis ». *Ratio*: signa iam continentur in factis.

N. 18, pag. 32, lin. 25: Virgula quae in textu ponitur post verbum « Scripturas », ponatur ante ipsum, ita ut legatur: « Neminem fugit inter omnes, etiam Novi Testamenti, Scripturas Evangelia merito excellere ». *Ratio*: dictio melior evadit.

N. 19, pag. 33, linn. 5-8: Verba: « ... vere tradere quae Iesus Dei Filius, vitam inter homines degens, ad aeternam eorum salutem reapse et fecit et docuit », mutentur sic: « (quatuor recensita Evangelia) iuxta veritatem fidemque historicam

tradere ea quae in ipsis continentur ». *Rationes*: 1. In Evangeliis plura narrantur quae non pertinent ad Iesu vitam, et haec omnia etiam dicenda sunt vera et sincera. 2. Verba proposita, « iuxta veritatem fidemque historicam », apertius ostendunt indolem et veracitatem historicam Evangeliorum, et animadvertendum est has voces, « historia, historicus », quidquid sit de eorum usu apud modernos (cf. Relatio de n. 19, pag. 35, D), constantem servare sensum in documentis ecclesiasticis.

Cap. VI. N. 24, pag. 38, lin. 40: Loco: « sub luce traditionis explicando », dicatur: « et tradito » (sicut in schemate priori), ita ut legatur: « Sacra Theologia in verbo Dei scripto et tradito, tamquam in perenni fundamento innititur ». *Ratio*: fundamentum perenne Theologiae non est solum Verbum Dei scriptum, sub luce traditionis explicandum, sed etiam Verbum Dei traditum, sive Sacra Traditio. *Ratio* autem quae in linn. 4-6, pag. 39, exponitur iam affert causam qua « Sacrae Paginae studium » esse debeat « veluti anima Sacrae Theologiae ».

3

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. SIRI
Archiepiscopus Ianuensis

Prooemium et cap. I. N. 1, pag. 3, linn. 8-9: Loco « Concilii Vaticani I inhaerens vestigiis » dicatur « Concilii Tridentini et Vaticani I inhaerens vestigiis ». *Ratio*: Conc. Vat. II, quoad relationes S. Scripturam inter et Traditionem, doctrinam sequitur utriusque Concilii, iuxta Ioannis XXIII mandatum ad Commissionem mixtam revisionis primaevi schematis « De Fontibus Revelationis ».

Cap. II. N. 8, pag. 15, linn. 18-19: Loco: « crescit enim tam rerum quam verborum traditorum perceptio, tum ... » dicatur: « crescit enim, *docente ac vigilante infallibili Ecclesiae Magisterio,* tam rerum quam verborum traditorum perceptio, *eodem sensu eademque sententia,* tum ... ». *Ratio*: textus silet de Ecclesiae Magisterio. Hac de re integre memorandum est Concilii Tridentini testimonium: « ... Sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semper declaravit Sancta Mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu altioris intelligentiae specie et nomine recedendum. Crescat igitur ... et multum vehementer proficiat, tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia; sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, in eodem sensu eademque sententia » (DENZ. 1800).

N. 8, pag. 15, linn. 30-34: Loco: « Per eamdem traditionem integer sacrorum librorum Canon Ecclesiae innotescit, ipsaeque Sacrae Litterae in ea penitius intelleguntur et indesinenter actuosae redduntur » dicatur: « Per eamdem Traditionem... actuosae reddantur, necnon clarescunt denique quaedam veritates revelatae, quae in S. Scriptura vel expresse non leguntur vel ex ea per se sola, interpretatione quoque adhibita a Traditione desumpta, probari ac erui nequeunt, etsi forsan in ea fundamentum habeant ». *Ratio*: textus, uti iacet, de ambitu materialis insufficentiae S. Scripturae, ultra factum eiusdem inspirationis atque canonicitatis, nihil dicit. Oportet autem ut catholicae Traditionis vis et amplitudo authentice exhibeatur, eo quod praesertim plurima, hac de re, scripta sunt hisce ultimis annis et magna videtur adesse perturbatio in fidei detrimentum.

Constat enim non ex theologis tantum, sed etiam, et in primis, ex Ordinario Ecclesiae Magisterio, prout e cathechismis per 4 saecula continuo elucet, dari veritates divinitus revelatas quae in Sacris Scripturis expresse non inveniuntur, nec ex sola per se Scriptura, adhibita quoque interpretatione a Traditione recepta, cum certitudine probari possunt v. g., de perpetua B. M. V. Virginitate, de eiusdem Assumptione, de puerorum Baptismate, de Sacramentorum numero septenario, de validitate baptismi ab haereticis collati, de efficacia Sacramentorum ex opere operato, de Matrimonii indissolubilitate, de secreta Paenitentia et, nunc, de Episcoporum Collegio una cum Papa et sub Papa, Ipso annuente necnon infra limites ab Ipso taxative statutos, uti subiectum collegialis iuridicae potestatis in universam Ecclesiam. Et ita porro. Istae veritates ex Traditione, et quidem ex Conciliorum theologia, nonnisi evincuntur. An S. Scriptura pro hisce aliisque revelatis veritatibus fundamentum praebeat, est adhuc libera quaestio, seu disputata. Verumtamen huiusmodi fundamentum minime argumentum constituit.

N. 10, pag. 16, linn. 27-28 s. Loco: « soli vivo Ecclesiae Magisterio » dicatur ut in veteri textu: « soli vivo et infallibili Ecclesiae magisterio ». *Ratio*: Ecclesiae Magisterium infallibilitate a Christo Domino formaliter praeditum est, seu in ordine praesertim ad propositiones « de fide divina credendas ». Huiusmodi vocis omissio non intelligitur, eo magis quod textus videtur in lineis sequentibus, 36-37, obiectum Magisterii restringere nonnisi ad propositiones « de fide divina credendas ». Affirmat enim: « ... ea omnia ex hoc uno fidei deposito haurit quae tamquam divinitus revelata credenda proponit ». E contra, praeter infallibiles Magisterii propositiones, extant decisiones authenticae ideoque auctoritate pollentes. Textus ergo est ambiguus, immo suspectus, quia immerito silet de Traditione « constitutiva ». Debet proinde omnino recognosci.

N. 11, pag. 21, linn. 2-4. Loco: « Divinitus revelata, quae afflante Spiritu Sancto litteris consignata sunt, in Sacra Scriptura continentur et prostant », dicatur: « Divinitus revelata, quae afflante Spiritu Sancto utpote litteris... ». *Ratio*: divinitus revelata in Traditione quoque continentur, et quidem, saltem in parte, constitutiva.

N. 12, pag. 22, lin. 26. Loco « etiam » dicatur « praesertim ». *Ratio*: nimis extolluntur in n. 12 (Quomodo S. Scriptura sit interpretanda) criteria hermeneuticae rationalis, dum primaria criteria habentur in Patrum et theologorum doctrina, in Magisterio Ecclesiastico, in sensu Ecclesiae atque in analogia fidei.

N. 12, pag. 22, lin. 29. Post verba « et analogiae fidei » addatur : Prout a Deo inspiratus, enim, et qua talis ipsi Ecclesiae concreditus, Liber Sacer proprias possidet exclusivasque interpretationis regulas. Idcirco heurystica authentica, seu catholica, quae Librum Sacrum uti a Deo inspiratum respicit, animum potissime in doctrinalia intendens elementa, nedum textum philologia, critica atque historica exploratio, est in primis ac summopere Theologia, quippequae Ecclesiae fulcitur infallibili Magisterio, cuius doctrina est norma proxima fidei, ita ut omnes transcendat scientificas regulas, eisque praesit necnon condiciones ac limites imponat, postremo tutetur ». Addatur dein: « Ideoque in rebus fidei ac morum is pro genuino sensu S. Scripturae omnino retinendus est, quem semper tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia, quae Verbi Dei servandi et interpretandi divino fungitur mandato et ministerio. Nemini igitur unquam licet adversus huiusmodi sensum, praeterque unanimem Patrum consensum, ipsam interpretari Scripturam, altioris intelligentiae specie et nomine ». *Ratio* patet.

Vi additionis nuper allatae, deleantur linn. 29-36.

* * *

Lo schema *de Revelatione* lascia desiderare una maggiore chiarezza a proposito della Tradizione costitutiva, che è nell'abituale uso della Chiesa e nel comune metodo delle scuole teologiche. Una maggiore esplicita chiarezza si desidera nel porre prima ed al di sopra di tutti gli altri mezzi ermeneutici la Tradizione e il Magistero della Chiesa. È infatti ovvio che un libro divino abbia soprattutto un mezzo interpretativo, che gli sia adeguato e cioè un mezzo sostenuto dalla stessa autorità divina.

4

EXC.MUS P. D. HUGO AUFDERBECK
Episcopus tit. Arcenus, aux. Fuldensis

Cap. I, n. 2, pag. 3, lin. 14: « Placuit Deo in sua libera bonitate et summa sapientia seipsum revelare ... ». *Ratio*: revelatio divina pertinet ad opera Dei libera sponte effecta.

N. 3, pag. 4, linn. 14-15: « perenne omnipotentiae suae testimonium hominibus ostendens ». *Ratio*: vitanda est opinio suspecta, naturam esse testimonium essentiae divinae adaequatum.

N. 4, pag. 5, lin. 16: « et nulla iam nova revelatio ad eius perfectionem essentialem ... ». *Ratio*: displicet terminus « publicus » in hoc textu professionis fidei.

Cap. III, n. 11, pag. 21, linn. 9-10: « Deum habent auctorem ». Apponatur nota: Concilium Florentinum, Decr. pro Iacobitis. D 706 (1334).

N. 11, pag. 21, linn. 19 ss.: Textus emendatus valde placet. *Ratio*: Forma et finis inspirationis subtilius et loquelae theologicae magis apte exprimitur quam in priori textu.

5

EXC.MUS P. D. IOSEPH BONFIGLIOLI
Archiepiscopus tit. Darnitanus, coad. c.i.s. Syracusanus

Animadversiones respiciunt praesertim nn. 8 et 19, cum libenter admittam textum emendatum in suo complexu bene respondere expectationi Concilii.

Ad n. 8, pag. 15: Apostoli, praeter ea quae acceperunt, non pauca tradunt quae viderunt et audierunt; ergo haec quoque verba recensenda sunt, quod ceteroquin fiet ad mentem eorum quae habentur in prooemio, ubi mentio facienda est etiam Concilii Tridentini.

Praeterea animadverto ad linn. 16-25: Traditio, qua talis, nec proficit nec crescit post mortem ultimi apostoli, sed crescit eiusdem cognitio seu intelligentia in Ecclesia et per Ecclesiam, et quidem eodem semper sensu eademque sententia, si obiective spectetur. Itaque Ecclesia dicenda est, ob causas in textu optime recensitas (inter quae annumerandum est sacrum Magisterium!), tendere ad cognitionem plenam divinae veritatis etc.

Ad n. 19, pag. 33: Inscribitur quidem « Evangeliorum indoles historica », at verba « historia », « historico » numquam in textu recurrunt, quod non placet,

nec valida apparet ratio allata in relatione (D). Animadverto insuper non sufficere ea quae dicuntur ad exponendum adaequate obiectum seu contentum historicae narrationis Evangeliorum. Nam, praeter ea quae Iesus fecit et docuit vitam inter nos degens, plura quoque ab aliis facta narrantur quae historica veritate pollent. Nonne historicus liber generationis Iesu Christi? Nonne historica praedicatio Baptistae? Nonne historicam fidem merentur facta paschalia resurrectionis et ipse Ascensus Domini? Submisse ergo censeo n. 19 retractandum esse sub luce rationum quae supra exponuntur.

6

EXC.MUS P. D. FELIX BONOMINI
Episcopus Comensis

Ad prooemium, n. 1, pag. 3, lin. 8. Loco « Concilii Vaticani I inhaerens vestigiis » dicatur « Concilii Tridentini et Vaticani I etc. ». *Ratio*: iuxta mentem Ioannis XXIII v. m. constitutio ista connectenda est duobus Conciliis citatis.

Ad n. 8, pag. 15, linn. 16-26. Hoc comma prouti iacet non potest acceptari, quia: *a*) videtur affirmare progressum ipsius traditionis, dum e contra, progressus admittendus est « in intelligentia seu scientia traditionis et quidem sensu bene determinato; *b*) recensendo causas humanas talis progressus, silet de Sacro Magisterio; *c*) recenset causas tantum subiectivas, silet de obiectivis indicatis a Concilio Vat. I; *d*) loquitur, licet in obliquo, de « experientia » quae posset intelligi sensu non recto nisi explicetur; *e*) affirmatur quod Ecclesia tendit ad plenitudinem veritatis, quasi hanc plenitudinem non habeat obiective.

Pag. 15, linn. 30-34. Loco: « Per eamdem traditionem integer Sacrorum Librorum Canon Ecclesiae innotescit, ipsaeque Sacrae Litterae in ea penitus intelliguntur et indesinenter actuosae redduntur », dicatur: « Per eamdem traditionem integer Sacrorum Librorum Canon statuitur, integrae sacrae litterae tamquam ipsum Verbum Dei, Spiritu Sancto inspirante, hominibus datum, absoluta certitudine Ecclesiae innotescunt, atque in luce traditionis explicatae, penitius intelliguntur et indesinenter actuosae redduntur ». *Ratio* est quia S. Traditio non solum testificatur de integro Canone S. Scripturae, sed etiam de natura ipsius Scripturae, nempe de inspiratione.

Ad n. 9, pag. 16, linn. 8-11. Loco « Sacra autem traditio verbum Dei, a Christo Domino et a Spiritu Sancto Apostolis concreditum, successoribus eorum integre transmittit » dicatur: « Sacra autem traditio est verbum Dei, a Christo Domino et a Spiritu Sancto Apostolis concreditum, atque successoribus eorum integre transmissum, ut illud etc. ». *Ratio* est ne credatur Sanctam Traditionem solum transmittere sed non esse verbum Dei.

Ad n. 10, pag. 16, lin. 26-27. Loco « Munus autem Dei verbum Dei scriptum vel traditum authentice interpretandi ... » dicatur: « Munus autem verbum Dei scriptum vel traditum authentice interpretandi ... ». *Ratio* est quia ad utrumque munus Ecclesiae extenditur.

Pag. 16, lin. 35. Post verba « et fideliter exponit », addatur « ea quoque illustrando et enucleando quae in fidei deposito nonnisi obscure ac velut implicite continentur, ac ea omnia ... etc. », quia haec verba necessaria sunt ad explicandum munus interpretativum Sacri Magisterii et desumpta sunt ex Litt. Encyclicis *Humani Generis* Pii XII.

Ad n. 11, pag. 21, linn. 2-3. Loco « Divinitus revelata, quae, afflante Spiritu, litteris consignata sunt ... » dicatur « Illa divinitus revelata ... » ne credatur omnia revelata nonnisi in Sacra Scriptura contineri.

Pag. 21, linn. 19-21. Loco « veritatem salutarem inconcusse et fideliter ... » omittatur « salutarem », ne credatur inerrantiam ad solas veritates ordinis supernaturalis restringi.

Ad n. 12, pag. 22, linn. 25-29. Loco: « Sed ad recte sacrorum textuum sensum eruendum, respiciendum est etiam ad contentum et unitatem totius Scripturae ratione habita vivae Ecclesiae traditionis et analogiae fidei » ita dicatur: « Sed ad rectum Sacrorum Textuum sensum eruendum, respiciendum est praesertim ad contentum et unitatem totius Scripturae atque ad sacram traditionem, ratione habita Ecclesiae Magisterii et analogiae fidei ... », quia sine illo « praesertim » videretur dari primus locus criteriis naturalibus, et sine illo « Sacram » confundi poterit cum traditione mere ecclesiastica.

Ad n. 15, pag. 29, lin. 2. Loco « etiamsi quaedam imperfecta et temporaria contineat ... » dicatur: « Etiam nonnulla imperfecta et temporaria, respectu habito ad Novum Testamentum contineant ... » quia haec limitatio etiam Christus adhibuit (cf. *Mt.* 11, 11).

Ad n. 16, pag. 29, linn. 13-15. Loco « Nam, etsi Christus in Sanguine Suo Novum Testamentum condiderit » addatur « prius veterans », ad indicandum quod Novum Foedus non amplius coexistit cum Vetere (cf. *Hebr.* 8, 13).

7

REV.MUS P. D. NORBERTUS CALMELS
Abbas generalis O. Praem.

Ad n. 9, pag. 16, linn. 6-7: « Etenim S. Scriptura est locutio Dei ... ». Modus loquendi ambiguus et infelix. In S. Scriptura Deus non tantum revelat verbis, sed etiam factis. Tota historia populi Israël est revelatio quae in S. Scriptura traditur; Deus revelavit morte et resurrectione Christi; ipse Christus Dominus revelavit miraculis; etc.

Non possunt ita distingui S. Scriptura et traditio, ut fit hoc loco.

In ipsa Scriptura Novi Testamenti certe, Veteris Testamenti maxima cum probabilitate ipsa traditio iam operatur. Quattuor Evangelia non sunt mere « registrationes mechanicae » doctrinae et rerum gestarum Christi, sed earum praedicatio scripta. Quattuor Evangelistae suo modo, ut ex eorum comparatione constat, doctrinam et res gestas Christi transmiserunt, et hoc facientes traditioni inseruntur. In scriptis prophetarum, maxima cum probabilitate redactores, additamentis factis, doctrinam prophetarum interpretati sunt.

Verum est apostolos et episcopos certa ratione alio modo se habere ad traditionem quod spectat, ut in nota explicativa notatur. Sed haec diversitas verbis, uti sonant, non exprimitur. Etiam episcopis traditio committitur, licet alia ratione quam apostolis; et apostoli non minus quam episcopi traditionem servaverunt, exposuerunt et diffuserunt.

Hisce de causis hic numerus noviter elaborandus videtur.

8

EXC.MUS P. D. ALOISIUS CARLI
Episcopus Signinus

Generalia: 1. Textus emendatus in genere melior est quam textus prior. Unde merito laudanda est Commissio Conciliaris de Fide et moribus. Attamen

2. Nulla datur explicatio *cur* et *quonam sensu* quae prius « Constitutio » simpliciter vocabatur nunc, ex abrupto, « dogmatica » dicatur.

3. Non placet criterium a Commissione adhibitum: « Ratio autem habita non est de illis postulatis quae in id intendebant ut textus aequilibrium, diu expetitum, quodammodo tangeretur... Si eisdem Commissio satisfacere nequivit, uni adscribendum est officio quo ipsa devincta manebat: de quo cf. *Relatio* textui adnexa, in fasciculo typis impresso, pp. 19-25 » (pag. 18 textus emendati).

Atqui huiusmodi *officium* nonnisi ipsa Commissio — non Summus Pontifex, neque Patres conciliares — sibi imposuit tamquam inderogabilem legem pro toto Concilio! Immo neque tota commissio, sed tantum 17 sodales contra 7 (cf. pag. 19 « Relationis » de qua supra). Quod rectum non videtur, neque iustum. Nam si postulata, quibus satisfactum non est, licet numero pauciora, erant vera et bona, debebant acceptari etiamsi sic dictum « aequilibrium textus » aliquid pateretur; si vero minus, debebant in relatione singillatim recenseri, datis *obiectivis* rationibus cur acceptata non fuerint. Quod praescriptum videtur ab art. 60 § 1 *Ordinis Concilii celebrandi*, et omnino necessarium est Patribus, ut valeant, bene cognita causa, seligere inter varia postulata Patrum et textum a Commissione propositum.

Particularia: *Ad prooemium, n. 1.* Pag. 3, lin. 8. Loco « Concilii Vaticani I inhaerens vestigiis » dicatur: « Concilii *Tridentini et* Vaticani I inhaerens vestigiis ». *Ratio*: iuxta rei veritatem, et iuxta mentem Ioannis XXIII v. m. Constitutio ista connectenda est duobus citatis Conciliis.

Ad n. 5. Pag. 5, linn. 28-39. Loco « opus est praeveniente et adiuvante gratia Dei et internis Spiritus Sancti auxiliis » dicatur: « opus est praeveniente et adiuvante gratia Dei *seu* (vel: « id est », cum *DB* 178) internis Spiritus Sancti auxiliis ». *Ratio*: gratia et auxilia Spiritus Sancti non sunt nisi una eademque res, ita eruitur ex Conc. Arausicano II (*DB* 178 et 180) et Conc. Vat. I (*DB* 1791). Contra ac respondetur in pag. 13 hic non est sermo de gratia *externa* signorum (de quibus profecto non potest dici « opus est »!) aut praedicationis (quae praesupponitur, cum agatur de fide praestanda « Deo revelanti »): quae gratia externa, iuxta Theologos, non venit sub nomine gratiae « praevenientis » aut « adiuvantis ».

Ad n. 6. Pag. 5, lin. 38. Loco « circa hominum salutem » proponitur: « *relate ad supernam* hominum salutem ». *Ratio*: *a*) dicendo « supernam », declaratur de quanam salute agatur, praecise de illa superna salute de qua iam dictum est in pag. 4, lin. 16; *b*) dicendo « relate *ad* » clarius intelligitur identificatio quae in subsequente lin. 39 ponitur inter salutem et « *ad* participanda scilicet bona divina ».

Ad n. 8. Pag. 14, lin. 34. Loco « in inspiratis libris speciali modo exprimitur » dicatur « in inspiratis libris speciali *ratione* exprimitur ». *Ratio*: diversitas est qualitativa (« ratio ») potius quam quantitativa (« modus »).

Pag. 15, lin. 4. Loco « tradendo eis quod et ipsi acceperunt » dicatur: « tradendo eis quod *viderunt et audierunt* (cf. *1 Io.* 1, 1-3) *aut* et ipsi acceperunt ». *Ratio* additamenti: solus S. Paulus tradit quod et ipse accepit, sed alii apostoli multa tradunt quod ipsi viderunt et audierunt (id non potest vocari « accipere » nisi sensu valde diverso).

Pag. 15, lin. 7. Loco « traditiones quas » dicatur « *et* traditiones quas ». *Ratio*: tenet locum prioris lectionis « traditiones*que* quas », recte derelictae ad vitandam cacophoniam.

Pag. 15, linn. 16-26. Hoc comma non potest acceptari prouti iacet quia: *a*) videtur affirmare progressum ipsius Traditionis, dum e contra, iuxta Lirinensem citatum a Conc. Vat. I (*DB* 1800) progressus admittendus est in « intelligentia seu scientia » Traditionis, et quidem sensu bene determinato;

b) recensendo causas (italice « i fattori ») humanas talis progressus silet de Sacro Magisterio;

c) recenset causas tantum subiectivas, silet de obiectivis indicatis a Conc. Vat. I (*DB* 1796);

d) loquitur, licet in obliquo, de « experientia » quae posset intellegi sensu non recto, nisi explicetur;

e) affirmatur quod Ecclesia tendit ad plenitudinem veritatis, quasi hanc plenitudinem non habeat, obiective; tendit potius ad plenitudinem intelligentiae huius veritatis!

His praenotatis, novus proponitur textus: « *Huius,* quae est ab Apostolis, Traditionis intelligentia sub assistentia Spiritus Sancti et sub ductu sacri Magisterii semper in Ecclesia proficit, in suo tamen dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu eademque sententia (nota 5): crescit enim tam rerum quam verborum traditorum perceptio, tum ex contemplatione et studio credentium, qui ea conferunt in corde suo (cf. *Lc.* 2, 19 et 51), tum ex supernaturalibus scientiae ac sapientiae donis. Ecclesia scilicet in terris peregrinans, volventibus saeculis, ad plenam revelatae veritatis intelligentiam (vel: cognitionem) iugiter tendit, donec consummentur verba Dei in Ecclesia caelesti (vel: « in futura Civitate » [cf. *Hebr.* 13, 14], vel: « in adventu gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi » [cf. *Tit.* 2, 13]).

Pag. 15, linn. 30-34. Loco: « Per eandem Traditionem integer sacrorum librorum Canon Ecclesiae innotescit, ipsaeque Sacrae Litterae in ea penitus intelliguntur et indesinenter actuosae redduntur » dicatur: « Per eandem Traditionem integer sacrorum librorum Canon ( ) statuitur, integrae Sacrae Litterae tamquam ipsum verbum Dei, Spiritu Sancto inspirante hominibus datum (cf. *EB* 569), absoluta certitudine Ecclesiae innotescunt, atque, in luce Traditionis explicatae, penitius intelliguntur et indesinenter actuosae redduntur ». *Ratio*: ut bene dixit Relatio exc.mi Florit (pag. 11) S. Traditio non solum testificatur de integro Canone S. Scripturae, sed etiam de natura ipsius Scripturae, nempe de inspiratione. Iamvero haec nonnisi mutila exprimuntur a textu schematis: est ergo complendus textus.

Ad n. 9. Pag. 16, linn. 8-11. Loco « S. autem Traditio verbum Dei, a Christo Domino et a Spiritu Sancto Apostolis concreditum, successoribus eorum integre transmittit » dicatur: « S. autem Traditio *est* verbum Dei, a Christo Domino et

a Spiritu Sancto Apostolis concreditum, *atque* successoribus eorum integre transmi*ssum*, ut illud etc. ». *Ratio*: sine emendationibus introductis, videri posset S. Traditio « transmittere » quidem verbum Dei, sed non « esse » verbum Dei.

Ad n. 10. Pag. 16, lin. 26-27. Loco: « Munus autem verbum Dei scriptum vel traditum authentice interpretandi... » dicatur: « Munus autem verbum Dei scriptum *et* traditum (in nota: cf. Conc. Vat. I, Const. dogm. *de fide catholica,* prooemium, Concil. Oecum. Decreta, Herder, 1962, pag. 781, lin. 26) authentice interpretandi... ». *Ratio*: quando, ut hic, sermo est de extensione authenticae interpretationis debemus dicere « verbum Dei scriptum et traditum », quia ad utrumque munus Ecclesiae sese extendit; quando autem, ut in improprie citato cap. III eiusdem Const. *DB* 1792, agitur de credendis, sufficit quod veritas credenda inveniatur in alterutro, et proinde dicitur « in verbo Dei scripto *vel* tradito ».

Pag. 16, lin. 29. Loco « cuius auctoritas in nomine Iesu Christi exercetur » dicatur, prout legebatur in textu priore: « cuius suprema auctoritas in nomine Iesu Christi exercetur ». *Ratio*: Magisterium enim Ecclesiae est semper « suprema » auctoritas (idest: non habet aliam auctoritatem supra se) etiam quando docet sine nota infallibilitatis.

Pag. 16, linn. 30-31. Loco « quod quidem Magisterium non supra verbum Dei est, sed eidem ministrat » dicatur: « Quod quidem Magisterium *subest* verbo Dei ei*que* ministrat ». *Ratio*: forma negativa, et quidem exclusiva, est odiosa et inutiliter polemica, quasi Ecclesia umquam docuerit Magisterium esse supra verbum Dei. Formula positiva servantur et veritas et aequitas.

Pag. 16, lin. 35. Post verba « et fideliter exponit » addatur: « *ea quoque illustrando et enucleando quae in fidei deposito nonnisi obscure ac velut implicite continentur,* ac ea omnia etc. ». *Ratio*: haec verba habebantur iam in primitivo schemate, et deinde ablata sunt, nullo Patre petente, sed sub praetextu quod « terminologiam scholasticam nimis sapiant et ab intento proposito non parum exsulant». Atqui haec verba sunt necessaria ad explicandum munus interpretativum Sacri Magisterii; et desumpta sunt ex Litt. Enc. *Humani generis* Pii XII (*EB* 611).

Ad n. 11. Pag. 21, linn. 2-3. Loco « Divinitus revelata, quae afflante Spiritu Sancto litteris consignata sunt » dicatur: « *Illa* divinitus revelata quae afflante Spiritu Sancto litteris consignata sunt » vel saltem: « Divinitus revelata *litteris,* afflante Spirito Sancto, *consignata* in Sacra Scriptura continentur etc. ». *Ratio*: lectio schematis insinuare posset omnia revelata nonnisi in Scriptura contineri. Oportet ergo dare propositioni sensum limitativum: scil. limitate ad revelata scriptis consignata.

Pag. 21, linn. 19-21. Loco « ... veritatem salutarem inconcusse et fideliter, integre et sine errore docere profitendi sunt » dicatur: « veritatem ( ) inconcusse et fideliter, integre et sine *ullo* errore docere profitendi sunt ». *Rationes*: *a*) omissa est vox « salutarem », quia est ambigua et periculosa. Restringere enim videtur inerrantiam ad solas veritates ordinis supernaturalis; quod contradicit sive Enc. *Providentissimus* (*EB* 124), sive Enc. *Divino afflante Spiritu* (*FB* 538); *b*) addita est vox « sine *ullo* errore », quae erat in textu priore, quaeque omissa est sine ulla data ratione: vox restituenda est quia suum habet valorem, et quia continetur in citatis documentis *EB* 124, 539, 560, 564.

Ad n. 12. Pag. 22, lin. 1. Loco « quid hagiographi reapse significare intenderint » dicatur: « quid hagiographi reapse *asserere* intenderint ». *Ratio* est eadem

propter quam in subsequente lin. 15 primigenia vox « significare » recte mutata est in « asserere ».

Pag. 22, lin. 13. Loco « exprimere intenderit et expresserit » dicatur « exprimere intenderit et *reapse* expresserit ». *Ratio*: ita habetur in Enc. *Divino afflante Spiritu* (*EB* 558).

Pag. 22, linn. 25-29. Loco « Sed ad recte sacrorum textuum sensum eruendum, respiciendum est etiam ad contentum et unitatem totius Scripturae, ratione habita vivae Ecclesiae traditionis et analogiae fidei » legatur ita: « Sed ad recte sacrorum textuum sensum eruendum, respiciendum est *praesertim* ad contentum et unitatem totius Scripturae *atque, ad Sacram Traditionem,* ratione habita *Ecclesiae Magisterii* et analogiae fidei ». *Rationes* emendationum: *a*) sine illo « praesertim » (quod consonat cum *DB* 551) videretur dari primus locus criteriis naturalibus, dum e contra exegesis Libri inspirati debet esse in primis « theologica » (cf. *EB* 552); *b*) recurrendum est ad « Sacram Traditionem », quae non est confundenda cum traditione ecclesiastica (cum littera minuscula), quaeque (ut recte omissum est in pag. 15, lin. 16) non potest dici « viva »; *c*) fit deinde commemoratio Magisterii ecclesiastici, a quo non debet praescindi (ut bene habet Enc. *Divino afflante Spiritu,* EB 551).

Ad n. 13. Pag. 23, linn. 1-6. Sic compleantur, uti recte habebatur in primitivo schemate: « Dei enim verba humanis linguis expressa, quoad omnia, *excepto errore,* humano sermoni assimilia facta sunt, sicut olim Aeterni Patris Verbum, humanae infirmitatis assumpta carne, hominibus quoad omnia simile factum est " *absque peccato* " (*Hebr.* 4, 15) ». *Ratio* additamenti: *a*) verba addita sunt in fonte *EB* 559; *b*) sine ipsis non essent vera quae dicuntur: est ergo limitatio necessario exprimenda.

Ad n. 14. Pag. 29, lin. 15. Loco « Oeconomia autem salutis ab auctoribus sacris praenuntiata » dicatur: « *Quae oeconomia salutis* ab auctoribus sacris praenuntiata ». *Ratio*: redeundum videtur ad lectionem textus prioris, nam nova lectio neque reddit textum clariorem, immo aufert omne nexum cum rebus praecedentibus. Undenam enim scire possumus « oeconomia salutis » identificari cum supradictis, praesertim cum additum sit adversativum « autem »?

Ad n. 15. Pag. 29, lin. 2. Loco « etiamsi quaedam imperfecta et temporaria contineant » dicatur: « etiamsi *nonnulla* imperfecta et temporaria, *respectu habito ad Novum Testamentum,* contineant ». *Rationes*: *a*) inter « plura » prioris textus et « quaedam » emendati textus, videtur via media seligenda dicendo « nonnulla »; *b*) additur « respectu habito ad Novum Testamentum », quia haec limitatio (etiam Christus eam adhibuit cf. *Mt.* 11, 11) est necessaria ad servanda ea quae dicuntur in pag. 28, lin. 19.

Pag. 29, lin. 5. Loco « quia vivum sensum Dei exprimunt » dicatur « quia vivum sensum Dei *sanctissimi ac clementissimi* exprimunt », ut habebatur in textu priore (aut quid simile). *Ratio*: locutio « sensus Dei » sine addito, nullam habere potest significationem (alia res est in *Rom.* 11, 34 et *1 Cor.* 2, 16 iuxta graecum!).

Ad n. 16. Pag. 29, linn. 13-15. Loco « Nam, etsi Christus in sanguine suo Novum Foedus condiderit » dicatur: « Nam, etsi Christus in sanguine suo Novum Foedus condiderit *prius veterans* (cf. *Hebr.* 8, 13) ». *Ratio* additamenti: *a*) reditur ad ideam expressam iam in textu primitivo schematis; *b*) quae idea omnino bi-

blica videtur necessaria ad indicandum quod Novum Foedus non amplius coexistit cum vetere.

Ad n. 17. Pag. 33, lin. 9. Loco « factis et signis Patrem suum ac Seipsum manifestavit » dicatur cum textu priore: « factis et *verbis* Patrem suum ac Seipsum manifestavit ». *Ratio*: « facta et signa » esset tautologia.

Pag. 33, lin. 17. Loco « revelatum est sanctis Apostolis et Prophetis » dicatur cum textu priore: « revelatum est sanctis Apostolis *eius* et prophetis ». *Ratio*: sic enim legitur in *Eph.* 3, 4-6.

Ad n. 18. Pag. 32, linn. 23-25. Ratione melioris latinitatis proponitur legendum: « Neminem fugit inter omnes, etiam Novi Testamenti, Scripturas Evangelia merito excellere ».

Pag. 32, linn. 31-33. Loco « Quae enim Apostoli ex mandato Christi praedicaverunt, postea divino afflante Spiritu, in scriptis, ipsi et apostolici viri nobis tradiderunt » legatur: « Quae enim Apostoli *viderunt et audierunt* (cf. *1 Io.* 1, 1-3; *Io.* 19, 35; 21, 24-25) vel ex mandato Christi praedicaverunt, postea, divino afflante Spiritu, in scriptis ipsi et apostolici viri nobis tradiderunt ». *Rationes*: *a*) Apostoli scripserunt non ea tantum quae Christus iusserat praedicari, sed etiam alia quae ipsi viderant et audierant; *b*) ponitur « virgula » ante « divino afflante Spiritu » ne videatur Apostolos non esse sub influxu Spiritus Sancti quando praedicabant; aufertur autem « virgula » post « in scriptis » quia non necessaria.

Ad n. 19. In Relatione ad hunc n. 19 mire nulla datur responsio pluribus interventionibus Patrum, sive scriptis sive oralibus, qui conquesti sunt de insufficientia huius numeri relate ad quaestionem gravissimi momenti.

Evangelia enim non continent solummodo quae Iesus *ipse* fecit et docuit, sed etiam quae alii; non solummodo quae Iesus fecit « vitam inter homines degens », sed etiam quaedam ante et post; non solummodo quae sunt ad salutem aeternam hominum, sed etiam alius generis. Hic primus defectus schematis. Certe Lucas in citato *Act.* 1, 1 designat contentum *sui* tertii Evangelii e parte *potiore*; sed nos, agendo in schemate de veritate *historica,* debemus illam affirmare pro quattuor Evangeliis, et quidem pro omnibus rebus quae ibi continentur, sive pertineant ad Iesum sive ad alios.

In specie, mira est responsio quae datur in Relatione (pag. 35, sub D): « voces " historia " et " historice " vitantur ob ambiguitatem horum verborum apud modernos »! Sed data et non concessa tali ambiguitate apud modernos, at nulla ambiguitas in sermone ecclesiastico, quem Concilium sequi debet. Ecce enim ipse n. 19 inscribitur « Evangeliorum indoles *historica* », et in pag. 22, lin. 6 sermo est de « textibus vario modo *historicis* »! Instructio Pont. Commiss. Bibl. *Sancta Mater Ecclesia,* diei 21 aprilis 1964 inscribitur « de *historica* Evangeliorum veritate ». Sanctum Officium die 20 iunii 1961 monitum edidit « de germana veritate *historica* et obiectiva » S. Scripturae. In Enc. *Divino afflante Spiritu* sermo est de Sacrorum Auctorum « *historiae* fide » (*EB* 560), de divinarum Litterarum « veritate fideque *historica* » (*EB* 560), de sacrorum Librorum « fide *historica* » (*EB* 562), de Bibliorum « auctoritatis et veritatis *historicae* fiducia » (*EB* 562).

His dictis proponuntur emendationes n. 19: pag. 33, linn. 3-8: « Sancta Mater Ecclesia firmiter et constantissime *credidit et credit* (agitur enim de vero actu fidei) quattuor recensita Evangelia *iuxta veritatem fidemque historicam* (cf. *EB* 560)

tradere *omnia facta et dicta quae in ipsis continentur* (cf. Instruct. 21-4-1964, *A.A.S.*, 1964, pag. 712). Apostoli quidem etc. ».

P. 33, linn. 19-25. Loco: « ita semper ut vera et sincera de Iesu nobis communicarent. Illa enim... sive ex sua propria memoria et recordatione... ut cognoscamus eorum verborum de quibus eruditi sumus " veritatem " (cf. *Lc.* 1, 2-4) » dicatur: « ... ita semper ut *veram et sinceram historiam* (vel: " vere historicam narrationem ") nobis communicarent. Illa enim intentione scripserunt, sive ex su*ae* propri*ae* *experientiae* memoria et recordatione, sive ex testimonio illorum " qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis ", ut cognoscamus earum rerum de quibus eruditi sumus *firmitatem* (cf. *Lc.* 1, 2-4 gr..) ». *Ratio* emendationum: *a*) Non sufficit dicere « vera et sincera de Iesu », ut in textu emendato, nam: *aa*) cum veritas, iuxta schema pag. 22, lin. 14, sit « id quod sacer auctor scripto asserere voluit », « vera » essent etiamsi, hypothetice, non responderent realitati: nam habetur « veritas historica », « veritas poetica », « veritas parabolica » etc. (cf. schema, pag. 22, lin. 5); *bb*) sinceritas, quae consistit in absentia doli, haberetur etiam in narratione phantastica etc.; *cc*) in Evangeliis non agitur solummodo « de Iesu »: etiam quae de aliis dicuntur sunt historice vera et sincera; *b*) appellandum est ad memoriam et recordationem personalis experientiae Apostolorum; *c*) textus *Lc.* 1, 2-4, cum non citetur litteraliter, datur iuxta pleniorem sensum graecum.

Ad cap. VI. Praenotanda. 1. Dolendum est quod nulla ratio habita sit interventionum eorum Patrum qui petierunt ut hoc caput ageret de tota Revelatione (et non de S. Scriptura tantum) in vita Ecclesiae. 2. Adhuc magis dolendum quod ablata sint in textu emendato quaedam quae respiciebant S. Traditionem, et in aliquo loco Traditio reducta sit tantummodo ad munus *interpretativum* S. Scripturae. 3. Ratio adducta in Relatione pag. 41 non convincit: si enim totum schema inscribitur « de divina revelatione » quaeritur cur Traditio, quae pertinet ad divinam revelationem, excludatur omnino a capite VI quasi nullum momentum habeat in vita Ecclesiae! 4. Nihil omnino detrahere volo — absit! — Sacrae Scripturae, sed instanter peto ut detur S. Traditioni quod ei spectat. Proinde propono novum titulum generalem (de particularibus titulis non curo, cum sint postea auferendi) totius capitis et propono magis logicam dispositionem numerorum, ita ut prius sermo fiat de his quae indiscriminatim conveniunt sive Traditioni sive Scripturae, deinde de his quae soli Scripturae conveniunt: 21, 24, 23, 25, 22, 26. Ad materiam singulorum numerorum appono necessarias emendationes.

Cap. VI. De divina Revelatione in vita Ecclesiae. N. 21. « *Non per alios dispositionem salutis nostrae cognovimus quam per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos; quod quidem tunc praeconaverunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum et columnam fidei nostrae futurum* ».[1] « Praedicationis ergo *apostolicae* testimonium eximium, *verbum scil. Dei scriptum et traditum, quod* "potens est aedificare et dare haereditatem in sanctificatis omnibus " (*Act.* 20, 32 gr.; cf. *1 Thess.* 2, 13), *Ecclesia pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur* (Conc. Trid. *DB* 783), *cum utrumque vim eamdem habeat ad pietatem* (S. Basilius M., *PG.* 27, 66).

« *Sacram Traditionem* Sacras*que* Scripturas Ecclesia sicut *unam eamque* supremam fidei suae regulam habuit *et habet, cuius auctoritate* omnis praedicatio ecclesiastica sicut ipsa religio christiana *regatur et iudicetur* oportet. Sacris autem

Scripturis *id peculiare agnoscit quod* ipsius Dei verbum, cum a Deo inspiratae sint, impertiant atque in verbis Prophetarum Apostolorumque vocem Spiritus Sancti personare faciant, *et* insuper immutabilitatis indolem *clarius* prae se ferant.

« Divinas Scripturas velut ipsum dominicum corpus semper venerata est Ecclesia, cum numquam desinat ex mensa tam verbi Dei quam Corporis Christi panem *qui de caelo descendit* (ita cum Enc. *Spiritus Paraclitus, EB* 476) sumere atque fidelibus porrigere ». « In sacris ( ) libris Pater qui in caelis est filiis suis peramanter occurrit et cum eis sermonem confert; tanta autem verbo Dei vis ac virtus inest, ut Ecclesiae sustentaculum ac vigor, et Ecclesiae filiis fidei robur, animae cibus, *propriae cuiusque vitae* spiritualis fons *purus ac perennis* exstet » (cf. *EB* 567): « vivus enim est sermo Dei et efficax » (*Hebr.* 3, 12).

Adnotationes: 1. Resumitur ex textu priore citatio S. Irenaei, quae est ad rem cum agat simul et de praedicatione orali et de Scriptura; 2. afferuntur ex Tridentino et ex S. Basilio duae citationes quae respiciunt Traditionem et Scripturam simul; 3. quaedam resumuntur, et complentur, ex textu priore qui faciunt ad rem pro utroque verbo Dei; 4. deinde fit transitus ad id quod solam respicit Scripturam.

N. 24. (De momento *divinae revelationis* pro Theologia). « Sacra Theologia in verbo Dei scripto *et tradito,* tamquam in suo *primario et* perenni fundamento innititur, quo verbo ipsa firmissime roboratur semperque iuvenescit, omnem veritatem in Mysterio Christi *re*conditam sub lumine fidei perscrutando.

« Sacra *enim Traditio et* Sacra Scriptura vere, *sua quaeque peculiari ratione,* verbum Dei sunt; ideoque *utriusque* studium sit veluti anima Sacrae Theologiae. Eodem autem verbo *Dei* etiam ministerium verbi, pastoralis nempe praedicatio, catechesis omnisque instructio christiana, in qua homilia liturgica eximium locum habeat oportet, salubriter nutritur sancteque virescit ».

N. 23. (Doctorum catholicorum officium apostolicum). « Verbi Incarnati Sponsa, Ecclesia nempe, a Spiritu Sancto edocta, ad profundiorem in dies *divinae revelationis* intelligentiam consequendam procedit, ut filios suos divinis eloquiis indesinenter pascat. *Quapropter studium S. Traditionis in suis monumentis, praesertim in Patribus sive Orientis sive Occidentis et in sacris Liturgiis, rite fovet.* Exegetae autem catholici, aliique Sacrae Theologiae cultores, collatis sedulo viribus, operam dent oportet, ut Patrum vestigia sequentes, sub *ductu* Magisterii, divinas Litteras investigent et quam plurimi divini Verbi administri plebi Dei Scripturarum pabulum fructuose suppeditent, quod mentem illuminet, firmet voluntates, hominum corda ad Dei amorem accendat.

« Sacra Synodus biblicarum rerum cultoribus, *quotquot devoti sunt Ecclesiae filii eiusque doctrinae et normis fideliter obsequuntur,* animum addit, ut opus feliciter coeptum, renovatis in dies viribus, omni studio exsequi pergant ».

Adnotationes: 1. Fit expressa mentio de fovendo studio Sacrae Traditionis; 2. loco « sub vigilantia Magisterii » restituitur lectio textus prioris « sub *ductu* Magisterii »; quae lectio conformior est Enc. *Divino afflante Spiritu* (*EB* 551), Instructioni Pont. Comm. Bibl. (*A.A.S.*, 1964, pag. 713) necnon Constit. Dogmaticae *De Ecclesia* nuper promulgatae (n. 12, pag. 14 fasc., lin. 12); 3. restituuntur ex textu priore verba « quotquot devoti... obsequuntur », quae inveniuntur in Enc. *Divino afflante Spiritu* (*EB* 569), quaeque in textu emendato ablata sunt sine sufficienti ratione: nullo enim modo illa verba includunt odium erga exegetas non

catholicos, sunt e contra condicio necessaria sine qua Ecclesia non posset suis exegetis animum addere ut pergant in opere suscepto.

N. 25. (Lectio S. Scripturae commendatur). *Adnotatio.* Omnia ut in textu emendato, praeter sequentes novas emendationes.

Pag. 39, lin. 15. Loco « Quapropter clericos omnes, imprimis Christi sacerdotes » dicatur: « Clericos *vero* omnes, imprimis sacerdotes ». *Rationes*: *a*) « Quapropter » mutatur in « vero » ut fiat connexio cum praecedentibus iuxta ordinationem novam a me suggestam; *b*) aufertur vox « Christi » ante « sacerdotes » quia superabundat.

Pag. 39, linn. 36-41. Verba: « Meminerint... oracula » utiliter omittuntur quia non sunt stricte ad rem. Sensus iam includitur in superioribus verbis « per *piam* lectionem ».

N. 22. (Commendantur accuratae versiones). *Adnotatio.* Omnia ut in textu emendato, excepto:

Pag. 38, lin. 4. Videntur omittenda verba « illam antiquissimam ». *Ratio*: numerando annos ab origine Ecclesiae, vix dici potest antiquissima versio quae saec. III-II a. Chr. facta est.

N. 26. (Epilogus). « Ita ergo lectione et studio Sacrorum Librorum, *necnon et Sacrae Traditionis cognitione,* " sermo Dei currat et clarificetur " etc. » usque ad finem.

9

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS COGONI
Episcopus Othierensis

Adhaeret animadversionibus Comitatus Episcopalis Internationalis [*cf. supra pag. 956-963*] exceptis:

1. *Generalia*: 3) expungitur.

2. *Ad cap. VI, praenotanda 3 et 4,* sic: « ... excludatur omnino a cap. VI quasi *levius* momentum habeat in vita Ecclesiae! 4) Nihil omnino detrahere volo (absit!) Sacrae Scripturae, sed instanter peto ut detur S. Traditioni quod ei spectat. Proinde propono novum titulum generalem (de particularibus titulis non curo, cum sint postea auferendi) totius capitis. Ad materiam singulorum numerorum appono necessarias emendationes.

3. *Ad n. 25, pag. 39, lin. 15*: emendatio expungitur.

10

EXC.MUS P. D. IUSTINUS DARMAJUWANA
Archiepiscopus Semarangensis

Nomine 30 Patrum Indonesiae.

Libenter repetimus approbationem et laudem nostram iam antea datam. Aliquas tantum animadversiones nobis facere liceat.

1. In cap. 2, n. 8, pag. 15, lin. 9, remittitur in nota ad Concilium Const. IV. Melius nobis videtur remittere ad Conc. Nicaenum II (DENZ. SCH. 602 [303]).

Hoc enim Concilium pro doctrina de traditione maiorem vim habet. Ab hoc Concilio in hac re Conc. Const. IV dependere videtur. Insuper Conc. Nic. II est ultimum etiam ab Orthodoxis agnitum.

2. Dolendum est, quod in initio cap. 6, n. 21, pag. 37, verba S. Irenaei omissa sunt. Est enim testis eximius doctrinae antiquissimae Ecclesiae, specialiter de hoc obiecto. Verba eius clarissima eminenti modo annuntiant quae in hoc capite dicuntur. Rogamus ergo, ut textus restituatur.

3. In cap. 6, n. 21, pag. 37, linn. 12-14, sensus verborum sine ratione sufficienti valde mutatus et extenuatus est. Concedendum forsan verbum « iudicantur » in anteriore redactione nimis rigida et absoluta sonare. Sed hoc non est ratio sensum ita extenuare, prout nunc factum est. Rogamus ergo, ut commissio vestra revertatur ad sensum priorem in forma magis acceptabili. E. g. dici posset: « Omnis ergo praedicatio ecclesiastica atque ipsa religio christiana ad Sacram Scripturam semper respicere debent tamquam ad Verbum Dei, quo semper, Spiritu Sancto movente, nutriuntur et reguntur.

De cetero textus valde nobis placet. Hoc specialiter valet: *a*) pro descriptione Revelationis et fidei in primo capite. Notio fidei nunc magis notioni Revelationis accommodata est; *b*) pro relatione inter traditionem et Sacram Scripturam, quae nunc in cap. II, n. 8, pag. 15, linn. 30-34, in meliorem formam redacta nobis videtur. Omnino volumus, ut maneat in textu via media, prout a relatore in aula luculenter demonstrata et argumentata est. Concilium ergo omnino se abstineat a quaestione disputata, utrum in traditione veritates revelatae inveniantur, quae in Sacra Scriptura desunt. *c*) Pro his, quae in cap. V dicuntur de Evangeliis vere tradentibus quae Iesus fecit et docuit. *d*) Pro indole cap. VI De Sacra Scriptura in vita Ecclesiae.

11

EXC.MUS P. D. ANTONINUS DRAPIER

Archiepiscopus tit. Neocaesariensis in Ponto

L'étude du schema sur *la liberté religieuse* m'a conduit à mettre par écrit des considérations déjà anciennes pour moi, sur le mystère de la création. Je m'excuse de les adresser à Votre Excellence, en langue française, mais je me suis efforcé d'être court au risque de ne pas faire partager ma conviction. En définitive, il me paraîtrait important de ne pas étudier la Révélation en termes de *religion* (au sens courant du mot) c'est-à-dire en termes de réglementations plus ou moins juridiques, afin d'atteindre son sens réel d'activité temporelle du double amour demandé par le Seigneur, de Dieu et du prochain « comme soi-même ». Nous devons aimer Dieu comme il s'aime et le prochain comme il l'aime. C'est la construction de la création éternellement voulue de Dieu et réalisée par notre activité. Cela seul peut nous donner vraiment le sens du péché.

Je souhaite que ces considérations retiennent l'attention du Concile.

Importance du retour à l'idée de création

I. Incontestablement une conséquence spectaculaire de l'Incarnation fut l'apparition d'*une* religion nouvelle au sens courant du mot: « système solidaire de croyances et de pratiques ... qui unissent en une communauté appelée Eglise, tous

ceux qui y adhèrent » (Durkheim); « revendication, à côté du point de vue de la science, du point de vue du sentiment et de la foi » (E. Boutroux). Ces définitions de l'extérieur peuvent être critiquées, il est difficile de leur dénier toute vérité de fait. Il est bien vrai en effet que le catholicisme possède un corps précis de doctrine et un code de la vie pratique individuelle et communautaire. Il est bien vrai également qu'il n'est pas dépendant de la science, mais « du sentiment et de la foi ».

Cependant si la fidélité au Christ Jésus s'exprime par la fidélité à la religion catholique, celle-ci a été instituée non par le Sauveur, mais progressivement, sous l'action du St. Esprit, par les Apôtres et leurs successeurs. La Mission du Seigneur, en effet, a été en relation directe avec le mystère de la création et même ne pouvait avoir d'autre intention.

L'Incarnation, manifestation divine, était ordonnée à l'existence, car si nous avons besoin de Dieu, c'est pour exister et dans la richesse d'existence voulue par Lui. Aussi, si le salut est eschatologique, il est d'abord condition toute particulière d'existence, dès cette vie terrestre, de l'homme sauvé.

Et ce retour à la réalité de la création paraît bien être le seul point de départ possible de tout dialogue et de tout essai d'œcuménisme.

Avant tout et au risque d'étonner, exorcisons le pseudo-problème de la « réconciliation de la science et de la foi ». La science se penche sur le monde existant tel qu'il est de fait en son système d'actions et de réactions évolutives. Elle le fait en toute indépendance. Point n'est besoin pour elle de savoir la raison de l'existence de ce monde. Il existe et cela suffit.

Mais de fait comment ce monde peut-il exister? Ou « par soi » ou, en définitive, par création. Nous répondons « par création ». A chaque instant ce monde (et nous avec lui) existe par relation à Dieu créateur, cause de l'existence comme telle. De fait cette considération intéresse seulement les hommes. Seuls ils peuvent décider, au moins en partie, de leur activité. Les autres créatures n'ont pas le choix. Cependant écartons, à ce sujet (au moins provisoirement), l'idée de commandement. Dieu ne crée pas pour commander. Il crée pour la réalisation de sa pensée créatrice et la condition de l'homme est d'y œuvrer librement, c'est-à-dire par décision réfléchie et par enthousiasme de vitalité comme tous les autres vivants. Car Dieu crée par amour désintéressé de sa créature; mais il pense en unité pour les hommes comme pour toute sa création.

Et là se trouve la difficulté cruciale. Comme tous les vivants, l'homme vit en « égoïsme foncier » nécessaire et donc providentiel. Seulement il en résulte pour lui une tension entre cet égoïsme foncier et l'exigence d'unité de création dont la réalisation dépend de son activité vitale. La solution est dans l'amour de la création comme Dieu la veut et par delà les intérêts personnels temporels.

C'est tout le problème des relations humaines individuelles, sociales et politiques: celui, à l'échelle cosmique, si on peut dire, de la lutte pour la vie. Cela doit apparaître facilement à la réflexion de chacun.

La solution est donnée par la Révélation en passant par la réalité du péché. Le mal est de manquer de l'existence réclamée par la nature. Le péché est ainsi mal d'homme, refus d'exister dans la plénitude pensée, à son sujet, par le créateur. Il est péché, c'est-à-dire opposition ou au moins obstacle à la réalisation de l'amour créateur. La création est condition du créé et tout entière réalité du créé et donc de l'homme tel qu'il est constitué. Il a ainsi le redoutable pouvoir d'empêcher Dieu de dire son amour au monde. Il ne peut en avoir le droit. Par ses refus, il empêche

la réalisation d'existence autour de lui, mais d'abord en lui-même. C'est le mal; il s'appelle alors « péché ». La possibilité du péché s'explique par la victoire des exigences de l'égoïsme foncier sur celles de l'Amour créateur. Cette victoire est un résultat malheureux de la tension déjà soulignée. Nous le savons par expérience, cet état de tension se résoud la plupart du temps en victoire de l'égoïsme foncier sans nous laisser perdre toutefois le sens du devoir, du droit des appels de l'Amour éternel créateur.

A la lumière de son ultime dénouement, la Révélation éclaire cette malheureuse situation de l'homme. En sa création, il avait reçu un don spécial pour affermir son orientation vers les réalisations de l'Amour créateur et le rendre ainsi apte à être, en qualité de Fils adoptif, l'« associé de la nature divine ». Par la malice du serpent, l'homme a voulu, par initiative de sa part, être capable de se passer de sa référence à la pensée créatrice, en jugeant lui-même du bien et du mal comme s'il était créateur. Il rejetait ainsi le don divin de « justice originelle » fait à sa nature pour lui et ses descendants et par suite perdait également la filiation adoptive de Dieu. Il ne perdait cependant pas son devoir; il demeure en effet, le réalisateur nécessaire de la pensée de l'Amour créateur; mais se révèle impuissant à tenir ce rôle. Il a perdu définitivement le don de justice par sa décision violente allant jusqu'à gauchir sa nature spirituelle en faveur de l'égoïsme foncier.

Mais Dieu avait créé l'homme d'une manière admirable; il le rétablit plus admirablement. L'Incarnation est l'apparition sur terre d'un homme en telle relation à Dieu que sa Personne est le Verbe éternel. L'homme-Dieu est juste par essence. En Lui, par Lui et avec Lui, nous sommes justes nous-mêmes pour la réalisation de la pensée créatrice appelée le « Règne de Dieu » ou « Règne des Cieux » et en participation nouvelle à la filiation adoptive, en la « vie » si magnifiquement chantée par St Jean.

Par nous-mêmes, nous demeurons dans l'injustice instaurée par Adam, mais nous participons à la Justice du Christ pour être, en qualité de Fils adoptifs, et à l'image de l'humanité du Verbe, l'« *action temporelle de l'amour eternel* » créateur dans l'exercice de l'amour du prochain.

II. Cette présentation est trop schématisée. Elle l'est volontairement, s'adressant à des théologiens informés. En contre-épreuve il est facile de montrer la faiblesse de la seule conception opposée possible et contradictoire à la création. Si le monde est par soi, l'homme doit trouver en lui-même la règle de sa vie personnelle. Et pourtant cela ne suffit pas. Il a besoin de vivre en communautés. Des chefs lui sont donc nécessaires et ceux-ci sont pour lui de nouveaux dieux. Mais alors, même les mieux intentionnés ont nécessairement des vues limitées aux intérêts des communautés dirigées par eux et nous retrouvons ainsi, sur un autre plan, la lutte pour la vie. Ils parlent de paix, mais il n'y a pas de paix.

Il faut cependant signaler une grave difficulté pour ne pas dire plus. Pour nous, la reconnaissance de la création est un acte de foi et ne peut être imposé à ses négateurs. Mais la conviction des autres est aussi un acte de foi. Pourquoi pourraient-ils nous imposer leur manière de voir? Ils ne le font pas, nous dit-on. Soit, mais nous existons dans nos actions et réactions et si elles ne se sont pas de droit dirigées vers les exigences de la création, elles le sont nécessairement, en pratique, dans le sens du monde existant « par soi », c'est-à-dire en contradiction avec la réalité de la création. C'est tout le sens de la « laïcité » et nous, chrétiens, paraissons avoir négligé cette considération et nous accommoder de ses consé-

quences. Nous demandons seulement la liberté de notre conception quand nous tenons la clé du salut temporel de ce monde. Notre responsabilité est gravement engagée. Nous n'imposons certes pas la foi à la création, mais le choix pratique de la solution non seulement la plus sûre, mais la seule capable d'instaurer la paix dans la tranquillité de l'ordre universel en *unité.*

Une autre considération utile et signalée dans la première partie concerne le « commandement ». Dieu ne crée pas pour commander; il nous instruit sur les modes nécessaires d'orientation de notre existence. Cette remarque a une importance capitale. Hors du péché, il ne peut y avoir commandement ni conseil, mais orientation d'existence pour chacun selon l'intention de la pensée de l'Amour créateur, orientation (toujours sans le péché), acceptée par chacun avec enthousiasme parce que pour lui, plénitude d'existence, plénitude de vie. Le commandement est règle universelle de vie, le conseil est règle particulière d'existence pour quelques uns. Le péché, en nous repliant sur notre égoïsme foncier, nous met en opposition à l'un et à l'autre, mais sans leur enlever leur caractère propre d'orientation divine, de secours divin. Peut-il être dès lors possible d'argumenter sur eux comme s'il s'agissait de lois positives humaines? Nous en sommes cependant arrivés à faire de l'observance du commandement un « maximum » quand en réalité il est un minimum qu'il n'est pas permis de négliger. Il y a là matière à autocritique. Pouvons-nous faire le jeu du péché quand il s'agit de réalisation de la création?

Par delà la notion de commandement, il nous faut pénétrer dans la vérité de la foi chrétienne. Elle se présente en épanouissement, sans aucune contradiction possible, des exigences et richesses de vie de la création. Ce n'est pas pour nous étonner, l'auteur en effet est le même. Par nature l'homme est réalisateur de la pensée de l'Amour éternel. Par nature il doit donc rechercher cette pensée sans pouvoir bien souvent la trouver avec certitude, mais jamais en sa totalité car son intelligence est trop limitée et de plus obnubilée par l'appel du péché. La Révélation chrétienne nous apporte une lumière éblouissante. La vocation de l'homme est de participer, dans son devoir d'homme, à la vie divine en qualité de Fils adoptif, en Jésus-Christ et par Lui, en amour semblable à celui dont le Verbe aime le Père (St. Jean de la Croix) et pour la réalisation de son amour créateur. Plus j'accepte de perdre mes intérêts temporels pour cette réalisation, plus je suis vivant de la vie même de Dieu.

Ainsi se construit l'Eglise, l'œuvre du Père, réalisée par le Fils sous la motion du Saint Esprit par l'activité réfléchie et volontaire des personnes humaines vivant de cette vie divine en *unité.*

Une autre remarque intéresse l'effort d'œcuménisme. L'instrument de l'« action temporelle de l'Amour éternel » pour la réalisation de la pensée créatrice est nécessairement en communion avec cette pensée et cet amour. Il le sera selon la plénitude d'existence en vie divine, capable d'intercession ici-bas; comment ne le serait-il plus dans la possession définitive du salut? C'est tout le problème de l'intercession des saints et de la B. Vierge Marie tout particulièrement.

Comme il apparaît ainsi avec évidence, le Seigneur n'a pas fondé une religion. Les religions sont constructions d'hommes pour entrer en relation avec la divinité et assurer ainsi le bonheur. Il n'y a pas là dénigrement. Le chrétien le plus abandonné à l'Amour éternel, dans et par le Christ, cherche aussi à atteindre sa plénitude d'existence, sa plénitude de vie.

Le Seigneur nous a donné les sacrements pour nous permettre de participer

à la vie divine en Lui et par Lui. Mais l'homme a un devoir naturel de religion. Or le Seigneur est apparu dans un peuple en possession d'une religion et, pour le reste, s'est toujours retiré seul pour prier.

La religion chrétienne a donc été organisée par les Apôtres à partir du culte juif et des sacrements institués par le Sauveur, particulièrement celui de l'Eucharistie, centre de toute la vie chrétienne. C'est notre Messe. Elle doit donc être, elle aussi, orientée à la réalité de l'existence selon la pensée de l'Amour créateur. Les chrétiens le savent-ils vraiment?

Soulignons pour terminer, un fait important. Nous parlons de religion bouddhiste. Pour certains théologiens, elle est même l'escabeau du Christianisme. Mais un peuple athée et pour qui l'existence est un mal dont il faut se défaire par le Nirvana, peut-il avoir vraiment une religion valable, indépendemment de ses manifestations extérieures?

Conclusion. En conclusion demandons nous si nous sommes pleinement fidèles aux exigences fondamentales de la Révélation chrétienne à la lumière de la création. Sauvés par le Christ, nous demeurons des hommes toujours prêts à oublier le réalisme de l'Amour créateur, même si nous sommes de profonds théologiens. Le grand danger est difficilement évité. Il consiste à nous cantonner dans des conceptions abstraites. Elles peuvent être nécessaires et le sont véritablement, mais pour être utiles doivent être ordonnées continuellement à la vie réelle pratique des hommes déchus et injustes en dehors de leur union actuelle en Jésus-Christ dans la réalisation des exigences de l'Amour éternel créateur. Le salut est eschatologique, mais il est vie et comme tel dans l'acceptation temporelle des exigences de l'Amour éternel.

Il n'y a pas là place pour des arrangements de théologie morale. Nous sommes ou ne sommes pas réalisateurs actuels de la pensée de l'Amour éternel et, dans la mesure où nous ne le sommes pas, nous sommes dans le péché. Les moralistes peuvent juger de la gravité du péché, mais non rejeter sa réalité.

Le plus grand danger pour nos savants est de demeurer, par spéculation, dans l'irréel.

12

REV.MUS P. D. VILFRIDUS DUFAULT

Superior generalis Augustinianorum ab Assumptione

Amendement du § 5, p. 5 du schéma, ligne 24: Retour au « textus prior ». L'addition « qua homo se totum libere Deo committit » paraît en effet discutable. Elle est faite (relatio, p. 12) pour donner de la foi une description « magis biblica et personalistica ». Mais elle a l'inconvénient, semble-t-il, de mêler à la considération de la foi celle de la charité. Je ne pense pas en effet que par la foi seule l'homme se remette à Dieu *totalement.* Cela se fait par la foi vive, c'est-à-dire par la foi informée par la charité. Et sans doute c'est de la foi vive que l'Ecriture parle le plus souvent: on donne donc au texte, comme on le désire, une tournure plus biblique. Mais c'est oublier que la Constitution Dogmatique De Revelatione est un exposé doctrinal systématique, tel que la Bible n'en donne pas. Et cela paraît imposer un langage différent.

Amendement du § 6 (p. 6, ligne 2): Rétablir *quidem,* qui figurait dans le textus prior, et qui paraît avoir été omis sans raison, au détriment de la clarté.

Amendement du § 21 (p. 37, lignes 8-9): La gradation « *non tantum* a Deo inspiratae sint ... *sed insuper* etc. » paraît un artifice de style assez vide. Quand on a dit que l'Ecriture est inspirée et qu'elle est parole de Dieu, on a dit tout ce qui fait son autorité, si bien que ce qui vient après cet « insuper » n'ajoute rien en réalité à ce qui était dit après « non tantum ». C'est pourquoi on préférerait le texte suivant: « Eas una cum Traditione semper sicut supremam fidei suae regulam habuit, cum a Deo inspiratae sint ita ut in verbis Prophetarum Apostolorumque vocem Spiritus Sancti personare faciant ».

Amendement du § 22 (p. 38, lignes 13-17): La dernière phrase, sur la possibilité de traductions faites en collaboration avec de non-catholiques, et surtout sur la diffusion de telles versions qui sera permise parmi les fidèles, est une question disciplinaire, qui paraît déplacée dans ce contexte et risque d'y revêtir une trop grande solennité et rigidité. C'est pourquoi on propose de supprimer purement et simplement la dernière phrase: « Quae si, annuente ... adhiberi poterunt ».

Enfin et surtout on doit reprocher à ce schéma de ne pas faire à la notion de Tradition une place équitable. Non pas que l'on veuille blâmer la règle qui a été adoptée de ne pas trancher la controverse entre ceux qui admettent et ceux qui n'admettent pas que la Tradition contienne des vérités révélées qui ne sont pas contenues dans l'Ecriture. Nous pensons que cette ligne de conduite est sage et qu'il est équitable de tenir la balance égale entre les deux opinions. Mais précisément on doit reprocher au présent texte de manquer d'impartialité. Quoiqu'il s'abstienne de toute déclaration qui serait contraire soit à une opinion soit à l'autre, la disproportion vraiment trop voyante des places qu'y tiennent respectivement l'Ecriture et la Tradition, et le lieu choisi pour traiter de cette dernière, laissent à penser que le schéma est construit tout entier dans l'optique de l'une des deux thèses en présence et que l'on s'est seulement appliqué à ne pas condamner l'autre. Parler dans ces conditions de « l'équilibre » de ce texte, équilibre obtenu par un long travail (Relatio de Capitulo II, animadversio praevia, p. 19) ne paraît pas très conforme à la vérité, car c'est précisément d'équilibre que le texte manque.

En effet, dans cette Constitution Dogmatique « De Divina Revelatione », l'Ecriture s'adjuge la part du lion: quatre chapitres sur six lui sont intégralement consacrés. La Tradition par contre est traitée en parent pauvre. Elle n'a même pas droit à un chapitre propre, mais à un ou deux paragraphes.

De plus ces paragraphes sont incorporés à un chapitre qui porte pour titre « De Divinae Revelationis *transmissione* », comme s'il était entendu que la Tradition ne peut être *source* de la Révélation au même titre que l'Ecriture. Le texte sans doute ne dit pas cela, mais la place qu'on lui donne est fâcheusement équivoque.

Ce défaut pourrait être corrigé, si l'on voulait bien changer le titre du chapitre II et l'intituler, non pas « De Divinae Revelationis transmissione », mais « De Traditione », ce qui est possible, car la Tradition est bien transmission de la Révélation, même si elle est plus que cela. Assurément ce changement de titre devrait amener un remaniement du texte de ce chapitre, pour que titre et contenu se correspondent. Mais l'importance du défaut signalé nous paraît mériter ce travail.

Qu'il nous soit permis, en terminant, de rappeler un texte de saint Basile qui n'est pas sans intérêt dans la présente question. Il arrive que l'on présente la thèse qui admet que certaines vérités révélées nous sont venues par la Tradition sans être contenues dans l'Ecriture comme une thèse relativement moderne, née peut-être vers le XVe siècle et durcie par la polémique antiprotestante.

On sera édifié sur l'objectivité de cette allégation en relisant les textes suivants de saint Basile, tirés du chapitre XXVII de son Traité du Saint-Esprit, et que nous citons d'après la traduction du P. Pruche dans les « Sources Chrétiennes ». Il n'est pas question, bien sûr, de soutenir que les applications que saint Basile y fait du principe qu'il y pose sont très convaincantes. Il n'est pas question non plus de prendre fait et cause pour le caractère secret qu'il attribue aux traditions apostoliques. Il s'agit seulement de constater combien explicitement il pose le principe qu'il n'est pas nécessaire que toute doctrine sacrée soit contenue dans l'Ecriture. Il y a des choses qui ne nous sont connues que par tradition et qui « ont la même force au regard de la piété ».

« Parmi les " doctrines " et les " définitions " conservées dans l'Eglise, nous tenons les unes de l'enseignement écrit et nous avons recueilli les autres, transmises secrètement, de la tradition apostolique. Toutes ont la même force au regard de la piété, nul n'en disconviendra, s'il a tant soit peu l'expérience des institutions ecclésiastiques; car si nous essayions d'écarter les coutumes non-écrites comme n'ayant pas grande force, nous porterions atteinte, à notre insu, à l'Evangile, sur les points essentiels eux-mêmes; bien plus nous transformerions la " définition " en un simple nom. Par exemple (pour rappeler ce qui vient en tout premier lieu et dont l'usage est si commun), qui nous a enseigné par écrit à marquer du signe de la croix ceux qui espèrent en Notre Seigneur Jésus Christ? Quelle Ecriture nous a appris à nous tourner vers l'Orient pendant la prière? Les paroles de l'" épiclèse ", au moment de la consécration du pain eucharistique et de la coupe de bénédiction, quel saint nous les a laissées par écrit? Nous ne nous contentons pas des paroles rapportées par l'Apôtre et l'Evangile; avant et après, nous en prononçons d'autres, reçues de l'enseignement non-écrit, parce qu'elles ont une grande importance pour le mystère. Nous bénissons aussi l'eau du baptême, l'huile de l'onction et, en outre, le baptisé lui-même. En vertu de quels écrits? N'est-ce pas en vertu de la tradition gardée secrète et cachée? Eh quoi! Même l'onction d'huile, quelle parole écrite l'a enseignée? La triple immersion: d'où vient-elle? Et tout ce qui entoure le baptême: la renonciation à Satan et à ses anges, de quelle Ecriture cela vient-il? N'est-ce point de cet enseignement tenu privé et secret, que nos pèrs gardèrent dans un silence exempt d'inquiétude et de curiosité, sachant bien qu'en se taisant on sauvegarde le caractère sacré des mystères, car ce qu'il n'est pas permis aux non-initiés de contempler, comment serait-il raisonnable d'en divulguer par écrit l'enseignement? » (Saint Basile: *Traité du Saint-Esprit,* chap. XXVII, n. 66; *Sources Chrétiennes,* pp. 232-235).

« La journée ne me suffirait pas pour exposer les mystères de l'Eglise que l'Ecriture ne livre point. Laissant tout le reste, je demande de quels écrits nous tenons la profession de foi au Père et au Fils et au Saint-Esprit? » (*Ibid.,* n. 67; *Sources Chrétiennes,* p. 238). (Saint Basile parle ici manifestement non pas de la révélation de l'existence des Trois Personnes, qu'il sait explicitement contenue en particulier dans *Mt.* 28, 19, texte auquel il fait allusion plus loin, comme on va le voir, mais de cette profession de foi trinitaire qu'est le symbole baptismal ou symbole des Apôtres).

Un peu plus loin, en venant à la formule « Gloire au Père et au Fils avec le Saint-Esprit », saint Basile en prend la défense, contre les Pneumatomaques: « Mais si l'on refuse, comme absente des Ecritures, notre façon de glorifier, qu'on nous

donne les preuves écrites de la profession de foi et de tout le reste, dont nous avons fait l'énumération.

« Alors qu'il y a tant de choses qui ne sont pas écrites, et des choses d'une si grande importance pour le mystère de la piété, va-t-on nous refuser ce simple mot qui nous est venu des Pères, que nous-mêmes voyons persister en vertu d'un usage quasi-naturel dans les Eglises qui ne sont pas perverties, un mot dont la raison n'est pas vaine, et qui ne contribue pas peu à la force du mystère? » (*Ibid.,* n. 67; *Sources Chrétiennes,* p. 238).

« Mais ils (les Pneumatomaques) ne cessent de répéter sur tous les tons que la doxologie « avec l'Esprit-Saint » n'est pas attestée, ne se trouve pas dans l'Ecriture, et autres choses semblables! On a donc déclaré que c'est la même chose, quant au sens, de dire « gloire au Père et au Fils et au Saint-Esprit » et « gloire au Père et au Fils avec le Saint-Esprit ». On ne saurait donc, ni rejeter, ni effacer, la particule « et », sortie de la bouche même du Seigneur, et rien n'empêche d'accepter la préposition équivalente, dont nous avons montré plus haut comment elle lui ressemble et comment elle en diffère » (*Ibid.,* n. 68; *Sources Chrétiennes,* p. 239).

13

Exc.mus P. D. ANTONIUS FUSTELLA
Episcopus Tudertinus

Propono: I. Aliquas verborum emendationes:

Pag. 16, linn. 6-7: melius videtur ut bis dicatur « verbum Dei », ideo mutetur « locutio Dei » in « verbum Dei »; in duobus partibus « Verbum Dei » sit identidem « appositio subiecti »: ideoque dicatur: « S. Scriptura est verbum Dei... S. Traditio est verbum Dei.. concreditum... transmissum ».

Pag. 21, linn. 1 ss.: tota prima periodus sat dura quoad stylum.

Pag. 37, linn. 2-3: loco « corpus dominicum » dicatur « corpus Domini »; est enim ratio dicendi communis et facilius linguis vernaculis redditur.

Pag. 37, linn. 18-19: loco « et Ecclesiae filiis » dicatur « eiusque filiis »: vitatur repetitio.

Pag. 38, lin. 4: supprimatur « sua » utpote non necessarium; melius vero, forsitan, diceretur « inde ab initiis », supprimendo « iam ».

Pag. 38, lin. 19: « Verbi Incarnati Sponsa, Ecclesia nempe »: locutio abundans videtur! Ecclesia utique est sponsa Christi, sed hic non est revera « necessaria ».

II. Aliquas idearum clarificationes:

Pag. 15 lin. 23: loco « quam experiuntur » dicatur « quas experiuntur ». *Ratio*: adhuc manifestius directe de « intelligentia », de « experientia » indirecte tantum diceretur: sic Concilium satisfacit Patribus non paucis, qui de hoc textu non bene in Concilio locuti sunt; pag. 28, linn. 10-11 iam locutio similis datur: « Israel diversas vias experiretur ».

Pag. 32, lin. 9: loco « factis et signis » restituatur prior textus « factis et verbis »: est enim magis completus et clarior.

Pag. 4, linn. 20-21: « ab indeque sine intermissione generis humani curam egit »; locutio nimis secura et positiva videtur. Quomodo componitur e. g. cum *Act.* 14, 16; 17, 30?

* * *

Ad n. 6, pag. 5, lin. 38; pag. 15, lin. 4; ad n. 9, pag. 16, linn. 8-11; pag. 16, linn. 30-31; ad n. 12, pag. 22, lin. 1; pag. 22, lin. 13; ad n. 15, pag. 29, lin. 2; pag. 29, lin. 5; ad n. 18, pag. 32, linn. 23-25; pag. 32, linn. 31-33 [*cf. pag. 956-960*].

14

Exc.mus P. D. RAPHAEL GARCIA Y GARCIA DE CASTRO
Archiepiscopus Granatensis

Cf. pag. 947-950.

15

Exc.mus P. D. IOSEPH GARNERI
Episcopus Segusiensis

Quod aliqui Patres (E/3218, E/3293) efferunt (pag. 25, linn. 1-3) scil. parallelismum esse inter obiectum infallibilitatis Magisterii et inerrantiae S. Scripturae, non placet.

Nam, dum in iure admittitur parallelismus, de facto obiectum infallibilitatis Magisterii sunt res fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentes, obiectum inerrantiae. S. Scripturae sunt omnes assertiones authenticae hagiographi in sensu ab eodem intento.

Ubi loquitur (pag. 21, n. 11, lin. 21) de absoluta veritate Sacrae Scripturae, tamquam effectu divinae inspirationis, optandum videtur ut saltem unum verbum ponatur ad declarandum alterum effectum divinae inspirationis, scil. eiusdem Sacrae Scripturae absolutam honestatem.

16

Exc.mus P. D. ANDREAS JACQ
Episcopus tit. Cerasenus

N. 4 (pag. 4, linn. 33 s.). Opus est totam primam sententiam exprimi ut in S. Scriptura. Secundum Vulgatam: « Multifariam multisque modis *olim* Deus loquens *patribus* in prophetis novissime ... ». Vel secundum translationem propositam: « Postquam multifariam multisque modis *olim* Deus locutus est *patribus* in prophetis novissime ».

N. 4 (pag. 5, lin. 6). « Signa et miracula » omittenda sunt; iam enim continentur in « verbis et operibus ». Praeterea apud aliquos theologos non est distinctio adaequata inter « signum » et « miraculum ». Omne miraculum est signum Regni.

N. 4 (pag. 5, lin. 9). Obiectum missionis S. Spiritus non est satis explicatum.

N. 5 (pag. 5, linn. 26 s.). Veritas revelata non solum est veritas revelata a Deo, sed Ipse Deus. Finis sententiae sic perficienda est: « Voluntarie veritati *quae Ipse est* Deus a *Christo* revelatae assentiens ».

N. 7 (pag. 14, linn. 26 s.). Ad iam tollendum quamcumque ambiguitatem super significationem « Traditionis », dicatur: « Sacra *vivaque* igitur Traditio ».

N. 17 (pag. 32, lin. 9). Pro « factis et signis », dicatur « factis et *verbis* » ut in textu priore. Quia Christus Seipsum manifestavit quoque et essentialiter in verbis.

N. 21 (pag. 37, linn. 2-6). Ad tranquillitatem et eruditionem Patrum quibus non placet comparatio valde tamen fundata in patristica traditione inter Verbum Divinum et S. Eucharistiam videtur bonum esse aliquas citationes Patrum adiicere, ut: S. Hieronymus, *Comm. in Ecclesiam,* c. II, *PL* 23, 1039 A: « Quia caro Domini verus est cibus et sanguis eius verus est potus, iuxta ἀναγωγήν hoc solum habemus in praesenti saeculo bonum, si vescamur carne eius, et cuore potemur, non solum in mysterio (Eucharistia), sed etiam in Scripturarum lectione. Verus enim cibus et potus, qui ex verbo Dei sumitur, scientia Scripturarum est ». Cf. et S. Augustinus, *Sermo* 56, 6, 10, *PL* 38, 381; *Sermo* 57, 7, 7, *PL* 38, 389; *Sermo* 58, 4, 5, *PL* 38, 395; *Sermo* 59, 3, 6, *PL* 38, 401 ...

N. 25 (pag. 39, linn. 30-31). « Libenter », quod « sine repugnantia » significat, non satis exprimat momentum sacri textus studii. Pro « libenter » dicatur « diligenter » vel « ferventer ».

17

EXC.MUS P. D. IOANNES IOSEPH KROL
Archiepiscopus Philadelphiensis Latinorum

In genere. Hoc schema bene confectum est et valde placet. Aliquas animadversiones particulares, attamen, proponere audeo, spem habens eas utilitatis fore.

In specie. Pag. 5, n. 4, linn. 4-13. Quamquam ex discussionibus Commissionis haec pericope valde mutata est, forsan theologice melior videretur formula prior, nempe, « missione quoque Spiritus veritatis » loco « misso tandem Spiritu veritatis ». Haec quidem observatio facta est quia opus revelationis divinae compiendae perficiendaeque directe de Spiritu Sancto praedicatur in *Io.* 14, 15-26; haec idea non bene exprimitur clausula ablativa absoluta, praesertim si adhibeatur participium in tempore grammatico, uti dicitur, perfecto.

Pag. 14, n. 7, linn. 26-32. In pag. 18 Relationis, sub capite *Relatio de n. 7,* (C), explicite notatur: « Omittitur citatio *1 Cor.* 13, 12 ad vitandam difficultatem exegeticam ... de imagine speculi ». Eadem imago, attamen, sine citatione invenitur in corpore textus, et haec figura rhetorica revera non est clara. Proponitur, ergo, ut haec imago supprimatur et ut pericope formuletur sic: « In Sacra Traditione et in utroque Testamento Ecclesia in terra peregrinans ... ».

Pag. 14, n. 8, lin. 33 ad pag. 15, lin. 40. Fortasse occurrit aliqua ambiguitas in sensu vocis « traditio ». Passive sumpta esse videtur in lin. 16, pag. 15, i. e., refert ad id quod docetur et creditur. Activus autem sensus vocis apparet in linn. 27, 40. Forsan, autem, difficile esset multiplicitatem sensuum in una voce evitare.

Pag. 16, nn. 9-10, *passim.* Abbreviatio « S. » plene conscribi deberet.

Pag. 21, n. 11, linn. 13-14. Propter causas rhetoricas aliquis sese opponere posset ad usum clausulae ablativae absolutae « Ipso in illis et per illos agente » propter duplicem rationem: « Ipso » refert tum ad subiectum clausulae principalis cum ad subiectum clausulae relativae quae limitat obiectum clausulae in qua ablativus absolutus invenitur; « illis » et « illos » referunt ad subiectum clausulae in qua ablativus absolutus adhibetur. Proponitur, ergo, ut clausula ablativa absoluta supprimatur et eius loco substituatur alia clausula, e. g., « quia Ipse in illis et per illos agebat ».

Pag. 21, n. 11, linn. 18-26. Dictum « inde Scripturae libri integri cum omnibus suis partibus veritatem salutarem inconcusse et fideliter, integre et sine errore docere profitendi sunt » comportat difficultatem eo quod non omnes et singulae partes Sacrae Scripturae docent, vel saltem non directe docent. Quamquam haec pericope in Commissione extensive discussa est (cf. *Relationem,* pag. 24-25), proponitur ut verba « integri cum omnibus suis partibus » et « integre » omittantur; omissio illa respondet ad obiectionem quod non omnes et singulae partes Sacrae Scripturae directe docent, et omissio haec obstat huic difficultati duplici: 1) possibilitas intelligendi textum tamquam negationem naturae progressivae revelationis, et 2) possibilitas intelligendi textum tamquam doceret omnem veritatem revelatam in Sacra Scriptura exprimi.

Pag. 22, n. 12, linn. 5-9. Obiectio aliqua fieri potest ad divisionem generum litterariorum. Opus poeticum iuxta intentionem auctoris potest esse etiam opus historicum; opus poeticum potest esse etiam propheticum. Proponitur, ergo, ut verba « vario modo historicis, propheticis, poeticis, vel in aliis dicendi generibus » deleantur. Absque his verbis pericope satis inculcat id quod desiderat.

Pag. 23, n. 13, linn. 1-6. Haec sententia uti iacet haeretice intelligi potest, duplici autem modo: 1) potest intelligi tamquam comportaret verba Sacrae Scripturae posse erronea esse, ut saepe fit in locutione humana; 2) potest etiam intelligi tamquam comportaret peccatum posse de « Aeterni Patris Verbo » praedicari. Error prior potest dici contextu exclusus, eo quod non possumus de errore altero dicere. Proponitur, ergo, ut « absque peccato » ex Epistola ad Hebraeos 4, 15 inseratur post « factum est » sub fine paragraphi.

Nota. Pag. 23, n. 13. Per totum schema invenitur *Textus prior* in columna sinistra paginae, et in columna dextera invenitur *Textus emendatus.* Hoc obtinet etiam quoad pag. 23, ut liquet ex lectione utriusque columnae et ex lectione partis illius textus quae praecedit has columnas, sed tituli ad capita harum columnarum inversi sunt: *Textus emendatus* est ad caput columnae sinistrae, et *Textus prior* ad caput columnae dexterae.

Pag. 38, n. 22, linn. 13-17. « Fratres seiuncti » videntur esse acatholici baptizati. Si recta sit haec interpretatio, cooperatio catholicorum cum Iudaeis et cum aliis non-baptizatis in confectione versionum novarum Sacrae Scripturae excludi videatur. Estne haec Concilii mens Patrum?

18

EXC.MUS P. D. IACOBUS MARTIN

Episcopus tit. Neapolitanus in Palaestina

Pag. 5, linn. 1-11. Magis placeret tempus *praeteritum,* sicut in principio huius § 4 (« misit Filium... ut habitaret etc. »). Ideo: verba Dei *locutus est* (lin. 1) opus salutare *consummavit* (lin. 2) complendo *perfecit* (lin. 10), testimonio *confirmavit* (lin. 11).

Pag. 5, linn. 5-8. Dicerem sic: suiipsius praesentia ac manifestatione, verbis nempe e operibus etc. ...

Pag. 15, lin. 24. Loco: ad *plenitudinem...* tendit, nonne melius esset: ad *pleniorem cognitionem...* tendit?

Pag. 16, lin. 8. Claritatis et praecisionis causa, dicerem: « ... scripto consignata *est.* Sacra autem Traditio *revelationem divinam* a Christo... concreditam... etc.

Pag. 21, linn. 19 ss. Circa expressionem: veritatem *salutarem,* opponi potest omnem veritatem aliquo modo esse salutarem... Ex alia parte (opposita), non deest periculum ne facta quaedam (quod Magi, v. g., venerunt ad praesepe) evacuentur, sub praetextu quod non pertinent ad « veritates salutares », retenta ut tali sola significatione spirituali (vocatio gentium ad fidem). Ad cavillationes omnis generis evitandas nonne melius esset dicere simpliciter: *veritatem a Deo hominibus manifestatam?*

Ibidem (pag. 20, lin. 20). Non multum appropriatum videtur adverbium « inconcusse », quod magis *personam* respicit quam rem mortuam, ut librum vel scripturam. Sed omnino delendum est adverbium *integre,* ne videatur Concilium solvisse in hoc loco vexatam quaestionem de sufficientia vel insufficientia materiali Scripturae relate ad Traditionem. In reliquo schemate, etenim, maxima adhibita est cura ne Traditio a Scriptura disiungeretur: cf. pag. 37, lin. 6: eas (Scripturas) *una cum Traditione* semper sicut supremam regulam; pag. 38, lin. 40: ... in verbo Dei scripto *sub luce traditionis explicando...*

Pag. 22, lin. 2. Magis praecise diceretur: « ... significare intenderint, *quidque* eorum verbis manifestare Deo placuerit... », quia hagiographus non semper nec necessario intendit *omne id* quod Deus intendit.

Pag. 29, linn. 1-2. Dicerem *positive*: Qui libri, *in illis etiam quae imperfecta vel temporaria* praeseferunt, veram paedagogiam divinam demonstrant (vel simile quid).

Pag. 32, lin. 31. Lacuna quaedam cumulanda videtur, hoc modo: Quae enim Apostoli *viderunt et audierunt,* et ea quae ex mandato Christi praedicaverunt.. etc.

Pag. 33, lin. 25. Non placet usus uncorum ad indicandum quod verbum « veritatem » in alio sensu intelligendum est. Dicatur simpliciter: *firmitatem.*

Pag. 33, lin. 31. Excidit verbum « *exarata* ». Restituatur hoc modo: scripta apostolica Spiritu Sancto inspirante *exarata* continet... (vel conscripta, aut aliud simile verbum).

Pag. 37, lin. 14. « ... Sacra Scriptura nutriatur oportet » parum dicit si referatur ad textum priorem. Posset schema viam mediam sequi dicendo: « ... *in Sacris Scripturis inspirationem suam imprimis quaerat oportet* » (aut quid simile).

Pag. 38, lin. 4. Ponatur: *antiquam,* non antiquissimam.

Pag. 38, lin. 7. Ponatur: versiones orientales et *versiones latinas, illam praesertim* quam vulgatam vocant... (maioris praecisionis causa).

Haec pauca tantum humillime proponere liceat, ut optimum schema perfectius adhuc evadat.

19

EXC.MUS P. D. PETRUS PALAZZINI

Archiepiscopus tit. Caesariensis in Cappadocia

Cf. supra pag. 956-963.

20

EXC.MUS P. D. IOSEPH PETRALIA

Episcopus Agrigentinus

Pag. 16, n. 9, linn. 10-13. Loco « successoribus eorum... diffundant » dicatur « et ab ipsis integre successoribus transmissum, qui illud praeconio suo indesinenter et fideliter servant, exponunt, diffundunt ». *Ratio*: textus ita concinnatus magis eurytmice consonat cum praecedenti contextu de Sacra Scriptura et melius organum Traditionis indicat.

Cap. VI, pag. 38, n. 23, linn. 23-32. Tota periodus involuta videtur, praesertim ex insertione alterius subiecti. Propono ut lin. 28 loco « et » scribatur « adeo ut quam plurimi divini verbi administri... ». Periodus ita lucidior evadit.

Cap. VI, pag. 40, n. 25, lin. 10. Addatur, quaeso, haec periodus: « Pro rudibus autem in fide et pro lectione sacri textus in familiis christianis curent episcopi florilegia biblica satis ampla conficienda, in quibus loci difficiliores intellectu et facta infirmioribus minus apta praetermittantur ». *Ratio* est evidens. Christifideles rudiores et infirmiores in fide offendiculum inveniunt in quosdam locos et in quaedam facta quae perfectionem Evangelii non redolent. Memoranda verba S. Pauli: « Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt » (*1 Cor.* 6, 12; 10, 23).

21

EXC.MUS P. D. PAULUS PHILIPPE

Archiepiscopus tit. Heracleopolitanus

N. 2, pag. 3, linn. 8-9. Loco « Propterea, Concilii Vaticani I inhaerens vestigiis... », dicatur: « Propterea, Concilii *Tridentini et* Vaticani I inhaerens vestigiis... ». *Ratio*: in exponenda doctrina de Revelatione, praesens Constitutio rationem habere debet etiam Concilii Tridentini.

N. 4, pag. 5, lin. 10. Loco: « ... complendo perficit ac testimonio... » dicatur: « ... *complet* ac testimonio... ». *Ratio*: « complendo perficit » videtur inutilis redundantia verborum.

N. 7, pag. 14, linn. 23-26. Loco: « Ut autem Evangelium integrum et vivum iugiter in Ecclesia servaretur, apostoli successores reliquerunt episcopos, ipsis " suum ipsorum locum magisterii tradentes " », dicatur: « Apostoli autem per orbem ecclesias constituentes, eis episcopos tamquam suos successores praeposuerunt, ipsis " suum ipsorum locum magisterii tradentes ", ut Evangelium integrum et vivum in Ecclesia servaretur ». *Ratio*: Apostoli episcopos instituerunt, non solum ut Evangelium integrum et vivum servaretur, sed etiam ut ab ipsis populus Dei sanctificaretur et regeretur. Textum ergo proponimus, in quo ministerium Evangelii tamquam pars, etsi potior, missionis episcoporum appareat.

N. 8, pag. 15, lin. 7. Loco: « , traditiones quas », dicatur: « *et* traditiones quas... ». *Ratio*: coniunctio « et » est evidenter necessaria.

N. 8, pag. 15, linn. 9-12. Loco: « Quod vero ab Apostolis traditum est, ea omnia complectitur quae ad populi Dei vitam sancte ducendam fidemque augendam conferunt... », dicatur: « Quod vero ab Apostolis traditum est, ea omnia complectitur quae ad populi Dei *fidem gignendam et augendam vitamque sancte ducendam conferunt...* ». *Ratio*: quod ab Apostolis traditum est *primum* respicit *fidem* quam *gignit* (utpote nuntius salutis) et *auget.*

N. 8, pag. 15, linn. 16-26. Dicatur: « Haec quae est ab Apostolis Traditio sub assistentia Spiritus Sancti in Ecclesia proficit *in vivo praeconio et doctrina eorum quibus Apostoli suum ipsorum locum magisterii tradiderunt* (cf. IRENAEUS, *Adv. Haer.*, 3, 1) (A) [vel: « ... et doctrina successorum Apostolorum », quia textus S. Irenaei iam citatur in n. 7]. *Qui profectus semper fit in eodem dogmate, eodem sensu eademque sententia* (cf. VINCENTIUS LERINENSIS, *Commonitorium primum,* c. 23, *PL* 50, 668). (B) Crescit enim tam rerum quam verborum traditorum perceptio ex contemplatione credentium qui ea conferunt in corde suo (cf. *Lc.* 2, 19 et 51), *ex studio doctorum intellectum fidei quaerentium* (C) *ex charismatibus a Deo ad utilitatem Populi sui collatis* (cf. *1 Cor.* 12, 7) (D), *ex donis Spiritus Sancti quibus experientia quaedam rerum divinarum obtinetur* (E). Ecclesia scilicet, volventibus saeculis, ad *plenam* divinae veritatis *intelligentiam* iugiter tendit, donec consummentur verba Dei in ea (cf. *Apoc.* 17, 17; *1 Cor.* 13, 10) (F).

Rationes additamentorum et mutationum: A) In hac doctrina de profectu Traditionis, oportet omnino loqui de munere magisterii Collegii Episcoporum quod in locum Apostolorum succedit, cuius est sub assistentia Spiritus Sancti custodire, defendere, proponere, enucleare veritates ab Apostolis traditas, atque probare, iudicare et in sua doctrina assumere ea quae idem Spiritus Ecclesiae suggerit ad intelligentiam traditorum.

B) Haec additio, ex famoso dicto S. Vincentii Lerinensis sumpta, homogeneitatem asserit illius profectus Traditionis.

C) Munus theologorum in explicitatione doctrinae fidei specialem mentionem meretur. Quare distinximus ea quae in textu schematis coniunctim referuntur, scil. contemplationem et studium credentium.

D) Inter causas profectus intelligentiae rerum traditarum in Ecclesia praetermittere non possumus charismata ad utilitatem populi a Deo collata, scil. sermonem sapientiae et scientiae (cf. *1 Cor.* 12, 8), qui apud Patres, Sanctos Doctores et magnos Pastores Ecclesiae praefulget, necnon doctrinas spirituales Sanctorum, aut « prophetiam » (cf. *1 Cor.* 12, 10) seu revelationes, quae deposito fidei tradito nihil obiective addunt, sed eius thesauros pandunt et « motus » spirituales vel magnas

devotiones in Ecclesias suscitant, unde sequitur profundior cognitio divitiarum Christi.

E) Quoad intimam experientiam rerum spiritualium aliam proponimus formulam, nam: in hac re mentionem oportet facere de donis Spiritus Sancti; dicimus « experientia *quaedam* » ad significandam naturam specialem et mysteriosam talis experientiae; dicimus « rerum divinarum » potius quam « rerum spiritualium », ut aptius significetur obiectum illius intimae cognitionis, nempe Mysterium Dei, gratiae et salutis.

F) Loco « ad plenitudinem divinae veritatis iugiter tendit », dicimus « ad plenam divinae veritatis intelligentiam iugiter tendit », quia plenitudo divinae veritatis Ecclesiae in Christo data est, sed ipsa tendere debet ad intelligentiam perfectam illius plenitudinis.

Denique, ponimus prolationem *Apoc.* 17, 17, ante *1 Cor.* 13, 10, quia ultima verba textus schematis « donec consummentur verba Dei » desumuntur e loco *Apoc.* 17, 17.

N. 9, pag. 16, linn. 8-13. *Animadversio*: Textus « S. autem Traditio verbum Dei... diffundant » difficultatem praebet. Etenim Traditio, uti patet, *hic sumitur prout distinguitur a S. Scriptura,* tamquam alter modus seu via transmissionis verbi Dei. Dicitur autem in textu hanc Traditionem integre transmittere successoribus Apostolorum verbum Dei Apostolis concreditum.

Sed haec transmissio nihil aliud est quam primaeva et constitutiva Paradosis apostolica, *quae ambos modos transmissionis complectitur, scil. praedicationem oralem* (*cum exemplis et institutis*) *et Scripturam.* Sic non habetur quod textus intendebat, nempe descriptio Traditionis prout a Scriptura distinguitur, ut mutua earum relatio ostendatur.

Ne dicas Traditionem in hoc distingui quod verbum Dei successoribus Apostolorum transmittit « ut illud, praelucente Spiritu veritatis, praeconio suo fideliter servent, exponant atque diffundant », quia hoc valet etiam de verbo Dei scripto seu de S. Scriptura.

Oportet igitur clarius indicare ipsum modum specialem transmissionis verbi Dei quae fit in Traditione.

Ideo sequentes textus propono: « S. autem Traditio verbum Dei, a Christo Domino et a Spiritu Sancto Apostolis concreditum, successoribus eorum *aliter ac in scriptis* integre transmittit, ut illud *sacrum depositum* (cf. *2 Tim.* 1, 14), praelucente Spiritu veritatis etc. ... ».

In fine posset forsan addi: « ... atque diffundant, *formam habentes sanorum verborum quae audierunt in fide et in dilectione in Christo Iesu* (cf. *2 Tim.* 1, 13) ».

Dici etiam potest, usurpando verba S. Irenaei: « S. autem Traditio *quasi in depositorium dives plenissime in Ecclesiam contulit omnia quae sine veritatis* (cf. S. IRENAEUS, *Adv. Haer.* III, 4, 1) a Christo et Spiritu Sancto apostolis *concreditae, ut eorum successores,* praelucente Spiritu veritatis, praeconio suo *eam* fideliter servent, exponant atque diffundant ».

N. 11, pag. 21, linn. 2-4. Loco: « Divinitus revelata, qua afflante Spiritu Sancto litteris consignata sunt, in Sacra Scriptura continentur et prostant », dicatur: « Divinitus revelata, *quatenus* (vel: *prout*) afflante Spiritu Sancto litteris consignata sunt, in Sacra Scriptura continentur et prostant ». *Ratio*: textus schematis intelligi

posset in sensu universali, scil.: omnia revelata in Scriptura continentur. Porro Concilium non intendit dirimere quaestionem utrum omnia revelata sint in Scriptura an quaedam in sola Traditione contineantur. Textus quem proponimus eo spectat ut omnem ambiguitatem evitet et quaestionem liberam relinquat.

N. 11, pag. 21, linn. 14-15. Loco: « ... ea omnia eaque sola, quae Ipse vellet, ut veri auctores scripto traderent », dicatur: « ... ea omnia eaque sola, quae Ipse vellet, *pro sua quisque natura atque ingenio* scripto traderent » (cf. BENEDICTUS XV, Litt. Enc. *Spiritus Paraclitus, EB* 448). *Ratio*: quamvis hagiographi auctores dici possint, cum tamen hic relate ad Deum ponantur, qui eos veluti organa seu instrumenta adhibet (cf. LEO XIII, *Providentissimus Deus, EB* 125; BENEDICTUS XV, *Spiritus Paraclitus, EB* 448), melius est nomen veri auctoris Deo reservare. Ut autem significetur hagiographos non esse inertia organa, formula apta, quam proponimus, in litteris Enc. BENEDICTI XV *Spiritus Paraclitus* invenitur.

N. 11, pag. 21, linn. 19-21. Loco: « ... veritatem salutarem inconcusse et fideliter, integre et sine errore docere profitendi sunt », dicatur: « ... veritatem *divinam* inconcusse et fideliter, integre et sine *ullo* errore *exprimere* profitendi sunt ». *Ratio*: Si dicatur libros sacros « veritatem salutarem... sine errore docere », videtur inerrantia restringi ad res fidei et morum, eo vel magis quod, fatente Relatore [pp. 24-25 (F) (G)], haec formula electa est ut postulatis satisfieret Patrum qui petebant ut effectus inspirationis positive exprimeretur atque obiectum inerrantiae clare circumscriberetur.

Relator Commissionis mentem explicat dicendo quod verbo « salutarem » cointelliguntur facta quae in Scriptura cum historia salutis iunguntur.

At, etiam cum illa explicatione, talis circumscriptio obiecti inerrantiae admitti non potest. Censeo enim haec dicta cum firma doctrina Magisterii Ecclesiae componi non posse.

Inerrantia enim effectus est divinae inspirationis, quae quidem ad omnes libros sacros omnesque eorum partes, « sine ullo delectu ac discrimine » (BENEDICTUS XV, *Spiritus Paraclitus, EB* 455) sese extendit. Quare « tantum abest ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa, non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est, Deum, summam Veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse » (LEO XIII, *Providentissimus Deus, EB* 124; BENEDICTUS XV, *Spiritus Paraclitus, EB* 452; PIUS XII, *Divino Afflante, EB* 539. Sane, S. Scripturae interpretibus licet, secundum catholicae exegeseos regulas, modum determinare quo hagiographi res affirmat seu asserit, attamen omnes certae assertiones a Spiritu Sancto prolatae profitendae sunt, nec licet inspirationem et consequentem inerrantiam ad res fidei et morum (*EB* 124, 538) vel ad ea quae ad religionem spectant (*EB* 454) restringere, neque hagiographis, utpote Spiritus Sancti instrumentis, aliquid falsi adscribere, quod tandem Auctori primario referretur (cf. *EB* 125, 452). « Haec est antiqua et constans fides Ecclesiae » (LEO XIII, *EB* 125; PIUS XII, *EB* 539).

Igitur, non est dicendum Libros sacros veritatem salutarem sine errore « *docere* », quia tunc discrimen insinuatur inter ipsas Scripturae assertiones, quasi aliae veritates ad salutem pertinentes sine errore docerent, dum aliae tale contentum non haberent ac proinde inerrantiae non subessent. Sed dicatur Libros sacros *exprimere veritatem divinam,* seu ipsum verbum Dei summe veracis.

Denique, peto ut reassumatur verbum « sine *ullo* errore » prioris textus, cum

documenta Magisterii supra indicata semper ita se exprimant, ut *omnimodum* errorem a Scripturis sacris penitus excludant (cf. *EB* 124, 452, 538, 539, 560, 564).

N. 13, pag. 23, linn. 2-6. Addatur: « ... quoad omnia humano sermoni assimilia facta sunt, *excepto errore,* sicut olim Aeterni Patris Verbum humanae infirmitatis assumpta carne, hominibus quoad omnia simile factum est, " *absque peccato* " (*Hebr.* 4, 15) ». *Ratio*: textus schematis (pag. 23, linn. 1-6) desumptus est e Litteris Encyclicis Pii XII *Divino Afflante* (*EB* 559), ubi verba quae addimus inveniuntur, et quidem haud sine ratione. Immo necessaria sunt, nam non potest dici, *nisi excipiatur peccatum,* Verbum incarnatum hominibus *quoad omnia* simile factum esse, sicut non potest dici verba Dei humano sermoni, *in quo error plerumque invenitur, quoad omnia* assimilia facta esse, nisi error excludatur.

N. 15, pag. 29, lin. 8. In fine paragraphi addatur: « ... reconduntur, *atque ita legendi sunt, ut per legem et prophetas ad Christum perveniatur.* Cf. S. Hieronymus: « Sic lego legem et prophetas, ut non permaneam in lege et prophetis, sed per legem et prophetas ad Christum perveniam » (*Tract. in Mc. CCh.,* 78, 484). *Ratio*: quia fideles libros Veteris Testamenti ita legant oportet, ut oeconomiam salutis perspicere valeant.

N. 17, pag. 32, linn. 9-10. Loco: « ... factis et signis Patrem suum ac seipsum manifestavit... », dicatur: « ... factis et *verbis* Patrem suum ac seipsum manifestavit... ». *Ratio*: in priore textu habebatur « verbis » et puto mutationem involuntarie factam esse, nam patet quod Christus absque verbis Patrem suum ac seipsum manifestare non potuisset.

N. 19, pag. 33, linn. 3-10. Loco: « Sancta Mater Ecclesia firmiter et constantissime tenuit ac tenet quattuor recensita Evangelia vere tradere quae Iesus Dei Filius, vitam inter homines degens, ad aeternam eorum salutem reapse et fecit et docuit (cf. *Act.* 1, 1). Apostoli quidem post mortem Domini... », dicatur « Sancta Mater Ecclesia firmiter et constantissime tenuit ac tenet historicam veritatem omnium quae auctores quattuor recensitorum Evangeliorum, unusquisque iuxta suum proprium modum scribendi, tanquam facta vel dicta asserunt. Apostoli quidem, quos Iesus elegit ut essent cum Ipso (cf. *Mc.* 3, 14), post mortem Domini... ». *Rationes*: *a*) « Multa scripta vulgantur, quibus veritas factorum et dictorum quae in Evangeliis continentur, in discrimen vocantur » (Instr. *Sancta Mater Ecclesia* Pont. Commiss. Bibl., *L'Osservatore Romano,* 14 maii 1964). Dubia versantur peculiariter circa narrationes Nativitatis et Infantiae Christi. Insuper patet quod Evangelia narrant non solum ea quae Iesus fecit et docuit, sed etiam facta et dicta aliorum, neque ea sola quae Iesus fecit et docuit « vitam inter homines degens », sed eius Resurrectionem a mortuis et eius post eam conversationem cum discipulis ante Ascensionem.

Ideo textus schematis valde insufficiens est ad declarandam doctrinam Ecclesiae circa indolem historicam Evangeliorum. Principium fundamentale sit: « Omne quod auctor inspiratus seu hagiographus *asserit,* retineri debet *assertum a Spiritu Sancto* » (cf. schema, supra n. 11, linn. 16-18). Quare oportet affirmare valorem historicum omnium quae Evangelistae asserunt ut facta vel dicta, habita ratione eorum modi cogitandi et scribendi, uti docet Instructio *Sancta Mater Ecclesia.*

Neque ratio est cur in textu evitemus vocem « historicus », nam in usu communi ac in documentis Magisterii de re biblica, absque illa ambiguitate de qua loquitur Relator (pag. 35 [D]), significat res quae realiter evenerunt.

b) Post « Apostoli quidem » (lin. 9), addatur « quos Iesus elegit ut essent cum Ipso (cf. *Mc.* 3, 14) » ad confirmandum valorem testimonii apostolorum, utpote testium ocularium.

N. 24, pag. 38, linn. 39-40. Peto ut redeatur ad priorem textum et dicatur: « Sacra Theologia in verbo Dei scripto *et tradito,* tamquam... ». *Ratio*: pro Theologia, S. Traditio non habet solum munus interpretativum vel explicativum S. Scripturae, sed est locus etiam proprius ubi verbum Dei pariter invenit. Cf. Leo XIII, *Providentissimus Deus, EB* 114: « Nam quae obiectum sunt fidei vel ab eo consequuntur, *ex Divinis potissime Litteris* studuerunt (Patres ac praeclarissimi theologi) asserere et stabilire; atque *ex ipsis, sicut pariter ex divina traditione,* nova haereticorum commenta refutare, catholicorum dogmatum rationem, intelligentiam, vincula exquirere ». Cf. Pius XII, Litt. Enc. *Humani Generis, A.A.S.,* 1950, pp. 568-569.

22

Exc.mus P. D. SANCTUS QUADRI

Episcopus tit. Villanovensis, aux. Pineroliensis

Lo schema si presenta molto equilibrato nel rapporto delle varie parti che lo compongono.

In particolare viene sottolineata l'importanza della Bibbia, il che trova la sua piena giustificazione nel clima ecumenico e nel carattere pastorale del Concilio.

Le « animadversiones » del « Comitatus Episcopalis Internationalis » [1] generalmente rispecchiano la preoccupazione di difendere la Tradizione e il Magistero della Chiesa; e tendono a farvi nello schema maggior spazio e maggior rilievo.

Tenendo conto del carattere ecumenico dello schema e dell'intenzione del Concilio di non ripetere ciò che altri Concili hanno chiaramente definito, mi pare non opportuno l'insistere oltre sulla Tradizione e sul Magistero, per dare invece maggior rilievo, e in maniera organica, alla S. Scrittura nella Chiesa, tema non affrontato precedentemente con questo impegno.

Perciò, per esempio, il cap. VI (De Sacra Scriptura in vita Ecclesiae) non ha bisogno di essere integrato (come desidera la C.E.I.) con l'analoga funzione della Tradizione e del Magistero. Sul rapporto poi fra S. Scrittura, Tradizione e Magistero è sufficiente ciò che è detto al cap. II, n. 10.

Alcune precisazioni della C.E.I. sono di valore trascurabile, altre invece mi sembrano un effettivo apporto alla perfezione del testo conciliare.

Particolari osservazioni: *a*) È giusto che lo schema salti la questione del contenuto della S. Scrittura e della Tradizione, non impegnandosi perciò sulla Tradizione costitutiva, esplicativa ...

Tuttavia la parola Tradizione non è adoperata sempre in senso chiaro e univoco, il che può generare confusione. Cf. per esempio c. II, n. 8 e c. VI.

b) Circa la storicità dei Vangeli (c. V, n. 19).

Il brano è molto opportuno. Ma in esso sarebbe meglio inserire le parole « historia » e « historice » anche per un parallelismo colla Istruzione del PCB del 21 aprile 1964 « De historica Evangeliorum veritate ».

---

[1] Cf. p. 956-963.

Inoltre il testo sarebbe più completo e preciso se, dopo avere accennato esplicitamente ai tre momenti attraversati dall'insegnamento e dalla vita di Gesù prima di giungere a noi (le parole e le azioni di Gesù, la predicazione apostolica, la redazione dei Vangeli), per ogni momento affermasse la necessità di rilevare le circostanze che ne garentiscono il valore storico e le « forme » o « generi letterari » che li accompagnano o rivestono.

c) Sul rapporto S. Scrittura-Teologia (c. VI, n. 24) si poteva dire qualcosa di più, soprattutto sottolineando il cristocentrismo nella teologia (appena accennato nel testo) e introducendo un accenno alla preminenza del mistero di Cristo nella Bibbia sull'uso apologetico della stessa.

d) Al c. II, n. 8, al posto di « speciali modo », meglio « speciali ratione », che indica l'aspetto qualitativo.

Accanto alla citazione di *1 Cor.* 11, 23, sarebbe opportuna la citazione di *1 Giov.* 1, 1-3 che è più completo.

e) Al c. II, n. 10: « Quod quidem Magisterium non supra Verbum Dei est ... »: è polemico. Meglio « subest Verbo Dei ... ».

f) Al c. III, n. 12: ottimo articolo, che caratterizza la funzione degli esegeti in rapporto alla Chiesa. Ma la citazione della « Divino afflante Spiritu » (*EB* 551) è incompleta. Alla frase « ... respiciendum est ad contentum totius Scripturae, in viva Ecclesiae traditione, sub analogia fidei » bisogna allora aggiungere « ratione habita Magisterii Ecclesiae ». Se si fa riferimento alla Enciclica, bisogna riportarne tutti gli elementi in merito (regole dell'euristica cristiana).

23

Exc.mus P. D. FELICISSIMUS RAEYMAEKERS

Episcopus tit. Aperlitanus, aux. Laborensis

Cap. III. Ad n. 11, linn. 13-15: « Scripturae libri integri cum omnibus suis partibus *veritatem salutarem* 1) *fideliter et sine errore* 2) *exprimere* 3) profitendi sunt ». Explicatio:

1) *veritatem salutarem*: etiam dici posset: « veritatem seu revelationem »; non autem « veritatem revelatam », quae formula nimis restringit ad campum intellectualem;

2) *fideliter et sine errore*: e textu schematis supprimenda sunt adverbia « inconcusse » et « integre »; etenim: « inconcusse » sensum timoris videtur manifestare, et nihil addit ad rem, cum iam habeatur « fideliter »; praeterea illud adverbium non quadrat cum contextu, nam « inconcusse » exprimit firmissimam decisionem *voluntatis,* quod supponit *personam* humanam, at in textu agitur non de hagiographis, sed de *libris* (quibus difficile attribui potest inconcussa decisio); similiter supprimendum est « integre », nam illa idea iam bis habebatur antea: in « libri *integri* » et « cum *omnibus suis partibus* »;

3) *exprimere* aut (minus bene) « exhibere »; non autem « docere », quod habebatur in textu: illud verbum minus placet, propter connotationem exclusive didacticam.

Ad n. 12, linn. 4-5: « ... attente investigare debet, quid hagiographi reapse significare intenderint, *quidque* eorum verbis manifestare Deo placuerit ». *Ratio*: etsi hoc negat subcommissio (pag. 6, n. 3 in fine), textus, prout iacet in schemate, reapse dirimit quaestionem de sensu pleniore Sacrae Scripturae, illum *excludendo*, nam identificat absolute sub uno « quid » intentionem hagiographi et placitum Dei. Haec decisio ignorat et practice respuit, sine iustificatione, proposita ab E. D. Edelby (de sensu spirituali), Simons (de intentione hagiographi et de intentione Dei) et Epp. Brasiliae expressa. Insuper in « Conclusione », Relator recte animadvertit Patres insistere in eo ut « relatio inter id quod S. Auctor, et id quod Deus ipse intendit, clarius distinguatur » (pag. 7).

Ad n. 12, lin. 22: « Sed ad recte ... ». Inseratur: « Sed, cum S. Scriptura eodem Spiritu quo scripta est etiam legenda et interpretanda sit ad recte sacrorum textuum sensum eruendum ... ». *Ratio*: *a*) hoc propositum est in aula conciliari ab E. D. Edelby; *b*) repraesentat doctrinam quae in tota traditione antiqua Ecclesiae vigebat, et apud Orientales usque in praesentem diem viva mansit; *c*) opportunum esset mentionem facere de Spiritu Sancto etiam relate ad interpretationem S. Scripturae.

Ad n. 12, linn. 24-26: « Exegetarum est ... »; haec formula sequenti modo compleatur: « Exegetarum autem est secundum has regulas adlaborare ad Sacrae Scripturae *sensum investigandum, explicandum et proponendum;* et ad *res illas* Sacrorum librorum *quae expositionem certam et definitam adhuc desiderant,* penitius intelligendas, ut de illis, quasi praeparato studio, iudicium Ecclesiae maturetur (Enc. *Providentissimus, EB* 109). Cuncta enim ... ». *Ratio*: *a*) munus exegetarum non est tantum locos Scripturae difficiles explicare. Propterea mentio fiat primo loco de eorum munere praecipuo: *sensum* S. Scripturae investigare et explicare; *b*) mutetur formula « locos » in « res illas », nam difficultates S. Scripturae non sunt tantum neque praesertim in *locis* difficilibus, sed in diversis problematibus maioribus et generalioribus; propterea: « *res* illas ».

24

Exc.mus P. D. ANTONIUS SANTIN
Episcopus Tergestinus et Iustinopolitanus

N. 8, pag. 15, linn. 16-40. *a*) « quam experiuntur » non est clarum et potest modernistice accipi; *b*) plenitudinem divinae veritatis habebimus in vita aeterna secundum citationes *1 Cor.* 13, 10 et *Apoc.* 17, 17; *c*) non solum per Traditionem integer sacrorum librorum canon innotescit sed ipsa et alias veritates praebet quae in Scriptura non continentur. Traditio apostolica est etiam constitutiva.

N. 11, pag. 21, lin. 15. « Veri auctores » sunt hagiographi. Sed lin. 10 constitutio docet libros Veteris et Novi Testamenti Deum habere « auctorem ». Auctor est Deus et auctores sunt hagiographi sed non aequali ratione.

N. 12, pag. 22, linn. 5 et 12. Mihi videtur in solemni documento dogmatico conciliari vocabula technica, quae in scholis utiliter docentur uti sunt « genera litteraria » citanda non esse. Progressu studiorum verba et systemata mutantur.

N. 13, pag. 23, linn. 2 et 6. Citatio sit integra: « quoad omnia excepto errore » et « simile factum est absque peccato » (*Hebr.* 4, 15).

N. 17, pag. 32, lin. 9. Quare in priore textu « factis et verbis » dicebatur nunc vero « factis et signis »? Facta et signa sunt fere idem. Christus Seipsum manifestavit « factis et verbis ». Coepit facere et docere (*Act.* 1, 1).

N. 19, pag. 33, lin. 18. « Formam denique praeconii retinentes ». Haec locutio veritatem historicam Evangelii enervat, quia ideam panegyrici inducit. Libri vere historici sunt Evangelia; iam ab antiquis patribus difficultates quae in Evangeliis inveniuntur explanatae sunt.

Et in fine ut meam conscientiam liberem aliquid necessarie adiungendum esse mihi videtur. Patres ad Concilia conveniunt ut veritatem clarius doceant et errores damnent qui Conciliorum aetate grassantur. Circa historicitatem Evangeliorum falsae et periculosae opiniones in scholis, in libris, in ephemeridibus late docentur. De his silentium facere non expedit. Admonitio quae verae scientiae progressum non impediat sed prudentiam commendet ut cautim procedatur, adiungatur. In suis difficillimis investigationibus exegetae nunquam de historica veritate Evangeliorum ullum dubium suscitent.

25

Exc.mus P. D. VILLELMUS SCHOEMAKER
Episcopus Purwokertensis

1. In genere textus emendatus valde placet.

2. Animadversio ad cap. I: Petitur ut in textu mentio fiat de « Divina Revelatione naturali », quae ut fundamentum philosophiarum-naturalium non-christianorum existit (cf. Sapientia). Id ut in textu fundamentum creetur pro dialogo cum religionibus non christianis (Hinduismus, Buddhismus et religiones naturales ex Africae Continente/Bantuismus).

Id eleganter fieri posset, per emendationem textus schematis sub 6 « de veritatibus revelatis » pag. 5, linn. 36 ss.

3. Animadversio ad cap. VI: Quamquam textus emendatus sub n. 22, ubi commendantur accuratae versiones, etiam communi cum fratribus seiunctis nisu conficiendae, inclusive iam indicat sic dictam « Vulgatam versionem » non amplius urgeri ut textum praescriptum pro servitio liturgico, pro praedicatione sicut per Synodum Tridentinum statutum fuerat, attamen credo et spero quod adhuc explicitius affirmetur, utilitatem immo necessitatem « novae vulgatae editionis et versionis sacrarum paginarum » ut fundamentum unitatis commentariorum exegetorum et theologorum et motus oecumenici, necnon ut fundamentum textuum liturgicorum pro « Ritu Latino » catholicitatis christianorum.

Unde iterum propono, quod Commissio post-Conciliaris « de Sacra Scriptura » condatur, de mandato S. Synodi, ad conficiendam textum de novo versum, ex textibus primigeniis, ut textum Vulgatum Vaticanum habendum.

Quod per se iam constitueret « initium dialogi » cum fratribus seiunctis, non de systematis theologicis ad explicandum « Mysterium Salutis », sed de verbis salutis evangelici nuntii, tamquam fons fidei traditae.

26

EXC.MUS P. D. IOSEPH SCHOISWOHL

Episcopus Graecensis-Seccoviensis

1. Pag. 4, lin. 24, insertio haec optatur: « Omnibus temporibus Deus revelavit iustitiam suam in electis, uti in Abel, Noe, Sem. ». *Ratio*: transgressio a protoparentibus ad Abraham nimis repentina videtur.

2. Pag. 5, lin. 9, post verba « Spiritu veritatis » inseratur « ad aedificationem Ecclesiae suae, quae est mirabile signum historiae salutis ». *Ratio*: mentio Ecclesiae desideratur.

3. Pag. 14, lin. 25 post verbum « episcopos » inseratur « positos a Spiritu Sancto (cf. *Act.* 20, 28) ». *Ratio*: opus veritatis Spiritui Sancto competit; quod etiam pro successoribus Apostolorum confirmari debet.

4. Pag. 22, lin. 34, loco « Ecclesiae iudicio » dicatur « magisterii Ecclesiae iudicio ».

5. Pag. 29, lin. 4, post verbum « demonstrant » inseratur « ac scholam orationis admirabilem necnon doctrinam necessariam de vita religiosa hominis praebent ». *Ratio*: « Paedagogia » divina his verbis clarius exprimitur.

6. Pag. 32, lin. 9, post verbum « instauravit » introducatur « per fundationem Ecclesiae ». *Ratio*: in contextu Novi Testamenti mentio ipsius Ecclesiae postulatur.

27

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS SIMONS

Episcopus Indorensis

Ad cap. III: Libri S. Scripturae suntne divinitus inspirati, sensu stricto, ut generatim a catholicis creditur?

Si de libris V. T. quaestionem movere incipimus: non videtur haberi argumentum validum pro tali inspiratione, nam

1. Antiquorum Iudaeorum opinio ut talis non est decisiva. Etiam Hinduistae credebant, et multi etiam nunc credunt, libros suos antiquos, « Veda » nuncupatos, esse divinitus inspiratos et proinde infallibiliter veros. Utroque in casu bene intelligitur quomodo haec opinio exorta sit. Nam in utrorumque libris profundae veritates, magna elegantia, et pulcherrime dicta continentur et in iis temporibus libri ii erant primi qui mentem populi profunde affecerunt. Adhuc recenter etiam viri profani « inspirati » habebantur cum pulchra vel eminentia scribebant. Insuper, cum agitur de Iudaeis, in eorum historia fortasse vera divina miracula occurrerunt ex quibus opinio eorum confirmari poterat libros religiosos confectos fuisse divino aliquo interventu.

2. Ipsi libri natura sua non obvie, non evidenter, sunt originis divinae: pleni sunt imperfectionum et hebetudinum, quamquam ex alia parte profundam veritatem religiosam continent. Sed iam in quibusdam tribubus valde primitivis, ut in quibusdam pygmaeis, idea sat clara habetur unius Dei. Et etiam in populis antiquis

altioris culturae habentur veritates profundae religiosae et quidem viri sapientiores et philosophi iam veritatem de uno Deo clare proponebant. Verum tamen est Israel esse populum primum et unicum, quamquam sat parvum, qui ut populus alicuius altioris culturae fidem in unum Deum profitebat, et sic vere dici potest evolutionem cognitionis de Deo in Israel attigisse culmen aliquod. Haec evolutio erat secundum voluntatem Dei qui sic populum Israel praeparabat ad recipiendum Verbum Dei incarnatum. Sed num necesse est admittere evolutionem hanc factam esse et tantum fieri potuisse per divinam inspirationem stricte dictam eorum librorum?

3. Locutiones prophetarum: « Deus dixit mihi ... fac hoc, dic illud », quamquam opinionem in Israel de inspiratione librorum fortasse roboraverunt, non probant inspirationem sensu stricto eorum librorum; insuper probabiliter exprimunt tantummodo persuasionem prophetarum se talia facere vel dicere debere secundum voluntatem Dei.

4. Nec Dominus Iesus docuisse videtur libros V. T. fuisse inspiratos sensu strictiore. Certe in disputationibus cum Iudaeis ex eorum mente arguit, ex praemissis ab ipsis admissis de veritate et prophetiis in libris V. T. contentis argumenta attulit, immo ipse docuisse dici potest veritates de Deo de divina providentia in libris V. T. contineri, sed ex eo non probatur secundum mentem Christi veritates has in libris contineri propter inspirationem aliquam divinam stricte dictam. In multis etiam correctionem fecit eorum quae in V. T. inveniuntur.

5. Nec res ex eo diiudicari vel decidi posse videtur quod haec opinio vel doctrina communiter ab Ecclesia primitiva accepta sit et deinde etiam ab Ecclesia in posterum proposita sit, nam

a) Ecclesia primitiva hanc opinionem, quam Dominus non respuerat et ideo admittere videbatur, simpliciter a Iudaeis recepit et postea etiam ad libros N. T. extendit.

b) Opiniones ab Ecclesia communiter receptae et propositae, quae tamen nondum examini critico subiectae fuerunt vel subiici poterant, non necessario sunt infallibiliter vera, ut probatur ex multis exemplis. V. g. plura sunt quae per multa saecula ab Ecclesia de historicitate vel veritate partium S. Scripturae docebantur, quae tamen nunc tuto ut erronea vel probabiliter erronea habentur.

c) Casus omnino parallelus habetur in opinione Iudaeorum et Ecclesiae de origine primi hominis. Adhuc nuper Ecclesia docebat Deum creavisse primum hominem per aliquem specialem seu miraculosum interventum. Nunc iam tuto doceri potest primum hominem (vel saltem eius corpus) non exortum esse per specialem Dei interventum sed ut culmen alicuius evolutionis naturalis a Deo intentae.

Sic in quaestione de divina inspiratione sensu stricto librorum S. Scripturae Ecclesia adhuc docet veritatem salutarem in Scriptura contineri propter specialem mirabilem interventum Dei, i. e. propter inspirationem divinam stricte dictam; sed iam quaeri debet utrum adventus veritatis in libris S. Scripturae contentae non modo aliquo naturali explicari possit. Si agitur de libris N. T., nonne explicari potest ex magna fidelitate discipulorum Christi et primaevae Ecclesiae erga doctrinam, mentem, personam et opus salutiferum Iesu Christi Filii Dei? Et cum agitur de veritate salutari in V. T. contenta, de qua Ecclesia iudicat sub luce veritatis N. T., nonne explicari potest ut fructus et culmen alicuius naturalis evolutionis, a Deo intentae, cognitionis de Deo?

In eruenda et probanda veritate salutari ex libris S. Scripturae num exegeta catholicus hodiernus, qui credit in inspirationem divinam stricte dictam, alia ratione aliisque adiumentis procedit et procedere potest ac exegeta catholicus qui non crederet in talem inspirationem? Et si nulla distinctio remanet inter modum procedendi unius et alterius, iam non recte docetur talis inspiratio, quia Deus non facit mirabilia — et quanta mirabilia! — sine necessitate.

* * *

Omittantur verba « sine errore » post « veritatem salutarem ». *Rationes*:

1. Si verum « aggiornamento » efficere volumus, non debemus adhibere verba sensu aliquo omnino diverso ab eo quo homines hodierni illa communiter adhibent. Dum agitur de libris V. T., plura in iis habentur quae ad veritatem salutarem pertinere dici possunt et debent, quae sensu hodierno verbi erronea dici debent. Sic e. g. illud horrendum quod opinabantur Iudaei antiqui, se in bello posse, immo debere, quasi mandato divino, interficere omnes mulieres et infantes hostium; ea quae libri antiqui habent de statu animae post mortem, de efficacitate imprecationum et benedictionum, de retributione boni et mali iam in hoc mundo recipienda sub forma bonorum vel poenarum temporalium, et alia.

2. Etiamsi inerrantia quoad veritatem salutarem praedicetur tantum de totalitate librorum S. Scripturae V. T. et N. T. simul sumptae — ut proponitur a P. Norberto Lohfink in articulo suo in « Stimmen der Zeit » mense iunii 1964 — verba adhibita de inerrantia indigerent ulteriori explicatione ne ab hominibus hodiernis perperam intelligantur. Nam etiam si errores anteriores libris posterioribus, praesertim N. T., corriguntur, tamen errores veri nominis habentur in libris antiquioribus ita ut sententia generalis de inerrantia facile in errorem inducat.

3. Iam necessarium esse videtur quaestionem excutere utrum doctrina de inspiratione S. Scripturae revera tenenda sit ea forma qua nunc accipitur.

Ex variis rationibus dubium moveri potest de hac doctrina:

a) Eadem opinio habetur apud Hinduistas orthodoxos de antiquis eorum libris. Ergo ex eo quod Iudaei hanc opinionem habuerunt deduci non potest eam esse veram, sed facile intelligitur cur opinio haec etiam a Iudaeis discipulis Christi et Ecclesia recepta sit.

b) Opinio haec explicari potest propter multa bona et vera quae in libris continentur et quae praesertim temporibus antiquis, cum libri erant pauci, magnum habere potuerunt influxum. Immo ex istis temporibus usque ad tempora hodierna ii « inspirati » dicuntur qui optima scribunt vel dicunt.

c) Opinio, quae negat inspirationem stricte dictam, non detrahit a veritate substantiali quae in libris biblicis habetur. Tantum diversum proponit modum quo haec exorta sit, ut in casu parallelo eorum qui negant creationem hominis factam esse per aliquem interventum divinum specialem, ut ad litteram verbis Genesis narratur, sed postulant hominem exortum esse per processum evolutionis a Deo volitae ... Quae in V. T. vera habentur, iam de facto ut talia Ecclesiae non constant nisi vel doctrina Christi vel aliis rationibus probantur.

d) Alio modo explicari posse videntur ea quae in N. T. habentur de verbo Dei in V. T. In arguendo cum Iudaeis, in refutandis eorum erroribus vel probanda sua missione et doctrina, ipse Dominus ut magister procedit quidem ab opinione a Iudaeis habita de libris V. T., numquam tamen docet inspirationem stricte dictam,

immo plura quae in V. T. continentur correxit. Docet tamen — et in tantum opinionem Iudaeorum approbat — verbum Dei, i. e. veritatem de Deo divinaque providentia in libris V. T. contineri.

e) Iudaei discipuli Christi et Ecclesia opinionem Iudaeorum de inspiratione, quam Christus non directe repudiaverat, retinuerunt vel ut suam receperunt. Sed ex eo argumentum decisivum erui non potest. Christus enim opus obscura gradatim clarificandi et exponendi Spiritui Sancto et evolutioni historicae commendavit. Ex eo recenter iam (r)evolutio magna facta est in intelligendis libris biblicis. Et cum doctrina de inspiratione stricte dicta relinquitur, retinetur tamen veritas substantialis, quae doctrinae subest, nempe ex divina providentia veritatem de Deo in libris V. T. contineri et, quoad libros N. T., eos esse testimonium fidele discipulorum de persona, doctrina et opere Christi.

f) Libri S. Scripturae fundamentum praebent rationalis obsequii fidei nostrae in quantum sunt libri fide digni, non in quantum habentur ut inspirati. Doctrina de inspiratione de facto nihil confert in aedificationem fidei, immo saeculis recentibus, propter consequentia incredibilia quae ex ea sequi videntur, iam facta est causa destructionis fidei multorum. Calamitas esset inerrantiam edicere quae ab ipso initio subtiliter « explicari » et in posterum deseri deberet.

28

Rev.mus P. D. VILLELMUS VAN HEES
Magister generalis Ordinis S. Crucis

Cap. I (olim Prooemium) *de ipsa Revelatione.* N. 3 (pag. 6). Loco « Deus qui in Verbo suo... » usque ad « redemptione promissa », legatur: « Deus qui in Verbo suo omnia creavit et in ipsa rerum natura perenne sui testimonium hominibus ostendit, inde ab initio hominem vocavit ad participandam vitam suam internam in participatione divinae libertatis in caritate. Suo autem tempore... etc. ». *Ratio* est: quaestio de monogenismo vel polygenismo quae forsan ad novam quaestionem Galileianam ducere posset, sic praetermittitur.

N. 4 (pag. 7). Loco « Quapropter verbis et operibus... » usque ad « testimonio divino confirmat, ... » legatur: « Qui tota persona sua, quae se manifestat verbis et operibus, signis et miraculis, praesertim vero morte sua et gloriosa ex mortuis resurrectione, summopere autem Spiritus sui veritatis missione, revelationem complendo perficit ac testimonio divino confirmat, ... etc. ». *Ratio* est: rectus ordo successionis ita melius servari videtur, cum melius distinguatur inter ipsam et ea quibus sese manifestat.

N. 6 (pag. 7). Loco « Divina revelatione manifestantur... » usque ad « communicare voluit », legatur: « Divina revelatione manifestantur ea quae Deus de seipso ac de aeternis voluntatis suae decretis circa hominum salutem divinaeque vitae participationem communicare *vult,* etc. ». *Ratio* est: Iste modus exprimendi minus anthropomorphismum sapit. Deus etenim, semper in sua aeternitate exsistens, ad homines loquitur, ut mysterium suum manifestet. Si autem quaedam manifesta non fiunt, hoc non Deo attribuendum est (quasi quaedam communicare non vellet), sed humani intellectus limitationi, quae impedit, quominus praecones a Deo missi omnia exprimant et quominus alii omnia ab ipsis enuntiata semper intelligant.

29

Exc.mus P. D. IOSEPH ZAFFONATO
Archiepiscopus Utinensis

Omnia optime, exceptis paucis, quae debitam schemati laudem non imminuunt. Sunt autem, ex mea demissa sententia, quae melius dici possint, haec:

Cap. II, n. 7, pag. 14, linn. 12-21, non sunt clarae. Sic forte dici potuerit: « ... et morum disciplinae praedicarent, dona divina (cum) omnibus communicantes. Quod quidem apostoli, sive quae ex ore, conversatione et operibus Christi acceperant, sive quae Spiritu Sancto suggerente didicerant, fideliter tradentes adimpleverunt, nuntium illum salutis tum praedicatione orali necnon exemplis et institutionibus, tum scriptis per se vel per alios apostolicos viros exaratis transmittendo ».

N. 8, pag. 15, linn. 6 s. Latine melius dixeris: « *et* traditiones quas, sive..., tener*i* iubent » vel « ... *eos* tener*e* iubent ».

N. 9, pag. 16, lin. 3, « atque communicant » verbum transitivum cum intransitivo non bene cohaeret. Dixeris forte melius: « S. Traditio ergo et S. Scriptura sua invicem communicantes arcte inter se cohaerent ».

Cap. III, n. 12, pag. 22, linn. 1-3, dixeris forte aptius sic: « investiget oportet quid et hagiographi reapse significare intenderint, et Deus eorum verbis manifestare voluerit » (servato scil. parallelismo grammaticali).

N. 12, pag. 22, linn. 10-13, additamentum insertum suo loco esse non videtur. Aut omittatur (abundat enim), aut sic sententia reddatur: « Hagiographus, pro sui temporis condicione, exprimere intenderit et ope generum litterariorum illo tempore adhibitorum reapse expresserit ».

Ibid., lin. 15, textus prior melius dicebat « significare », quam nunc dicitur « asserere », quia scriptor quicumque omnia scribit ad aliquid significandum, sed non omnia ad aliquid asserendum. Quae si sunt simpliciter significata, et non asserta, non ideo minus vera ea sunt.

Ibid., lin. 17, « sentiendi », melius prius dicebatur « cogitandi ». Aut dicas plenius et exactius, ut putarim, sic: « ad nativos cogitandi et sentiendi, necnon dicendi ac narrandi modos, qui... quique (non: quinque)... solebant ». Ubi nota bis dici « suetos », « solebant » (11, 10, 20). Omittendum « suetis ».

Cap. IV, n. 14, lin. 9: « ac gestis », latine dixeris « rebusque gestis ».

Ibid., n. 14, pag. 28, linn. 10 s.: « ut Israel divinas cum hominibus vias experiretur... ». Sententia non adeo clara. Dixerim: « ut Israel quae divina essent erga homines consilia experiretur, eaque... intelligeret... atque exhiberet ». (Tria verba consonantia sunto).

Ibid., lin. 10: « Oeconomia autem... »: prius melius connectebatur: « Quae oeconomia salutis... ».

Ibid., pag. 29, lin. 5: « quia vivum sensum Dei exprimunt »: aliam dictionem, biblice et latine meliore, exquisierim loco illius « sensum Dei ». Sed hoc etiam relicto addiderim sic: « Sensum Dei vel *in humanis narrandis,* exprimunt... ». Hoc ut pateat primam causam cur hii libri devote accipiendi sint, eam esse, quod historiam salutis contineant, de qua in n. 14.

N. 16, pag. 29, lin. 14: « Novum foedus condiderit » adde: « primum veterans (*Hebr.* 8, 13) ».

Cap. V, n. 17, pag. 32, lin. 9: « factis et signis », dic potius: « factis et eloquiis » vel « dictis », cum signa in N. T. sint miracula, i. e. facta.

Cap. VI, n. 22, pag. 38, lin. 4: « illam antiquissimam » dixeris forte melius: « illam omnium antiquissimam ». Aut « Illam » omitte.

Nec plura.

Animadversiones in hoc schema a « Comitatu Episcopali internationali »[1] factae interdum, at non frequenter, bonae sunt, saepe non necessariae, semper autem tali spiritu imbutae, qui contrarius est spiritui quo totum hoc hoc schema laudabiliter afflatur. Quaestionem de Traditione dirimere vult, idque sensu traditionali, cum plerique Patres illud non dirimendum esse statuerint.

Animadversiones istiusmodi igitur *nullatenus subscribendae* videntur.

30

CONFERENTIA EPISCOPORUM REGIONIS APULIAE

Ad cap. II, n. 8, pag. 15, lin. 23. Post verba « quam experiuntur intelligentia » addatur: « Ordinario Magisterio concomitante et confirmante ».

Ad cap. III, n. 11, pag. 21, linn. 19-20. Verbis « veritatem *salutarem* » videtur coarctari obiectum inerrantiae Sacrorum Librorum.

Inerrantia enim Sacrae Scripturae est absoluta, excludens omnem errorem sive speculativum sive practicum et non tantum quoad res religiosas, sed etiam quoad res historicas et scientificas, salvo peculiari modo loquendi. Agitur de consectario inspirationis, quae extenditur ad libros et omnes eorum partes.

Si vero textus relinquitur uti nunc est, quis induci posset in errorem, de quo in Epistula Encyclica *Spiritus Paraclytus* Benedicti Papae XV v. m.: « Inducto inter elementum Scripturae primarium seu religiosum et secundarium seu profanum discrimine, inspirationem quidem ipsam ad omnes sententias, immo etiam ad singula Bibliorum verba pertinere volunt, sed eius effectus, atque in primis *erroris immunitatem absolutamque veritatem*, ad elementum primarium seu religiosum contrahunt et coangustant » (*DS* 2652). Quod quidem a mente Concilii prorsus alienum est, uti est evidens.

Nec valet parallelismus, qui in Relatione de n. 11 invocatur cum Vaticano I, ubi dicitur « revelationem sine errore continet », cum in Vaticano I hic sit integer textus: « Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, *non ideo,* quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; *nec ideo* dumtaxat, *quod revelationem sine errore contineant; sed propterea,* quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem etc. » (*DS* 1787).

Modus ergo quem proponimus hic est: « Retineatur textus prior ».

---

[1] Cf. p. 956-963.

31

EXC.MI EPISCOPI REGIONIS APOSTOLICAE « PROVENCE-MEDITERRANÉE »

Cf. n. 32 (capp. I-II).

32

PLURES EXC.MI PATRES CONCILIARES

Em.mi cardd. A. Meyer, arch. Chicago; P. Richaud, arch. Bordeaux; exc.mi T. Botero Salazar, arch. Medellín; P. Gouyon, arch. Rennes; J. Zoa, arch. Yaoundé; A. Bontemps, ep. Maurienne; L. Ménager, ep. Meaux; R. Cleire, ep. tit. Tadamata; E. Schick, ep. tit. Aradi, aux. Fulda; rev.mus L. Volker, sup. gen. P.A.

Ad cap. I. Ad n. 2 (pag. 3, linn. 23-24). A quibusdam obicitur textus hic allatos non apte citari. Attamen non contra proprium suum sensum hic afferuntur, sed tantummodo applicantur sensu quodam largiore. Quod illegitimum non est, praesertim quia ipsi textus non explicite citantur, sed tantummodo dantur referentiae cum voce « confer ». Unde textus seu referentiae illae potius serventur, cum bene intentum paragraphi exprimant.

Ibid. (pag. 4, linn. 1-6). Infeliciter exprimitur in textu munus specificum verborum et operum in revelatione eorumque mutua relatio. Immerito *operibus* tribuitur « doctrinam manifestare » ac si doctrina praecedat opera, dum de facto saepe contrarium accidit; praeterea « doctrinam manifestare » potius ad *verba* pertinet. Ex altera parte, *opera* plus faciunt quam « res verbis significatas manifestare et *corroborare* », nam in ipsis operibus Deus directe se manifestat.

Unde proponitur textus sequens (linn. 2-6): « ... ita ut opera, in historia salutis a Deo patrata, *mysterium beneplaciti divini* manifestent, verba autem opera proclament et mysterium in eis contentum elucident ».

Ibid. (pag. 4, linn. 7-10). Proponuntur duae parvae mutationes: 1. ut loco coniunctionis « autem » redeatur ad « ergo » quod antea habebatur; etenim haec propositio *conclusionem* exprimere vult totius paragraphi; e contra coniunctio « autem » videtur introducere novam ideam, scil. de plenitudine revelationis in Christo; sed haec evolvetur postea (in paragr. 4), in loco praesenti, venit tantum ut conclusio praecedentium, quae agunt de revelatione in genere.

2. Ratione stylistica permutentur verba « simul » et « existit ». Sic ergo sonaret textus: « Intima *ergo* per hanc revelationem tam de Deo quam de hominis salute veritas nobis in Christo illucescit, qui mediator *simul* et plenitudo *existit* totius revelationis ».

Ibid. (pag. 6: « Notae »; ad n. 2). Inter citationes illas de Christo plenitudine revelationis: 1. addatur *Mt.* 11, 27, ne doctrina videatur fundamento carere in synopticis; 2. loco *Eph.* 1, 3-8 (ubi de *redemptione* peracta a Christo agitur) ponatur potius textus *Eph.* 1, 8-9, qui revera loquitur de revelatione.

Ad n. 3 (pag. 4, linn. 18-21). Proponitur: « Post eorum autem lapsum, redemption*e* promiss*a,* eos in spem salutis erexit (cf. *Gen.* 3, 15; *Sap.* 10, 1-2), *ac*

deinceps sine intermissione generis humani... ». *Rationes*: 1. non bene sonabat participium postpositum « promittens » neque verba « ab indeque »; 2. addita est referentia ad *Sap.* 10, 1-2, quia textus ille de Adam (« eduxit illum a delicto suo ») pulchre ostendit post lapsum protoparentum incoeptam esse historiam salutis.

Ad n. 4 (pag. 4, linn. 38-39). Pro « *intima* Dei enarraret » proponitur: « *vitam* Dei enarraret (cf. *Io.* 1, 1-8; *1 Io.* 1, 2) ». *Ratio*: prior textus minus placet, quia introducit in schema exegesim psychologicam S. Augustini (« *secretum* Patris sinus Patris vocatur »), dum textus Iohannis potius exprimit realitatem theologicam, scil. *filiationem* Verbi ex sinu Patris. In novo textu melius ostenditur centrum revelationis esse mysterium Sanctissimae Trinitatis seu *vitam* Divinarum Personarum. Aptum visum est addere referentiam ad *1 Io.* 1, 2, ubi praecise praesentatur Christus ut « vita » apud Patrem.

Ibid., (pag. 5, linn. 1-11). Proponitur: « ... missus, " verba Dei " *locutus est* (*Io.* 3, 34), et opus salutare consumma*vit*... »; similiter postea (linn. 10-11): « per*fecit*... confirma*vit*... ». *Ratio*: melius facta historica temporibus praeteritis exprimuntur ac proinde *Io.* 3, 34 ne fiat citatio « loquitur » (in praesenti).

Ibid. (pag. 5, linn. 4-13). Immutetur ordo verborum, sequenti modo: « Quapropter Ipse, quem qui videt, videt et Patrem (cf. *Io.* 14, 9), *suiipsius praesentia ac manifestatione,* verbis *nempe* et operibus, signis et miraculis, praesertim autem morte sua et gloriosa ex mortuis resurrectione, misso tandem Spiritu veritatis, revelationem complendo per*fecit*... ». *Ratio*: hic ordo melius consonat realitati et ordini historico revelationis, et non interrumpit lineam inter resurrectionem et missionem Spiritus veritatis.

Ibid. (pag. 5, linn. 10-12). Finis textus inconcinnitate laborat nam: 1. illi qui pronomine « nobiscum » designantur non videntur computari inter « homines »; 2. in hoc textu qui exprimere vult revelationem consummatam in Christo, non apparet indoles christologica revelationis neque aspectus eius historicus; propterea addita est etiam referentia *Mt.* 28, 20.

Textus ergo sequens proponitur: « ... ac testimonio divino confir*mavit,* Deum nempe in *Ipso inter nos homines conversatum esse et semper* nobiscum esse (cf. *Mt.* 28, 20) ad *nos* ex peccati mortisque tenebris liberandos *et* in aeternam vitam resuscitandos ».

N. B. Si nimia videtur immutatio illa lin. 11, saltem dicatur: « ... Deum nempe nobiscum esse ad *nos* homines... liberandos *et* in aeternam... ».

Ibid. (pag. 5, linn. 14-19). 1. (linn. 14-15) loco « foedus novissimum et definitivum » scribatur potius « foedus nempe nov*um* et *aeternum* (cf. *Ier.* 31, 31; 32, 40; *Hebr.* 9, 15; 13, 20) ». *Ratio*: non est cur sermo fiat de « foedere novissimo », et melius est loqui de foedere illo vocibus biblicis, additis referentiis.

2. (linn. 17-18) loco « ante finalem revelationem » scribatur « ante gloriosam manifestationem »; et post ultima verba « ... Iesu Christi » addantur referentiae: « (cf. *1 Tim.* 6, 14; *Tit.* 2, 13) ». *Ratio*: voces « finalem » et « revelationem » quasi suggerebant revelationem per parusiam adhuc augeri. At illo tempore iam non agetur de revelatione eodem sensu ac tempore Christi: erit potius « manifestatio » personae Christi, id quod voce graeca « epiphaneia » in textibus allatis perspicue indicatur.

Ibid. (pag. 5, linn. 26-27). Omittantur verba « voluntarie veritati ab eo revelatae assentiens ». *Rationes*: 1. est iteratio praecedentis; responsio subcommissio-

nis, pag. 12, sub littera B, non valet, quia « assensus doctrinae datus » quem requirit iam exprimtur in verbis praecedentibus « *intellectus* et voluntatis obsequium »; 2. « de veritatibus revelatis » sermo fiet integra paragrapho sequenti; 3. vox « veritas » hic sumeretur sensu scholastico « doctrinae », sensu nempe diverso ab illo qui habebatur n. 2 in fine (pag. 4, lin. 8) ubi « veritas » erat quasi synonymum cum *revelatione* culminanti in Christo.

Ad n. 6 (pag. 6, linn. 1-7). Proponitur abbreviatio textus eiusque coniunctio cum sententia praecedenti hoc modo: « ... quae humanae mentis intelligentiam omnino superant. Eidem revelationi etiam tribuendum est, ut ea quae, in rebus divinis... », usque ad finem. *Rationes*: 1. in textu prout iacet non placet ultima sententia « Confitetur Sacra Synodus... », nam non est nisi repetitio ad verbum Conc. Vat. I et non coniungitur cum praecedenti enuntiatione. Ea quae dicuntur de Dei naturali cognitione iam habentur n. 3 in initio. 2. Formula « Confitetur Sacra Synodus... » magnam sollemnitatem sapit et melius ponitur in initio alcuius capitis; atque sollemnitate sua valde insistit in cognitione Dei naturali, quae non videtur tam extollenda in schemate « de divina revelatione ».

Ad cap. II. Ad n. 7 (pag. 14, linn. 18-19). Loco « tum ab *ipsis* », scribatur « tum ab *iisdem* », propter latinitatem.

Ibid. (linn. 26-28). Scribatur: « *Haec* igitur Traditio et *sacra* utriusque Testamenti Scriptura... ». *Ratio*: secundum usum communem, adiectivum « sacra » adhiberi solet de Scriptura (sic recte habebatur in textu priore); non est cur ab hoc usu recedatur, certe non ad usurpandam vocem « sacra » tantum pro Traditione, non autem pro Scriptura, uti hic fit, nam Scriptura est inspirata, non autem Traditio.

Ibid. (lin. 32). Compleantur referentiae: « (cf. *1 Cor*. 13, 12; *1 Io*. 3, 2) ». Nam tantummodo in *1 Cor*. 13, 12 habetur « facie ad faciem ».

Ad n. 8 (pag. 15, linn. 3-9). Haec phrasis est valde obscura et stylistice sat reprobanda. Nam iidem homines designantur successive vocibus « fideles... eis... eosdem... sanctis »; et subintelligi debent in nominativo apud verbum « didicerunt » et in accusativo apud verbum « iubent ». Libere citatur *Iud*. 3 et nihilominus retinetur versio latina rustica et fere inintelligibilis.

Praeterea, loco « quod et ipsi acceperunt », dicatur « quod *viderunt et audierunt* (cf. *1 Io*. 1, 1-3) aut et ipsi acceperunt ». Nam solus S. Paulus tradidit quod et accepit; alii Apostoli tradiderunt quae viderunt et audierunt.

Sic ergo dici posset: « Unde Apostoli, traden*tes* quod *viderunt et audierunt* (cf. *1 Io*. 1, 1-3) aut et ipsi acceperunt (cf. *1 Cor*. 11, 23; 15, 3), *fideles* monent, ut *teneant* traditiones quas, sive per sermonem sive per epistulam didicerunt (cf. *2 Thess*. 2, 15), utque pro semel sibi tradita fide decertent (cf. *Iud*. 3) ».

Ibid. (pag. 15, linn. 16-17). Proponitur textus sequens: « *Viva* haec quae est ab Apostolis Traditio sub assistentia Spiritus Sancti in Ecclesia proficit ». *Ratio*: adiectivum « viva » restituatur e priore textu, ne traditio intelligatur tantum in sensu depositi fidei (quod non proficit), sed in quantum exprimit « vitam » Ecclesiae.

Ibid. (pag. 15, linn. 21-23). Melior erat formula praecedens (« tum ex intima rerum spiritualium experientia »), nam patet experientiam humanam esse cognoscitivam, non caecam; metus modernismi non videtur iustificatus. Addatur tamen

etiam mentio de donis Spiritus Sancti, ne profectus in Ecclesia videatur pendere a solis mediis naturalibus et humanis.

Sequens ergo proponitur textus: « tum ex intima rerum spiritualium *experientia, sub actione donorum scientiae et sapientiae* ».

Ibid. (lin. 25). Pro « in ea » scribatur « in ipsa » magis perspicuum.

Ibid. (lin. 39). Post « veritatem inducit » restituatur referentia ad *Io.* 16, 13. *Nam* ratio allata a subcommissione (pag. 19, sub litt. G) contra hanc citationem non valet: insinuatur ibi promissiones de Paraclito valere pro solis Apostolis; at evidenter valent pro toto tempore eschatologico seu tempore Ecclesiae; cf. *Io.* 14, 16; « ut maneat vobiscum in aeternum ».

Ad n. 9 (pag. 16, linn. 3-13). Proponitur ut sequenti modo scribatur textus: « Nam ambae, ex eadem scaturigine *divinae revelationis* promanantes, in unum quodammodo coalescunt et in eundem finem tendunt.

Etenim S. Scriptura est locutio Dei quatenus divino afflante Spiritu scripto consignata *est,* S. autem Traditio *revelationem divinam,* a Christo Domino et a Spiritu Sancto Apostolis concreditam, successoribus eorum, praelucente Spiritu veritatis, integre transmittit, ut illud praeconio suo fideliter servent, exponant atque diffundant ». *Rationes*: 1. prior textus erat syntactice obscurus. Textus propositus clarior evadit, et melius manifestat parallelismum et unitatem inter Scripturam et Traditionem. 2. Melius indicatur tum Scripturam tum Traditionem promanare ex eodem fonte divinae revelationis. 3. Opportunum visum est evitare formulam « verbum Dei », quae hic (linn. 8-9) ambigua esset Etenim « verbum Dei » designare potest *sive* ipsam revelationem (cf. « Deus locutus est », v. g. *Hebr.* 1, 1-2; hoc sensu usurpatum etiam in schemate, n. 10, lin. 18), *sive* etiam, sensu magis specifico. Sacram Scripturam. Si declaratur cum textu emendato traditionem « verbum Dei... transmittere » (linn. 8-11), expressio facile intelligi posset de transmissione solius Scripturae; revera autem totam revelationem intendit. Propterea ad omnem ambiguitatem vitandam, dictum est traditionem « *revelationem divinam* transmittere ». 4. Verba « praelucente Spiritu veritatis » posita sunt *paulo antea,* ita ut clarius appareat illa applicari ad totum processum Traditionis.

Ad n. 10 (pag. 16, linn. 30-31). Loco « Magisterium non supra verbum Dei est, sed eidem ministrat », dicatur « Magisterium verbo Dei *subest,* eique ministrat ». *Ratio*: forma negativa non placet, quia innuere videtur aliquos in Ecclesia contendere Magisterium esse supra verbum Dei.

Ibid. (pag. 16, linn. 37-38). Ordo verborum mutatur: « Sacram Scripturam, Sacram Traditionem et Ecclesiae Magisterium ». Etenim traditio poni debet secundo loco, cum hic agatur de traditione consequenti Scripturam, non de traditione quae illam antecedit.

Ad cap. III. Ad n. 11 (pag. 21, lin. 18). Loco « asserit... assertum », scribatur « dicit... dictum ». *Ratio*: verbum « asserere » nimis restringit textum ad campum logicum.

Ibid. (pag. 21, linn. 18-21). Proponitur sequens formula: « ... inde Scripturae libri integri cum omnibus suis partibus veritatem salutarem fideliter et sine errore *exprimere* profitendi sunt », omissis adverbiis *inconcusse* et *integre.*

Nota de verbis « veritatem salutarem »: haec nova formula valde laudanda est: *a*) optime respondet quaesitis multorum Patrum; *b*) vox « salutaris » apte

exprimit omnia quae Scriptura nobis retinenda proponit; *c*) bene respondet formulae iam adhibitae a Conc. Vat. I, in descriptione inerrantiae librorum sacrorum: « revelationem sine errore continent » (DENZ. 1787).

Rationes mutationum quae propositae sunt: 1. Duo adverbia « inconcusse » et « integre » supprimantur, nam: « inconcusse » sensum timoris videtur exprimere, et idea iam habebatur in « fideliter »; praeterea non quadrat cum contextu, nam « inconcusse » exprimit firmissimam decisionem *voluntatis,* quod supponit personam humanam; at in textu agitur de libris. Similiter supprimendum est « integre », utpote ambiguum. Etenim *aut* significat idem ac « non corrupte », « nulla re admixta », et tunc idem dicit ac verba sequentia « sine errore »; *aut* significat « veritatem *integram* »; sed tunc dirimeret quaestionem de sufficientia S. Scripturae (scil.: « Scripturae libri... veritatem salutarem *integram*... exprimere profitendi sunt »); quod S. Concilium magna cum cura evitare voluit. 2. « exprimere » loco « docere »; verbum « docere » minus placet, propter connotationem exclusive didacticam; « exprimere » e contra etiam convenit pro libris qui non stricte docent.

Ad n. 12 (pag. 21, lin. 31; similiter pag. 33, linn. 19-20). Loco « nobis communicare », dicatur « nobis*cum* communicare » propter latinitatem.

Ibid. (pag. 22, linn. 1-2). Addatur unum verbum in textu: « ... quid hagiographi reapse significare intenderint, *quidque* eorum verbis manifestare Deo placuerit ». *Ratio*: etsi subcommissio hoc negat (pag. 25, sub litt. B), textus prout iacet in schemate reapse dirimit quaestionem de sensu pleniore Sacrae Scripturae, *illum excludendo,* nam identificat absolute sub uno « quid » intentionem hagiographi et placitum Dei. Haec decisio ignorat et practice respuit, sine iustificatione, proposita ab E. D. Edelby (de sensu spirituali), E. D. Simons (de intentione hagiographi et de intentione Dei) et ab epp. Brasiliae expressa. Insuper in conclusione, relator recte animadvertit Patres insistere in eo ut « relatio inter id quod S. Auctor, et id quod Deus ipse intendit clarius distinguatur ».

Ibid. (pag. 22, linn. 6-7). Propter latinitatem, loco « Aliter aliterque... » scribatur: « Aliter enim veritas in textibus vario modo historicis *vel* propheticis, aliter in textibus poeticis vel in aliis dicendi generibus... ».

Ibid. (lin. 9). Loco « oportet *porro* » ponatur « oportet *ergo* ». Etenim antea explicabatur quid sit genus litterarium, et nunc sequitur applicatio.

Ibid. (lin. 11). Loco « pro sui temporis condicione » proponitur: « pro sui temporis *et culturae* condicione ». *Ratio*: non agitur tantum de differentia temporis inter nos et hagiographos, sed praesertim de differentia culturae et mentis, etc.; hac mentione melius ostenditur quantopere differant a nobis homines quos Deus allocutus est; similiter, ad mentem Encycl. *Divino Afflante Spiritu,* ostenditur pretium peritiae scientificae rerum Orientis antiqui (cf. *EB* 558).

N. B. Etiam dici posset: « pro suae *gentis* et temporis condicione ».

Ibid. (pag. 22, linn. 11-12). Verba « ope generum litterariorum illo tempore adhibitorum » omittantur et redeatur ad simplicitatem textus prioris. *Rationes*: 1. Stylistice phrasis ponderosa est. 2. Iam bis antea in hac paragrapho dictum est de generibus litterariis. 3. Formula videtur restringere modum quo hagiographus sese exprimit ad sola genera litteraria, dum etiam ratio habenda est mutui commercii hominum (de quo infra lin. 19).

Ibid. (pag. 22, linn. 14-15). Supprimantur verba « Veritas enim seu » et

redeatur ad verbum « significare » textus prioris. Unde propositio sic incipiat: « Id enim quod sacer auctor scripto *significare* voluit » (aut saltem utrumque dicatur: « significare vel asserere »). *Rationes*: 1. « Veritas » melius supprimitur, nam in hoc contextu intelligeretur in ordine logico, dum in initio capitis (n. 11, linn. 19-20) dictum est agi de veritate « *salutari* ». 2. Verbo « asserere » restringitur ad campum logicum, sine iustificatione, et contra prius dicta de revelatione personali Dei. Hagiographus non tantum vult docere, sed etiam commovere affectus, imaginationem alere, ad res salutis allicere et omnes facultates tangere. Insuper « asserere » non bene cohaeret cum sequentibus « sentiendi, dicendi, narrandive modos », quae latius patent.

Ibid. (pag. 22, linn. 15-20). Proponitur ut textus mutetur in sequentem modum: « ... nisi rite attendatur, *sive* ad suetos illos nativos sentiendi, dicendi, *scribendive* modos, qui *in arte litteraria* temporibus hagiographi vigebant, *sive etiam ad expressiones quae* in mutuo hominum commercio passim adhiberi solebant ». *Ratio*: alia est quaestio de genere litterario, alia quaestio de mutuo hominum commercio in sermone quotidiano: prior quaestio multo amplior est, nam respicit maiores unitates litterarias vel libros integros, dum altera potius respicit locos determinatos. Utrumque prae oculis habendum est ab exegeta, et cavendum est ne minuatur attentio ad genus litterarium proprie dictum.

Ibid. (pag. 22, linn. 25 ss.). Proponitur insertio quaedam: « Sed, *cum S. Scriptura eodem Spiritu quo scripta est etiam legenda et interpretanda sit,* ad recte sacrorum textuum sensum eruendum... ». *Ratio*. 1. Hoc propositum est in aula conciliari a E. D. Edelby. 2. Repraesentat doctrinam quae in tota traditione antiqua Ecclesiae vigebat et apud Orientales usque in praesentem diem viva mansit. 3. Opportunum est mentionem facere de Spiritu Sancto etiam relate ad interpretationem S. Scripturae, nam facienda est sub lumine fidei.

Ibid. (pag. 22, linn. 26-27). Loco: « respiciendum est etiam ad contentum et unitatem totius Scripturae », proponitur: « respiciendum est etiam ad contentum totius Scripturae et unitatem *utriusque Testamenti* ». *Rationes*: « contentum » et « unitas » clarius separentur nam diversa exprimunt: *a*) « contentum totius Scripturae » extensionem inquisitionis faciendae indicat quae restringi nequit ad locos singillatim consideratos; *b*) « unitas utriusque Testamenti » relationem spectat inter duas oeconomias in historia salutis: Christus enim totam revelationem incarnationi anteriorem in semetipso assumpsit atque complevit.

Uti recte dicitur in relatione (pag. 25, sub littera *K*): « *unitas utriusque Testamenti* habet momentum theologicum proprium ». Atqui expressio tam magni momenti et frequentissimi usus in traditione patristica non inveniebatur prius nisi in titulo n. 16, cap. IV (pag. 29, lin. 9), qui non pertinet ad textum officialem Concilii. Proinde « unitatem utriusque Testamenti » hoc in loco opportune introducitur.

Ibid. (linn. 29 ss.). « Exegetarum autem est... »; haec formula sequenti modo compleatur: « Exegetarum autem est secundum has regulas adlaborare ad Sacrae Scripturae *sensum investigandum, explicandum et proponendum*; et ad *res illas* Sacrorum librorum *quae expositionem certam et definitam adhuc desiderant,* penitius intelligendas, ut de illis, quasi praeparato studio, iudicium Ecclesiae maturetur.[1] Cuncta enim... ». *Ratio*: 1. Munus exegetarum non est tantum locos Scrip-

[1] In nota remittatur ad *Enc. Providentissimus*: *EB* 109.

turae difficiles explicare. Propterea mentio fiat primo loco de eorum munere praecipuo: *sensum* S. Scripturae investigare et explicare. 2. Mutetur « locos illos » in « res illas », nam difficultates S. Scripturae non sunt tantum nec praesertim in locis difficilibus, sed in diversis problematibus maioribus et generalioribus; propterea: « *res* illas ».

N. B. Si mutatio nimia videtur, dicatur simplicius: « ... adlaborare ad S. Scriptur*am* penitius intelligend*am,* ut quasi... ».

Ibid. (pag. 23, lin. 6). Post ultima verba (« ... quoad omnia simile factum est ») addatur referentia: « (cf. *Hebr.* 2, 17; 4, 15) ».

Ad cap. IV. Ad n. 14 (pag. 28, lin. 3). Proponitur ut formula compleatur: « ... totius humani generis salutem sollicite intendens *atque ubique terrarum* (*Gen.* 4-11) *praeparans,* singulari dispensatione populum sibi elegit... ». *Ratio*: Vetus Testamentum habet maiorem extensionem quam historia salutis inde a tempore Abrahae. Iam ante tempus illud, Deus pro hominibus mirabilia fecit, quae V. T. narrat. Facta illa sunt magni momenti in oeconomia salutis et in historia revelationis, cum agatur de restabiliendo ordine universi (*Gen.* 8, 21-22) et de foedere cum Noe sancito, cuius signum in ipsis nubibus caeli inscribitur (*Gen.* 9, 12 ss.).

Ad n. 15 (pag. 29, linn. 2-4). Loco formulae concessivae « ... etiamsi ... tamen ... » proponitur ut dicatur: « Qui libri, in illis *quoque* elementis imperfectis et temporariis quae continent, veram paedagogiam divinam demonstrant ». *Ratio*: formula concessiva non satis directe exprimit realitatem paedagogiae Dei qui etiam imperfectionibus illis usus est ad manifestandum modo progressivo consilium suum salvificum.

Ibid. (pag. 29, linn. 4-8). Loco « Unde devote... reconduntur », proponitur: « *Eidem libri, qui* sensum Dei *vivi* exprimunt, *in quibus* sublimes de Deo doctrinae ac salutaris de vita hominis sapientia mirabilesque precum thesauri reconduntur, *in quibus tandem latet mysterium salutis nostrae, a christifidelibus* devote accipiendi sunt ». *Rationes*: 1. « quia » mutatum est in « qui », nam ratio illa (« sensum Dei vivi exprimunt ») non est praecipua cur illi libri sint accipiendi: ratio illa est quod sunt verbum Dei. 2. « Sensum Dei *vivi* »: haec formula magis conformis est Sacris Scripturis, et plus dicit. 3. « *In quibus tandem latet...* »: haec causa maxima est inter illas propter quas Ecclesia libros V. T. in catechesi tradit, sic etiam nexus habetur cum numero sequenti (« De unitate utriusque Testamenti »).

Ad n. 16 (pag. 29, lin. 10). Melius supprimitur « igitur », nam deest nexus causalis cum praecedentibus.

Ad n. 16 (pag. 29, linn. 18-19). De facto magni momenti quod libri V. T. in Novo acquirunt suam completam significationem alii textus adhuc citandi essent; formula etiam qua terminatur textus paulo magis explicita esse deberet. Unde proponitur formula sequens: « ... libri tamen Veteris Testamenti integri in praeconio evangelico assumpti [3] in Novo *Testamento* significationem suam completam acquirunt et ostendunt (*Mt.* 5, 17; *Lc.* 24, 27; *Rom.* 16, 25 s.; *2 Cor.* 3, 3; 4, 6), illudque vicissim *illuminant et explicant* ». *Ratio*: 1. textus citati, simul sumpti, bene exponunt illam doctrinam Novi Testamenti; illegitime opponitur (cf. pag. 31, nota *O* « relationis ») textum *Mt.* 5, 17 hic non recte citari. 2. In fine, loco « illustrant », scriptum est « illuminant et explicant »: primo, ratione stylistica, ut scilicet duobus verbis effati prioris (« acquirunt et ostendunt ») etiam

duo correspondeant in sequenti (« illuminant et explicant »); secundo etiam propter doctrinam quae his verbis enuntiatur: exprimit melius immutabilem traditionem Ecclesiae, iam inde ab ipso die Paschatis (cf. *Lc.* 24, 27. 46) e die Pentecostes (*Act.* 2, 25-36), scil. gesta Christi et ipsum Christum ex Scripturis intellegi.

Ad cap. V. In genere valde laudatur sapiens sapiens prudentia quo quaestiones difficiles in hoc capite exponuntur; probandus praesertim modus quo sermo fit de evangeliorum authenticitate (n. 18) atque indole historica (n. 19).

Ad n. 17 (pag. 32, linn. 12-15). Connexio affirmata inter *Io.* 12, 32 et *Io.* 6, 68 disputationi ansam praebet: in 12, 32 Christus non dicitur homines tracturus in quantum loquetur, sed in quantum mortem crucis (12, 33) ad Dei gloriam (12, 28) patietur. Unde proponitur: « ... omnes ad Seipsum trahit (cf. *Io.* 12, 32 gr.) *utpote se revelans tamquam Filium in quo gloria Dei resplendet* (*Io.* 6, 44; 13, 31-32; 17, 1).

Ibid. (lin. 15). Coniunctio « autem » non videtur apta. Suggerit enim hic agi de nova revelatione, Apostolis data, praeter eam quae in Christo est. Unde proponitur: « *Sic igitur,* quod aliis generationibus... ».

Ad n. 20 (pag. 33, lin. 31). In novo textu omissum est verbum *exarata* quod in sententia latina requiri videtur; nulla ratio est cur omittatur e textu priore. Videtur ergo restituendum.

Ad « *Notas* » (pag. 34). In nota (2): *Io.* 11, 51-52 non est ad rem, ac proin omittatur.

Ad cap. VI. Ad n. 21 (pag. 21, linn. 2-4). Formulae textus emendati addantur quaedam verba in hunc modum: « Divinas Scripturas velut ipsum corpus dominicum semper venerata est Ecclesia, *praesertim in Sacra Liturgia,* cum non desinat ex mensa... ». *Ratio*: bonum est explicitam mentionem facere de contextu Sacrae Liturgiae, in quo modo omnino speciali Ecclesia divinas Scripturas veneratur, v. g. in missa sollemni et in sessionibus quotidianis huius Concilii Oecumenici.

Ad n. 21 (pag. 37, linn. 12-14). Proponitur textus sequens: « Omnis ergo praedicatio ecclesiastica sicut ipsa religio christiana ad *Verbum Dei semper respicere debet tamquam ad normam et auctoritatem quibus regitur et iudicatur* (cf. *Io.* 12, 48) ». *Rationes*: 1. si textus prior forte nimis absolute de S. Scriptura tamquam regula omnis praedicationis dixit (cf. in « relatione », pag. 41, sub litt. *E*), textus emendatus e contra ideam nimis debilem reddidit. Propterea proponitur ut redeatur ad textum praecedentem, mutando tamen « Sacram Scripturam » in « verbum Dei »: haec ultima locutio iam inveniebatur antea (lin. 9), ubi designabat Scripturas *una cum Traditione* (cf. lin. 6). 2. Formula « S. Scriptura nutriatur oportet » textus emendati exprimit ideam quae postea invenietur (linn. 18-19) in vocabulis « sustentaculum » « animae cibus »...

Ad n. 22 (pag. 38, linn. 6-8). Parva mutatio proponitur pro textu de versionibus latinis: « alias vero versiones orientales et lat*inas,* praesertim illam quam Vulgatam vocant, semper in honore habet ». *Rationes*: de versionibus latinis sermo fiat in plurali, nam per saecula in Ecclesia latina in usu fuit versio dicta « vetus latina » quae nunc etiam usurpatur in diversis textibus liturgicis. Momentum speciale quod habuit Vulgata in traditione bene exprimitur adverbio *praesertim.*

Ibid. (pag. 38, linn. 12-13). Proponitur textus sequens: « ... versiones, *ad usum*

liturgicum atque catecheticum necnon pro lectione fidelium, praesertim ex primigeniis sacrorum librorum textibus ». *Rationes*: 1. bonum est mentionem retinere scopi versionum, qui est usus liturgicus, usus catecheticus et lectio fidelium; attamen e textu priore omittuntur verba quibus apparebat (ut bene notat subcommissio pag. 42, sub litt. *H*) Ecclesiam *imponere* versiones in lingua vernacula pro usu liturgico. 2. Vox « etiam » mutetur in « praesertim » ne Ecclesia versiones ex textibus primigeniis tantummodo *tolerare* videatur.

Ad n. 23 (pag. 38, linn. 28-30). Proponitur textus sequens: « ... divinas Litteras investigent *et proponant. Sic etiam fiet ut* quam plurimi divini Verbi administri plebi suppeditent *Scripturarum pabulum,* quod mentem illuminet... ». *Rationes*: 1. phrasis stylistice infausta erat et parum intelligibilis propter mutationem subiecti ab uno verbo (« investigent ») ad aliud (« suppeditent »). Ratione item stylistica permutantur ordine verba « Scripturarum pabulum » et « suppeditent », ut clarius appareat quinam sint effectus illius « pabuli »; tunc etiam superfluum evadit adverbium « fructuose ». 2. Additum est « et proponant » (cf. etiam mutationem propositam supra ad cap. III, n. 22, pag. 22, lin. 29 ss.), ut appareat munus exegetarum non ad solam investigationem restringi. 3. Claritatis causa, *in nova propositione* fit sermo de « pabulo plebi suppeditando »: hoc tunc praesentatur ut fructus pastoralis laboris exegetici (cf. verba « *Sic etiam fiet ut* »).

II

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA DE ECCLESIA IN MUNDO HUIUS TEMPORIS * INTER III ET IV PERIODUM CONCILII

1

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. SPELLMAN
Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Ratio huius schematis est fidelibus omnibusque bonae voluntatis hominibus aliqua de munere Ecclesiae ad bonum societatis promovendum proferre. Recte et iuste omnes fideles ita vocantur ad plenam maturitatem filiorum Dei ut in spiritu caritatis dialogum seu colloquium in mundo huius temporis prosequantur. Nemo est qui non videat quanta sit exspectatio his de rebus declarationis conciliaris. Schema praesens, cum tanta cura et diligentia a commissione praeparatum, fortasse cum aliquibus emendationibus non maximi momenti, disceptationibus omnium Patrum Concilii praesentari potest.

In primis, sicut in aula durante sessione proxime peracta iam dixi, praesens schema debet esse affirmatio perlucida sincerissimaque de positione quam Ecclesia

---

* Cf. vol. III, pars V, pag. 116 ss.

ut suam videt in hoc saeculo; debet esse rededicatio solemnis sed simul simplex, candida et humilis catholicae Ecclesiae ad humanitatis servitium; debet omnibus hominibus proponere quod, sicut Dominus noster, nosmetipsos semper in eorum ministerio videamus. Ideoque desiderium habemus ut in dialogum ineamus, ut audiamus et audiamur, ut rogemur exponere — etiam repraesentare — sententias nostras. Optamus super omnia ut sinamur auxilium ita ferre toti generi humano ut omnes in vitam abundantiorem afferri possint.

Ad huiusmodi finem assequendum, textus praesens nullo modo debilitandus est quoad materias tractatas. Attamen adhuc opus est, ut mihi videtur, providere speciatim in primis paginis quamdam qualitatem seu modum expressionis omnino clare significantem quod praecise hoc schema optat. Vitanda est etiam tenuis suspicio aliqualis inimicitiae vel « triumphalismi » ex parte nostra erga mundum hodiernum.

Ex altera parte, cap. V *de Communitate gentium et de pace promovenda* bene revisum est secundum animadversiones multorum Patrum. In textu praesenti praelucet desiderium ardens omnium bonae voluntatis hominum pro pace in iustitia et caritate vere fundata. Ex una parte principia sana et moralia de pace promovenda clare proponuntur; ex altera parte viri politici malae voluntatis non amplius e verbis nostris possunt capere occasionem ad falsas et perniciosas « propagandas » faciendas.

Uni sectioni, tamen, obiicere debeo. In initio secundi par. n. 101 bene proponuntur tum obligatio sequendi conscientiam recte formatam tum praesumptio iuris auctoritati competenti agnoscenda. Secunda pars huius paragraphi potest tamen gignere confusiones, dubitationes, vel etiam errores. Omnis civis habet obligationes erga rem publicam. Non est intentio Concilii negare in casibus concretis auctoritatibus civilibus potestatem urgendi obligationes civium eorum. Ex verbis huius partis schematis oriri potest opinio quod servitium militare numquam potest esse obligatorium vel saltem potest esse obligatorium tantum pro iis qui vitam christianam perfectiorem non desiderant.

Nationes, de propria existentia iure sollicitae, conditiones concretas in quibus versantur, considerare debent (n. 99). Etiam hodie rectores nationis possunt iudicare institutiones internationales ad pacem stabiliendam nondum valere et ideo praeparationem militarem ad pacem iuste promovendam esse necessariam. His in casibus praesumptio est illos, qui ad servitium militare vocentur, veram pacem intendere.

Sicut ait S. Thomas (*S. Th.* II-II, q. 188, art. 3, ad 2), aliquis potest resistere malo dupliciter. Uno modo, condonando propriam iniuriam. Et sic potest ad perfectionem pertinere, quando ita fieri expedit ad salutem aliorum. Alio modo, tolerando patienter iniurias aliorum. Et hoc ad imperfectionem pertinet, vel etiam ad vitium, si aliquis potest convenienter iniurianti resistere.

Sine dubio, iudicium de modo perfectiore resistendi malo in mundo hodierno non est facile. Sed, si rectores alicuius nationis in bona fide et post maturam considerationem iudicant servitium militare a civibus suis ad pacem et iustitiam defendendam omnino necessarium esse, quomodo potest civis individuus servitium militare iuste recusare? Sicut dictum est in eadem sectione schematis: ubi autem violatio legis Dei non manifeste pateat, praesumptio iuris auctoritati competenti agnoscenda est, eiusque iussis est parendum.

Verba in secunda parte huius paragraphi possunt sumi, fortasse contra inten-

tionem scriptorum, uti iustificatio pro quovis civi ad servitium militare absolute recusandum. Hac de causa, melius sit omittere totam hanc sententiam.

Denique, ut saepius iam dixi, valde optandum est ut substantia verborum S. P. Pauli VI in fine litterarum encyclicarum *Ecclesiam Suam* de necessitate virtutis oboedientiae includantur in praesenti schemate fortasse in cap. IV *De munere Ecclesiae in mundo hodierno* sub n. 52 « De unione inter fidem et vitam concretam ». Essentialis condicio dialogi veri nominis ex parte christifidelium est spiritus virtusque oboedientiae erga potestatem quae in Ecclesia « a Christo est constituta, ipsius vice fungitur, est eius verbi veluti publicum instrumentum, tantique Pastoris repraesentat amorem ».

Valde necessarium mihi videtur, et filiorum Ecclesiae et omnium fratrum nostrorum gratia, ut substantiam et significationem filialis oboedientiae christianae, liberrime datae, explicemus. Saepe saepius aliquibus videtur ut Ecclesia catholica maxime foveat oboedientiam mere iudicialem, indeliberatam ac veluti in auctoritarismo immoderato fundatam. Oboedientia vere christiana cum libertate christifidelium perfecte consonat et ordinatur ad efficientiam ministerii nostri servitutis humano generi. Opus nostrum ad dialogum sincerum et salutiferum fovendum erit magis efficax si modo vere pastorali agemus de necessitate tum virtutis oboedientiae tum spiritus verae libertatis christianae pro omnibus fidelibus qui in spiritu caritatis et humilitatis ad hunc dialogum venient.

2

Exc.mus P. D. IOANNES BADRÉ

Episcopus tit. Aquaenovensis in Proconsulari, aux. Parisiensis

I. (*Analogici sensus nominis belli*).[1]

Nationum sapientia, quae in singulis linguis conservatur cuiusque incrementum vel evolutio in varietates tam verbalium acceptionum quam structuralium locutionum inscribitur, praesenti tempore in extentione nominis *belli* ad specialem considerationem patres Concilii monet. Tum enim in scriptis publicis cum in quotidianis [2] sermonibus verbo *belli* utitur non ad armatos tantum conflictus exprimendos sed etiam cum de quibusvis contentionibus oeconomicis, intellectualibus, socialibus politicisque agitur. Nostro igitur saeculo substantivi *belli* sensus extenditur. Hoc tamen non sine ratione est. Nova enim acceptio designat omnes « usus cuiuscumque violentiae quo una pars quaedam contestationis, inter duas hominum communitates ortae, alterae voluntatem ad suam conclusionem acceptandam cogere intendit ».

Sic distinguitur *bellum* a *duello* et *rixa* quae dicuntur de contentionibus sive inter duos tantum homines sive inter imperfectas et accidentales coadunationes. *Bellum,* e contra, una voce res una opportune designat.

Praesentibus enim temporibus, magno non sine periculo, multi sunt qui, natio-

---

[1] Titulus iste et sequentes inter uncos positi non discursus concatenationes exprimant sed tantum ad commodius legendum quasi stationes itineris indicantes.

[2] Guerres du pétrole, guerre de la langouste, guerre des salaires, du bifteck, guerre des poulets.

num illam sapientiam contemnentes, verbi *belli* nimis restrictum usum habent. Quod hic immaturata cogitatione sed hic pernicioso dolo fit.

Nam sunt qui per horrendum bellum atomicis mediis gestum denuntiant ut facilius hostes suos psychologicis, intellectualibus et passionariis armis occulte aggrediant, vulnerant et in servitutem sui voluntatis in fine redigant. Alii autem sunt qui, non perverse sed quodammodo incaute, crudeliores modos belli ut excludendos et condemnandos verbis impugnantes, ipso facto quodammodo implicite alia bella quasi benedicant.

(II. *Res a S. S. Concilio denuntiandae*). Ut igitur Sacrosanctum Concilium vere nostro tempori accommodatam doctrinam praebeat, opportune nobis videtur ut tres sequentes puncti explicite denuntientur:

(*Bellum movere peccatum est*). 1. Veteri sensu, quem novus non excludit, bellum movere simpliciter, praesentibus temporibus, peccatum est; et peccatum grave ut directe oppositum paci; quae est fructus caritatis, ut traditionaliter S. Thomas docet *II-II* qu. 40. Et consequenter exclusio immaniorum mediorum non excusat qui sic dictis « conventionalibus armis » bellum promovent.

(*Species tres belli distinguendae secundum rerum naturas*). a) *Hominis natura.* 2. Novo vero sensu limites stricte delineatae describi non possunt inter conflictus quasi naturales, qui inter societates oriuntur, et istos quos iuste homines contemporanei bella denominant. Sed ad utilitatem moralis considerationis obiectivis notis eidem conflictus per diversas species distingui possunt. Hic considerandum quod perennis philosophia docet « viventem spiritualis et civilis vitae » hominem inseparabiliter et essentialiter esse; nec non, prout ex anima et corpore compositum, vitam spiritualem simul ac in materialitate huius mundi immersam degendam habere. Homo igitur, hac natura, super res materiales potestatem habet, prout eas corpore suo tangit et mente dominatur. Cum ergo homo quidam vel unaquaeque hominum societas ius suum defendere intendit, tot in manu habet species virium quot sunt suae vitae dimensiones.

b) *Tres gradus humanarum operationum.* Vita autem humana tripliciter distingui potest secundum tres operationum genus. 1. quidem spirituales quae de mente ad mentem fiunt; 2. autem operationes artium in quibus res materiales tam viventes quam inanimatas homo sibi acquirit, transformat et utitur tam ut instrumentis quam ut bonis consummationis vel sensibilis fruitionis; 3. denique operationes tam individuales quam collectivae sunt, quae, agente peccati originalis inordinatione; pro dolor, vitam spiritualem saepius totaliter submergunt. Et ita fit ut creaturae spirituales quasi bruta animalia se gerunt. Libertate demissa, homines in conditionem animalium incadunt et relationes eorum tam individuales quam collectivae legibus rerum materialium subdantur.

c) *Quibus contentionibus movetur materialis mundus.* Divina vero Providentia mundum materiale sic condidit ut viventes omnes non tantum inter se contendunt sed etiam ex morte aliorum vitam suam sustentant et expandunt. Prout igitur homo in conditione quasi animali labitur, necessario ut animalia se habet et vita sua bellum perpetuale fit. Mente autem sua, quae libero arbitrio fruitur, et auxiliante gratia Dei, a fovea ista homo se extrahere potest. Attamen saepe iterum in servitutem materialium virium cadit.

Item considerandum societates hominum et etiam personae individuae non

mala tantum sed bona quoque ex contentionibus istis accipere. Aemulatio enim quaedam moderata ut causa progressus indubitabiliter se habet.

Hae considerationes directe pertinent ad propositum nostrae intentionis. Non extendenda est ad bellum error liberalis oeconomismi quae in quadam infrene contentione motorem omnium progressuum posuit. Quod enim multi progressus artium technicarum ex necessitatibus bellorum evenerunt non bella iustificat. Quod inter bellicos luctus et terrores multi fortiores se ostenderunt et etiam heroicarum virtutum exempla praebuerunt non ipso facto bonum faciunt bellum nisi accidentaliter.

Attamen contentiones bio-oeconomicae humanarum societatum impossibile est totaliter evacuare. Sed inquantum spirituales spiritualibus mediis homines eas solvere debeant et rationabiliter ad debitos modos reducere. Hic ergo peccatum fit cum ad quoddam aequilibrium quod a saecularibus sapientiis pax denominatur obtinendum, novis contentionum speciebus novisque violentiis recurritur. Ex quo accipi potest quod, ut infra patebit, peccatum motionis belli in isto recursu ad violentias novas consistit.[3]

d) *Triplex ordo virium in bellis usitatorum.* Ad ius ergo suum contra inimicos promovendum vel defendendum homo peccato lapsus in tribus supradictis vitae modis, scil. spirituale, instrumentale et biooeconomico, instrumenta violentiae sibi invenit. Et sic obiective tripliciter bella distingui possunt secundum huius violentiae instrumenta: scil.

1. instrumenta specialia ad tantum pugna gerenda facta quibus respondit vetus sensus verbi *belli.*

2. res, vel operationes omnes vitae societatum, prout occasiones vel media sunt violentiam inimicis inferri, e. g. restrictio commutationum oeconomicarum,[4] destructio fructus terrae vel laboris hominum, multiplicatio germinum morborum vel animalium hominibus, bestiis domesticis aut plantis nocentium, vel etiam inundatio chimicis vel radioactivis substantiis, mortem, aut debilitatem aut temporariam incapacitatem toto populo localiter aut universim causantibus.

3. insidiosissima et oculo fidei nocivissima media illae sunt qui, bellum pure spirituale moventia, in spirituali parte hominis violentiam pure spiritualem inferrunt. Hoc est, autem, bellum quod in S. Scriptura, saepe specialiter in S. Ioannis Apocalypsi denuntiatur.

---

[3] Pour employer la terminologie présentement en usage dans les discussions, il faut distinguer des *seuils;* dont, selon nous, chaque franchissement a moralement valeur d'une entrée en guerre. Ainsi, par exemple, quand, pour brusquer les choses en sa faveur, un chef d'état décide de passer de l'habituelle tension économique à une action de *dumping* sur un produit quelconque, il y a déclenchement d'un ordre nouveau de violences. S'il généralise le *dumping* il y a nouvelle initiative. S'il passe à un blocus douanier un nouveau seuil est encore franchi; de même s'il passe du blocus douanier à un blocus économique appuyé de forces armées, ou s'il procède au refoulement brutal des ressortissants de l'adversaire etc. Il y a donc lieu de distinguer, non seulement de manière assez classique, la conduite de la guerre dans un type donné de guerre du déclanchement de cette guerre, mais aussi de distinguer comme espèces distinctes de guerres les séries de violences qu'inaugure chaque franchissement de seuil. Ce franchissement de seuil (que nous appelons ici *bellum movere*) comporte en soi une double nocivité: 1. celle des violences qui lui sont propres; 2. le danger dit d'*escalade,* c'est-à-dire de passer d'un seuil à l'autre sans même s'en apercevoir; danger qui croît en fonction directe de la vitesse où se succèdent ces franchissements de seuil.

[4] Fermeture des frontières, blocus, *dumping, lock out,* grèves.

Attamen hic caute distinguendum inter sacrum illud bellum quod spirituales milites ecclesiae, cum Christo, adversus potentias et dominationes mali purissimis armis dulcis patientiae et evangelii praeconii gerunt et bellum sordidum istud quod scandalis geritur. Pessimum enim bellum spirituale istud quod tam ut instrumentis violentiae ad voluntates inimicorum devincendas quam ad animos suorum militum roborandos voluntariis peccatis utitur. Hic cum, ad exercitus sui sic dictum « morale » accrescendum, odium, contemptus, crudelitas, insensibilitas, egoismus, lucrum, inanis gloria, luxuria accenduntur et foventur. Istic cum inimicis suis timores quorumvis specierum et terrores [5] imponantur, vel in proditionem officiorum familiae, amicorum et patriae inducant aut in infirmitates mollitiei deiiciunt, in dubium etiam suorum iurium et obligationum per ideologiam quamdam adducant, iudicia quoque per mythos obliqua fiunt, scientiae denique in errores inducuntur et conscientias in ambiguitates falsas ligatas vere dementant. Adversus pessima ista bella fulget gladius verbi Domini, discipulis suis dicentis: « Dico vobis, amicis meis: nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere ... Timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam » (*Lc.* 12, 4).

(*de scientiarum et technicarum artium progressibus bellicis rebus commixtis*). 3. Sed hic tertia consideratio facienda est ab accelerato incremento scientiarum sumpta.

Primos humanitatis in hoc mundo describens gressus capitulum quartum libri *Genesis* docet doctrinam omnibus temporibus accommodatam. Quae tamen nostris temporibus iterum atque iterum fructuose meditanda est. Ab origine crevit hominis potentia intelligendi et nominandi, utendi et abutendi omnium rerum materialium et spiritualium. Crescente scientia, multiplicatis artibus, crescit et potentia hominis indifferenter ad bonum vel malum faciendum, sicut primis aevis lapidea ascia ad lignum secandum et homines interficiendos serviebat, ita, e. g., nostro saeculo, media transmissionis electricae hominibus possibilitatem apponunt tot celere medicum ad lectum mortis laborantium vocare (et sic nonnullae vitae salvantur) quot, pariter celere, iussum ad propulsores instrumentium mortis contra multos mittere.

III. (*In medio statu quaestionis*). (A. *Status generalis rerum*). Haec itaque perpensa, considerandum est quod *progressus scientiarum et technicarum artium sistere non potest* (et aliquo modo non debet). *Quaeque igitur nova inventio simul et necesse accrescit potentiam hominum tam male quam bene agendi.*

Non in natura rerum inanimatarum vel etiam irrationabilium viventium perversitas est sed ex homine male utente libero arbitrio suo. Nonne Dominus docuit: « Adhuc et vos sine intellectu estis? Non intellegitis quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit et in secessum emittitur? Quae autem procedunt de ore, de corde exeunt et ea coinquinant hominem » (*Mt.* 15, 17-19). Paganorum mentium rerum scientiam adorare vel fulgere est, ut si per se bonum vel malum efficeret. Non res irrationales damnandae sed eorum a malis hominibus perversum usum. Remedia itaque ad pacem promovendam non inquiri debent ex parte cuiusdam restrictionis supradicti progressus sed per promotionem activam conscientiarum et voluntatum.

Signum enim faustum huius temporis est haec nova perceptio periculi mortis generalis in viribus atomicis inclusi. Quasi prima vice homines intelligunt scien-

---

[5] Terrorisme, chantage, pressions morales, tortures physiques, psychologiques et morales etc.

tiam moraliter indifferentem esse: i. e. capacem mali vel boni suae virtuti proportionatorum. Quinimmo rerum vitae periti, praescientes novas potentias proxime acquirendas super vitam ipsam hominis, partim horrescunt et partim gloriantur talium possibilitatum. Similiter dicendum est de potentiis informationis in manibus aliquorum depositis.

(B. *Certior via ad pacem promovendam*). Non tamen ubique sunt angustiae. Via quaedam est, sed sola, quae delineatur compendiosissime quinto capitulo Libri *Genesis*. Remedium periculi est progressus conscientiarum et voluntatum. *Necessitatis vitae hominibus nunc est sapientiam rectam celerius acquirere quam potentiae artium et scientiarum accrescunt.*

Quia homo malus semper sibi inter quae in manibus sunt vires, peiora instrumenta belli sibi inveniet — facta enim sequuntur animae dispositiones —, ad radicem arboris belli sine mora securis apponenda est.

Non quidem in prima necessitate talia vel qualia media belli impugnanda vel condemnanda sunt sed bellum ipsum ut habituale medium solvendi res politicas et praecipue condemnandae matres eius, scil. odium, voluntas potentiae, iniustitia et impatiens inquietudo.

Nam, inter supradicta species bellorum, ut origo et finis omnium, primo denuntiandae sunt quae posuimus sub tertia specie bellorum: bella scil. spiritualia quae libertatem vel subsistentiam personarum humanarum impugnant. Prima ergo media depugnanda sunt quae in animis hominum accendunt et fovent perversas passiones: superbia scil. necnon aliorum contemptus, egoïsmus, insensibilitas miseriarum, invidia, cupiditas; quae quasi omnia aliis paragraphis schematis annexorum in memoriam revocatae sunt.

Distincte ergo motio belli iterum denuntianda est ut medium quasi omnino inadaequatum causae etiam iustae (Ioannis XXIII *Pacem in terris*: « Quare aetate hac nostra, quae vi atomica gloriatur, alienum est a ratione, bellum iam aptum esse ad violata iura sarcienda »).

Ius tamen est et saepe obligatio violentiae pari violentia resistere cum hostis bona essentialia vitae impugnat, praecipue spiritualia.

Itaque denuntiandi sunt ut primi bellorum actores scriptores et oratores qui pane mortifero populos et eorum rectores vescunt (cf. *Apoc.* 13, 12 sq.). Nam si aliquo die volunt quocumque modo bellum movere et immanis armis gerere in viribus praesentis scientiae et technicarum, novas armas invenire semper potuerunt homines mali. Primae causae peccati in intentione sunt; in voluntate scil. illicitis mediis uti ad iniustum ordinem promovendum. Secundario tantum modo consideratio erit de mediis electis quae meminit causam iustam vel rectum ordinem defendere aut movere perversis mediis non virtuosi et boni viris esse.

In systematibus ideologicis exquirendae ergo sunt causae maiores bellorum. Non ut conceptiones humani ordinis cuiusdam sint sed prout illae « creationes hominis » loco Dei ponantur. Semper autem cultus idolarum in effusionem sanguinis desinit. Itaque ideae inordinatae sive nationalismarum sive communismarum sive quorumcumque aliarum similium ideologiarum non bella excusant sed aggravant.

Dicendum tamen est iterum quemlibet finem nunquam mala media iustificare.

(IV. *Conditiones solemnis testimonii ecclesiae*) (1. *De ecclesiae depolitizatione*). In his declarationibus attentio acutissima apponenda est ne sententiae auribus universi mundi propositae sapiant aliquam politicam positionem.

Magni enim momenti est ut Ecclesia sancta testimonium suum quam purissime reddat.

Non aliis ergo mediis quam propriis Ecclesia Christi vitam suam et veritatem divinam promovere, propagare et servare debet: Evangelii scil. praedicatione, divino cultu operibusque caritatis. Ab initio enim quasi christiani aevi usque nostris praesentibus temporibus crudele docet historia ut, cum ecclesiarum rectores super politicas potestates vel materiales inniti debuisse censuerunt seseque sic gesserunt, non mera benedictione Domini fruisse et nimis saepe ecclesiarum Christi odium in animas eorum hominum qui adversus istas potestates saeculi contendebant vel ab eis oppressi erant habitualiter aliquo modo provocasse, saepiusque, licet longe et indirecte, hunc processum in effusionem sanguinis martyrum desinisse.

(2. *Testimonium libertatis spiritualis*). Opportunissime ergo, mea humillima sententia, erit:

1. Si Ecclesia solemniter et explicite declarabit media potestatis saeculi non mera media Christi regni esse.

2. Si eadem Ecclesia, vehementer, omnes sui gregis ecclesiasticos rectores quamlibet cum potestate saeculi coniunctionem vitare hortabit. Unusquisque enim sic hortatus erit ad non actus tantum sed etiam apparentias horum coniunctionum fugandas. Considerandum enim est duabus viis hanc coniunctionem saeculi et Ecclesiae advenire posse.

Prima et supradicta est cum, quoquo gradu hierarchiae, ad media temporalium potestatum propter opus aeternum et spirituale recurritur. Mundanae enim prudentiae horum mediorum electio pertinet, de qua iam Ieremia propheta iudaeos monebat cum eos hortabat se, contra periculum vicini regni impugnantis, non coniunctioni alteri regni sed divino auxilio confidere. Cuius doctrinae Dominus Iesus perfectionem ostendit cum Caesaris proconsulatori respondit regnum suum non huius mundi esse seque angelorum legionibus uti non velle et discipulos suos, solemni tempore, monuit non de hoc mundo esse cum in mundo sunt.

Altera autem via ad inopportunam coniunctionem subtilior est et vigilanter cavenda. Frequentius enim populorum rectores, tam civilium quam militarium vel quorumcumque modorum saecularium societatum, recta vel perversa mente, auxilium spiritualium virium exquirunt. Itaque, si non invigilat ecclesiastica hierarchia, pedetentim advenit ut ecclesia localis saeculari potestati desruit, in supradicta coniunctione incadit et in pura servitute desinit.

Sicut ergo, in difficillimis circumstantiis, Gallici Vicariatus militaris cappellanis suis militaribus docuit Em. D. card. Feltin, rectores etiam minimorum Ecclesiae coetuum debent « Ecclesiae esse et tantum Ecclesiae ».

Attamen attendendum est hanc libertatem in hostili animo labi non debere. Voluntas recta civitatis rebus se non miscendi in medio stat inter hostilitatem et servitium, cum unusquisque Caesari reddat quod Caesari est, nec plus nec minus, et Deo quae de Deo omniaque prout Deo sunt omnipotenti creatori et salvatori reddat. Memini quoque oportet quod quaedam systematica et passionata erga res politicas hostilitas adhuc politica actio manet.

Via illa ergo media non facilior sed fortium hominum est. Sunt enim caesares qui omnipotentiam appetunt. Hic autem non refert ad solvendam quaestionem quod caesares illi quovis totalitarismo « ex parte sinistra » vel « dextra » (ut politice aiunt) inniti intendunt cum utrisque istis circumstantiis in via tyrannicae potesta-

tis ingressi erunt et desinenter pessimis violentiis christianos libertatem et independentiam suam defendentes, opprimerunt.

Hic certe nonnulli difficultates opposuerunt in memoriam revocantes de saeculis in saeculos episcopos et Summos Pontifices non tantum arma militum benedixisse sed etiam per seipsos bella movisse. Ad quam rationem responsio in Veteri Testamento invenitur. Longa electi populi historia docet enim quomodo divina Providentia manu duxit hebraeos ab immanibus paganorum moribus ad dulciores cum bella gerebant. Non ergo argumentum est quod multa saecula commixtio fuit inter ecclesiarum rectores et politicos potentes.

Dandum huic saeculo testimonium praecise est quod Ecclesia societas principaliter spiritualis est, spiritualibus ad fines suos promovendos et perficiendos mediis utens. Quid multis? In via a dilectissimo Papa Ioanne XXIII demonstrata, non stare debet Ecclesia sed progredi. Auxilium temporalium renuntiatio fidei et spei testimonium praebet. Haec est fides nostra quod vinxit Veritas. Haec spes christiana auxilium Dei nunquam fidelibus suis defuisse.

Promovenda est quietudinis mentium tempestas qua, trans omnia politica media, inter homines et quasvis societates, mutuas intelligentiam, benevolentiam, fidem et assistentiam pedetentim accrescet. Haec denique assistentia praecipue intendere debebit ad resistendum contra omnes modos belli spiritualis.

(3. *De modo procedendi*). Declarationem illam in schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis* et annexis suis praeparatam quam multi populi ardenter expectant nec non hostes Christi vehementer timent, non tantum « dare bonas parabolas » debere puto sed omnibus hominibus benevolis, apertam et firmam legum naturalium doctrinam lumenque ad difficiliores quaestiones solvendas praebere primae necessitatis esse.

Item doctrina haec purissimis sententiis exprimi urgenter decet ne loco datur irrisionibus vel calumniis Ecclesiae hostium. Itaque valde, mea sententia, utile erit declarationem hanc totam relegere unico et speciali studio ad omnes locutiones aequivocas vel dubias corrigendas. Quod postulat correctiones has a viris doctrinarum hostilium vere peritis fieri. Id est non scriptores isti qui refutationes quasdam scribunt librorum quos non legerint, sed qui non tantum publicas declarationes sed etiam hostium methodos bellicos noverunt. Non testimonium enim caritatis Christi redderet S. Synodus si ex suis verbis Ecclesia videbatur *quaerere quae sua sunt* (*1 Cor.* 13, 5). E. g.: temporalium potestatum peculiariam protectionem, legum nationalium vel internationalium favorem, bonorum suorum materialium specialem statum exquirere vel etiam si Ecclesia institutiones nationales vel internationales bonas quidem sed politicam quamlibet sapientes promovere videatur.

Expectat hominum terra testimonium veritatis et pacis, iustitiae et misericordiae, ordinis et libertatis ab ea, quem confuse sentit matrem et magistram suam esse. Si decipiatur peiores eventus nonque nullae persecutiones die non remoto expectandae sint. At certitudo victoriae Christi non tamen tantos periculos levi animo inire permittit ne infirmi et parvi animae his diebus periissent. In medio luporum sicut serpentes et columbae simplici animo et prudente mente Ecclesiae decet procedere.

Animadversiones secundariae.

(*De distinctione inter schema et annexa*). I. Ad aequivocationes de quibus in principalioribus animadversionibus nostris tractavimus removendas, *schema* ab

annexis opportune mihi videtur *distinguenda* per illas personas quibus destinabuntur. Si enim schema Christi fidelibus destinetur et annexa omnibus hominibus benevolis, clarius et facilius doctrina et modi expressissimi distinguentur. Nam christifidelibus sub lumine Sacrae Scripturae et Traditionis loquitur; hominibus vero benevolis veritates rerum et normae morales a naturae conditionibus, iuris naturalis conclusionibus praecipueque communis ethicae maximis monstrandae sunt.

II. *Nomen* « Annexorum» inopportune mihi videtur prout hac titulatione Patres Concilii videantur res expositas parvi momenti iudicasse. « Epistolae » ergo nomen, vel aliud simile, melius respondebit verae intentioni Patrum et expectationi gentium.

Cap. I. (*Pro omnium vocationis humanae dimensionum expositione*). I. In hoc capitulo apparet homo quasi sub specie tantum individualitatis personarum.

Genus humanum non constituitur ut acervus petrarum sed ut domus ex diversis et bene adaptis lapidibus constituta. Relationes quotidianae aut eventuales cum proximo non homini quodam occasiones tantum sunt « caritatem, ut aiunt, suam exercendi » ad « meritos acquirendos » sed circumstantiae etiam sunt in quibus aedificanda et servanda sunt familia, civitas, patria et quaecumque societates, quia loci sunt ubi in supradictorum societatum bona communia unusquisque fratrum humanorum nostrorum in dilectione caritatis servitur.

Declaranda quoque erit via qua, tam per crescentem coadunationem hominum et societatum, quam per progredientem sanctificationem hominum et societatum, humanitas tota et mundus in eschatologicam consummationem per ardorem divini amoris progredientur.

Non enim perfecte diceretur de hominis vocatione si de individuo tantum, quasi abstracte considerato, tractaretur et omitterentur vita collectiva et sociales « contextus », quinimmo si terminus huius mundi et vocatio totius generis humani non indicarentur. Hic ergo non importune in memoriam revocari possit quid in cap. VII constitutionis *Lumen gentium* de eschatologico fine dictum fuit.

II. Ne schema istud apologia pro domo larvataque contra inimicos Ecclesiae oppugnatio videretur, melius forte praesentatum erit si explicite christifidelibus destinatum sit eosque ad plenum honorem christiani status percipiendum et vivendum monens. Hoc modo mentibus rectis non quaedam ad parvos vel magnos mundi decipiendos propaganda quasi politica videri possit. Item cavendum est ne aliquae sententiae eiusdem capituli interpretari possint ut quaedam demonstrationes modorum quibus Ecclesia deservitur a mundo. Hoc enim facile ab hostibus ut index voluntatis Ecclesiae mundum asservire interpretaretur.

III. Hoc capitulo clare apparet necessitas directionis tertiae pro futura elaboratione textus: praecise dicendum est quo sensu nomen *Mundi* utitur.

IV. Pag. 8, lin. 7. Hic progressus contemptus non tantum aliquorum christianorum est. Memorandae sunt indolae philosophiae Asiae, praecipue Indiae.

Pag. 9, linn. 4 s. In memoriam revocans *Libri Genesis,* 2, 15, moneatur iterum quo tam mundum quam seipsum homo colere et custodire debet.

Pag. 9, linn. 34 s. Motorizatio opportune hic nominetur.

Cap. II. Pag. 13, lin. 4, ante *Immo.* Sub lumine quorum in animadversiones principaliores nostras tractavimus, sententias has si non ad litteram saltem ad

mentem addi posset. « Vere fatendum est testimonium veritatis christianae aliquando obtenebratum fuisse quadam caligine cum evangelii praecones praeter suum principiorum moralium rememorandorum officium rebus politicis gerendis, sese ingesserunt. Quod posuit scandalum, non raro invitum, in aliquibus animis eos a viis fidei avertentes.

Attamen, quaqua causa, deficiente potestate temporali, urgentibus necessitatibus, miseriisque populorum clamantibus, rectores civitatum infirmos vel fugitivos urgente claritate moderatores ecclesiastici suppleverunt. Sed infaustorum temporum officium illud, ubi primum res in ordinem restauratae sunt, normalibus rerum temporarium rectoribus redditum sit.[1]

Pag. 15, linn. 25-27. Optimam hanc sententiam conservare congruit.

Cap. III. Pag. 19, linn. 6-7: Sententia illa principium plus quam res enuntians locum praebet facillimis irrisionibus et calumniis hostium Ecclesiae.

Cap. IV. Pag. 22, lin. 22. Post « mulierum » addatur « raptus »; ut sententia sit: « infames mulierum raptus et venditio ».

Animadversatio generalis. Adnexa: Inter quinque illa adnexa nimis differentia sunt non redactiones tantum sed praecipue lumina sub quibus doctrinae exponuntur. Hic enim philosophia et rerum natura praesunt expositioni; illic autem integra fides catholica praesupponitur. Cum tractabitur de reformatione horum schematum, necessarium erit quoddam clarum conceptum finis, ordinis et partium prae oculos habere, quod, puto, facilius definiri possit ad mentem intentionum de quibus tractavi in capite praesentium *Animadversionum secundariarum,* cum proposui secundum homines quibus hae declarationes fiunt res distinguendas fore.

Adnexum I. B. Pag. 7, paragrapho quarta. Loco ultimae sententiae « Quamvis... » melius dicatur: « Si ad minus aequaliter cum necessario augmento oeconomico non augentur facilitas et honor bonorum spiritualium eorumque collectivum studium, materialium rerum cupiditas necesse crescit, amor Dei et hominum minuitur et pedetentim unusquisque homo et quaelibet societas in aliorum odium praeceps cadit ».

Adnexum III. Nimis extensum adnexum hoc mihi videtur cum hic vel illic de rebus minoris momenti quam in aliis adnexis tractat.

Adnexum IV. De adnexo hoc optio facienda est inter possibilitates duas: vel nova expositio totius doctrinae circa res oeconomicas et sociales; vel memoria tantum Encyclicarum Paparum cum aliquibus additamentis. Quorum prima solemnitati Concilii certe auctoritatem et auditionem maiores habuerit sed labor forte supra possibilitates temporum et virium est. Altera vero, valde possibilis, expectationem tam ardentem populorum orbis terrae decipiebit. Via media itaque nobis quaerenda qua satis ampla et explicita expositio sit sed tamen possibilitates Patrum non superabit.

Pag. 39, par. 3, ante « Tales agendi modi... » utile dicatur: « De singulis hominibus aestimationem verbis pecuniae exprimere, contemptus eorum personarum

---

[1] Au cours des calamités de la dernière guerre, par exemple, tel curé a courageusement pris la place d'un bourgmestre en fuite, assurant l'approvisionnement, la défense contre les incendies et la bonne police de sa ville.

simpliciter aequiparet, quia homo ad materialem efficacitatem sic reducitur et spiritualem suam essentiam contemnitur ».

Adnexum V. I. Durante sessione tertia iam misi aliquas animadversiones et correctiones ad illud adnexum pertinentes.

II. Duobus modis armarum reductio fieri potest: sive per destructionem, quod in primis difficile fieret; sive per non-renovationem armorum veterascentium quod facilius efficitur. Attendendum autem utraque reductio primum effectum in aequilibrium oeconomicum habere et ulterius tantum pacis firmationi lapidem apponere, si tamen aequipariter ab omnibus fit.

III. Via mera pacis est contestationes vel contentiones societatum non modo animali, i. e. per violentiam, sed modo spirituali per crescentem scil. concordiam solvere. Quaequidem concordia non sine tranquillitate ordinis, super iustitiam et libertatem esse potest. Sic, ut copiosius in animadversionibus meis principalibus dixi, progressus generis humani de conflictibus animalibus ad spirituales solutiones itur.

* * *

La science et le monde scientifique posent des problèmes dont les ramifications échappent pour une part aux schémas routiniers des traîtés de morale, même spécialisés.

Un grand nombre se situent, du reste, dans un domaine strictement professionnel et, comme tels, devraient être discutés et résolus par les plus sages des intéressés avec l'aide tant d'experts, en les domaines voisins qui interfèrent dans l'actvité considérée, qu'avec l'assistance, assez silencieuse, mais souple et disponible, de moralistes et théologiens avertis et compétents.

En un mot une des tâches urgentes du monde moderne est d'élaborer, pour chaque métier, corporation ou zone d'activité, une déontologie appuyée sur une connaissance vaste des réalités naturelles encadrée par une vue saine du monde. De telles déontologies procureraient à chacun des normes claires pour juger personnellement des problèmes qui surgissent au cours de son travail ou à l'occasion de sa vie professionnelle. Du fait de l'accélération de la découverte et de la réduction croissante du temps qui sépare la découverte de ses applications, il faut renoncer à donner des catalogues de solutions, prétendant faire front à toute situation. Il faut désormais viser à former des sages, non des enfants sages.

Ce dont les médecins grecs ont donné un si bel et si durable modèle [2] devrait exister pour toutes les branches des activités humaines du monde contemporain.

Ce nonobstant, il revient à l'Eglise de donner à tous quelques directives puisées tout autant dans la sagesse naturelle, dont elle est la plus fidèle dépositaire, que dans la foi catholique.

Les pages qui suivent présentent tout simplement quelques directions où, à mon avis, il faut d'urgence organiser une prospection, car ces domaines sont encore mal reconnus du moraliste et fort peu dominés pas les intéressés eux-mêmes.

Je pars évidemment de ce que je connais le mieux, la France. Mais j'ai assez

---

[2] Deuxième partie du *Serment d'Hippocrate.*

souvent séjourné en d'autres pays pour savoir que les faits que je décris sont assez répandus par tout le globe pour mériter une attention « catholique ».

I - *L'urbanisation.* Le développement des très grandes villes pose d'autres problèmes que ceux dont on parle souvent comme l'hygiène, les crises du logement, la promiscuité, le spectacle quotidien des vices, la provocation à la débauche, à l'alcoolisme, à la cupidité et à la vanité ou, encore, la superficialité des esprits et le surmenage.

A) L'urbanisation antique ou médiévale ne mettait pas l'homme hors de la nature. Aussitôt sorti de l'enceinte du Paris de Louis XV comme de celui de Philippe Auguste, le citadin se retrouvait en pleine campagne (*Les Rêveries d'un promeneur solitaire* en font foi). Bien plus, dans la ville même, près de sa maison, il connaît des fermes avec leurs bestiaux et leurs volailles, leur foin et leur fumier. La traction hippomobile elle-même maintenait au contact des caprices du monde animal; l'herbe poussait entre les pavés des rues peu fréquentées. Dans la ville moderne, on peut naître, grandir, vivre et mourir sans avoir vu la campagne, la vraie: elle est trop loin.

Quand le citadin moderne « va à la campagne » il lui reste étranger, ne sait pas en retrouver les traits et les caractéristiques essentiels. Ne serait-ce que parce que ce n'est pour lui qu'un lieu de « loisirs » et qu'il ne s'y rend qu'aux « belles saisons ». De fait la nature lui demeure étrangère tout autant qu'une gare, un casino ou telle reconstitution exotique d'une exposition internationale même fréquemment et amoureusement visitée.

Par ailleurs, jusqu'au XIX siècle (c'est-à-dire avant l'implantation du réseau ferroviaire, doublant le réseau routier son aîné d'un siècle), les difficultés et le coût du transport des marchandises mettaient les populations de chaque province à la merci des conséquences d'une mauvaise récolte; chacun savait que ce danger pesait comme les inondations avant la régulation des cours d'eau et les épidémies avant Pasteur.

De par l'étendue considérable des zones continues d'habitations, l'extension de la prophylaxie, les progrès du *standing* domestique, la facilité des transports, le développement des moyens mécaniques aux dépens de tout recours aux forces animales, il y a donc un premier fait qui pose problème: pour l'« homo magnae urbanitatis » la nature n'est plus, au mieux, qu'un cadre de contacts esthétiques, le lieu de certain loisirs, le climat de la détente et du bon air.

La nature n'est plus pour lui le milieu normal de vie.

A la lumière des critères de la vie quotidienne des villes, les gens qui y vivent lui paraissent, soit une population moisissant dans quelqu'âge suranné, soit l'élément du pays luttant vainement pour ne plus être arriéré.

Cela mutile doublement l'expérience et le jugement de l'homme de la ville. Pour lui la nature n'est plus l'imprévisible et tout puissant partenaire de la lutte pour la vie. Il est plus ou moins persuadé que toute catastrophe pourrait être évitée si on avait fait l'effort de la prévoir et de prendre ses précautions.

La seconde mutilation, plus grave, est la perte des images familières acquises, dès l'enfance prérationnelle, dans ce qui enseigne le spectacle tant des phénomènes de la nature que de la naissance, de la poussée, de l'épanouissement, du déclin et de la mort de chaque être vivant: plantes et arbres, insectes et bêtes. Il n'est

pas jusqu'à la vie des hommes (ceux de son sang ou des familles voisines) qui ne prenne une valeur tout autre dans un village que dans une ville.

B) Or cela comporte une incidence religieuse directe. On l'a déjà remarqué en matière de catéchisme et de catéchèse, dans la manière dont les hommes comprennent le vocabulaire et vivent les rites de leur religion. Mais il faut aller plus loin:

1. La *Bible* repose essentiellement sur une vision du monde sise au cœur de la nature. Pour l'homme de la ville, la *Bible* devient, dès lors, non pas difficile mais inintelligible, s'il n'acquiert cet ersatz de l'expérience directe qu'est la culture du « sens de la nature » où s'efforce, par exemple, le scoutisme français.

2. Le monde où sont situés les citadins, dans ses perspectives immédiates, débouche en tous sens sur l'homme seul, destinataire et auteur de tout ce qui se voit, se touche et s'entend. C'est lui qui est maître de la végétation, qui prévoit le temps qu'il fera; et pour le ciel, n'est-il pas en train de s'en emparer? Quelle place reste-t-il pour Dieu?

3. Beaucoup de nos contemporains ressentent un grand besoin de contact avec la nature. Mais la majorité d'entre eux ne sait pas la retrouver; la foule lézardante des bains de soleil sur les plages à la mode, les pique-niques sur le bord d'une grande route, le camping à 100 m. d'une voie ferrée ne sont même pas la rentrée dans le cadre naturel.

Il est certes beaucoup de citadins qui ont leur jardin, qui pêchent ou chassent. Le contact avec la nature y est certain; mais combien limité. Les marchands et les conserves suppléeront aux planches qui n'ont pas levé, aux pêches ou chasses infructueuses. Souvent, même, dans une vie normalement alimentée sur les ressources du commerce urbain, le fruit de ces travaux de loisirs fait figure de surplus encombrant dont on se défait à titre gracieux ou lucratif.

D'autres rencontrent quelques fois la nature en sa plénitude comme les alpinistes ou les estivants mariniers, qui naviguent eux-mêmes. Mais ce ne sont là que des rencontres. Ils restent étrangers au monde réel que connaît le pâtre des alpages ou le marin de métier. La nature n'est pas pour eux le partenaire capricieux, brutal et irrésistible de l'existence quotidienne, le maître avec qui l'on ne peut tricher.

4. La ville, elle-même, par ses industries et ses méthodes avec ses avions, ses routiers, ses lignes de transport de forces, envahit la campagne. Ses moyens audiovisuels et son machinisme pénètrent dans la ferme, de la cuisine à la salle de traite. Dès lors, le paysan n'est plus l'homme de la nature vivant à son rythme, il doit prendre celui des machines qui autant qu'elles le servent, l'asservissent de leurs exigences, de leur cadence et de leur bruit. Le marin se voit, encore plus, mécanisé, assourdi, technicisé, et son air sent autant les graisses et le mazout que le coltar ou le varech et la mer.

5. Partout le silence disparaît. Partout croît la haine de la solitude et du silence. Peur du seul à seul avec soi-même... et avec Dieu!

Dans un monde tout artificiel, la personnalité se fige dans l'artificiel et le convenu (fût-ce celui du non conformisme).

La brusque perception de cette terrible aliénation explose en révoltes, nécessairement désordonnées, le plus souvent stériles. Car l'acquisition de la liberté personnelle, par delà les asservissements du péché originel, hormis grâces très spéciales, est une œuvre longue et lente à la manière de celles de la nature.

Or Dieu parle surtout dans le silence du cœur; et le silence du cœur ne se fait pas sans la volonté et, pour le moins, le désir ardent du silence des sens et de l'imagination.

II - *Le rythme contre la vie.* A l'inverse des temps passés, chacun vit asservi aux temps des chronomètres. La plupart des gens est hantée par la peur de ne pas suivre la cadence, de perdre du temps, de ne pas être à l'heure de ses obligations, ou de l'actualité, ou de la mode. D'autres jouent perdants, et comme de mauvais nageurs, roulés dans la vague, sont, à vie, en retard ou déphasés.

Un nombre croissant de personnes est hospitalisé pour désordres mentaux. L'alcool n'en est pas la cause unique. La vie et son rythme inhumain désaxe les gens.

Même les intellectuels travaillent contre la montre, ne prennent plus le temps de la réflexion. Ils réagissent aux stimulations que leur esprit reçoit de l'extérieur. Ils pensent en écrivant... quand ils se donnent la peine de penser. Cette psychologie d'« affolés » pénètre même les clôtures des ordres contemplatifs. Il faut entrer dans un laboratoire comme le centre de recherches de Saclay pour retrouver le souci du calme et des perspectives sereines qui permettent la méditation silencieuse et les propos profonds. Cela, sans doute, en partie, pour s'évader de l'assourdissant mouvement des machines à casser la matière.

a) Dans ce climat de rythmes destructeurs, se répand une psychose: l'angoisse de « perdre son équilibre », début et signe, elle-même, d'un équilibre qui se perd.

D'où l'immense succès des Yoga authentiques ou contrefaits, laïcs, ésotériques ou chrétiens. Mouvement dangereusement ambivalent; car il oscille entre les occultismes de toutes espèces, les mystiques importées — ou crues — d'Orient, un matérialisme primaire qui croit que des postures ou gestes corporels guériraient des troubles de l'esprit, et, aussi, une manière valable de retrouver et mettre en valeur la vue de la philosophie traditionnelle et thomiste sur le composé humain que tous les travaux récents des sciences de l'âme et du corps humain corroborent de jour en jour.

Les moralistes sont présentement à court de normes et de hiérarchies des valeurs permettant de situer, en connaissance de cause, la valeur de la rééquilibration du psychisme par des comportements somatiques ou des exercices psychiques.

b) Ils devraient aussi expliciter la part convenable qui revient à la culture du corps et aux compétitions sportives. Tant pour protéger contre une idôlatrie de son propre corps que pour y montrer une voie d'expansion des excès de vie et d'agressivité caractéristiques de l'adolescence.

c) Un autre domaine de recherche pour le théologien moraliste devrait être la remise en honneur de la *Prudentia* des anciennes théologies.

Elle est par excellence cette activité de jugement sain qui met chaque chose à sa place au barème d'une juste hiérarchie des valeurs.

Or il est caractéristique que bien peu de chrétiens font porter leurs examens de conscience sur cette « conduite de soi et des autres », sur le juste équilibre de leurs activités et continuent de s'examiner par référence à un catalogue de péchés équivalent à une sorte de cote des valeurs boursières.

d) Connexement, cette Prudentia demeurera sans effets si elle n'est doublée d'un courage viril. Il en faut pour sacrifier diverses activités alléchantes à l'essentiel de sa vocation. Surtout si celle-ci demande de renoncer à des occupations plus

consolantes parce que plus sensibles ou à des résultats matériellement mesurables.

On ne dit pas assez que les choses les plus légitimes en elles-mêmes, si elles distraient des devoirs d'état, ou si, dans un devoir d'état, elles dispersent les forces au dépend de l'effort principal, peuvent devenir, de par cette dispersion, ou de par l'épuisement de forces qu'elles entraînent, des voies de perdition.

e) Le zèle même, si ardent, d'un jeune clergé s'il n'est tempéré par une *Prudentia* guidée par une vue de foi sur la vraie hiérarchie des valeurs, peut très dangereusement, si la lucidité n'est pas plus estimée que la générosité, conduire à ces abus et à précocement épuiser ou désaxer gravement des générosités plus soucieuses de se donner que de se contrôler.

f) Tous ces problèmes demandent des théologiens qui joignent à la connaissance de la tradition une authentique expérience des faits contemporains et la possession non superficielle des sciences qui les maîtrisent.

III - *Le totalitarisme scientifique*. La croissance en extension et en puissance de la science engendre simultanément comme deux maladies, contraires, de l'esprit. Lesquelles ne vont pas, parfois, sans se combiner dans le même individu par suite d'une sorte de dissociation de la personne.

Il s'agit du totalitarisme scientifique et de sa conséquence, la révolte contre la tyrannie de la science.

a) Pour un nombre croissant de personnes, des classes les plus humbles aux cerveaux les plus doués, tout s'explique — ou pourra bientôt s'expliquer — scientifiquement. Tout se résout — ou pourra bientôt se résoudre — par les merveilles de la science appliquée.

La disparition, dans les programmes de philosophie, des questions fondamentales n'y est pas étrangère. Notre société est pleine d'hommes de science dépourvus d'esprit critique en dehors de leur domaine. On voit de grands techniciens, de grands savants gober les pires stupidités en matière historique, exégétique, psychologique, sociologique, par méconnaissance des méthodes et des critères propres à ces matières. A plus forte raison sont-ils incapables d'une démarche métaphysique et critique sur les bases fondamentales de la science elle-même.

Dans une telle vue du monde il n'y a plus de place pour le surnaturel et pour Dieu; aussi bien cause créatrice et universelle que Providence et Sauveur. D'où deux attitudes très répandues:

1. « Hors de cet univers, qui contient toute connaissance et donc toute réalité, il n'y a rien. Comme Dieu n'y rentre pas, il n'existe donc pas; il n'est que le produit des terreurs d'une humanité primitive, heureusement en voie de disparition ».

2. « Le monde de Dieu et de la vie avec Lui est un monde essentiel à ma vie, mais totalement hétérogène au premier. Il est vain de chercher à les rejoindre. Dieu est du domaine scientifique des sentiments ». Où l'on est en plein fidéisme. Les plus sincères exaltent, avec bonne conscience, la foi du charbonnier.

b) Dans ce monde organisé scientifiquement, partout standardisé, collectivisé de plus en plus, toujours mathématisé en graphiques et en formules, on étouffe.

Les besoins individuels, originaux, des personnes y sont passés au laminoir. Une irrésistible poussée d'évasion travaille et l'on s'évade, comme l'on peut, où l'on peut.

Dans un monde où l'individu se sent sans défense devant les masses mou-

vantes et broyantes de ses semblables, on a besoin de se rattacher à une famille de cœur, dotée d'un patrimoine un peu spirituel et l'on adhère à une secte, l'on rentre dans le jeu des puissances occultes (parapsychisme, occultisme), ou, du moins, on tâche de ruser avec ces forces mystérieuses (astrologie, chiromancie, devins). Beaucoup font présentement fortune en exploitant ces besoins.

c) Un autre aspect de l'hyperscientifisation est le désordre mental et psychique que provoque l'abus de la pensée mathématique.

Au lieu d'être l'une des activités de l'esprit, la mathématisation devient l'unique mode de pensée. L'indispensable activité symbolisante, exigée par la science et l'industrie, la logistique et les moyens audiovisuels de communication, finit par couper l'homme du réel.

L'habitude, chez les cadres ingénieurs ou dirigeants de tout traiter par procédés mécaniques, graphiques, électroniques, etc. ..., aboutit à créer l'*homo symbolizans* qui conçoit tout par mode de symboles, au sens mathématique du mot. Cet avatar de l'espèce humaine est un inadapté, dans le reste de l'existence. Ainsi foisonnent de mauvais maris, mauvais pères, par simple déformation professionnelle. Car, le caractère une fois pétri par cette univocité mathématisante, on aboutit à des phénomènes maintenant circonscrits: la névrose des scientifiques, le scrupule des mensurateurs, etc. ..., dont le commun dénominateur est de prétendre traiter les phénomènes qualitatifs ou vitaux par les procédés de mensuration valables pour la seule matérialité des choses.

L'indispensable activité symbolisante, exigée par la science et l'industrie, la logistique et les moyens de communication, débordant de son lieu, se répand comme un acide qui corrode tout ce qu'il atteint.

IV - *Nouvelles castes et néoracisme.* A) Il y aurait toute une enquête à mener sur la progressive prolétarisation des ingénieurs non suprêmes, tant dans l'industrie que dans les recherches fondamentales.

Le travail est désormais si morcelé, si planifié, si cloisonné (pour sauvegarder les secrets de défense nationale et surtout les secrets commerciaux) que même à des échelons très élevés les ingénieurs ne sont que des manœuvres supérieures mais aveugles coopérant à des fins qu'ils ignorent.

B) Ce phénomène de prolétarisation va de pair avec un mandarinat de fait, fruit (comme tous les mandarinats) d'un excès d'importance donné à la sélection par mode scolaire (concours, examens).

Il se livre, en France, actuellement (et sans doute ailleurs, aussi), une véritable guerre de conquête des postes de commandes, menée par les cadres issus de certaines écoles pour accomplir, au bénéfice de leur coalition, le trust intégral des postes supérieurs de commande. Le résultat en est de très injustes spoliations de ceux qui ne portent point la marque de cette école.

C'est un nouveau mode de guerre de conquête, fruit lui-même d'un racisme, non plus de sang mais d'école, doté lui aussi d'autant d'orgueil, d'inhumanité, de mépris du droit des autres et d'aveuglement vaniteux sur sa propre personnalité que les racismes traditionnels.

V - *Les limites à fixer.* A) *Le journalisme et l'information ont des limites.* NN. SS. les Evêques en ont parlé, les Papes aussi et le Concile mais en termes plutôt exhortatifs et généraux.

1. Il y a d'abord la *vérité des informations* et la question est difficile, car toute information et toute expression représente un choix dans les faits et un choix dans les détails. Et au-delà d'une certaine marge, une présentation « orientée » ne donnant que des éléments vrais, n'en équivaut pas moins à une trahison de la vérité; un peu comme les miroirs déformants renvoient une image caricaturale de ceux qui s'y mirent.

2. On dit « *le public a droit de savoir... de tout savoir* ». Non. Et il faudrait le dire nettement. Le public n'a pas à être informé de tout. Il est des secrets de famille et d'intimité personnelle. Il est aussi, très légitimement, des secrets d'Etat.

En ce domaine on porte le lourd handicap d'une théologie de la parole insuffisamment mûrie et souvent très matériellement conçue. Le vulgaire va répétant: « je puis bien le dire puisque c'est vrai! », tout persuadé qu'il est que de soi la « calomnie » est une faute grave en regard de la « médisance » qui est vénielle. Or c'est considérer là le fondement matériel des propos et en oublie tout autant la métaphysique que la moralité.

Celle-ci vient de l'intention: par exemple, si l'on veut se vanter en dépréciant les autres, si l'on est bavard et indiscret, ou si l'on veut délibérément nuire.

Or à regarder la nature des faits, il est bien plus nuisible de dire ce qui est que ce qui n'est pas dans ce qui fait tort au prochain. On peut d'ordinaire prouver la fausseté d'un mensonge, on ne peut le faire d'une médisance. Celle-ci laisse d'irréparables blessures.

Ces remarques, trop souvent omises, intéressent directement notre propos. Elles devraient présider à une saine déontologie de la presse écrite, parlée, ou vue.

3. Il faudrait, aussi, parler, dans le même sens, des *amplifications par mode de commentaires,* tous faits au nom de vues personnelles ou collectives ressortissant plus au domaine de l'opinion que de vérités plus fermes.

Au reste le poids des impératifs commerciaux oblige à « respecter » le public; c'est-à-dire ses préférences, ses opinions et ses passions, surtout si elles sont violentes.

4. Dès lors le problème du journalisme rejoint celui de la guerre dont nous avons traité ailleurs.

Parce qu'il est en prise directe sur chaque personne humaine et parce qu'il est capable de provoquer des mouvements de masse, parce qu'il est capable du « viol des foules », le journalisme sous toutes ses formes est, pensons-nous, la cause première des guerres. C'est lui qui a seul la puissance de mettre en mouvement les violences irraisonnées des foules dites civilisées.

5. On nous parle alors du courage du journaliste qui *ose n'être pas conformiste,* qui ose dire ce qu'on tait, qui déclanche la révolte contre l'injustice, l'ignorance, l'erreur. Resterait à savoir s'il n'y a pas des processus plus efficaces et moins dangereux que l'appel à l'opinion. Car celui-ci est, aussi, le procédé le plus aisé pour détruire les nécessaires disciplines sociales, pervertir le fonctionnement des institutions saines, discréditer les autorités légitimes et finalement déclencher des avalanches de maux dix fois pires que le mal qu'on prétendait combattre en le dénonçant.

L'histoire même du mot et de l'institution des tribuns à Rome nous enseigne qu'on glisse très aisément du rôle de protecteur des petits à celui de démagogue excitateur des masses.

6. *L'irrespect des routines* est, dit-on, indispensable au progrès. Le cas de S. Freud le prouve. Il eut le courage de braver l'éthique professionnelle des médecins Viennois en publiant le « cas Dora ». Sans cette audace la médecine ne disposerait pas, pour soigner les troubles mentaux, des précieuses ressources de la psychanalyse.

Il y a là une confusion, qui repose sur une conception univoque du secret professionnel. La garde du secret peut être un acte collectif. En l'espèce des confidences de malades, communiquées à un public restreint, compétent, averti est légitime. Par contre la divulgation au grand public des mêmes confidences est un viol du respect des personnes et diffamation pure et simple.

7. Il y aurait, ici, à dénoncer également les méfaits d'une *pseudo vulgarisation* de la médecine et de la psychologie. Une presse, trouble ou cupide de gain, exploite les faiblesses et les passions de la partie la moins raisonnable du public, qu'elle appâte avec de fausses révélations sur la science, des présentations caricaturales de ce que découvre la science de la vie, des divulgations prématurées d'hypothèses insuffisamment contrôlées ou de résultats, non confirmés, d'expériences isolées ou non fermement interprétées.

8. Il faut noter que ce sont les mêmes qui prônent sans discernement le *droit de tout savoir* (donc le « devoir » de tout dire) et qui refusent de dire à l'intéressé qu'il est atteint d'un cancer ou qu'il va bientôt mourir. Qu'un homme s'approche du moment, décisif pour sa destinée éternelle, où il accueillera — ou non — les grâces finales de la miséricorde divine est parfaitement indifférent à quiconque ne vit pas toute sa vie dans la foi. Une vue païenne conduit donc ceux-là même qui veulent tout dire à ne pas dire une des choses les plus essentielles dans la destinée de chaque personne humaine.

B) *Les limites de l'expérience.* Les réactions et les scandales qui ont éclaté après certaines expériences montrent que beaucoup sentent que toute expérience n'est pas permise, quelque puisse en être le bénéfice scientifique ou autre.

Il faudrait rappeler ce qui fut dit soit à l'occasion des crimes expérimentaux des médecins nazis soit en d'autres circonstances plus récentes.

Ces expériences d'ordre médical ou biologique ont, dès maintenant des incidences sur les expérimentations, en cours, de nouvelles armes de guerre. Même avec leur consentement et avec de grosses primes, il est immoral, parce que contre nature, de soumettre — même très temporairement — des hommes à une perte totale du contrôle de soi sous prétexte d'étudier les effets de produits « incapacitants ».

La frontière reste à définir entre ces pratiques et l'anesthésie médicale. Elle serait d'abord à chercher du côté de la fin à poursuivre.

C) *Les limites de l'exploitation de ce qu'acquiert la science.* C'est en fin de compte le mythe de Prométhée. Par l'emploi inconsidéré de ses découvertes, l'humanité s'enchaîne à la matière et un ennemi qui la dévore sans la tuer s'agriffe à ses flancs.

Il faut dire explicitement que: L'homme n'a pas le droit d'utiliser n'importe quand, à n'importe quoi, sans limite, les forces dont il dispose.

On touche là un frein possible aux atrocités des guerres futures. Mais ce frein, qui ne mord que sur les armes utilisées, sur le côté matériel des guerres,

n'a son point d'appui que dans le domaine moral. Il est inefficace s'il n'y a pas volonté de solution spirituelle aux conflits des sociétés; s'il n'y a pas volonté de paix. Il est donc en position d'urgence seconde au regard de l'effort à faire contre les facteurs d'action psychologique dont nous avons parlé plus haut et ailleurs.

3

EXC.MUS P. D. VINCENTIUS BRIZGYS
Episcopus tit. Bosanensis, aux. Kaunensis

Praeter ea, quae secretariatui scripto tradidi antequam quaestio in sessione III examinata fuit, nonnulla iterum repeto, aliqua nova dicam.

1. *a*) Quae dicuntur in prooemii n. 2, sunt utique vera, tamen inadaequata, verum imaginem generis humani nostrorum temporum vix tangens. Si iam tentare descriptionem mundi huius temporis, danda est, in quantum possibile, plena et obiectiva imago: errores philosophici et religionum circa conceptum humanae personae, eius finis, relationum cum Deo et proximo. Saltem brevis tamen claris verbis monstrandae sunt malae consequentiae ex hoc falso conceptu personae humanae et relationum cum Deo et proximo: consequentiae respicientes personam, familiam, societatem; sequentia mala socialia, politica, moralia, materialia.

Nostrae disceptationes de hoc schemate esset vana perditio temporis, si non audemus pronuntiari de valore nonnullarum philosophiarum et religionum ac de earum consequentiis. Usque fontes existunt, unde mala proveniunt, vanum est contra ipsa mala laborare. (Cogitamus de philosophiis et religionibus Asiae, Africae et cuiusnam valoris sunt conamina micas panis ipsis offerre, si fons malorum persistit).

Haec de negativa parte imaginis mundi huius temporis.

b) Datur et positiva pars huius imaginis, i. e. bona, quae saltem principalia, sunt etiam nominanda. Mea opinione, summum bonum est personae, quae ex amore Dei et hominis totam vitam dedicant veritatem et salutem animarum diffundentes. Secundo, animae innocentes ubique terrarum, praesertim eae, quae non sunt contentae solummodo propriae sanctitatis, sed adspirant ad altiora, mutare in melius genus humanum. Simul cum his bonis spiritualibus etiam scientiae non in omnibus regionibus et nationibus aequaliter florescunt. Nonne est nostrum in hoc schemate considerare mysterium, quaenam sit causa, ut antiquissimae nationes, nempe Asiae, remanserunt in miseria et tenebris, cum aliae, nempe in mundo christiano tam multas victorias celebrant in scientiis et omnimodo progressu vitae.

Haec omnia aliquo modo tangebantur in textu primo schematis, tamen nimis dispersa et pauca.

Fusius tractando bona et mala in mundo huius temporis aliquis sibimetipsi obicere posset nos gloriari de nostro Christianismo coram aliis. Respondeo omnem veritatem et christianismum esse nec nostrum nec ceterorum sed omnium hominum. Meo iudicio, esset etiam iniustum veritatem scire et non audere eam aliis monstrare et communicare. Et hic potest verificari dictum: « veritas offendit », tamen hoc non potest nos continere a veritate praedicanda, prudenti utique modo. Dando imaginem mundi huius temporis, uti mihi videtur, Apostolus Paulus dedit nobis

exemplum in monstrando claris verbis mala eius temporis et bona in doctrina a Christo relicta.

2. Ad cap. I. Ea, quae sub n. 5 dicta sunt, puto vel omnino omittenda vel omnino noviter redigenda esse: mihi videtur hunc numerum non satis elaboratum esse.

Ad n. 6. Bonum et iustum est valorem positivum, qualis in se est, rerum materialium exprimere, tamen necesse est hic vel alibi verbum dicere, quam imprudens est gravari rebus materialibus non necessariis, inutilibus, praesertim in cibo, vestitum etc. vitae quotidianae. Haec omnia consumant hominis attentionem, tempus, vires et sic impediunt non solummodo ad altiora aspirare, sed etiam percipere et revera gaudere pulchritudinem mundi et rerum.

3. *Ad cap. II.* Quae in n. 10, linn. 1-5 continentur, dicta sunt tali modo, quasi Ecclesia esset aliqua abstracta realitas existens extra homines et non homines constituerent Ecclesiam.

Quae in n. 11, mandanda sunt ad schema de sacerdotio.

Quae in n. 14, pag. 15, lin. 25 etc. iterum atque iterum legendo remansi persuasus, praesertim ea quae in linn. 25-30, esse iniuste iniuriosa. Et nunc adhaereo scriptis a me de hoc in sessione III.

4. *Ad cap. III,* n. 16. Primo loco ponenda est necessitas noscendi doctrinam. Ignoti nulla cupido.

N. 18 mihi videtur non pertinere ad hoc schema.

5. *Ad cap. IV.* Inter nn. 20 et 21 inserendus est numerus de munere iuventutis rite formandae.

N. 24, in linn. 24-32 nullum clarum consilium datur.

N. 29, 4 obiectio nimis generalis et sine responso.

Sub n. 29, 5 alloquitur potius Ecclesia et Concilium non tamen mundus.

Hac occasione liceat aliqua generalia et indirecta dicere.

Ab initio Concilii Vaticani II regnat spiritus paucum in commune habens cum spiritu Summorum Pontificum PP. Pii IX, Leonis XIII, Benedicti XV, S. Pii X, Pii XI, Pii XII, qui mentes et corda totius generis humani a multis malis averterunt, creaverunt spiritum in Ecclesia et societate humana ex quo natus est respectus Ecclesiae catholicae, ex quo conscie vel minus omnes haurimus lucem et responsa ad quaestiones respicientes personam, familiam, societatis problemata socialia, politica, oeconomica etc.

Non sum fautor antiquorum quia antiqua, nec novorum quia nova. Vetera retinenda, nova sequenda sunt, si et in quantum sunt meliora. Nec absolute certus sum meum gustum esse obiectivum, placet tamen mihi claritas sine ambiguitate, caritas sine condescendentia errori, audacia et gravitas decens magistris et tutoribus veritatis, patribus consciis suae competentiae et obligationum. Huius generis spiritualem satisfactionem percipio, quoties lego documenta Summorum Pontificum supra nominatorum, quos profunde veneror.

Verum est Concilium Vaticanum II a principio characterem pastoralem habere. Mihi tamen videtur et huic fini melius inservire posse viam et exempla S. Pauli Apostoli et illorum Pontificum, quam condescendentia erga illa, quae corrigenda speramus.

Certe non ex culpa omnium Patrum huius Concilii Vaticani II aliqua minus exacte et caute dicta a nonnullis Patribus, scripta vel dicta nonnullorum Peritorum diffusa sunt ab ephemeridibus uti « spiritus Patrum Concilii » causaverunt iam non pauca mala, non paucam confusionem in quaestionibus gravis momenti tam inter catholicos quam non catholicos.

Quod hoc schema spectat, mihi videtur id solummodo tunc debito fini et debito modo responsurum, si quaestionibus satis amplo, claro et audaci modo principia doctrinae Ecclesiae enuntiabit. Sine hoc melius forsitan esset tale schema omnino renuntiare et ad quaestiones, ad quas Ecclesia responsum nondum dedit, per elaboratas Litteras Encyclicas respondeat.

4

EXC.MUS P. D. STANISLAUS BRZANA

Episcopus tit. Cufrutensis, aux. Buffalensis

1. In genere. Quod dicitur bonum est. Totum autem schema exprimendum est stylo breviori ac clariori, magis accommodato homini hodierno, cum sequentia idearum melius cohaerentium. Omnia breviter dicenda sunt. Sacra Scriptura plus citanda est. Longae ac complicatae sententiae vitandae sunt.

2. In n. 6 (pag. 9, linn. 19-24) vocatio hominum inadaequate describitur. Fiat explicita mentio de vocatione supernaturali ac destinatione ad vitam aeternam.

3. Quod dicitur in n. 21, 4 (pag. 24) nimis complicatum est ac non clarum.

4. Quod dicitur in n. 24, 5 (pag. 29) nimis complicatum est ac non clarum. Positive affirmanda est debita fiducia in Providentia Dei.

5. In n. 25, 2 (pag. 31) dicitur quod effectus armorum nuclearium aestimari ac temperari nequeunt. Hoc falsum est. Haec sectio revidenda est secundum scientiam modernissimam.

Gratulationes maximas facimus omnibus membris commissionis pro labore iam facto, atque pro patientia in observationibus recipiendis. Spiritum Dei precamur ut necessarium adiutorium praestet.

5

EXC.MUS P. D. PAULUS BUTORAC

Episcopus Ragusinus

Logica rationis et logica vitae.

Termini dilucidantur. Qui benevole perlegunt, non necesse habent, ut terminus *logica rationis* illustretur. Ab antiquis enim temporibus, iam ante christianum aevum, penes Graecos imprimis, humana mens vi sua connaturali adigebatur, ut ratiocinationi sanae basis quaedam poneretur, vel potius ut, quod menti in iudiciis efformandis innatum fuerat, forma quaedam institueretur, ne in errorem concludendo induceretur. Quae conamina nullatenus consideranda, ac si novum quid vel absonum in ratiocinandi modo suppeditaretur, eo vel minus, ac si cognitionis firmitatem negligendo veritatis loco error adstrueretur, sed ut, quod humanae

menti proprium inerat, forma quadam vel formulatione clara instrueretur, omnibusque atque ubique terrarum innotesceret ab his formis deviationem quamlibet aufugiendam, ne sub veritatis specie error irreperet sicque veritatis studium obfuscaretur. Quod sane periculum penitus removendum erat, et quidem, non modo quia veritatem adtingere mens humana natura sua tendit, sed et magis adhuc, ne *natura* ipsa hominis detrimenti quid caperet. Homo enim natura sua rationale constituitur ens, ideoque mens humana non modo munus, sed et ius, nulla vi abolendum, habet, ut veritatem adtingat. Utique modo suo, i. e. discursive agendo, partem per partem adsequi studens, sensibus vincta sensibusque mota. Sicque evenit, ut homines, vel summa praediti mente, spiritus puros in veritatis captu numquam adsequi potuerint vel aequiparari valuerint. De divinitate vero, quae Absoluta est Veritas, ne mentio quidem hic fiat, licet mens quoque humana, veritatem modo suo mensuraque capiens, saltem aliqualiter ad Supremam accedat Veritatem, cuius imago quaedam et consideratur et est.

Rationis ergo logica de cogitandi normis agit principiaque pertractat, quae omni humanae menti pervia clara, firmiter habenda, obvia sunt.

Quid vero *vitae logica?* Si hominis ratione praediti vita in investiganda capiendaque veritate constituitur, num alia quaedam logica, et quidem ipsius eiusdemque vitae entis rationalis, haberi potest? Sed, licet confiteri oporteat hominis vitam in ratione uti elemento constitutivo considerari, immo et consistere, homo idem tamen, liberae voluntatis potentia pollens, aliam quoque viam in vitae necessitatibus adstruendis vel desideriis ostendendis sibi sternere valet. Licet ratiocinatio ipsa a sensibus ob humanae naturae compositum initium sumat, sensus tamen, voluntatis affectibus fretus, aliam quoque metam attingere excitatur, quae sanae rationis postulata ponderare *vel non* valeat. Sicque evenit hominem facillime experiri duplicem vitae rationem in semetipso evolvi, nam praeter rationem voluntas quoque ubivis et ubique ostenditur, immo vel ipsae rationi imponitur. Dicendum ergo hominis vitam ratione voluntateque absolvi.

Sed quaerendum: *Num rationis vitaeque logica paradoxa exhibeatur?* Voluntatis studia rationi concordia vel etiam opposita ostenduntur. Si veritati revelatae consona sunt, a ratione fidei lumine illustrata non discrepant, immo mire concordant. Itemque, si voluntas Dei spiritu agitur, divinae filiationi, qua filii Dei nominamur, et sumus, convenit. Immo vero et ipso Filio Dei naturali, Patris Verbo, concors reperitur. Si vero passione seducta legis divinae mandata negligit vel etiam divinae lumen veritatis erroribus conscie vel inconscie adscissis imo in spiritu obfuscat, nullatenus rationi fide conlustratae concors exhibetur.

Sed non necessario discrepantia haec adstruenda. Sicuti ratio credibilitatis motiva serio perpendens vel etiam simplicis fidei ductui obsecuta non necessario cum revelata doctrina discrepat, immo vero et plane concordat, licet revelatae veritatis integralem ambitum non comprehendat, quod solius Dei est, sic et voluntas, si fidei rationisque fide actae mandata observat, non a ratione seiungitur, sed ambae hae hominis potentiae in servitio divinae veritatis bonitatisque coalescunt. Et dum haec animi concordia splendescit, omnia hominis in pace sunt, quae omnem exsuperat sensum rectamque et perfectam vitae rationem adstruit, quae ad finem spiritum in Dei sinum certissime conducit, ubi verum bonum pulchrum in divina essentia converguntur.

Quid rationalis logica conscientiae religiosae adferre valeat. Ut res clarius exhibeatur, sub *conscientiae religiosae* nomine intelligo *persuasionem religiosam*

personalem, sive sit recta vel minus. Quaeritur ergo, an credendi persuasioni efformandae vel servandae rationis logica conferat quid vel non.

Dicendum sane, dum de mysteriis agitur, nullam mentem vel maximam mysterii sensum adaequate noscere posse. Neque adest in dogmatum historia, dum de rebus, quae naturae ordinem exsuperant, sermo est, exemplum, quod factum enuntiatum obnubilare valeat. Perutilis tamen mentis reperitur investigatio, immo vero et, saltem quadamtenus, necessaria, ut fidei obsequium rationabile evadat. Est enim humanae mentis rerum causas inquirere modosque de rerum statu naturaque invenire. Cognitio enim quaevis, si veri nominis cognitio est, caeca esse non potest. Passione tamen obnubilari potest. Sed haec est mali defectusque magis quam veri et boni cognitio. Malum quoque noscere hominis est originis peccato vulnerati. Addendum tamen non modo naturalis ordinis phaenomena utiliter necessarioque investigari, sed et supernaturalis mira, ut melius clarescant, inquiri posse, et quidem perutiliter, ne caeca sit mentis obsecutio. Secus apologeticae dogmaticaeque studia incassum redderentur motivaque credibilitatis essendi rationem prorsus amitterent. Attamen haec omnia religiosae rationabilitatis studia conamina ostenduntur vana, si mens humana vera fidei mysteria adaequate prehendere satagit. Sed hoc tamen inculcandum semper est studium, ut revelata veritas pressius dignoscatur, et quidem non modo iis, qui theologiae investigandae incumbunt, sed et aliis quoque, si saltem rerum eventibus non prohibeantur. Sanae ratiocinationis principia, si angusta sensuum via serviliter non teritur, Veritati Supremae certo certius mentem admovent, ut in ipsa pacem adsecuta conquiescat, saltem sicuti homini in hoc vitae curriculo conceditur, ut Veritati adsequi valeat in ipsaque mentem figere queat.

Quid vitae logica conscientiae religiosae conferre valeat. Agitur semper de conscientia religiosa efformanda vel servanda vel etiam, addi potest, augenda vel attenuanda. Cui vitae praxis multum adferre vel abferre valet.

Quot nempe reperiuntur homines, qui parvula ratiocinandi vi pollentes vel rebus pressi non tempus habent, qui religioso problemati vires intendant! Sed tamen variis rerum eventibus acti divinam potentiam iustitiam benevolentiam palpant rebusque, quas *in persona* experiri fas est, tantum intenti suasque experientias, et forsan non alias, perpendentes Deum Optimum Maximum esse persuadentur convictique Ipsi obsequuntur non intelligentes, sed ne cogitantes quidem, opus esse, ut summi momenti rebus fidei mentem sedulo advertant intelligantque, ad posse, quod credunt vel vitae vicissitudinibus adacti credendum putant. Si theologiae incumbentes de credendis necessitate medii vel etiam praecepti, sed et de primariis agendi normis disserunt, non novissima est ratio haec vitae experientia, quae saepissime plurimum confert, ut singuli et, confiteri oportet, plurimi aliquam saltem divinae legi consonam vitae rationem instruant persuasi amplius quid necessarium non esse vel melius quid optari non cogi vel obligari. Morbus sanatus, quia aeger divinum exorabat medicum, oeconomicae difficultates superatae vel ipsum famis periculum remotum, quia oppressus divina innitebatur provida bonitate, repentina mala sorte imminens mors amota, res adversae improviso ablatae, malitia sorte pessima minax devicta, aliaque quam plurima hominis vitam vexantia desperationem animo imponentia, quae divino nutu serenitate adducta ablata vel diminuta creduntur, influunt summopere, ut divino numini animi grati adhaerentes a fide nullis malorum suasionibus vel maligni tentamine avertantur, persuasione moti superna vi vitam regi humanam, cui nullus aufugere vel quam nemo superare

valeat. Idem quoque de publicis dicendum rebus prosperis vel adversis. Si patriae sors mala olim vel nuper imminere videbatur, populus Deo fidens cum proceribus manus ad divinum adtollens numen amotis adversitatibus sacras construit aedes, sacrificia grato offerens animo pro beneficiis collatis, pro libertate adepta servataque. Quibus in occasionibus non necessario ratio acclamatur, sed ipsa communis, saecularis quandoque, populorum experientia, gratitudinis sensu mota, nationum sortes divino regi numine suadere satagit.

Sed, in oppositum, modo, qui sana ratione non innititur, sed variis vitae eventibus, contingit saepe, ut homo non admitteret fidem vel eam simpliciter amitteret. Putat enim Deum obligari immensa, qua pollet bonitate, ut omnia, quae ab hominis difficultatibus presso vel discriminibus obnoxio petantur, tribuat absque limite atque absque ulla ab homine petenda conditione. Si Patris Verbum, caro factum, in humana conditione omnium frater hominum, toti humanae prosapiae acclamaverat fore ut acciperet, si petiverit (*Mt.* 7, 7-8; *Mc.* 11, 24; *Lc.* 11, 9-10; *Io.* 14, 13-14), autumant quidam omnia a Deo indiscriminatim adepturos. Sic mirum non est, si insanabilis morbus vel magnae socialis oeconomicaeque vitae aerumnae sive publicae calamitates perpessae sive magna hominum temporumve iniuria discrimina rerum inflicta in homine, cuius fidei obsequium non satis rationabile fuerit, vel, si quando fuerit, inferior humani spiritus pars, affectu nimio seducta, egoismo imbuta, nimio pondere sese rationi imposuerit, religionis sensum obnubilari, immo et penitus amitti posse. Quo in casu sensitivae vitae logica rationali opposita triste paradoxon in hominis animum intulit, quum aliter esse oportuerit; vitae nempe experientiam, tristissimam quoque, non necessario rationi, fidei lumine illustratae, opponi oportet. Sicque accidit, ut plurimi homines, vitae verberibus afflicti, mala vexati sorte, aliam, quam quae ratione fideque suadetur, viam capessere qua irresistibilem vitae sequelam audeant, immo vel ius quoddam illae capessendae putent.

Dixi « vitae logica ». An etiam malum rationibus quibusdam innititur? Utique, si mali sensus sophismata rationes nuncupari licet. Sed dicendum malum quoque in suo ordine consequens ad extremas ideoque perniciosissimas deductiones adipiscendas esse posse. Ergo logica quaedam in affectibus quique malis eliciendis passionibusque satisfaciendis reperire potest, utique varie tincta, volubilitate impressa, in mali victimas prorsus ferox ad destructionem usque perficiendam parata capaxque. His in rebus facillime intelligitur conscientiam religiosam obtenebrari, immo vel prorsus amitti posse, quum ratio non iam adminicula sibi propria suppeditet, sed econtra labilis volubilisque voluntatis argumenta, affectuum passionumque sophismatibus inflicta, pondere exitioso praevaleant.

De cogitandi modis logico-conceptuali et concreto-reali. Sunt nonnulli, et quidem clara praediti mente, qui terminis in titulo adsignatis libenter utuntur discrimenque acre inter hos duos cogitandi modos recte ponunt.

Logicus conceptualis methodus iam ex verbo patet. Provenit enim a conceptibus, a iudiciis conceptualibus, pervenitque pedetentim per diversos iudiciorum gradus ad finales deductiones, inductiones, conclusiones, quae logica nuncupari solent. Sed nullum reperitur discrimen inter hic allatam denominationem nostramque logicam rationis. In idem nempe confluunt.

Si vero nuncupationem concreto-realis cogitandi modi analysi subiicere placet, iterum dicendum nullum in re esse discrimen inter hanc denominationem et sen-

sum, qui nostra logica vitae cooperiri fas est. Res enim, quae concrete sentiuntur vel sentire cogimur, in idem confluere videntur, quod iam uti vitae difficillima, sensuum phantasiae passionum sequelas innuimus, vel quae optima sibi devenisse homo putat. Sed tamen, ne a recti tramite disiungamur, insinuandum clare in concreto-realis cogitandi methodo logicae principia non necessario deesse, sicuti in iudiciis efformandis conclusionibusque ratione adductis inferioris humani esse partis tramitem palpari posse. Potestne hic animi status humanismus aliquo modo nuncupari? Sartrianus forsan? Putemus sane, dum exaggerationibus ne obfuscemus mentem!

« Illative sense » card. Ioannis Henrici Newman. Vir clarissimus card. Newman magnum adfert pondus sic dicto *illativo sensui,* i. e. sensui qui hominem capacem exhibet conclusiones ex practicis principiis efformandi.

Factum inculcari oportet homines varios de iisdem rebus vitaeque phaenomenis diversimode, immo et sensu opposito, iudicia ferre. Accidit saepius variis credibilibus rebus vel eventibus, non vero certitudine splendescentibus, persuasionem efformari religiosam vel conscientiam religiosam adstrui. Sed licetne hos diversimode cogitandi modos ad conscientiam referri? Quid ergo de singulorum conscientia? Profundum conscientiae mysterium ingredi homini non datur, sed divino numini, licet, iuxta Newman, conscientia non vox Dei, sed tantum echo huius vocis dici possit. Erratne homo, si absque mala fide conscientiam vel minus rectam obsequi studet? In singulis casibus quid de errante iudicandum? Quod Dei est omniscii.

De personali religiosa conscientia quid sentiendum. Communis quoque coetuum nationumque conscientia de moribus publicis, de vitae consuetudinibus, de communitatum in futurum vergentibus eventibus adesse potest. Immo vero haec conscientia, sive recta sive minus, de populorum sorte prospera vel miseranda decernere saepius valet. Sed de hac non agitur hic.

At conscientia personalis ethices normis nectitur. Reperi multoties singulorum mentem religiosam ad ethices normas, ex experientia personali haustas, formari. Immo multoties reperi viros ac mulieres huic personali menti sic firmiter atque irresistibiliter adhaesisse, ac si de adhaesione veritati revelatae ageretur. Innuiturne iam istinc nostri aevi *personalismus?* Qui non eo ipso reiiciendus; personalis enim persuasio vel conscientia ethico-religiosa rectissima esse potest, sed et gravissimis erroribus obnoxia saepius reperitur. Resque verisimilitatem non excedentes, insimul sumptae, conscientiae religiosae singulorum firmitatem quasi religiosam adstruunt. Sicque intelligi faciliter potest aberrationes quoque maximas bono adscribi spiritui. Non exaggeratio forse adest, si dicatur malum quoque a spiritu ad bonum vergere posse. Sed hic divinae providentiae amplitudo benevolentissima admiranda. Si *intuitionismus* quoque consideratur, praesertim illorum, qui sensu magis quam ratione aguntur quique simplicissima fidei adhaerent mente, innotescit plane quosdam intuitu personali ad fidem usque trahi firmiterque consistere posse. In omni casu de veritatibus agitur, quibus spiritus inconcusse imbuitur, praesertim si res est de simplicissimis, qui nullis pollent viribus, sed ne tempore quidem, fidei investigandae vel moribus addiscendis. Num exaggeratur vel insipidus fit sermo, si dicatur conscientiae personalis profunditatem absconditosque animi angulos soli divinae menti innotescere accessumque ad fidem audaciam quamdam, sed necessario habendam, reperiri, quia acceditur ad Ens Supremum, quod in spiritu et veritate oportet adorare, nam non in mensura spiritus datur (*Io.* 3, 34), ubi vult

enim, spirat, voxque auditur, sed unde veniat aut quo vadat, nescitur, sicque est omnis, qui ex spiritu nascitur (*Io.* 3, 8)? Estne hominis peremptorium ferre iudicium de cordis duritie, qua Iudaei, pharisaei imprimis, Domino pertinacissime resistere ausi sunt, dum de repentina languidi ex piscina Bethesdae vel caeci nati sanatione vel de Lazari demortui mira agebatur resurrectione? Estne hominis illius incredulitatis mensuram perpendere, cum ipsi Domino blasphemiam se Dei Filium declarari vel sabbatum solvi obiecissent? Num compertum est mundo in aula conciliari petriana firmiter atque audacter opinionem prolatam esse hebraicum populum *qua totum* in Domini casu israeliticae gloriae nullum intulisse crimen? Sed abstineo hic ab opinione proferenda.

Excursus vitandi. 1. Fidei adstruendae vel etiam firmandae reipublicae vis nihil prodesse, immo vel obesse valet. Temporum cursu ostensum est magna religioni discrimina a civili potestate parata esse vel vi imposita magnaque ecclesiasticae libertati et excelso muneri praeiudicia illata. Quum de religiosa res est conscientia, duo tantum consideranda: Deus, auctor fidei et finis, et conscientia hominis. Caesari in re nil tribuendum.

2. Quum de christianis acatholicis sermo fit, dolenda sane est quaevis in religiosa singulorum conscientia iudicanda durities. Plurimi enim, immo et ad meam modestam persuasionem maior pars, in bona, quidam vero in optima vitam degunt fide. Obiicietur forsan hanc acatholicorum bonam fidem oecumenistico motui grave obstaculum adferre posse. At insinuanda est semper conscientiae libertas in credendo, quae ex bona exoritur fide, secus nullum oecumenisticum conamen fructum capessere valebit.

3. Si de religionum non christianarum asseclis disseritur, adhuc magis cavendum, ne adsensus mediis sub ethices vel culturae aspectu minus aptis extorqueatur. Libertas enim gratissimum est Dei donum, qui, licet omniscius multiplices, abominandos quoque, libertatis abusus praeviderit, hominem nec post Adae peccatum libertate orbavit. Nullumque penes populos vel singulos non christianos in fide propaganda felicem exitum sperari licet, nisi conscientiae libertas adamussim servetur.

4. Si sic sese res habent, dum de credentibus extra catholicae communitatis ambitum sermo est, quid ab incredulis, sive sint in societate catholica nati sive non, sive christianis coetibus pertineant sive non, attendendum? Conscientiae libertas penes illos, imprimis si cultioribus classibus adnumerantur, prorsus erronea, immo ab omni veri rectique tramite abhorrens, reperiri potest. Sed tamen aestimanda nec spiritu inquisitorio spernenda; et modo in libertate servanda fructus sperare licebit.

5. Ad finem, generatim dicatur, nemini conscientiam religiosam contemnere licet, de quocumque personarum coetu agatur. Meminerimus sane, quod huius parvae disquisitionis cursu de vitae logica adlatum est. Forsan et nostra fidei adstruendae in singulorum animis conamina condicionum limites, quos sub vitae logica comprehendimus, excedere saltem quandoque non videntur.

6. Sed exaggerationes omnes in his scabris quaestionibus tractandis prorsus eliminandae. Perniciem enim religioso sensui recto afferre fideique destruendae vel attenuandae saltem conferre possunt. Hinc rectae fidei adhaesio urgenda, ne in purum christianae doctrinae oleum aqua infundi videatur.

Quid ad oecumenismum. Rem iam meminisse licuit. Et ex dictis clare patebit. Innotescit enim ex oecumenistici motus natura omni studio mirum hoc opus prosequi oportere. Non enim hic de proselytismo, malo verbi sensu, res est, sed de

eodem prorsus redemptorio opere, quod Verbum caro factum in cruce prosecutum est Ecclesiae tradens eximium hoc apostolatus munus, ut vitae aeternae servetur genus humanum et Patris sinu congregetur in unum. Quum vero Dei Ecclesiae martyrem saeculorum cursum Spiritus, ad salutis oeconomiam provehendam, tuendum assumpserit, quod ex variis Domini Redemptoris dictis et factis clarescit, de Ecclesiae vita servanda nil timendum. Sed tamen enuntiare licebit in vastis terrae regionibus, hominum culpa saltem quandoque, Ecclesiae influxum misere stetisse. Ergo hominis est etiam divino operi, quod pro homine peractum reperitur, partem afferre, ne hominis salus sine homine peragi videatur. Hinc multi defectus, ex hominis parte divinum obtenebrantes opus, saeculorum hominumque iniuria invecti, vitandi, ne spiritus in agendo tepescat neve fructus, humanis defectibus admotis, prohibeatur. Quum non pauci pertimescerent, ne oecumenismo provehendo spiritus rectae fidei attenuaretur, memoriae tradendum gratum esse Deo opus suum Ecclesiamque Dei, Spiritu veritatis caritatisque actam, a Christi linea numquam defecisse, sed ne deficere potuisse, licet homines non pauci hanc rumpere diro conatu ausi essent. Sed nos quoque, quod nostrum est, agentes, extrema devitantes, ne Dei opus nostra defectibilitate detrimenti quid capiat, adhaereamus veritati strenue, caritati summopere addicti. Caritas urgebit, ut Dei opus fratres diligendo prosequi oporteat. Veritas liberabit nos a quacumque opinionum volubilitate fides nostra sustulerit tentamina. Auream mediocritatem servari fas sit!

6

Exc.mus P. D. ALFREDUS CAVAGNA
Episcopus tit. Tianus

Queste modeste osservazioni non vogliono per nulla svalutare il lavoro davvero eccezionale compiuto per una migliore presentazione della Costituzione, ma soltanto suggerire se non si possa meglio, almeno in qualche parte, corrispondere ai desideri dell'Episcopato manifestati nei loro autorevoli interventi in aula conciliare e che avevano per oggetto non una materia particolare, ma lo spirito animatore dell'intera Costituzione.

Nella Costituzione vi sono infatti insegnamenti che valgono indistintamente per tutti e altri invece riservati a speciali categorie, in modo particolare le parti che riguardano i popoli sottosviluppati meriterebbero una diversa impostazione.

Si ha un po' l'impressione che si parta da una visione che non corrisponda totalmente allo scopo che si vuol raggiungere e che ci si rivolga con un medesimo stile sia ai popoli che hanno raggiunto un'adeguata civiltà, sia a quelli che sono ancora ai primi passi; anzi per questi si usa un linguaggio che a loro può sembrare quasi « colonialista », non tenendo nel dovuto riguardo quanto vi è di valido nelle loro stirpi, cultura, tradizione.

La Chiesa è madre spirituale sia dei popoli ad alto livello che di quelli sottosviluppati e agli uni e agli altri deve indicare il loro caratteristico cammino con un linguaggio che a loro si convenga.

Le statistiche insegnano la rilevante crescita delle popolazioni sottosviluppate e come non siano ancora risolti, per accennarne alcuni, gli impegnativi problemi relativi alla fame, alla lebbra e altre malattie, all'analfabetismo, alla brevità della vita, che coinvolgono intere nazioni e continenti.

La Chiesa si è sempre interessata di queste dolorose condizioni e ha cercato con le Missioni di unire al messaggio evangelico quello di una carità generosa per venire incontro a questi fondamentali bisogni. L'occasione, poi, del Concilio, rende più autorevole il suo intervento, ma lo deve fare con un linguaggio che a tutti possa giungere, che da tutti possa essere compreso e che in nessun modo riecheggi un colonialismo da loro detestato.

Se siamo tutti fratelli e figli di un medesimo Padre, mi sembra che quanto è detto nella magistrale Costituzione vada impostato in altro modo.

Alle nazioni ad alto livello va parlato con il loro stile e si deve dimostrare come il soccorso ai paesi sottosviluppati sia un dovere urgente, non meno di quelli verso le loro stesse nazioni, da compiersi con fraterna carità. Ma per la stragrande maggioranza di popoli e individui in condizioni sfavorevoli i loro problemi spirituali e sociali vanno trattati con uno stile e una precisione e una persuasione che li assicuri dall'universale carità della Chiesa.

Mi permetto chiedere a quanti degli infelici che si trovano in tali misere condizioni, giungerà una qualsiasi eco di questo solenne documento conciliare. Anche se a loro verrà indirizzato un particolare messaggio rimane però ridotta di molto l'importanza straordinaria della congiuntura conciliare.

Se invece si giudicherà che è meglio lasciare l'attuale impostazione della Costituzione, mi permetterei di suggerire che nella traduzione delle diverse lingue, venga ufficialmente permesso che si inseriscano, tra parentesi quadre, brevissime aggiunte che ne rendano la lettura più facile e gradita.

Anche il problema agricolo merita una più ampia considerazione, almeno un articolo speciale. Basta riflettere che interessa l'intera umanità: anzi due terzi di essa è formata da agricoltori e il problema della fame dipenderà in gran parte da questa categoria di lavoratori.

In genere quando si parla dell'ateismo la Costituzione lo prospetta come una conseguenza e una propaganda del comunismo e si dice poco invece dell'ateismo come prospettato da filosofi e scienziati.

Mi sembra che se non un articolo, almeno una sua parte, converrebbe presentare la tesi anche sotto questo aspetto.

7

Exc.mus P. D. FRANCISCUS COGONI
Episcopus Othierensis

N. 52 bis. Caritatis ministerium erga proximum, de quo mandatum suum idemque novum suorumque discipulorum manifestativum Christus Dominus dedit (cf. *Io.* 13, 34) et ut plenitudinem legis Paulus apostolus praedicavit (cf. *Rom.* 13, 10; *Gal.* 5, 14), Ecclesia catholica semper habuit ac habet tamquam officium ad suam divinam missionem essentialiter pertinens, simulque tamquam inalienabile ius in hominum servitium ubique sibi exercendum. Unde, quemadmodum toto suae historiae decursu varia excitavit atque coluit pro temporum ac locorum adiunctis misericordiae tum spiritualis tum corporalis opera, ita et in mundo hodierno hominum necessitatibus magis ac magis pro posse suo subvenire intendit per evangelicae caritatis exercitium, activitates scil. adsistentiales et sociales omni genere

fovendo, easque spiritu supernaturali perfundendo quo in hominibus adiutis et dignitas humanae personae agnoscatur et christiana semper spectetur fraternitas.

Itaque Sacrosancta haec Synodus, dum varia caritatis opera in Ecclesiae sinu iam exstantia laudat ac iuvanda commendat, ecclesiastica instituta atque omnes christifideles vehementer urget ut, caritate Christi compulsi, impensiorem in dies praecepto Domini exsequendo curam adhibeant.

Quo vero promptior, efficacior, magis continua rationique congruens haec peculiaris Ecclesiae in mundo praesentia reddatur, mandat Sacrosancta Synodus ut, praeter particulare caritatis exercitium quod iustae cuiusque instituti vel christifidelis libertati relinquitur activitas caritativa communis in singulis paroeciis, dioecesibus et nationibus excitetur, coordinetur ac promoveatur, sub ductu sacrorum Pastorum et adhibitis, quatenus opus sit, clericis et laicis ad id muneris specialiter efformatis. De quibus rebus opportune dentur normae sive in statutis coetuum episcopalium, sive in Directoriis Pastoralibus, sive in ratione studiorum sacrorum pro alumnis instituendis.

Denique, quoniam ministerii caritatis necessitudines ad universum iam spectant orbem, summopere in votis est ut in Ecclesia, quae ex sua essentiali missione catholica est, organum quoddam internationale, a caritate nuncupandum, constituatur, cuius sit aptis studiis et consiliis actionem caritativam omnium institutorum ecclesiasticorum ac coetuum episcopalium iuvare ac inter se coordinare, relationes cum similibus institutis civilibus aut non catholicis internationalibus fovere, necnon peculiaria incoepta promovere quibus ibi efficacius actuosa totius Ecclesiae caritas succurrere possit ubi acriores exsurgant populorum necessitates.

8

Exc.mus P. D. IOSEPH D'AVACK

Archiepiscopus tit. Leontopolitanus in Pamphylia

Attenta humana fragilitate, diligentissime cavendum videtur ne videatur Ecclesia habere tamquam suam missionem praedicare ordinem et legem naturalem, aeque vel prius quam ordinem supernaturalem, vel saltem ut medium ad adducendos homines ad ordinem supernaturalem. Revera Christus Dominus simpliciter imperavit: « Praedicate Evangelium omni creaturae » (*Mc.* 16, 15).

Ceteroquin saltem dubitandum est utrum homines magis innate et indite dispositi sint ad recipiendum et intelligendum ordinem naturalem vel ordinem supernaturalem, cum de facto a Deo creati sint ordinati ad ordinem supernaturalem. Et fortasse, cum quodammodo sentiant in seipsis inordinationem consequentem peccatum originale, innate dispositi sunt ad recipiendam abnegationem crucis christianae.

Insuper ordo naturalis non sufficit nec ad bonum temporale generis humani (v. g. permoleste apparuit hoc cum in Concilio disceptatum est de armis nuclearibus vetandis; iuxta ordinem naturalem, nulla inveniebatur solutio); et sine ordine supernaturali est impossibilis, cum impossibile sit perseverare diu in operibus iustitiae naturalis sine gratia.

Valde meditandus est S. Paulus: Iudaeis et Graecis, petentibus signa vel sapientiam, nihil aliud voluit praedicare nisi « Iesum Christum et hunc crucifixum »: *1 Cor.* 1, 11.

9

EXC.MUS P. D. ANTONIUS DE CASTRO MAYER
Episcopus Camposinus

Ad Prooemium, n. 1, pag. 5. Mea humili opinione, in initio proponenda esset vocatio ad vitam aeternam, qua Deus omnes homines venientes in hunc mundum appellat. In initio, enim, ut mihi videtur, statuendum est principium generale, a quo procedit et iudicium Ecclesiae de rebus temporalibus, et habitudo quem fideles habere debent ad problemata huius temporis. Quae, ergo, in secunda periodo huius paragraphi inveniuntur, prius proponenda, dico, proponenda essent. Dicatur sic similive: « Omnes homines ad hoc nati sunt ut Deum cognoscant, eum diligant, in hac dilectione, per varias huius temporis vicissitudines, vivant, sicque vitam consequantur aeternam ».

Praeterea, linn. 6 ss. Mihi videretur explicandum quo sensu sors omnium hominum in rebus prosperis et adversis communis sit. Non enim omnino verum est omnium hominum communem esse sortem in prosperis et adversis. Saepe, enim, quae quibusdam prospera sunt, aliis eo ipso adversantur. Idem dicendum de « communi historiae hereditate », sicut etiam « de communi conatu progrediendi ». Nisi haec « communitas » explicetur, textus obscurus manebit.

Modus quo, linn. 11-12, proponitur finis adventus Domini in hunc mundum, facile a pluribus intelligi posset quasi opus Salvatoris esset tantum regnum pacis et unitatem his in terris instaurare; quod sane non consonat verbis Domini, « regnum meum non est de hoc mundo », et « non veni pacem mittere sed gladium » (*Mt.* 10, 34).

In lin. 11, mihi videtur in locum locutionis « eodem prosequitur amore », aliam substituendam esse, v. g. « pariter diligit ». Quamvis, enim, Deus omnes homines diligat, tamen, in mysterio sui beneplaciti, non omnes eodem prosequitur amore.

Ad n. 2, pag. 5-6. Lin. 18. Dicatur quo sensu vox temporis vox Dei dicenda sit; eo vel magis quod in lin. 15, vox temporis ab Ecclesia audienda dicatur. Numquid vox temporis nova Dei revelatio est, qua Ecclesia Christi duci debeat? Tandem, signa et vox temporum ab actione hominum pendent, et praesertim ab actione diaboli, huius mundi principis, qui dominio suo utitur ad condiciones sociales parandas quae animarum perditioni faveant. Huiusmodi signa temporum, mihi videtur, Ecclesia denuntiare tenetur et corrigere; minime vero eis sese submittere.

Linn. 10-11, pag. 6. Schema affirmat se agnoscere operationem Divini Spiritus in variis eventibus totius generis hominum. Huiusmodi sententia nimis generalis videtur. Plura sunt in mundo quae a Domino permittuntur tantum. Immo plura sunt quae, utpote a malitia hominum procedentia, non possunt Divino attribui Spiritui. Forte melius, schema affirmaret se agnoscere Spiritus Sancti actionem in mundo, prout animas per varios huius saeculi eventus ad salutem ducit, bonum etiam ex malo educendo. Prout iacet, schema videtur ignorare existentiam plurimorum quae procedunt vel ex malitia hominum vel ex instigatione diaboli. Haec autem ignorantia impedit quominus obiectivus habeatur conspectus realitatis, ceteroquin necessarius ut aliquid solidum exstruatur.

Ad n. 3, pag. 6. Lin. 19. Schema loquitur de « uno nobis labor » cum fratribus communitatum Ecclesiae a nobis seiunctarum. 1. Phrasis posset intelligi de communitatibus a nobis seiunctis, at pertinentibus ad veram Ecclesiam. Ecclesia enim inscribitur littera maiuscula et sine additamento. 2. Quisnam est labor communis inter catholicos et alios christianos? Schema ut rationem « unitatis » actionis proponit eandem fidem in Dominum et in mundi Salvatorem. Sed, actio quae procedit a fide in eundem Dominum et mundi Salvatorem proprie est actio religiosa, quae, nonnisi indirecte influit in civitatis terrenae exstructionem. Vultne schema docere catholicos et alios christianos « uno » labore prosequi salutem aeternam? Uno verbo, desideratur expositio magis perspicua. Insuper, mihi videtur, quod collaboratio inter catholicos et non catholicos in actionibus ad civitatem terrestrem pertinentibus ita proponenda est ut nullus falsus irrepat conceptus circa habitudinem vitae huius mundi ad aeternam beatitudinem.

Ad n. 4, pag. 6. Lin, 39. Schema dicit Christum a Patre resuscitatum suo amore vivificare Ecclesiam et mundum. Forte melius: per Ecclesiam vivificat mundum. Leo XIII in Litt. Enc. *Immortale Dei* relationem inter Ecclesiam et civilem societatem intelligit ad modum quo anima se habet ad corpus.

In genere. In toto prooemio, sermo non videtur penitus perspicuus. Schema, mea humili sententia, persuasionem inducit Ecclesiam et mundum — seu institutiones quae ad vitam terrenam respiciunt — esse duo instituta adaequate distincta, quae, quamvis amicale commercium inter se instaurare debeant, utpote simul vivere teneantur, tamen nullam unius prae alio praestantiam agnoscere debeant. Immo conceptio vitae terrenae laicismo vitiatur. Sic loquitur schema de integra hominum vocatione, quasi ex pluribus partibus efformata; loquitur de Ecclesia, quae, in implicatis suis relationibus ad civitatem terrestrem, et, natura sua spiritualis apparere debet, et servitium in bonum totius generis humani praebens; in cura de bono communi civitatis terrenae, ita huiusmodi curam a fine supernaturalem distinctam, melius, seiunctam considerat, ut collaborationem inter catholicos et alios christianos sicut etiam non catholicos, rem communem et ordinariam exhibeat. Tandem, legitime quis conqueri posset de silentio circa actionem diaboli, principis huius mundi, quae continua, subtilis et efficax est. Huiusmodi ignorantia deformat statum quaestionis.

Ad cap. I. N. 5, pag. 8. Loquitur schema de obligatione qua tenentur fideles ut concurrant ad progressum civitatis terrenae, quod officium ab ipsa fide promanat (linn. 9-10). Optarem ut hic clare enuntiaretur notio « progressus ». « Progressus » enim vox est relativa, eius ergo bonitas vel malitia a fine pendet in quem tendit. Iamvero non omnia quae ut verus progressus proponuntur, consideranda sunt ut progressus vere humanus. Dicendum ergo esset quomodo ea quae technice meliora sunt, de facto, ad vitam excellentiorem concurrant ratione dignitatis humanae. Sic v. g. plures conqueruntur de vertiginoso progressu vitae materialis qui omnino transcendit gressus homini proprios, et causa est angustiae, infelicitatis morborumque hominum. In hoc conquestu omnia falsa dicenda sunt? Estne possibile aptare dynamismum productionis machinarum dynamismo naturali hominis? Quo sensu evolutio technica verus progressus humanus dici potest? De his omnibus populus qui ingenti moli progressus materialis obruitur, verbum ab Ecclesia exspectat perspicuum et solatio plenum.

Linn. 10-13. Dicatur quomodo dimentienda sit dignitas hominis ut criterium

habeant fideles ad diiudicanda quae a mundo proponuntur quasi conducentia ad hominis dignitatem.

Ad n. 6, pag. 8-9. Linn. 23-24, pag. 8, sermo est de « muneribus terrestribus » quae etiam altiori inseruntur dignitati ad quam elevatur homo. Proprie non « munera terrestria » in supernaturali dignitate hominis inseruntur, sed « modus » quo illa munera exercentur.

Ad n. 8, pag. 10. Hic numerus agit de influxu peccati in ordinem rerum humanarum. Videtur, tamen, indicare peccatum unice ex humana ad malum proclivitate procedere. Nil de actione principis huius mundi dicit, nec de existentia vel possibilitate institutionum vel associationum quae in servitium sint principis mundi huius, et quae propterea, ordinem christianum evertere conantur. Haec omnia autem pertinent ad doctrinam ordinariam Magisterii Ecclesiae (cf. v. g. Litt. Enc. *Humanum genus* Leonis XIII) et fundantur in S. Scriptura, v. g. Epist. *ad Eph.* 6, 12 ss.

Ad n. 9, pag. 10. Mihi videtur necessarium clare enuntiare quid schema intelligat nomine « mundi », distinctionesque proponere secundum varias huius vocis significationes, sicut fecit S. P. Paulus VI in Litt. Enc. *Ecclesiam suam*.

Ad cap. II. N. 10, pag. 12. Liceat iterum petere ut doctrina exponatur Leonis XIII (Litt. Enc. *Immortale Dei*) circa habitudinem Ecclesiae ad mundum, habitudinem dico similem illa quae viget inter animam et corpus.

Ad n. 12, pag. 13. Linn. 13-24, praesertim inde a 19. Quae his lineis affirmantur non parum mihi videntur discrepare a doctrina traditionali. Etenim: 1. possent intelligi quasi auctoritates civiles, qua tales, indifferentia gauderent circa res religiosas, nulla obligatione ligati erga veram religionem. Contra explicite locutus est Leo XIII, in Litt. Enc. *Immortale Dei*; 2. possent etiam intelligi de iure qua gauderent tum singuli tum communitates libere profitendi publice suam religionem, sive vera sit sive falsa. Contra explicite docuit Pius XII, v. g. alloc. *Ci riesce* 5 oct. 1953.

Ad n. 13, pag. 14. Linn. 8-9: « ... per experientiam historiae ipsius hominis natura melius dignoscitur... », linn. 11-14: « Ecclesia autem ab humanae experientiae et humanarum scientiarum incrementis plurimum adiuvatur et stimulatur in veritate revelata magis ac magis inquirenda, intelligenda, proponenda, illustranda ».

Ad haec quae his lineis affirmantur, haec animadvertere liceat: 1. Ecclesia naturam humanam moralem, seu principia quibus regulantur mores hominum, semper novit. Ipsa non indiget incremento experientiae humanae ut melius illam moralem naturam humanam cognoscat. Potius experientia humana, ut conviventiam socialem humaniorem reddat, debet semper melius se conformare doctrinae de natura humana a Domino revelatae et Ecclesiae traditae; 2. confusione quadam videtur laborare schema. Verum quidem est quod veritas rerum creatarum per profectum scientiarum magis hominibus patet. Haec autem veritas est ordinis physici aut psychologici, dum quaestio de felicitate vel miseria vitae hominis, potius ad ordinem moralem pertineat. In hoc ordine Ecclesia « omnem veritatem » a Domino accepit; 3. finis proprius Ecclesiae est veritatem revelatam proponere hominibus in ordine ad salutem aeternam. Ipsa habet verum sensum illius veritatis in traditione Patrum, in documentis Magisterii et in analogia fidei. Bene non intelligitur quomodo possit ipsa stimulari, quasi negligens, ab elementis sibi extrinsecis.

Ad n. 14, pag. 15. Linn. 15-17. Iterum observo schema loqui de « signis » temporum quasi de nova quadam revelatione quae fidelibus indicare debeat normas agendi, dum munus huiusmodi proprie Ecclesiae sit, ipsa enim ad hoc constituta est.

Ad n. 14, pag. 15, linn. 30-36. Quae his litteris affirmantur, videntur, 1. approbare sic dictam ethicam situationis, ab Ecclesia proscriptam; 2. supponere insufficientiam Ecclesiae ad munus sibi a Domino commissum exercendum. Supponunt, enim casus, dico, casus adesse in quibus Ecclesia incapax sit hominibus salvandis applicandi principia doctrinalia.

Ad cap. III. N. 15, pag. 17. Lin. 10. Videtur declarandum quo sensu « novus » esse debeat « modus sentiendi, volendi et agendi » fidelium. Novus, enim, potest intelligi de modo omnino diverso ab anteriori, quem prius proponebat Ecclesia; et potest intelligi de renovatione vitae quam fideles curare debent secundum exhortationem S. Pauli: in novitate vitae ambulemus. Perspicua enuntiatio de qua novitate agat schema, videtur necessaria, ne quis putet schema indulgere motibus subversivis hodie frequentibus.

Ad n. 16, pag. 17-18. Agit hic numerus de « promotione hominum » (lin. 17). Videtur necessarium dicere quid proprie veniat nomine « promotionis ». Sunt enim plura quae videntur « promotiones » et tamen in detrimentum classium humiliorum et verae religionis vertunt. V. g. fere ab omnibus autonomia politica ut promotio habetur; at non semper inde sequitur bonum populi.

In lin. 8, pag. 18, sermo est de « renovandis structuris » sine ullo additamento. At non possumus, in genere, damnare omnes structuras sociales hodiernas. Sunt enim quaedam immo plures quae in se iniustitiam nullam continent. Purgentur ergo ab abusibus, et integrae permaneant.

Schema videtur favere sententiae illorum qui autumant nullam structuram socialem adesse quae omni tempore iusta sit. Quae enim in aliqua aetate iusta esset iam in aetate subsequenti iniusta evaderet. Sic homines semper anxii inveniuntur semper excellentiorem iustitiam deis, dico, desiderantes. Similis conceptio evolutionis socialis communistis propria dialectica hegeliana nititur. Non videtur conveniens ut schema sic a quibusdam intelligi possit.

Ad cap. IV. N. 20, pag. 21. Optatur ut perspicue, etsi breviter, dicatur in quo consistat dignitas personae. Persona, enim, humana non est totaliter sui iuris, sed in gloriam Dei creata, ordinem a Deo statutum agnoscere eique se subiicere debet. Unde libertas arbitrii ordinem Dei laedere nequit; e contra homini concessa est ut se huic ordini conformet, sicque naturam suam ad perfectionem vere humanam perducat. Hic idem ordo a Deo statutus ostendit quomodo ordo et hierarchia socialis dignitatem non minuit, sed extollit, cum, secundum voluntatem Dei, splendor naturae humanae postulet ut habitudo hierarchica servetur inter homines omnes, ut unitas in varietate imitetur mysterium SS. Trinitatis.

Ad n. 21, pag. 22-24. In nn. 1 et 2, optatur ut sermo fiat modo directo et perspicuo de fine primario matrimonii, sc. de procreatione et educatione prolis. In toto n. 21 amor coniugalis nimis extollitur ita ut quis facile putet, secundum doctrinam Ecclesiae, huiusmodi amorem finem esse matrimonii primarium.

Lin. 34, phrasis illa « nil sane fecundius amore coniugali ad profectum... ipsius

Ecclesiae » nimia videtur. Si ita esset, consiliorum evangelicorum professio inferior dicenda esset matrimonio, quod est contra constantem doctrinam Magisterii.

Quoad numerum filiorum, agit schema linn. 4-12. Animadvertitur quod nil dicit schema contra abusus matrimonii ut filii evitentur; quod nil dicit quod coniuges erigat ad officium procreandi, eis in his temporibus speciali modo difficile ob hedonismum ubicumque vigentem. Immo, ex modo loquendi schematis quis posset facile putare secundum doctrinam Ecclesiae procreationem iam non esse rationem et finem matrimonii.

Linn. 30-36 auferendae videntur, cum de re agant quam Romanus Pontifex sibi reservavit.

Ad n. 22, pag. 24-26. Optatur ut notio culturae adumbretur, eiusque relationis cum Revelatione conspectus exponatur. Sic tota quaestio de cultura considerabitur secundum postulata inscriptionis schematis, sc. prout relationem habet ad Ecclesiam.

Lin. 28, pag. 25. Optatur ut dicat schema quid intelligat nomine « valoris », ut fideles criterium habeant ad discriminandam veram a falsa cultura. Non omnia quae penes singulos populos inveniuntur, quamvis peculiaria unius gentis sint, iam ad veram culturam pertinere dicenda sunt. Sic v. g. polygamia vel prostitutio sacra.

Lin. 42, pag. 25. Dicatur cur religione neglecta, cultura humana dilabatur. Sic Ecclesia apparebit ut causa praecipua omnis culturae, sicut optime exponebat S. Pius X, in Litt. Enc. *Il fermo proposito.*

Linn. 1-13, pag. 26. Non videtur affirmandum Ecclesiam aliquid a culturis humanis accipere. Revera omnia quae in mundo sunt vera et bona, de se ad Ecclesiam pertinent, quae omnia Christus Ecclesiae suae tradidit. Dicatur, forte, melius: « Ecclesia... quamvis in peculiari... orta, tamen a Deo condita est ut omnibus populis salutem afferat, eorumque culturales valores evangelizando extollat ad perfectionemque ducat. Inde, dialogus cum omnibus culturis ut fecundus sit, oportet... ».

Ad n. 24, pag. 28-30. Linn. 26-29, pag. 28. Quae his lineis dicuntur supponunt omnes societatis institutiones mancas esse ita ut promotio nationis exigat renovationem omnium illarum institutionum. Mihi videtur necessarium explicare quo sensu huiusmodi institutiones renovari debeant. S. Pius X, in litt. apostolicis *Notre charge apostolique* datis 25 augusti 1910 (*A.A.S.*, vol. 2, p. 607 ss.), reiicit deliramentum adhaerentium motui dicto « Le Sillon », volentium omnes institutiones sociales renovare, seu in eorum locum novas substituere. Sanctus Pontifex huiusmodi consilium offensivum putavit Ecclesiae, quasi ipsa post viginti saecula nondum institueret structuras sociales secundum ius naturale et divinum. At idem Pontifex, in iisdem litteris, quandam continuam renovationem postulat, nempe ut semper melius radicentur in suis fundamentis naturalibus et divinis quibus ipsa cultura vera constat; et hanc renovationem necessariam esse proclamat S. Pius X quia incessanter societas christiana oppugnatur ab utopia, a rebellione et ab impietate (*A.A.S.*, pag. 612).

Linn. 18-19, pag. 29. Imprudenter ultimum iudicium quoad numerum filiorum simpliciter relinquitur coniugibus. Dicatur saltem: « ... ad ipsos coniuges spectat servatis tamen legibus a Deo vitae coniugali praescriptis ».

Linn. 25 ss. videntur significare bonum communitatis imponere posse coniugibus limitationem numeri filiorum. Res clarius enuntiari debet. Etenim, si bonum

commune imponere potest coniugibus limitationem prolis, non videtur quomodo denegetur gubernio civili ius legaliter imponendi huiusmodi limitationem. Cura enim de bono communi guberniis pertinet.

Linn. 31 ss., pag. 29. His lineis affirmatur populorum pacem et concordiam postulare autonomiam politicam uniuscuiusque populi. Haec tamen assertio non videtur simpliciter vera. Sunt enim nationes quae vera gaudere possunt et pace et prosperitate tum materiali tum spirituali, quamvis subsint auctoritati politicae extraneae; et sunt nationes quae pacem et prosperitatem amiserunt praecise cum autonomiam politicam obtinuerunt. Cogita rempublicam ex Congo-belga. Populorum interest ut bene gubernentur, eorumque iura agnita sint. Transitus autem ad autonomiam politicam non semper urgenda est. Dicatur, forte, melius: « ... ut populi sicut desiderant, suis fruantur iuribus in pace, fruendo quoque, etc. ... ».

Lin. 37, pag. 29 - lin. 2, pag. 30. Agit hic schema de institutionibus internationalibus, nihil tamen dicit de earum arenoso fundamento, cum nulla in lege divina et agnitione, dico agnitione verae religionis fulciatur. Huiusmodi omissio corrigenda videtur. Factum quod mundus valde divisus sit in re religiosa causa esse nequit ut Ecclesia sileat de unico fundamento conviventiae socialis vere humanae, stabilis, pacificae et prosperae.

Ad n. 25, pag. 30-32. Linn. 27-40. De conditionibus pacis firmiter stabiliendae agens schema, pro dolor, nil dicit de fundamento necessario verae pacis, nempe reverentiae et oboedientia ordinis moralis a Deo statuti. Tamen Scriptura proclamat non esse pacem impiis, et Ioannes XXIII perspicue enuntiavit in Litt. Enc. *Pacem in terris* principium illud regium: « *Pacem in terris*... condi confirmarique non posse constat, nisi ordine, quem Deus constituit, sancte servato » (*A.A.S.*, vol. 55, pag. 257) ».

Lin. 31. Hic optime proponi posset principium generale: veritas unit, falsum dividit. Inde, de se, doctrinae falsae sunt semper paci adversae; non ergo absolute tolerari possunt, sed tantum propter adiunctam rationem sufficientem. Ideo quae linn. 39-40 non videntur admitti posse in enuntiatione absoluta prout inveniuntur in schemate.

Linn. 4-7, pag. 31, nimiae videntur. Non potest demonstrari omnimoda iniustitia usus armorum nuclearium. Etenim, si iniustus aggressor a toto populo in iniusta aggressione auxilium accipit, iniuste impugnatus non tenetur ab armis nuclearibus se abstinere, si aliam non habet viam qua iniustum aggressorem repellat. Mitigetur ergo phrasis, v. g. addendo post verbum « nequeunt » locutionem « de se », ita ut sententia sonet: « ... usus... de se excedit... ». Ultima verba, inde ab « ac propterea » usque ad « iudicandus est » mihi viderentur supprimenda, propter rationem supra.

Linn. 21 et 28, pag. 31 fiducia inter nationes proponitur ut elementum fautor pacis. Fundamentum autem fiduciae in vera religione habetur. Sine enim Dei timore egoismus non transcenditur.

10

EXC.MUS P. D. ARTURUS ELCHINGER

Episcopus tit. Antandrinus, coad. c.i.s. Argentoratensis

*Introduction doctrinale.**

Remarques préliminaires.

1. *Comment parler aux hommes d'aujourd'hui.* Pour être entendue du monde, il faudrait que l'Eglise parle du monde, *de l'estime dans lequel elle le tient,* de manière à provoquer une sorte de « choc psychologique » parmi les hommes. Ceux-ci constateraient que dans la tradition récente de l'Eglise on n'a jamais parlé ainsi. Même les non-chrétiens diraient: « Ah, si l'Eglise voit les choses ainsi, cela mériterait attention! ». Ils verraient, en effet, qu'il y a dans l'attitude de l'Eglise et dans sa doctrine, fondée sur la Révélation, des aspects importants qui rejoignent leur propre recherche. Et c'est *par là* que le Concile pourrait influencer l'opinion mondiale, sans vouloir lui imposer ses idées. Le texte conciliaire amènerait les civilisations à s'interroger sur leur propre valeur et sur leur rapport avec l'Absolu.

2. *Les rapports de l'Eglise et du monde ne se réduisent pas à des services réciproques.* Il faut éviter à tout prix de présenter les rapports de l'Eglise et du monde sous la forme de services qu'ils peuvent se rendre mutuellement (cf. par exemple chapitre 4, n. 22, et Annexe III, nn. 7-9). Pourquoi? *a*) Si on dit: « L'Eglise sert le monde », on subordonne l'Eglise au monde. Si l'on dit: « Le monde sert l'Eglise », c'est une subordination en sens inverse. Or il serait équivoque de dire que le monde est subordonné à l'Eglise, même si le monde a pour fin ultime la Vision de Dieu à laquelle l'Eglise doit le conduire. La notion de « service » ne serait donc pas ici d'un emploi heureux.

b) En parlant de services réciproques, il faudrait en justifier le bien-fondé pour des motifs plus fondamentaux que ceux qui découlent d'un point de vue purement utilitaire. C'est pourquoi il faut, dans une introduction doctrinale, mettre bien en relief: la *consistance* propre du monde et *l'originalité* de l'œuvre qui s'y accomplit et de l'homme qui y agit; la *consistance* propre de l'Eglise et *l'originalité* de l'œuvre qu'elle accomplit et du « sur-regroupement des hommes en Dieu » qu'elle constitue.

Si les rapports entre l'Eglise et le monde sont trop envisagés sous la forme de services réciproques — c'est-à-dire du point de vue utilitaire — et si l'on ne justifie pas à la fois l'autonomie de ces deux pouvoirs et leur jonction intrinsèque, les hommes qui sont en dehors de l'Eglise accuseront l'Eglise de continuer à vouloir tout diriger; d'autres refuseront à priori que l'Eglise leur rende « des services ».

Cette clarification fondamentale est très importante à cause des répercussions psychologiques qu'elle peut entraîner dans l'opinion mondiale.

3. *Ne pas opposer « Incarnation » et « Rédemption ».* Est-il opportun de suivre ici la thèse thomiste qui, dans une certaine mesure, oppose création et Rédemption?

---

* Exc.mus Elchinger-Chavasse.

On aurait tort de présenter les choses comme si le péché avait été premier: c'est lui qui aurait motivé la Rédemption et celle-ci l'Incarnation.

Ne faudrait-il pas renverser la perspective? Il y eut d'abord la volonté gratuite du Père de faire des hommes ses fils: d'où l'Incarnation. Et pour réaliser les fruits de l'Incarnation, il fallait éliminer les obstacles se présentant sur la route vers l'adoption filiale: d'où la Rédemption. La réparation est indispensable, mais comme un moyen de réaliser pleinement le Dessein initial et gratuit de Dieu.

L'incarnation n'est pas un *simple moyen* en vue de la Rédemption. Ce serait faire retomber l'Incarnation sous la domination du péché. C'est par suite d'une telle perspective que de très grands textes pauliniens nous sont devenus incompréhensibles ou ont été négligés (en particulier *Ephésiens* 1, 1-17).

4. *Eviter un langage d'école.* *a*) Il y aurait avantage à ne pas se contenter d'exprimer les relations de l'Eglise et du monde dans les termes habituels de la théologie: temporel — spirituel, naturel — surnaturel. N'y aurait-il pas la possibilité d'employer des mots que tout le monde peut comprendre et qui seraient peut-être moins engagés dans une problématique d'école?

b) Il ne faut pas parler de l'homme comme d'une nature humaine abstraite et *intemporelle.* L'Eglise ne sauve pas la nature humaine. Elle sauve les hommes concrets engagés dans une phase précise de l'histoire.

c) Il ne faudrait pas parler de l'homme comme d'un individu isolé, comme si le salut était offert à la « nature humaine » ou bien à « l'individu » comme tel. Le salut est offert à une *Humanité* qui est *un tout concret* de personnes libres, engagées dans un devenir historique, au sein duquel Humanité et personnes, indissolublement, se forment comme telles en organisant le monde humain terrestre et cosmique.

d) Pour traiter le problème de fond, on devra se désolidariser fermement et lucidement d'une vision trop littéralement « augustinienne » et d'un retour camouflé à « l'idéal de chrétienté »; car, dans l'un et l'autre cas, on donnerait fatalement l'impression de dévaluer le monde ou bien de faire tout accaparer par l'Eglise.

Même l'expression « nouvelle chrétienté » est équivoque. On a intérêt à ne pas utiliser des mots qui ont un passé historique très lourd pour les appliquer à autre chose.

Certains, en parlant de nouvelle chrétienté veulent dire « un monde ouvert, disponible à l'égard de la foi et à l'égard de Dieu ». Mais l'usage a donné au terme de « situation de chrétienté » une signification particulière. On entend par là un organisme supra-ecclésial et supra-mondain qui est fait de la réunion de l'Eglise et du monde dans une seule unité, avec distinction entre les deux mais selon un mode de coordination absolument étranger à l'état actuel des choses. D'ailleurs « chrétienté » n'est jamais synonyme d'Eglise.

5. *Poser le problème des rapports entre l'Eglise et le monde dans toute son ampleur.* Ce serait un trompe-l'œil de croire qu'on traite les rapports de l'Eglise et du monde d'une manière exacte en ramenant le problème à l'un de ses aspects seulement: celui des *rapports entre l'Eglise hiérarchique,* vouée à « l'apostolat » institutionnel, *et le peuple des laïcs chrétiens* engagés dans le monde. Ce serait encore du « cléricalisme », si l'on peut dire, mais un « cléricalisme des laïcs chrétiens ».

En réalité, le problème doit être posé au niveau de la distinction et du rapport entre le monde humain terrestre, comme tel, et l'Eglise, plantée avec Adam et ayant reçu avec le Christ et dans le Christ sa forme suprême et définitive.

Quelques éléments constructifs.

Introduction. En définissant les rapports du temporel au spirituel — du monde à l'Eglise — il importe de faire comprendre comment cette dualité n'est pas un malheur des temps, ni due au péché. Elle fait partie du dessein fondamental du Dieu Créateur. Dieu ne peut pas faire que des esprits soient conduits mécaniquement à leur fin. Il faut donc les mettre dans un plan où ils ont à se former eux-mêmes, ce qui suppose le temps tel que nous le connaissons, un milieu d'évolution (au sens ancien du mot), qui permet à l'homme de se construire, en réalisant des idéaux: non pas seulement des fins universelles, mais des fins concrètes. C'est en se réalisant de cette façon-là qu'il devient homme et avec l'aide de Dieu il ne reste pas seulement un homme mais devient un fils de Dieu, qui a accès auprès de son Père.

Il y a une dualité nécessaire, car pour aborder le Père il faut d'abord être quelqu'un qui « se construit » humainement.

Sous forme d'apologue. C'est à un plan préalable que l'homme doit se construire, non pas indépendamment de la visée finale qui est de rejoindre Dieu, ni indépendamment de la main tendue du Père, qui aide dès le départ. Mais le Père voudrait que son enfant, en grandissant, ne soit pas dans ses bras comme lorsqu'il était tout petit, sinon il dévaluerait lui-même son enfant. Le Père doit aider son enfant — l'homme — et le tenir de moins en moins par la main pour que, lorsqu'il pourra marcher tout seul, il vienne de son propre pas jusqu'à son Père.

N. B. - Nous définissons trop le monde en fonction du péché. Il faut le définir en fonction de l'Incarnation. Si c'est le Père qui décide de faire de tous les hommes — qui sont frères en tant qu'hommes — des frères à un degré supérieur autour du Christ, pour pouvoir devenir des fils de Dieu, le Père effacera tout ce qui est obstacle et empêchement. C'est ainsi que la Rédemption suit l'Incarnation, mais lui est subordonnée. C'est l'*Incarnation qui modifie le rapport du monde et de Dieu.* C'est le fait de l'union hypostatique qui change la valeur de l'homme, sa situation. En prenant une nature humaine, Dieu a opté pour l'homme en tant qu'humain, et cette option est irréversible.

I - *Mission propre de l'Eglise.*

L'Institution chrétienne, c'est-à-dire l'Eglise, a pour but de faire d'un homme qui est vraiment homme, un fils de Dieu et c'est par ricochet qu'elle l'arrache aussi au péché pour l'aider à être vraiment homme et pour en faire un beau fils de Dieu.

En même temps l'Eglise doit apprendre au monde le sens des valeurs terrestres, car elle comprend le sens de l'homme et de l'humanité mieux que les hommes eux-mêmes: nous avons à construire un monde corporel qui ne peut pas se prendre pour sa fin mais qui est comme la chrysalide...

L'Institution chrétienne, c'est l'endroit où l'on a conscience de cette marche de l'humanité. L'Eglise doit veiller à ce que le monde entier prenne conscience de cette marche. C'est grâce à la Révélation que nous savons vers quoi nous marchons.

« S'emparant des hommes que le monde lui prépare, l'Eglise, et *elle seule,* peut en faire et en fait des fils de Dieu; car en elle et par elle Dieu " vient " à l'homme et rassemble en Lui ses fils.

L'Eglise sait *avec quoi* elle peut faire des fils de Dieu. La vision qu'elle a d'un authentique partenaire de Dieu la rend compétente pour dire ce que doit être un homme authentique, quelle que soit par ailleurs la diversité des types d'homme qu'elle a à apprécier.

Elle a donc le droit de refuser — mais seulement " ratione peccati " — les *déformations* et les *sources* de déformation qui peuvent affecter les " hommes " qu'on lui propose.

En outre, dispensatrice de la grâce, qui non seulement " élève " l'homme à l'état de fils de Dieu, mais " assainit " l'homme que le péché à déformé, l'Eglise peut *seule* " aider " le monde à bien faire son propre travail de fabrication d'hommes. Soit par les interventions de sa hiérarchie, soit par l'action de ses propres membres laïcs " dans " le monde, elle peut et doit contribuer au développement authentique de l'homme et de l'humanité » (A. CHAVASSE).

II - *Mission propre du monde et du mouvement de la civilisation.*

a) *Créer des partenaires possibles de Dieu.* Les fils adoptifs ne sont pas constitués au ciel mais sur la terre et ils sont aussi intérieurs au monde que le Fils de Dieu l'est devenu par son Incarnation. « Parce qu'ils sont intrinsèquement appelés et destinés à devenir des " fils de Dieu ", celui qui fait des " hommes " ne peut pas fabriquer n'importe quoi, Le monde, qui a pour fonction de faire des hommes, n'a par lui-même aucune compétence ni aucun pouvoir pour faire des fils de Dieu. Mais son rôle est grand et insuppléable, puisqu'il fabrique des " partenaires *possibles* " de Dieu et qu'*il est seul à le pouvoir faire.* Quand, dans la diversité historique des différents chantiers de civilisations, le monde déploie la richesse complémentaire des différents types d'homme, et quand il réalise, en cette diversité, des types d'homme authentiques, il pousse au maximum la valeur de ses produits propres, puisque, selon le mot de S. Thomas, ce qu'il produit est " ordina*bile* ad Deum " » (A. CHAVASSE).

Souvent l'on croit que, pour l'Eglise, l'œuvre proprement temporelle n'a pas de valeur. C'est une erreur.

La vie temporelle est une machine à faire des hommes. La finalité de toute la vie de la société (que S. Thomas appelle la « vita civilis » par opposition à la « vita in Ecclesia ») peut être résumée en disant: faire des hommes et une authentique humanité.

b) *Importance de la qualité de l'homme.* Le monde doit s'efforcer de *réussir l'homme* parce qu'il est inconcevable que Dieu veuille rater sa création. Il faut donc que les hommes soient aussi hommes que possible pour pouvoir ensuite devenir de beaux types de fils adoptifs, du moins dans la mesure où cela dépend de nous.

Il ne s'agit pas seulement de respecter la personne humaine mais il faut *former* des personnes humaines. Et il faut les faire de manière à ce qu'elles soient capables d'accueillir Dieu et son plan d'adoption filiale.

Le partenaire de Dieu ne peut être qu'un homme libre, capable d'accueillir un Dieu Esprit, un Dieu Amour, un Dieu s'offrant à l'homme librement. Une

initiative de liberté et d'amour gratuit ne peut être accueillie de la part de l'homme que *dans un acte de liberté et d'amour,* sinon on dénature le Partenaire divin.

Le mouvement de la civilisation, au sens le plus large, est donc de faire que les hommes, par leurs activités terrestres, deviennent des personnes libres, capables d'aimer.

c) *Importance de l'organisation du monde.* L'homme n'est possible que grâce à l'humanité. L'humanité n'est possible qu'à partir de l'organisation de son unité et de son corps, c'est-à-dire à partir de l'organisation de la terre.

L'individu dépend de la société. Il naît d'une communauté. Il a besoin d'une communauté pour vivre et non pas seulement d'une communauté humaine mais du monde ambiant. La terre est à organiser parce que corps de l'humanité; aussi son visage change selon les civilisations.

III - *Distinction et rapport intrinsèque du monde et de l'Eglise.*

a) *Limites de la compétence du monde. Depuis le péché, le monde peut-il « produire » des hommes authentiques tout seul?* « Dans la souveraineté de leur autonomie terrestre, les activités du monde, du seul point de vue de la validité de leurs propres produits humains, devraient être attentives à la voix de l'Eglise et perméables à cette grâce assainissante, qui ne *sanctifie* pas les " œuvres temporelles " mais *les hommes* eux-mêmes qui s'y adonnent, redressant en eux l'homme et le sens de l'homme. C'est par là — et par là seulement — que l'Eglise assainit le sens même de l'objectif qui fonde l'autonomie du temporel et la dignité propre du monde » (A. CHAVASSE).

On ne peut pas changer la finalité objective d'une action temporelle. Sa finalité est créée. On ne peut pas dire que c'est l'action temporelle qui, par la grâce, est réorientée. C'est le sujet humain qui pose cette action qui s'oriente à Dieu dans sa conscience par les vertus théologales. Et c'est lui qui peut sur-finaliser l'œuvre temporelle en veillant à ce qu'elle demeure bien « ordinabile ad Deum » sans que pour autant les fins temporelles deviennent de purs moyens du ciel. Elles restent des fins authentiquement terrestres.

Le monde a besoin d'être soulevé par un messianisme. Une vie humaine simplement orientée par des objectifs terrestres suffit-elle à donner le goût à la civilisation de continuer son travail malgré des obstacles sans cesse renaissants?

On se rappelle le mot de Valéry: « Nous savons désormais que les civilisations sont mortelles ». Elles ne vont pas à quelque chose qui est l'Absolu radical.

Pour soulever les hommes dans les difficultés, il faut du « messianisme ». Il en est de diverses sortes (par exemple le marxisme: véritable messianisme idolâtrique, où le dieu qui se fait est l'humanité future).

L'Eglise ne veut pas supplanter et dominer les autres, en invitant les hommes à l'écouter car, à son tour, elle veut les écouter, ne pouvant faire des fils de Dieu qu'avec les hommes que l'évolution du monde lui prépare. Mais en poursuivant son objectif propre, elle communique aux hommes le goût d'aller plus loin, toujours plus loin dans les entreprises humaines; car elle sait que l'œuvre de civilisation débouchera dans un plan supérieur.

b) *Limites de la compétence de l'Eglise.* En raison de sa mission et de ses aptitudes, l'Eglise sera à la fois *vigilante* face au travail du monde, *attentive* et anxieuse face à des productions qui ne sont pas son œuvre et enfin *reconnaissante*

d'avoir à rapporter à Dieu toute la richesse humaine que l'histoire humaine charrie tant bien que mal.

Mais sa « compétence » en matière d'authentique humanité la laisse proprement *démunie* — dans sa hiérarchie ou dans ses membres laïcs — quand il s'agit d'inventer et de mettre en œuvre les moyens de faire des hommes, et de définir les fins concrètes (les idéaux historiques) selon lesquelles sera modelé chaque type d'homme.

Les vertus morales qui sont, selon S. Thomas, les vertus de « la vie civile », n'ont pas Dieu pour fin prochaine ou pour objet. Dieu est seulement leur fin ultime par l'intermédiaire des vertus théologales. Normalement *les fins secondaires sont autonomes.* Mais c'est parce que la pratique des vertus morales est brouillée par le péché que l'Eglise, en redressant l'homme moral au nom de sa tension théologale, lui permet — en lui purifiant les yeux et en le fortifiant — de retrouver l'authenticité des objectifs temporels, civils ou moraux, qu'il doit chercher. Alors il se comportera en homme redressé: « humaniore modo ». C'est de cette façon qu'il faut concevoir la manière dont l'Eglise aide l'homme dans ses situations temporelles.

Autrement on va donner l'impression que l'Eglise possède les secrets de tous les objectifs secondaires et c'est alors la main-mise de l'Eglise sur toute la vie humaine, telle qu'elle était envisagée dans une « situation de chrétienté ». Or même dans ce cas, les théologiens les plus sages retiraient à l'Eglise la judicature de ces objectifs.

L'Eglise n'intervient que « ratione peccati », en raison des déformations qui peuvent affecter les objectifs terrestres et qui livrent à l'Eglise des hommes déformés avec lesquels elle ne peut pas faire des fils de Dieu authentiques. Mais elle n'a aucun secret technique, aucun secret des finalités objectives. Elle a uniquement le secret de « l'homme », de l'homme correct, de l'homme qui, sous sa propre responsabilité, pourra juger de ces objectifs non pas seulement dans leur valeur universelle, mais en se donnant un idéal humain contingent, particulier, qui est propre à chaque peuple et à chaque culture.

Il ne faut pas donner l'impression que l'Eglise pourrait sortir comme d'une boîte de Pandore tous les secrets de l'organisation économique du monde, de son organisation politique. Elle ne possède même pas les secrets « techniques » de la vie familiale, mais elle sait ce que doit être un milieu éducateur authentique pour faire de véritables hommes.

c) *En résumé. Du seul point de vue du Dessein de Salut voulu par Dieu,* la *distinction* et le *rapport intrinsèque* du monde et de l'Eglise s'imposent absolument.

« La distinction du monde et de l'Eglise n'est pas une conséquence du péché (même si le péché l'a déformée en faisant de cette distinction une opposition). Elle est une implication nécessaire du don que Dieu a voulu faire de lui-même *à des libertés créées,* lesquelles ne peuvent se former qu'à travers un devenir historique spécifiquement orienté par des fins prochaines authentiques, qu'on peut résumer dans l'expression " faire des hommes et faire une authentique humanité ".

Face au Partenaire divin du Dialogue et de la Rencontre de Salut, le partenaire humain est posé " en soi " par l'acte créateur qu'englobe " le Dessein de Salut ". Et c'est dans " l'en-soi » de sa liberté et de l'accueil libre de sa réponse que l'Appel de Dieu vient chercher l'homme et que la venue de Dieu l'atteint.

Face à l'homme, qui se forme dans l'Histoire, Dieu vient " par des chemins humains " qu'Il adopte librement pour " pouvoir " rencontrer l'homme. Cette " modalité humaine " de la Rencontre a atteint son apogée quand Dieu en personne s'est fait homme par l'Incarnation de son Fils. L'ensemble de ces modalités humaines de la venue de Dieu et de la rencontre stabilisée avec Lui, voilà, dans son originalité, l'Eglise qui fut plantée avec Adam et qui, dans une sur-Histoire originale, chemine *avec* l'Humanité pour la rapporter constamment " en elle " à Dieu qui vient " par elle ".

Faire des " hommes " et faire des " fils de Dieu ", ce sont deux " tâches " proprement *distinctes,* mais ce sont aussi deux tâches *indissociables,* car on ne fait des " fils de Dieu " qu'avec des hommes » (A. CHAVASSE).

L'Eglise et le monde sont liés comme par un joug. Ils ne peuvent bien avancer qu'*ensemble.* C'est la marche d'un groupe d'hommes qui ne pourront atteindre leur objectif dernier qu'en étant des « fils »; et c'est un Père qui les attend.

C'est l'itinéraire du péché. C'est aussi l'itinéraire du progrès. Les deux sont indissociables. C'est l'itinéraire du « fils prodigue » qui revient au Père, mais qui a trouvé moyen, en étant « prodigue », d'acquérir une maturité encore plus grande!

Conclusion. Ainsi l'Eglise se présente au monde non pas pour lui demander de se soumettre à elle mais pour lui dire: « J'ai la possibilité de rendre aux hommes une stature humaine authentique et un sens de vraies valeurs qui font l'homme ». Dans ce cas « l'homme du temporel » peut se sentir en sympathie avec l'Eglise et il écoutera son Message plus volontiers: non pas (peut-être) pour servir l'Eglise dans ses objectifs à elle, mais pour continuer de servir, avec une plénitude plus grande, ses propres objectifs temporels.

(Avec l'approbation de plusieurs évêques de la Région Apostolique de l'Est de la France).

* * *

Remarques et propositions concernant le n. 22: De cultura rite promovenda.

A - *Remarques critiques.* 1. *Les « services réciproques » échangés entre Eglise et culture ne doivent pas apparaître comme de l'« utilitarisme ».*

Dans le texte du Schéma (n. 22) comme dans l'Annexe III, les rapports envisagés entre l'Eglise et la culture sont conçus d'une façon trop utilitaire, sous la forme de services réciproques. Lorsqu'on essaye de justifier ces services et parfois simplement de les exprimer, on utilise des formules trop vagues ou qui donnent l'impression qu'on n'a pas tenu compte suffisamment de l'histoire assez complexe des problèmes qui concernent les rapports de l'Eglise et du monde. *Exemples*:

Dans le n. 22 du Schéma, p. 25, lignes 39-41, on affirme qu'on aboutit à une déchéance de la culture lorsqu'on néglige l'apport religieux. C'est vrai, mais on n'explique pas pourquoi.

P. 26, lignes 8-9, on demande que les chrétiens pratiquent l'art, la science, etc., « in Christi lumine ». C'est très vague et l'on ne voit pas ce que la lumière du Christ peut apporter à une telle culture.

Dans l'Annexe III, p. 29, n. 7, la même ambiguïté subsiste; elle devient plus gênante car le nombre des formules qui servent à definir l'urgence des services que l'Eglise peut apporter à la culture est assez considérable. Lorsqu'on dit (cf. n. 7, § 3) que la prédication évangélique et la dispensation des mystères appellent l'homme et le conduisent déjà à une culture humaine et sociale « eo ipso »: c'est

équivoque. Cela peut signifier la chrétienté sous sa forme la plus stricte où l'Eglise tient tout en main, même les secrets pour faire des machines à vapeur; ou cela peut être entendu dans un sens très large et alors cela ne signifie plus rien.

Quand on dit (même §) qu'à la suite d'une telle influence, les chrétiens peuvent se comporter dans le plan de la culture « humaniore modo »: la formule est assez bonne, mais elle ne dit pas tout ce qu'elle contient, parce qu'il y aurait tout un contexte doctrinal à rédiger pour la faire comprendre. C'est par le biais d'*un redressement de l'homme* comme tel que l'Eglise influe sur la culture, et non au plan des fins « objectives »; car elle ne possède aucun « secret », ni de la beauté, ni de la vie économique, ni de la vie politique, etc.

Le n. 8 de l'Annexe III (p. 30) conçoit également le problème de l'Eglise et de la culture sous l'aspect de rapports uniquement utilitaires. Lorsqu'on dit (cf. n. 8, p. 30, lignes 4-5) que la culture rend l'homme « promptior ad Deum inveniendum eiusque vocem percipiendam »: c'est vague. Quand pour expliciter la sollicitude de l'Eglise à l'égard de la culture, l'Eglise doit veiller à ce que la culture n'empêche pas la vie chrétienne — ratione peccati — mais que l'Eglise élève l'homme et l'ouvre au salut, ces formules pourraient être excellentes si l'on voyait mieux de quoi il s'agit. Cela fait penser à ce que dit S. Thomas lorsqu'il apprécie un acte moralement correct: la correction même de l'acte sur son plan propre le rend « ordinabilis ad finem ultimum ». Dans ce cas on comprend la jonction des deux plans. L'esprit doit devenir « capax Dei ».

P. 31, ligne 1, on se contente d'évoquer « magnae simul utilitatis est pro ipsa Ecclesia... »: cela fait trop mesquin. Quand ensuite on parle de la culture qui peut rendre la tâche d'évangélisation plus facile parce que l'homme informé par la culture mérite les qualificatifs de « aptior et promptior » (p. 31, ligne 4): on ne voit pas pourquoi c'est vrai et à quoi cela correspond.

Les explications doctrinales à donner, pour combler ces lacunes, pourraient rester sommaires à condition de renvoyer à un chapitre doctrinal préliminaire, définissant suffisamment *la distinction et la jonction intrinsèque* de l'Eglise et du monde et, par répercussion, de l'Eglise et de la culture (cf. propositions Elchinger-Chavasse concernant une telle introduction doctrinale).

2. *Soyons ouverts au monde d'aujourd'hui tel qu'il est.* Le texte du Schéma, tel qu'il est conçu, pourrait sembler destiné à un monde religieux passablement clos, et par là on pourrait lui reprocher de passer à côté de la question qui doit être considérée sur ce plan comme étant la question essentielle. Le voici:

L'Eglise est inquiète de ses possibilités de rayonnement parmi les hommes de notre temps et de ses possibilités d'accueil par eux. Comment peut-elle être présente *dans* et *à* un monde qui semble ne plus avoir besoin d'elle parce qu'il s'organise en un humanisme, ou une anthropologie, même en une éthique et une vie spirituelle (à la fois très haute et très simple) et finalement en un messianisme terrestre?

3. *Ne sous-estimons pas l'importance du problème de la culture.* Le Card. Lercaro avait dit au Concile, le 4 novembre 1964: « Le n. 22 est comme le nœud de tout le Schéma ». Or c'est la partie du document conciliaire dont le texte semble le plus faible, comportant beaucoup de lieux communs sans grande signification actuelle.

Par exemple, telle qu'elle est présentée par le Schéma, la culture pourrait

être considérée comme un certain « luxe », alors qu'elle est devenue « un fait de masse ». La culture se développe en relation avec les loisirs. Or les loisirs sont devenus un élément essentiel du monde moderne.

B - *Propositions pour une refonte du texte.*

Introduction. 1. *Le fait culturel et la situation nouvelle qu'il pose à l'Eglise.* D'une part le christianisme est mis en question dans le monde moderne: « Dieu est mort » parce qu'on n'a pas besoin de lui.

En face de l'Eglise il y a un monde culturel florissant et une mutation considérable des données du monde culturel qui, bientôt, influencera et réglera de vastes régions de notre comportement individuel et collectif.

Quelle va être la situation de l'Eglise devant le nouvel humanisme qui s'édifie sous nos yeux et qui est un humanisme intégral, comportant tous les périls de l'immanentisme et le refus de la transcendance? Quelles seront encore les possibilités de présence et d'évangélisation de l'Eglise à l'égard de ce monde nouveau?

2. *L'attitude nouvelle de l'Eglise n'est pas une position de repli stratégique.* Attention à une vue trop courte de l'histoire: la problématique dont nous prenons conscience actuellement a toujours existé. L'Eglise s'est toujours trouvée devant de nouvelles cultures. Ce qui est nouveau, c'est qu'autrefois l'Eglise avait conscience d'être *effectivement* « le guide ». D'autre part, le monde est désormais plus difficile à atteindre parce que plus loin de Dieu et parce que nous ne parlons pas, de part et d'autre, le même langage.

Le fait, pour l'Eglise, d'accepter de ne plus avoir le monopole de la culture, n'est pas une position de repli stratégique mais un phénomène normal d'évolution et de purification. Toute religion, à mesure qu'elle progresse, se purifie, en se délestant de charges temporaires qu'elle avait dû assumer et dont elle se libère pour pouvoir être davantage elle-même.

L'Eglise se décharge progressivement de ce qui ne lui paraît pas relever de sa mission propre. Cette séparation n'est pas un divorce mais la preuve qu'elle prend mieux conscience d'elle-même et de « l'autre ». La mission de l'Eglise dans le monde *des* cultures n'est ni « captation » ni « retrait », mais volonté d'authenticité et de « pauvreté évangélique ».

3. *Les attitudes positives qui s'imposent à l'Eglise* dans son souci de présence aux problèmes culturels d'aujourd'hui peuvent être ramenées à trois, qui s'appellent et se complètent: I - Etre à l'écoute du fait culturel; II - Intégrer à la vie chrétienne les richesses de la culture; III - Apporter sa propre contribution à l'effort culturel.

Ces divers devoirs découlent pour l'Eglise de sa mission « d'Incarnation »... à la suite du Sauveur.

I - *Etre à l'écoute du fait culturel.* Pour savoir comment elle pourra entrer en contact avec le monde *des* cultures, l'Eglise a le devoir d'être d'abord à l'écoute du fait culturel, dans une attitude d'accueil et d'ouverture, faite de sympathie et de confiance. Elle doit être à l'écoute du fait culturel:

1. *Dans toute son actualité.* Voir ce qui compte aujourd'hui le plus dans le monde de la philosophie, de la littérature, des sciences, de la technique, des loisirs. Etre attentif à la manière dont la jeunesse se comporte vis-à-vis de la culture, car c'est la jeunesse qui représente l'avenir de l'Eglise. Constater la progression continue du fait culturel, animé par un dynamisme non conformiste. Nous

ne sommes plus dans un monde statique mais dans un monde en devenir continuel. Le dynamisme de l'activité culturelle consiste à reculer sans cesse toutes les limites.

2. *Dans son ampleur et sa complexité.* Le phénomène culturel se présente avec trois caractéristiques: *a*) c'est un *phénomène de minorités créatrices* qui fabriquent des valeurs nouvelles: artistiques, techniques, scientifiques, idéologiques. Cela concerne en particulier le monde de *la haute culture* (où travaille un certain nombre de spécialistes). *b*) C'est un *phénomène de masse.* Il existe en ce moment une *culture de masse* qui pénètre partout grâce aux énormes moyens de diffusion. D'autre part, il naît toute une civilisation des loisirs, directement secrétée par la civilisation du travail dont elle est l'envers en même temps qu'elle l'équilibre. *c*) C'est un *phénomène qui relève d'une sociologie* des milieux, de l'espace, du temps.

Il existe une *sociologie culturelle* qui a dégagé une typologie des cultures en montrant comment les cultures prennent une coloration particulière suivant les milieux géographiques, sociologiques, historiques.

3. *Dans son originalité.* *a*) Les cultures se développent dans une *autonomie croissante* à l'égard de toutes les traditions d'ordre moral, politique, religieux, idéologique. Il y a un phénomène de déconfessionnalisation et de désacralisation croissantes, en même temps qu'un phénomène d'auto-sacralisation: on découvre un nouveau sacré. *b*) *L'aspect communautaire* est une des caractéristiques du fait culturel. Les groupes et les milieux culturels secrètent des habitudes de pensée et des styles de vie. Sous l'influence de la culture de masse se créent des modèles (vedettes et héros), des rites (le besoin d'avoir son spectacle chaque semaine), des cadres nouveaux (l'éducation populaire fait surgir de nouveaux meneurs). Les équipes de la recherche scientifique forment une société qui a ses structures, sa discipline, sa « morale », ses valeurs particulières.

4. *Dans sa puissance formatrice de l'esprit.* Les loisirs sont une école de divertissement mais aussi une école de vie. Le monde de la technique crée une mentalité spéciale, une conception particulière de la vérité (la hantise de l'exact, du mesurable, de l'authentique). Les moyens audio-visuels secrètent une éthique, éduquent un comportement affectif qui se situe au-delà des discours et qui peut secréter des idéologies (au moins chez les plus intelligents).

5. *Dans son dynamisme missionnaire.* *a*) Des organisations culturelles tendent à s'ériger en entités de même valeur que les religions. Plus ou moins consciemment elles prennent à l'égard de la religion soit une attitude provocante (de combat), soit une attitude d'indifférence, considérant la religion comme absolument dépassée (puisque devenue inutile). Les loisirs sont ainsi devenus quasiment des « moyens de salut » qui complètent les propositions de vie qui proviennent de la profession. De même il y a désormais les « apôtres » de la culture populaire. *b*) Chaque type de culture, s'il est vraiment vivant, se donne une *vocation universaliste* et a tendance à devenir missionnaire: cela surtout grâce aux moyens de communication modernes, avec le support de la jeunesse et l'appui des Etats.

A partir du moment où les cultures deviennent universalistes, elles se considèrent comme des « absolus » et deviennent un « ersatz de la religion », un nouveau messianisme.

Conclusion. Pour pouvoir répondre à une exigence d'information permanente et vraiment objective face aux réalités culturelles modernes, l'Eglise devrait avoir

autour d'elle *des équipes* qui l'aident à s'informer. Ces équipes devraient avoir une formation générale leur permettant d'interpréter les formes culturelles du monde moderne. Il serait même heureux qu'à ce travail d'information l'Eglise puisse associer quelques incroyants qui accepteraient cette collaboration.

L'Eglise devrait s'interroger aussi au sujet de son propre comportement vis-à-vis de ce monde culturel, pour mieux comprendre les réactions des autres à son égard, leurs déceptions ou leur défiance: cela pour lui permettre de rectifier certaines de ses attitudes.

II - *Intégrer à la vie chrétienne les richesses de la culture.*

N. B. - Il ne s'agit pas d'une intégration qui serait une absorption telle qu'elle se réalisait dans le passé. Il ne faudrait pas tomber dans un mauvais humanisme chrétien. L'Eglise doit respecter l'autonomie du temporel.

Le rôle *propre* de l'Eglise est d'annoncer Jésus-Christ Sauveur et non pas de créer elle-même des valeurs culturelles temporelles. Mais elle se doit d'accueillir les valeurs culturelles d'aujourd'hui pour élaborer une expression de la foi répondant à notre temps et apte à être appréciée par les esprits les plus exigeants.

Cela implique un triple effort:

1. *Comprendre et re-connaître les valeurs culturelles du monde d'aujourd'hui.* Raison *ontologique*: la culture étant désormais un des aspects les plus importants de la promotion de l'homme, elle devient aussi un aspect de la manifestation de Dieu, car tout ce qui est bon vient de Dieu.

Raison *pastorale*: les mondes culturels sont le milieu providentiel où doit se réaliser actuellement l'incarnation ou l'insertion du Message évangélique. Il importe donc que l'Eglise comprenne bien, par le dedans, les modes de pensée et de vie de ces mondes culturels, puisque ce sont les intermédiaires nécessaires entre elle et l'homme d'aujourd'hui. Ces diverses formes de culture constituent des médiations normales entre Dieu et l'homme.

2. *Discerner ce qui est valable.* L'Eglise ne peut pas intégrer sans choisir. Avant d'utiliser elle-même les langages culturels d'aujourd'hui, elle doit d'abord, avec prudence, discerner la valeur de ces formes d'expression de l'homme moderne. Mais, comme nous sommes dans un monde en devenir, l'Eglise veillera à ne pas bloquer la recherche par des jugements prématurés.

3. *Assimiler ce qui est reconnu comme valable.* Quels éléments des cultures modernes l'Eglise va-t-elle intégrer pour que l'homme d'aujourd'hui puisse se sentir compris par elle et pour qu'il puisse la comprendre? Quelques *exemples*:

a) *La conception de la recherche de la vérité.* Pour pouvoir mieux faire reconnaître l'originalité de deux sortes de vérités — la vérité, fruit d'expérience, et la vérité qui est un absolu révélé irréductible — l'Eglise tiendra compte de la conception de la vérité à laquelle est habitué l'homme d'aujourd'hui, vivant dans un monde dominé par la science. L'Eglise orientera l'homme moderne vers une dimension de la vérité que le savant ne trouve pas dans son laboratoire.

Ce qui intéresse le monde moderne, ce n'est pas ce que Dieu « est » en lui-même mais ce qu'il est *par rapport à l'homme* (comment Dieu sauve). L'homme moderne est davantage sensible à une vérité de salut qu'à une vérité religieuse de pure connaissance. Il a l'impression que par la Révélation Dieu ne répond pas à notre curiosité mais à un besoin vital.

L'Eglise sera particulièrement sensible à deux aspects fondamentaux que revêt la vérité pour l'homme d'aujourd'hui: c'est une vérité qu'on n'a jamais achevé de découvrir; c'est une vérité « puissante » qui transforme (qui est efficace). Sur le plan religieux, ce sera une « dunamis », une vérité qui sauve (par la vertu même de son origine divine); c'est une vérité qu'on découvre *ensemble* (en équipe).

b) *La valeur de la psychologie affective.* L'Eglise devrait assimiler aussi une partie de l'anthropologie moderne et en particulier la psychologie affective (ou psychologie des profondeurs). Les vertus doivent être enseignées en faisant appel au « cœur » (dans le sens biblique du terme) pour avoir prise sur ces mondes culturels marqués par leur ouverture aux valeurs affectives.

c) *L'importance de la dimension historique.* On prend de plus en plus conscience que le réel est « temporel ». La dimension du temps est à la fois principe d'intelligibilité et de maturation de toutes choses. D'où l'importance des sciences historiques également pour les sciences sacrées, en particulier pour les sciences bibliques. Il importe donc que l'Eglise reconnaisse la liberté de la recherche dans le respect des compétences.

d) *Les exigences inéluctables du langage.* Le langage traduit toujours une expérience. Notre terminologie religieuse a été jusqu'ici fonction d'une vision très statique du monde. Notre vision actuelle étant avant tout évolutive, il faut nécessairement en tenir compte pour traduire nos vérités religieuses, si nous voulons être entendus.

III - *Apporter sa propre contribution à l'effort culturel.*

La mission de l'Eglise vis-à-vis des cultures est à la fois une mission de service et une mission de salut.

1. *Mission de service.* L'Eglise y satisfera:

a) En suscitant et éduquant certaines *attitudes de base* que l'Eglise de l'Evangile a en commun avec certains milieux culturels: attitude d'authenticité, attitude de pureté et de transparence, attitude d'humilité et de pauvreté (dans le sens de disponibilité), le souci du dialogue, la nostalgie de l'unité.

b) En apprenant aux hommes *à choisir* devant la multiplicité déroutante des propositions qu'offrent les cultures.

Que l'Eglise dirige les options des chrétiens et éclaire les hommes de bonne volonté.

2. *Mission de salut.* Il faudrait que l'Eglise ose avertir les mondes culturels des dangers qu'ils secrètent. Mais qu'elle le fasse avec simplicité, pureté et désintéressement, ne manifestant d'autre volonté que celle de *sauver l'humain dans l'homme.*

L'Eglise doit aider la montée culturelle des hommes à ne pas dévier de sa signification humaine et à rester ouverte au sens du mystère et de la transcendance. Elle le fera en rappelant toujours les significations ultimes de la personne et de la vie humaine. Ici comme ailleurs, l'influence de l'Evangile ne peut que délivrer et servir l'accomplissement humain véritable.

L'Eglise ayant mission de défendre de préférence les faibles, doit protéger avant tout les valeurs qui, à l'heure actuelle, sont les plus gravement menacées et même en voie d'être sacrifiées: des valeurs de recueillement et de silence indispensables à une vie authentiquement humaine; les valeurs d'intimité, d'intériorité et

d'amitié, conditions d'une resacralisation de l'amour; le sens du respect et de la transcendance, nécessaire à la préhension du sacré de la vie et du sacré de la mort; le sens du gratuit, en face de l'idolâtrie du rendement; le sens de la qualité, devant l'écrasement par la quantité; la recherche d'une personnalisation véritable à travers des communautés, en réaction contre le nivellement par la base dû au processus de massification.

Conclusion. Pour remplir sa mission propre au milieu des mondes culturels d'aujourd'hui, l'Eglise veillera: *a*) à reconnaître l'autonomie du phénomène culturel; *b*) à réaliser des structures de dialogue, pour être présente à ce monde comme le sel qui préserve, comme un ferment qui fait monter.

(Avec l'approbation de plusieurs évêques de la zône apostolique de l'Est de la France: Metz, Verdun, St-Claude, St-Dié).

11

Exc.mus P. D. IOSEPH IOACHIM FLOREZ HERNÁNDEZ
Episcopus Ibaguensis

Cf. pag. 1057-1058.

12

Exc.mus P. D. AEMILIUS MAURITIUS GUERRY
Archiepiscopus Cameracensis

Ch. V: « La communauté des peuples et la construction de la paix ». Je tiens avant tout à me prononcer pour un large et chaleureux « placet » pour l'ensemble du chapitre. J'ai personnellement beaucoup apprécié pour leur nouveauté et leur lucidité certains articles: art. 91: la nature de la paix, art. 99 sur l'équilibre de la terreur, et tout ce qui concerne l'action des chrétiens et la présence de l'Eglise au sein de la communauté internationale. Je présenterai trois remarques:

1. N. 99: il conviendrait d'insérer, mais dans un numéro spécial en raison de son importance et sous un titre précis: la course aux armements, l'appel de Bombay. Il doit y avoir là une erreur typographique puisque, dans le texte, la proposition si constructive du Pape n'est pas mentionnée, alors qu'à la page 93, parmi les notes, une référence à l'allocution de S. S. Paul VI est indiquée au n. 95, *n. 3*. Or le n. 95 ne contient aucun n. 3.

2. N'y aurait-il pas intérêt pour donner plus de force à la position de l'Eglise en face de la guerre, de grouper n. 98 les textes par trop disséminés à travers toute la section, qui affirment soit que la guerre est aujourd'hui dépassée, soit que la guerre ne peut être considérée comme un moyen adéquat et proportionné de résoudre un conflit (Pie XII).

3. Il semble nécessaire de distinguer plus nettement deux périodes (cf. 100) 1. « dans l'état actuel des choses », c'est-à-dire tant qu'il n'existera pas une autorité supérieure, 2. le temps où il existera une autorité publique disposant d'un pouvoir effectif au plan mondial. Les devoirs des Etats pour se défendre sont tellement différents dans les deux cas.

Enfin, ma principale remarque portera sur le point suivant. Plus on approfondit l'œuvre de Pie XII au plan international, plus on est frappé de la place qu'il donne à la « volonté de paix ». Il y a là un trait vraiment caractéristique et original de la doctrine de l'Eglise sur la paix. Or, il me semble que le schéma a fait sur ce point un silence complet. Ceci me paraît grave.

L'exigence de la volonté de paix ferait sans doute disparaître les prétextes qu'invoquent certains milieux, même chrétiens, pour ne pas adhérer à toute la doctrine de l'Eglise sur la paix (par exemple: les milieux militaires ou, dans un sens opposé, les partisans de la non violence). On pourrait dissiper certaines équivoques:

1. L'équivoque du sentimentalisme pacifiste. Beaucoup reprochent à l'Eglise, dans sa doctrine sur la paix ou sur la dénonciation de la course aux armements, de faire du sentiment et de manquer de réalisme. Or Pie XII a combattu cette erreur en enseignant sa doctrine sur la volonté de paix. Il a montré qu'il fallait distinguer le *sentiment* de la paix et la *volonté* de paix (Message de Noël 1948), rejeter le faux et dangereux sentimentalisme, et construire sur la volonté de paix.

2. L'équivoque de la légitime défense. L'Eglise, en affirmant sa doctrine sur la légitime défense, n'est pas comprise par beaucoup. Ceux-ci l'accusent d'abord de pactiser avec le terrible danger de la course aux armements; ils vont jusqu'à l'accuser de jouer un double jeu: d'une part, se présenter en champion de la paix, d'autre part d'accepter les moyens « impurs » et meurtriers contraires à l'Evangile pour arriver à la paix.

Si l'on posait la volonté de paix comme une exigence formelle dans le cas où un pays s'arme pour sa défense légitime, on clarifierait la situation gênante et compromettante où se trouve l'Eglise dans ce cas. On pourrait reconnaître les nations qui ont vraiment des intentions pacifiques, même lorsqu'elles sont contraintes d'armer et celles au contraire qui, sous de belles déclarations pacifistes, veulent en réalité la guerre. En d'autres termes, la volonté de paix se prouve, non par des mots, mais par des actes: exemple: interdiction d'annoncer au monde entier que l'armement qu'on prépare sera plus meurtrier que tout ce qu'on a vu jusqu'à maintenant.

Nous nous permettons de joindre à notre réponse notre lettre pastorale sur la course aux armements, dans laquelle nous avons essayé d'expliquer plus longuement et par des exemples pratiques comment la volonté de paix bien affirmée pourrait avoir une profonde influence sur les relations entre les peuples.

13

Exc.mus P. D. HENRICUS GUFFLET

Episcopus tit. Calamensis, coad. c. i.s. Lemovicensis

Sur le n. 25. Pourquoi veut-on défendre les armes A B C? Parce qu'on ne peut les contrôler dans leurs effets et leurs conséquences. Parce qu'elles peuvent détruire des populations entières et rendre un pays inhabitable pendant des années.

Pourquoi est-on gêné? Parce qu'une condamnation absolue par l'Eglise n'empêchera aucunement certaines nations de s'en servir. Parce qu'on n'a pas le droit de leur laisser la liberté pratique de s'en servir. Parce qu'en conséquence le seul

moyen de les en empêcher est d'en posséder soi-même. Qu'on ne peut donc empêcher les chefs d'Etat chrétiens d'en fabriquer.

Il faudrait: affirmer avec force que la destruction massive des populations civiles par n'importe quel moyen est condamnée par l'Eglise. Qu'est formellement condamné l'usage de toute arme dont on ne peut contrôler les effets et les conséquences pour les populations civiles. (On retrouverait la veine des interdictions de l'Eglise au Moyen Age); affirmer le droit de légitime défense par les moyens efficaces pour permettre de se défendre.

Il faudrait de plus interdire toute espèce de « terrorisme », c'est-à-dire toute action violente menée contre des non-combattants dans le seul but de faire perdre aux populations le contrôle de leur volonté, que cette action soit menée contre des individus ou des collectivités.

On affirmerait en positif que n'est légitime, en fait d'action de guerre, que tout acte de défense contre un combattant qui vous attaque (ce qui ne veut évidemment pas dire qu'on n'a pas le droit de mener des offensives).

Il faudrait interdire toute exécution d'ôtages. Seuls pourraient être exécutés des ennemis convaincus par un jugement en règle de crimes de guerre contre le « Droit des gens ».

Il faudrait interdire, même durant la guerre, l'usage de la torture, comme un péché contre la valeur de la personne humaine.

En somme:

A - Il faudrait dépasser — au moins en théologie — les arguments qui n'ont leur appui que sur une peur viscérale.

B - Donc, appuyer l'interdiction des armes A B C sur des raisons objectives.

Il y a: 1. Le manque de proportion entre les buts de la guerre et les destructions opérées.

2. L'impossibilité de contrôler les effets et les conséquences de ces armes.

3. Il faudrait remettre en valeur le « Droit des gens ». C'est-à-dire qu'on ne combat pas les populations non-combattantes, même celles qui fabriquent les armes; c'est-à-dire qu'aucun motif de guerre ne légitime de tuer un non-combattant, du moment qu'il n'est pas coupable de crimes de guerre, et du moment qu'il n'a pas été jugé régulièrement.

Ni de faire violence au point de porter atteinte à la consistance de la personnalité (torture).

C - Il faudrait affirmer le droit de légitime défense par des moyens efficaces, ce qui peut inclure la fabrication d'armes A B C pour empêcher efficacement les autres de s'en servir.

D - Mais, l'existence même de ces armes et le coût de leur fabrication et de leur entretien, entraînent une obligation de conscience, en particulier aux gouvernants, de travailler à la réduction progressive et simultanée des armements et à la réalisation d'une véritable autorité internationale à qui on donne les moyens efficaces d'autorité.

14

Exc.mus P. D. CAROLUS HERMANNUS HELMSING
Episcopus Kansanopolitanus - S. Ioseph

Pag. 24, n. 21, par. 4, linn. 24-36.

In general, n. 21 of this Schema meets my approval. However, I would like to see much of the matter given in the "Adnexa" (Adnexum II « de Matrimonio et Familia ») included in this declaration.

The "adnexa" develops better than the original schema the context in which all problems of the modern world must be seen. This context was beautifully expressed at the last session of the Council by Cardinal Frings when he asked that we make our presentation in the full context of salvation history. This is especially true of the matter of human love in marriage. Viewing conjugal love as a share in the work of the Creator, the spouses will see their conjugal love as good; seeing it in the light of the Incarnation (and as an efficacious sign of the love of Christ for the Church) they will behold it as something to be consecrated; and finally, viewing their love in the light of Redemption, they will see this same conjugal love as something to be regulated through self-denial and penance by the grace of their Saviour.

The "adnexa" refers to the role of consecrated virginity, and I, personally, believe that this aspect of modern life should be stressed in the statement. Reference should be made to the fact that conjugal love can be totally sacrificed because of the *parousia*—resurrection and glorification of our Redeemer.

Since Christian chastity, purity and modesty, and especially virginity and celibacy can be rightly understood only in reference to Christian marriage, it is imperative that reference be made to these virtues and to the consecrated single state in the world. Not only hosts of consecrated virgins and celibates can be helped, but also the multitude of single men and women in the world who are destined for such a mysterious vocation, as Pope Pius XII called it.

Education unto chastity must be indicated as attainable only through vigilance, self-denial, prayer, and intimate union with Christ in the Sacred Liturgy.

Furthermore, modesty as the guardian of chastity should be indicated, for Christians guided by modesty will avoid the public manifestation of even the lesser marks of legitimate pure married love in public.

The manner in which Christian spouses seek a generous fecundity in their marriage is rightly indicated in the "adnexa" as a practical decision belonging to the spouses themselves. The "adnexa" states immediately that their decision will flow from a conscience rightly formed according to the teaching of the Church. This matter was, in general, correctly stated by the Episcopalian bishops in the Lambeth Conference in 1958. The serious defect in that statement was the failure to point out how the Christian conscience is formed; hence the importance of this reference to the teaching of the Church.

Perhaps our scripture scholars could give us very important guidance in interpreting and applying the inspired words of St. Paul, e.g., in the Epistle to the Romans and in the first Epistle to the Corinthians. The impression is some-

times given that we rely solely on human reason and what it can tell us about the natural law when we speak of the Church's teaching in regard to the morality of marriage. As a consequence, this teaching is freely called into question by some, and completely misunderstood by many of our separated brethren.

15

EXC.MUS P. D. EDUARDUS MASON
Episcopus tit. Rusicadensis, vic. ap. de El Obeid

De prooemio. In fine n. 3 prooemii mihi videtur aliquid esse ponendum ad declarandam naturam et finem Ecclesiae in bonum animarum. Haec explanatio perlucide fit in capite I eiusdem schematis; attamen mihi videtur perutile si breviter eadem idea et hic inculcetur.

Ecclesia utique est societas in hoc mundo sed non de mundo; scil. bonum temporale hominum tantum indirecte et mediate pertinet ad activitatem Ecclesiae. Ecclesia per se et immediate attingit bonum spirituale hominum, attamen tanquam mater omnium non potest separare eorum bonum temporale quasi illud excludendo a sua activitate, immo potius debet et ad ipsum cooperare sive per principia moralia quae ad id confluunt quam per exercitium operationum misericordiae sive corporalis quam spiritualis ad bonum integri hominis.

Haec simplex mentio operationum misericordiae est necessaria ad refutanda vel cavenda duo pericula promanantia ex opinionibus sibi invicem contradicentibus. Prima opinio est eorum (communistarum) qui dicunt Ecclesiam non solum non adiuvare miseros in re temporali sed neque posse eos adiuvare, si vellet, quia spiritualibus intenta, de temporalibus minus curat!

Altera opinio eorum qui dicunt Ecclesiam sese indebite immisceri in quaestionibus humanis quae ei minime pertinent. Sic fit ut dum isti nos in sacristia relegare volunt, illi nos accusant quod de sacristia nunquam exeamus ad pauperes adiuvandos.

De cap. IV ad n. 4. Hic explicatur realis difficultas quae fere ab omnibus nunc ventilatur de componendo dissidium inter difficultates procreationis praesertim ob rationes oeconomicas, et debitum coniugii ad mutuum solamen cum castitate christiana matrimonii servanda. Nulla practica solutio offertur sed sponsi invitantur ad cooperationem cum theologis et peritis in « ordine Providentiae explorando » innuendo quod solutio conflictus sit possibilis et vicina!

Sequentes observationes mihi videntur faciendas esse:

1. Expositio eiusdem difficultatis quae fit in Adnexo II, pag. 21, n. 6, mihi plus placet quam quae in schemate fit.

2. Estne prudens aut psychologice validum innuere quod solutio huius difficultatis proxima sit?

3. Quare non laudantur et robore firmantur illi coniuges qui immemores egoismi et solatii huius mundi, divina providentia fisi, maximum donum Dei quod est vita communicant generose filiis? Nonne pauperes in hac re generosiores sunt quam divites? Nonne africani et asiatici in hac eadem re, opinantur quod vita etiamsi pauper vel afflicta melior est quam negatio vitae?

4. Cum haec quaestio sit essentialiter humana cur non discutitur etiam argumentis humanis? Praesertim illius quod si incolae europaei et americani sese steriles volunt fieri, per non-procreationem filiorum, eorum regiones ab aliis numerosioribus occupabuntur?

Nonne dedecus est quod Ecclesia catholica in hac quaestione videatur tenere opinionem quae a divitibus invecta est et ab ipsis saepe proponitur?

16

Exc.mus P. D. IOLANTHUS NUZZI
Episcopus Campaniensis

1. Stylus in hac nova redactione adhibitus magis placet; aliqua maior concisio desideratur.

2. Utilis esset melior definitio conceptus tam conscientiae (n. 14) quam libertatis (n. 15).

3. In n. 27 peropportunum esset mentionem facere de violationibus contra codicem viarum (codice stradale), quae violationes in dies graviores luctuosioresque fiunt. Omnes homines plenam de iisdem responsabilitatem acquirere debent.

In eodem n. 27 perutile esset enixe omnes homines capaces hortari ut proprium sanguinem pro infirmis libenter offerant (donatori di sangue).

4. Normae concretae desiderantur quibus personae in auctoritate positae regi debent. Personis non-christianis normae iuris naturalis exponantur; personis christianis vero addantur et normae iuris divini positivi.

Haec normarum iuris naturalis et iuris divini positivi explanatio proprium locum habet in capp. II-V partis secundae: de cultu, de vita oeconomico-sociali, de via communitatis politicae, de communitate gentium et de pace promovenda.

17

Exc.mus P. D. ANTONIUS PILDÁIN Y ZAPIÁIN
Episcopus Canariensis

Ad n. 12, cap. II, pag. 13, post lin. 12, addatur: « Semper autem prae oculis habeatur quod, generaliter loquendo, magis proficuum Ecclesiae erit eius iura strenue defendere quam derelinquere ». *Ratio*: ex inimicis nostris, qui semper et ubique primum quod totis viribus intenderunt et intendunt est Ecclesiae iura negare, et his ipsam spoliare.

Ad cap. II, in n. 12, linn. 19-24. Explicetur de quanam libertate agatur, an de libertate tolerantiae, an de libertate iuris.

Si de libertate tolerantiae, Ecclesia tolerat falsas religiones, in circumstantiis et sub conditionibus non semel a Romanis Pontificibus explicatis.

Si vero schema loquitur de libertate iuris, hoc est, de iure ad libertatem, et quoniam omne veri nominis ius nonnisi a Deo est — nisi positivismum iuridicum approbare velimus — non video quomodo Ecclesia catholica supra Petrum aedificata, quae ab ipso Iesu Christo accepit officium et ius praedicandi religionem catholicam esse unicam religionem veram, non video quomodo haec ipsa Ecclesia

agnoscere et proclamare possit etiam alias religiones ius — et ut tale a Deo acceptum — habere publice profitendi ipsas esse veras, et consequenter Ecclesiam catholicam, quae dogmata et moralia praedicat illarum doctrinae contraria, esse Ecclesiam et religionem falsam. *Ratio*: esset absurdum, haereticum, blasphemum et scandalum maximum ab Ecclesia mundo huius temporis datum.

In cap. II, post lin. 28, inserantur quae Pius XII in magnifica sua Allocutione *Magnificate Dominum* affert circa potestatem Pastorum Ecclesiae (scil. Romani Pontificis pro universa Ecclesia, episcopi pro sua dioecesi) nequaquam « rerum stricte religiosarum », uti loqui solent, finibus contineri, sed totam legis naturalis materiam et applicationem, quatenus moralis earum ratio attenditur, in eorum esse potestate.

Ideoque minime dici possunt versari extra auctoritatem curamque Ecclesiae et in re sociali, non unam tantum, sed plures easque gravissimas quaestiones, sive mere sociales, sive sociales-politicas, quae ordinem ethicum salutemque animarum spectant. *Ratio*: quia in mundo huius temporis animadvertuntur prout in citata allocutione papali asseritur propensiones cohibendi, circumscribendi et coactandi hanc potestatem episcoporum.

In fine n. 13 addantur sequentia: « Attentissime considerent omnes unum ex praecipuis officiis christianorum hoc esse ut sint sal terrae, qui, bonis suis moribus, terram a corruptione morali praeservent, usque adeo, ut, si sal evanuerit, ad nihilum valet ultra nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus.

Caveant igitur maxima cura subiectivismum et relativismum ethicum, et moralem sic dictae situationis. Item sophismata eorum neoliberalium qui « velamen habentes malitiae libertatem », semper in ore habent illud Apostoli « vos in libertatem vocati estis », omittentes « ne libertatem in occasionem detis carnis, et occasionem de facto dantes ut, in mundo hodierno, magis magisque grassentur fornicatio et onanismus, immo et homosexualismus.

Fortissimo etiam animo sese totis viribus opponant iis qui universum mundum huius temporis convertere intendunt in lapidem offensionis et petram scandali. Cunctae enim personae ius plenum habent libere peragrandi terras et littora maris — quae nonnisi Deus, et nemo alius creavit — quin " venefici " et " impudici " et " canes " — biblicis verbis alloquor — eadem impleant rebus et actionibus, quae totidem sunt incitamenta ad sensualitatem et luxuriam.

Omnibus enim et maxime pueris ius est sacratissimum ut nemo scandalis labefactet innocentiam et puritatem eorum, quorum Angeli semper vident faciem Patris qui in caelis est, et qui gravissime castigavit scelera scandalizantium.

Scandalizantes vero qui scandalis et scandala negotiantur, ut publici peccatores ab Ecclesia teneantur et ut tales puniantur.

Omnes vero christifideles pudorem semper servent incolumem, sive in imaginibus ephemeridum et domorum, sive in vestibus, sive in balneis, nempe in omnibus, pudor enim custos est et antemurale castitatis et bonus odor Christi ». *Rationes*: sunt perquam evidentes.

Addantur n. 15 *cap. III* sequentia: « Maxime prae oculis habeamus, quod nos, qui Ecclesiam constituimus, sorte vocati sumus a Deo " ut simus in laudem gloriae Eius " (*Eph.* 1, 11-12), specialiter in mundo huius temporis, cuius teterrimum signum peculiare est atheismus.

Atheismus vero talis qualis nusquam, usque ad mundum eius temporis, exsistit.

Tam iniquae vero factionis duces, toti sunt ut hodiernam rerum omnium inopiam, nefandis cavillationibus, Deum religionemque apud plebem, tanquam tantorum malorum causam criminentur.

Et quod amarissime dolendum est, homines poene infiniti, huiusmodi commentis adhaerentes, in Deum religionemque conviciis invehuntur, rati se ita pro victu dimicare.

Necesse est igitur, venerabiles fratres, ut indefesse opponamus murum pro domo Israel, vires omnes nostras nos quoque in unum solidumque agmen contra iniquas phalanges coniungendo, non minus Deo quam humano generi infensas. In hac enim pugna de maximo, quod humanae libertati ineundum proponi possit, disceptatur consilio; aut pro Deo aut contra Deum; en rursus deliberatio, in qua universi orbis sortes continentur; in quavis enim re, in re politica et oeconomica, in moribus, disciplinis, artibus, in Civitate ac domestica civilique consortione, in Oriente et Occidente, ubique haec deliberatio occurrit, cuius consectaria summum prorsus momentum habent ». Ita Pius XI, in Encyclica *Caritate Christi compulsi. Rationes*: vere extraneum et inexplicabile omnibus hominibus, sive praesentibus, sive futuris, appareret, quod Concilium Oecumenicum, convocatum in mundo huius temporis, quando, quod nusquam hactenus accidisse oculis cernimus, atheismum, sub diversis formis, de die in diem ubique gentium terrarumque grassari, Concilium Oecumenicum nostrum de hoc horrendo scelere, quod illud « mysterium iniquitatis » a S. Paulo commemoratum in mentem redigit, omnino silere, tacere et obmutescere.

Oporteret inserere hic, *in cap. III,* n. 16, forse in littera *f*) sub medio, *paragraphum specialem de publicis peccatoribus. Rationes*: manifesta est omnino sancta et salutaris severitas quam Ecclesia, inde ab incunabulis, exercuit in publicos peccatores, cuius severitatis vestigia adhuc videre est in vigenti Codice Iuris Canonici, qui talibus Eucharistiam negat necnon et ecclesiasticam sepulturam.

« Nunc autem scripsi vobis non commisceri: si is qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere » praecepit Apostolus.

Dolendum igitur talem severitatem hodie parvipendi, haud quidem sine magno animarum damno, pluribus in coetibus, necnon et familiis, in quibus liber et honorificus aditus patet publicis fornicariis, avaris et rapacibus.

Quinimmo in ipsa mensa Eucharistica et in piis Associationibus et Confraternitatibus, et saepe, ut principaliores socii, videri possunt, haud quidem raro, avari et rapaces pessimi, operarios videlicet suos iusto stipendio fraudantes, et locum dantes ut nomina Ecclesiae et ipsius Dei blasphementur inter gentes, maximeque inter ingentes operariorum multitudines.

Usque adeo evanuit severitas ab Apostolo praecepta, ut iam ut peccatores publici fere a nemine teneantur qui maximi sunt tales, videlicet illi qui, non solum scandalizant, quinimmo cum scandalo et scandalis negotiantur, uti sunt edentes aut vendentes libros haereticos sive immorales, lucrifacientes ex locis et spectaculis luxuriosis, etc.

Non raro aliquos, ex his pessimis peccatoribus publicis, videre est ad sacram mensam eucharisticam accedentes, et nescimus si vel uni tantum eorum alicubi sepultura ecclesiastica denegata fuerit.

In fine n. 16, *cap. III,* addantur haec: « Qui secus agunt non tam christiani quam efficacissimi fautores antichristianismi sunt dicendi, et ut tales exse-

crandi ». *Rationes*: afferuntur a PIO XI in Encyclicis *Quadragesimo Anno* et *Divini Redemptoris*.

In fine n. 17 addantur sequentia: « Sed hucusque dicta nonnisi vacua et inania erunt verba, dum mundus huius temporis, Ecclesiam adspiciens, videat intra ipsam, ex una parte, innumeram egentium turbam, qui, variis de causis, quae non ex iisdem pendent, summa egestate opprimuntur; ex alia vero, tot christianos qui, nulla moderatione adhibita, et voluptatibus indulgent, et in res prorsus inutiles ingentes sumptos impendunt (PIUS XI, *Divini Redemptoris*).

Omnia hucusque a nobis prolata nullum habebunt influxum in mundo huius temporis, donec de Ecclesia huius temporis dici possit, quod de Ecclesia primitivorum temporum dici potuit: « nec quisquam egens erat inter eos ». *Rationes*: quas historia praebet.

Claudatur paragraphus secunda n. 18, in pag. 19, lin. 40, his verbis: « sollicite tamen caventes tentationem irenismi ». *Rationes*: eae quae afferuntur a nostro Summo Pontifice Paulo VI, in allocutione habita die 20 ianuarii huius anni 1965.

Sub fine n. 18, *cap. III,* oporteret addere saltem praecipua principia doctrinalia a Sancto Pontifice Pio X in sua Littera *Notre Charge Apostolique* inserta, et quae in praefato numero videntur penitus obsoleta vel omnino obliterata. *Rationes*: in citata epistola exponuntur.

Addantur in fine n. 23, *cap. IV*: « Sed haec omnes S. Concilii Constitutiones, sicut et cetera quantumvis pulcherrima Ecclesiae documenta circa doctrinam socialem catholicam, inania magna ex parte et inefficacia erunt donec omnes, sive clerici, sive laici, omnibus gentibus, ubique terrarum, *integram et completam* hanc doctrinam socialem catholicam praedicemus, praecipue quoad haec tria capita:

a) quod divites qui, dum proximi in quasi extrema sine culpa inveniuntur, divitias suas, aut avare claudunt, aut luxibus impendunt, in statu peccati mortalis inveniuntur, quia caritas Dei non manet in eis, secundum Apostolum.

b) Meminerint omnes publicae auctoritates, sive municipales, sive provinciales, sive et maxime gubernationis status, ingentes pecuniarum summas ex tributis colligentes, has non esse suas sed populi, ideoque non ad libitum, sed secundum strictissimam iustitiam distributivam esse erogandas; secus gravissime peccare, et ad restitutionem graviter teneri.

Infremiscit indignatione animus cernens quae saepe in hodiernis urbibus et nationibus expenduntur in sumptuosis meri luxus fastibus, dum, in iisdem, millia personarum laborant extrema vel quasi extrema necessitate, sive quoad victum, sive quoad vestes, sive quoad habitationes.

c) Meminerint praesertim omnes quod, secundum omnino orthodoxam doctrinam catholicam, in casu quasi extremae necessitatis, omnia bona sunt communia — quod principium est validum tam in ordine particulari, quam in nationali, quam internationali —. Ideoque secundum hanc firmam catholicam doctrinam, licet praedictis egenis sibi arripere necessaria, sive ex particularibus, sive ex nationibus divitibus, quin exercitium huius iuris ullo modo impediri liceat.

Rationes: ex quo enim divitibus sive particulares, sive gubernia et Status convincantur indigentibus, in praedicta necessitate absque culpa vere invenientibus, praedictum ius inesse, et ipsis huius iuris exercitium negari non posse, immo, si vi impedire vellent exercitium talis iuris, licere egenis talem vim vi repellere, et scirent egenos horum suorum iurium plenam conscientiam habere, procurarent

illi, ut nemo in tali casu inveniretur, et divitias suas, sive proprias, sive aerarii publici, prout in conscientia debent, erogarent.

Desideraretur ut, in n. 24, post lin. 23, expresse totidem dedicarentur paragraphi horrendis problematibus hodiernis *famis, vacationis a labore et indigentiae habitationis* quibus tot milliones hominum laborant in mundo huius temporis. *Rationes*: illae quae adducuntur a modernis Romanis Pontificibus, praesertim a Pio XI, Pio XII et Paulo VI, feliciter regnante, in documentis tam oralibus quam scriptis, omnibus notis.

In n. 24, post subnumerum 2, pag. 25, et post lin. 28, addatur: « Inter ea quae fundamentalis hominis dignitati, necnon et verae culturae maxime adversantur, enumerandi sunt libri qui veram religionem bonosque mores impetunt, quique res lascivas seu obscenas narrant.

Ideoque prohibitio librorum a Sancto Officio peracta, maximi momenti est habenda fideliterque oboedienda, specialiter in mundo huius temporis ». *Rationes*: Quae congeruntur a Gregorio XVI in Enc. *Mirari vos* et Romanis Pontificibus subsequentibus.

In n. 24, immediate post subnumerum 7, i. e., in pag. 30, post lin. 2, addantur ipsis, vel similibus verbis, desumptis ab Encyclica *Pacem in terris,* sequentia: « Quod attinet ad cives stirpis numero pauciores qui intra fines nationis saepe continentur, hac in re aperte profitendum est, quidquid contra has gentes agatur ad coercendum stirpis vigorem atque incrementum, iustitiae officiis graviter adversari; idque multo magis, si prava huiusmodi molimina ad ipsam gentis internectionem spectent.

Immo vero iustitiae praeceptis apprime respondet, a reipublicae moderatoribus efficacem dari operam provehendis humanis condicionibus civium stirpis numero inferioris, nominatim quod attinet ad eorum linguam, ingenii cultum, avitas consuetudines, opera et incepta in re oeconomica ». *Ratio*: quia secus, magnae gravitatis quaestiones dantur.

In n. 25, post subnumerum 3, in pag. 31, post lin. 35, addantur sequentia: « Inter meliora subsidia ad bella praecavenda enumerari debet quod nomine Benedicti XV, exponebatur ab em.mo card. Gasparri his verbis: " Le seul système pratique, et de la plus facile application avec un peu de bonne volonté de part et d'autre, serait le suivant: *supprimer, d'un commun accord, entre nations civilisées, le service militaire obligatoire*; constituer un tribunal d'arbitrage, comme il a été dit déjà dans l'Appel pontifical, pour résoudre les questions internationales; enfin, pour prévenir les infractions, *établir comme sanction le boycottage universel* contre la nation qui voudrait rétablir le service militaire, ou bien se refuserait soit à soumettre une question internationale au tribunal d'arbitrage, soit à accepter sa décision " ». *Rationes*: quae afferuntur in supradicta Littera card. Gasparri ad archiepiscopum de Sens, die 7 octobris anni 1917.

Sub fine subnumeri 4, n. 25 *de pace firmanda* sequens addatur: « Certissimum tamen et innegabile prorsus sit omnibus quod omnes admonitiones, et adhortationes, et conventiones, omniaque tentamina ad bellum vitandum sive a publicis, sive a diplomaticis, sive a coetibus pro pace, sive ab ipsis Romanis Pontificibus facta erunt in posterum, sicuti et hactenus fuerunt, prorsus inania et inutilia, donec populis ipsis, singulis nempe et universis populis mundi fideiussiones firmissimae non dentur ab ipsis populis immediate exigendae. Et sunt haec: quod bello quocumque, quacumque causa incepto, *primi qui ad primum et maioris periculi*

locum procedent, ibique usque ad finem belli manebunt, erunt duces et reges, et praesides, et moderatores populorum, gubernatores nempe ipsorum cum suis ministris et secretariis et diplomaticis. Et quod uxores et filii ipsorum manebunt et habitabunt in ipsis locis ubi habitant humiliores et pauperiores mulieres populi, quin illis tribuatur ulla defensio specialis aut modus sese tegendi a periculis bombarum, etc., etc. ». *Rationes*: quod si bello quomodocumque sit exorto, et dum filii populi moriuntur in luto campi bellici, moderatores populorum, et politici et diplomatici placide et securi dormiunt in suis lectulis, numquam deerunt bella in terris. Sed contra, si his compertum fuerit quod bello quocumque incepto, ipsi erunt qui indeclinabiliter ad loca maioris periculi pergere tenebuntur, statim conventiones et quidem efficacissimas peragent ne bellum oriatur.

18

Exc.mus P. D. IOSEPH A IESU PIMIENTO RODRIGUEZ

Episcopus Garzonensis-Neivensis

Nomine Commissionis Episcopalis Fidei et Morum Ditionis Columbianae reverenter proponitur.

Schemati XIII, ubi « De mundo pauperum » agitur, sequens addatur quaestio: « De tollenda prostitutione ».

I - Meretricum immerita miseria.

A. Nemo est qui non videat prostitutionem esse malum sociale, vitae statum certe lamentabilem, in quo:

a) mulieres fiunt meretrices: tum ex lenonum abusu, tum ex ipsius legis occasione. Nam: statim ac leges meretricum statum et officium agnoscant, eo ipso: 1) meretricium fit professio quaedam stabilis; 2) meretricium ut malum necessarium in societate admittitur; 3) et meretrices stygma morale, sociale et psychologicum acquirunt: uti mulieres pravam vitam degentes habentur, et ita dicuntur.

b) Homines, propter obnormalem incitamentum magnis in urbibus in dies crescens, lenocinii domos frequentius adeunt. Etenim: homines, magnis in urbibus, perpetuae et systematicae sensuum et sexualis passionis excitationi subiciuntur, quae ipsos ad nefandam vitam sexualem impellit. Magnarum igitur urbium vita non normali, sed inordinata et praecoci evolutione sexuali signatur, quae naturalium virium inordinatam excitationem trahit. Unde, quod certe psychologicum et sociale est, non raro uti mere physiologicum et individuale habetur.

B. Pariter nemo est qui non videat mulieres fieri meretrices saepe saepius: *a*) non ex prava tantum voluntate et luxuria; *b*) sed potius: ex desiderio levandae paupertatis vel ex instabilitate psychologica.

C. Haec omnia ostendunt has mulieres suam miseriam immerito pati, omnique commiseratione et efficaci adiutorio dignas esse, ut e sua dolenti conditione et miseria exire possint. Quod quidem magis patet, si prae oculis habeatur: *a*) earum mulierum incapacitas contra hanc iniustitiam et miseriam agendi et sese defendendi; *b*) item, mulieris emancipatio non aliquibus tantum, sed omnibus favere

debet; *c*) humanae personae dignitatis proclamatio, quam novissimi Summi Pontifices enixe defendunt; *c*) eiusmodi mulieres, licet meretrices, pretioso Filii Dei Sanguine redemptae sunt, ideoque plenam in mystico Christi Corpore dignitatem consequi debent.

II - Quibus omnibus attente perpensis ac diligenter consultis, Sacrosanctum Concilium Vaticanum II:

A. Supremis nationum moderatoribus et gubernantibus enixe suadet: *a*) ut iustum et sufficiens salarium mulieres percipere possint, laboris fons pro ipsis, quantum fieri potest, augeatur; *b*) quae iam passim, summa cum laude exstant Institutiones pro iuvenibus (e. g. in Republica Colombia: Servicio Nacional de Aprendizaje: SENA) magis ac magis foveantur, ut puellae ad professiones et artes suae conditioni congruentes exercendas sedulo instituantur; *c*) domus tolerantiae in posterum, quantum fieri possit, ne admittantur. Etenim: ubique terrarum, una cum sana promotione et emancipatione mulieris, actio ad domus tolerantiae delendas in dies crescit. Inde a transacto saeculo, Josefine Butler, homines et mulieres magnae notae plures, eiusmodi stygma e moderna societate delere contendunt. *d*) Moralis publica promoveatur, praesertim quod cinematographicam productionem et exhibitionem spectat atque commercialium rerum divulgationem (hispanice: avisos públicos), immo et quotquot media audiovisualia attinet.

B. Opinionem publicam enixe adhortatur, ne deinceps uti necessarium malum meretricium admittatur; sed e contra, ut omnes homines desiderio levandae harum mulierum dignitatis permoti, moderna audiovisualia elementa ad humanae dignitatem personae promovendam utilia strenue et indesinenter adhibeant.

Duplex praeiudicium debellandum et eradicandum est, ut illa citius et efficacius consequantur, videlicet: *a*) ipsarum mulierum ineptitudo ad moralem et psychologicam reformationem obtinendam; *b*) conscientia publica et privata, qua prostitutio tamquam malum necessarium, ideoque semper et ubique admittendum, habetur.

Saeculo XIX labente, operarii pariter in immerita iacebant miseria; sed conscii facti de sua humana dignitate conculcata, immo de propria miseria et iniusta conditione penitus dolentes, et a multis societatis humanae membris adiuti, a propria lugenda conditione exsurgere inceperunt.

His omnibus mature perpensis, Sancta Mater Ecclesia, ne eiusmodi mulieres spiritali regeneratione careant, vel excludi videantur, earum causam in ordine ad regenerationem peramanter suscipit, valde tunc exoptans ut illa servitus spiritualis, moralis et psychologica ab omnibus reiciatur, ne quis hodie in Mundo Pauperum inveniri possit qui, spiritualis renovatione studio et opere, ex indolentia, privetur.

19

EXC.MUS P. D. IOSEPH M. REUSS

Episcopus tit. Sinopenus, aux. Moguntinus

Ea, quae in schemate de magno momento amoris coniugalis optime dicuntur, profundius iuxta animadversiones, quas in congregatione generali die 30 vel 31 octobris 1964 proposui, profundius confirmentur.

Relate ad problemata, quae cum numero infantium a coniugibus responsabili-

ter statuendo cohaerent, nil amplius dicatur praeter ea, quae in schemate dicta sunt. Existunt hac in materia quaestiones, quae etiam intra Ecclesiam disputantur. Ne decernat Concilium de istis quaestionibus disputatis durante disputatione. Disputatio intra Ecclesiam quidem vix orta est, sed magno ambitu protrahitur. Insuper a Summo Pontifice specialis commissio ad haec problemata investiganda instituta est. Ea, quae hodie certo dici possunt, in schemate satis et caute dicuntur.

Quod autem adnexa ad schema apposita attinet, adnexum II « De matrimonio et familia » supprimatur. Adnexum enim in ipso Concilio non disceptatur et suffragium de eo non fertur; ideoque solummodo sententiam Commissionis et non Concilii patefacere potest. (Hac de causa etiam formulae ut v. g. « S. Synodus »: « christifideles edocere intendit », « monet », « ad eos coniuges se vertit » non conveniunt). Ex proclamatione huius adnexi difficultates interpretationis haberentur, quae vitanda sunt.

Sperandum non est fore ut sola repetitio doctrinae de finalitate matrimonii et actus coniugalis et insuper de difficillima quaestione fecunditatis matrimonii adhuc prolatae investigationibus novis scientificis (et quidem non solum theologicis, sed etiam anthropologicis, psychologicis, biologicis, medicis, sociologicis) non confectis a christifidelibus acceptetur.

Ex praepropera decisione Auctoritas Ecclesiastica damnum caperet.

20

REV.MUS P. D. LUCIANUS RUBIO
Prior generalis Ordinis Fratrum S. Augustini

I. *Iudicium de schemate*: *a*) Schema hoc multa sat bona continet, at ex modo loquendi illam vim et vigorem quae desiderarentur non obtinet. Ut vim et vigorem obtineat ordinatio magis apparens desideratur et locutio non ita prolixa. Quae in schemate dicuntur, iuxta aliquem ordinem dicuntur, sed ordinatio lectori primo intuitu non apparet, tum quia non consequitur ex aliqua idea in initio schematis posita quae aliquem ordinem determinatum exigat vel imponat, omnibus dicendis sua loca assignans et quodammodo inter se connectens, tum quia prolixus modus dicendi, expressiones multiplicans, omnia obscurat.

b) Nostra humili sententia, non convenit in schemate problemata sat particularia pertractare, etiam si gravia vel etiam gravissima, dummodo non stricte religiosa, sint, nam valde timendum est quod solutio iusta, circumstantiis mundi hodierni accommodata, inveniri non possit, et ex alia parte fieret schema valde contingens et occasionalis, adiuncta enim vel circumstantiae mundi hodierni quam citius mutantur et, ut praevideri potest, celerius in futuro forsitan mutabuntur, eaque de causa sufficiat principia vel normas generaliores per modum directionis enunciare et ex quibus solutio facile ab omnibus educi possit.

II. *Quomodo reficiendum*: *a*) Ut illa vis et vigor desiderati obtineantur in schemate loqui debet *clare* et, in quantum claritas permittat, *breviter*.

1. *Brevitas* obtinebitur multas locutiones circumstantiales auferendo: cum locutiones super locutiones cumulantur, attentio lectoris ab ideis fundamentalibus distrahitur et etiam defatigatur itaque fit ut eius mens ictibus non attingatur qui vim et vigorem ideis et conceptibus dant.

2. Ut *claritas* obtineatur necesse est ut in initio schematis, post aliquos *prooemii* numeros, idea aliqua vel conceptus exponatur ex quo ordo logicus totius schematis consequatur, qualisque munus et habitus (*atteggiamento*) Ecclesiae in mundo debeat esse, quaenam eius relationes ad hominem eiusque finem, ad matrimonium et familiam, societatem, culturam, civilizationem etc.

Nostra humili sententia, omnia haec sequenti modo vel simili fieri possent:

Prooemium. 1. Prouti stat, paululum breviatus.

2. Prouti stat, valde breviatus, et aliquantulum mutatus ad auferendam omnem speciem occasionalismi.

3. [*Deus origo omnium rerum*]. Deus, summum bonum, suam bonitatem aliis entibus communicare volens, ab initio omnia creavit (Conc. Vat. I, const. dogm. *de Fide Cath.,* c. I), omnibusque rebus creatis natura propria ditavit in easque proprietates, facultates, virtutes et qualitates indidit quae naturam consequuntur, quae natura, proprietates, facultates, virtutes et qualitates modum agendi proprium singulis rebus dant, et quidem diversum diversibus, similem similibus, etsi non eundem in individuo, ex quo mirabilis ille ordo et varietas mundi et kosmos consequitur qui ordo physicus et kosmicus appellatur.

4. [*Deus origo hominis*]. Ut culmen vero et corona rerum creatarum huius mundi aspectabilis, hominem creavit, ex spiritu et corpore constitutum (Conc. Vat. I, const. dogm. *de Fide Cath.*, c. I), corpore quo homo inter creaturas mundi inseritur, et spiritu seu anima rationali et immortali qua propius quam ceterae creaturae terrestres ad Deum accedit, dominus suarum actionum seu liber constituitur, et seipsum et omnia ad Deum referre potest et debet; insuper principium seu origo familiae, quippe quae ab ipso propaganda, in ipso posuit sicut et societatis cum praeterea in eum characterem socialem indiderit. Denique ei dedit potestatem omnia terrestria dominandi, proprietates, facultates, virtutes et qualitates omnium rerum ordinemque qui ipsas consequitur in proprium usum, utilitatem et perfectionem utendi, ita tamen ut ordo qui ex natura rerum consequitur non perturbare sed conservare homo debeat, qua in perturbatione vel conservatione malum respective et bonum morale consistunt atque ex ipsis, prouti ab homine suipsius compote et libero, vitatis vel servatis ordo qui moralis dicitur originem ducit.

5. [*Deus de mundo providens et hominem ad ordinem altiorem elevans*]. At Deus qui ex infinita sua bonitate et non ex necessitate seu indigentia aliqua, mundum creavit, eum numquam praetermisit, sed peramanter et summa cum efficacia sustentat, conservat et regit, providentissime de eo curans, attingens omnia a fine usque ad finem fortiter disponensque omnia suaviter (Conc. Vat. I, const dogm. *de Fide Cath.,* c. I), legibus in primis in natura ipsa rerum ab Ipso inditis. Specialissime vero de homine curam habuit et habet, nam eum, inde ab initio ut coniunctius sibimetipsi haberet et in caelestem beatitudinem post suae vitae cursum naturale induceret, ad ordinem qui naturam omnium rerum creatarum transcendit, ideoque ordinem supernaturalem vocamus, qui est ordo ipsius vitae Dei, elevavit, ei infundens gratiam quae in participatione ipsius vitae Dei consistit. Et non tantum, sed cum homo per peccatum ab illa vita deifica decidisset, de eo reparando peramanter curavit, redemptorem primo promittens antiquis Patriarchis et Prophetis, novissimis vero temporibus etiam missum ipsum Dei Filium, hominem factum, Dominum nostrum Iesum Christum in quo habemus redemptionem. Simul cum Redemptore, inde iam ab antiquis temporibus, ad nostrum intellectum illu-

strandum de veritatibus ad vitam supernaturalem necessariis, nostramque voluntatem roborandam circa bonum morale et supernaturale, revelationem divinam multiplices gratias, ab ipso nostro Redemptore promeritas, nobis donavit et donat (Conc. Vat. I, const. dogm. *de Fide Cath.,* c. II). Hinc igitur novus ordo exsurgit, ordo scil. supernaturalis, quo homo ad Deum, ac per ipsum hominem, omnes res terrestres excellentiori modo ordinantur, in eoque homo suam veram perfectionem ac veram temporaneam beatitudinem in hac vita atque definitivam in futura, Deo adiuvante, acquirit. Hic duplex ordo, naturalis scil. et supernaturalis, cum ab uno ipso Deo originem ducant, nunquam inter se contrarii neque contradictorii inveniuntur, quin immo ordo moralis naturalis, cuius gubernatio per se ad legitimam potestatem civilem pertinet, ab ordine supernaturali illuminatur, illustratur et completur. Iesus Christus Dominus Noster cum opus redemptionis in hoc mundo perageret, de homine item providentissime curans, Ecclesiam instituit, populum scil. Dei, ad quem omnes homines vocantur in eoque, ad hunc populum in iis quae ad ordinem supernaturalem spectant regendum et bona ex redemptione promanantia homini ministranda, sacram hierarchiam instituit, cuius nos munere fungimur.

En igitur quo in loco Ecclesia in mundo stet, qualisque munus et habitus (*atteggiamento*) ei relate ad mundum sit, qualesque eius relationes ad hominem eiusque finem, ad matrimonium et familiam, societatem, culturam, civilizationem et alia.

6. [*Ad quod dirigatur hoc schema et quid intendat*]. Ex hoc angulo et sub hac luce, de his omnibus S. Synodus Ecclesiae filios alloquitur, ut coniunctis viribus etc.

21

Exc.mus P. D. PAULUS RUSCH
Episcopus Oenipontanus

Sicuti multi Patres in discussione iam dixerunt, et ego puto, initium huius schematis sumendum esse a realitate huius mundi nostris temporibus. Inde dispositio fere ita sonaret:

Cap. I. *De problematibus et ideis principalibus huius temporis.* Hic loquendum est breviter de progressu: Signum maxime universale hodiernum est progressus; progressus in scientia praesertim naturali, in arte technica, in arte medicinali, in civilisatione, in prosperitate vitae. Inde oriuntur ideae principales de libertate, de victoria super paupertatem, de *una* humanitate digna huius nominis, in qua libertas, cultura et prosperitas vitae regnat. Unde munera nostri temporis clarificantur: vincere morbos grassantes, unire humanitatem, vincere bellum et odium, adiuvare populos egentes. Iam vero in progressu tam celeri duae leges sese manifestant: 1. omnis progressus est ambivalens, continet simul valorem et periculum, 2. omnis progressus celer gignit incertitudinem, nam cum effectus proximi videantur, effectus remoti non videntur. Ex hac autem re multa exsurgunt problemata, via humana fit incerta et tenebris se involvit. E. g. *quoad singulos*: Ars administrandi homines tam magna est, ut hominum libertas et dignitas iam non in tuto sit, nec libertas religionis secura.

Quoad familiam: Status familiaris iam non in tuto positus, innumeri infantes

separatorum, item infantes parentum dupliciter acquirentium, salarium familiare nondum generatim datum.

Quoad societatem: Iustitia socialis quoad operarios et agricolas quaeritur tempus liberum simul gaudiosum et periculosum, prosperitas vitae et pericula luxus, in cultura hierarchica valorum iam incerta redditur.

Quoad quaestiones mundiales: In oeconomia productivitas et distributio non est in aequo, ars technica laedit saepe leges vitae, ut medici manifestant, populatio mundi aucta et enutrienda, populi in statu evolutionis, pax et bellum: quot verba, tot problemata.

Ipse denique homo crescit in potentia sua et simul est homo qui in discrimine historiae positus nondum aptus est ad superandum hoc discrimen temporis.

Cap. II. *Mundus et homo in lumine revelationis.* A. Hic enarrandum esset, *quid sit mundus theologice*:

1. Mundus ut creatio est valde bona, sed peccato deformata (*Genesis*).

2. Mundus ut societas hominum est a Deo amata (*Io.*) et simul Deo aversa (*Io*).

3. Inde mundus est reformandus et quidem totus mundus, scil. ut res creata et ut societas hominum (vide *Rom.* 8, 19-23).

4. Quae reformatio mundi fit per Christum.

5. Inde Ecclesia munus habet, ut collaboret in hac reformatione mundi et quidem sub respectu ethico et religioso.

B. *Homo, eius vocatio et munus,* fere ut habetur in schemata: de integra hominis vocatione, sed n. 6 esset abbreviandus ex una parte, utpote iam partim *hic* sub A) edictus, ex altera parte augendus per explicationem mali et doloris in mundo.

Cap. III. *De Ecclesia et christianis in mundo,* sicuti habentur in cap. II et III schematis, sed in n. 14, pag. 15, linn. 3-24 multa concretius edicenda essent. Ecclesia autem inserviendo mundo 1. educit generationes iuvenes in populis christianis, 2. efformat conscientiam civium, 3. exercet caritatem, 4. applicat revelationem ad nova spatia mundi, uti sunt spatium sociale, oecumenicum, technicum, 5. incipit educere hominem, qui virtutibus necessariis instructus est ad superandum discrimen aetatis. Scil.: mundus noster est in fieri. Omni die superveniunt novae inventiones, unde conditiones vitae aliae et aliae fiunt. Sed et homo est in fieri: initio vixit homo naturalis, deinde culturalis, nunc autem fit homo potens, i. e. homo potentiis technicis instructus. Unde sequitur, nos in discrimine temporis (germanice Wendepunkt der Geschichte, gallice tournant de l'histoire) vivere. In tali discrimine temporis necessarius est homo, in quo virtutes activae specialiter excultae sunt, ergo virtus iudicii ad distinguendam viam rectam, virtus initiativae et fortitudinis, virtus responsabilitatis.

Insuper omne tempus vel aetas continet sensum specialem, a Deo datum, qui evolvi et consumi potest. Forsitan est sensus nostrae aetatis, ut una et unica humanitas solidarietate coniuncta fiat. Sed humanitatem destrui, vel physice vel moraliter, aeque possibile est. In hoc statuitur crisis nostrae aetatis.

Unde officium Ecclesiae est ut evolvat hominem, qui talibus virtutibus instructus sit, quae supra indicatae sunt, ergo virtute iudicii, fortitudinis, responsabilitatis, qui insuper habeat vim regendi in omni campo vitae, ne unquam terribilis possibilitas destruendi humanitatem ad effectum deducatur, sed semper positiva

possibilitas uniendi et christianitatem et humanitatem magis magisque ad felicem exitum perveniat.

Unde sequitur Ecclesiam esse revera fermentum in mundo, cum tali modo per formationem hominis et directionem doctrinalem ambivalentia progressus vitari possit, ita ut seposito periculo solus valor efficiatur.

Cap. IV. *De praecipuis muneribus implendis.* In capite IV de praecipuis muneribus a christianis implendis agitur, sed multa non indicantur, quae tamen consideratione digna essent.

1. *Respectus valoris nunquam negligendus est.* Leges christianae et ecclesiasticae, praesertim in causis matrimonialibus hominibus modernis durae esse videntur. Unde necessarium est, eas non tantum proponere, sed sub respectu valoris repraesentare.

Textus noster loquitur, pag. 24, n. 21, de matrimonio et de obligationibus cum eo coniunctis. Iam vero indissolubilitas hominibus nostri temporis aliquid duri esse videtur. Unde respectus valoris est introducendus. Quod sequenti modo fieri potest: infantes parentum separatorum secundum sociologiam orphanis fere aequiparandi sunt. Iam vero in mundo sunt multoties decies centena milia infantium, qui non propter mortem parentum, sed propter eorum divortium orphani sunt, et inde generatim infelices, periculis constituti et reliqua. Unde perspicuum fit, legem indissolubilitatis maximi valoris esse pro innumeris infantibus.

Quare propono, ut ad finem n. 21 addatur: Leges autem Christi et Ecclesiae durae non sunt, quia in maximum bonum hominum se vertunt. Momentum indissolubilitatis etiam in eo consistit, ne innumeri infantes per divortium infelices reddantur.

2. *Nihil dicitur de iuventute in nostro mundo.* Quare propono, ut post n. 21 novus numerus addatur: de iuventute in hoc mundo, cum sequenti fere textu: Condiciones iuventutis saltem in statibus industrialisatis hodie omnino diversae sunt relate ad tempora anteacta. Iuventus vivit vitam extrafamilialem, versatur in officinis, in tempore recreationis, in itineribus etc. Ipsi iuvenes disponunt de salario suo, vivunt in societate aperta, ut dicunt sociologi, ubi influxus in varias et oppositas partes exercentur. In his autem condicionibus iuvenes se salvare non possunt, est enim supra eorum vires. Quare necessarium est, ut in parvis communitatibus ad excolendum characterem iungantur. Unde Ecclesia offert diversos motus iuventutis, ut homines iuvenes certum inveniant medium vitae ad sese excolendum ad hominem perfectum, ad similitudinem et imaginem Dei.

3. *Nihil dicitur de artibus technicis.* Quare addendum esse puto, pag. 26, post 1 in n. 23: Nostro tempore artes technicae miro modo evolutae sunt. Iam vero fere omnes inventiones technicae duplicem habent aspectum, prosperum unum, periculosum alterum. Artes technicae hominibus novam dant potentiam. Potentia autem possumus uti et abuti. E. g. institutiones modernae technicae guberniis facultatem dant administrandi homines quasi essent mere numeri. Ne ergo abutamur nova potentia, ideo Ecclesia evolvere coepit scientiam moralem de arte technica, ut in singulis videri possit qualis sit rectus usus potentiae de novo acquisitae, quo modo recte utatur mediis technicis non ad destructionem, sed ad aedificationem societatis. Sic docetur simul, non dari evolutiones inevitabiles, sed omnia posita esse in hominis libertate, qui cum bona et optima voluntate omnia in bonum vertere potest.

4. *Nihil dicitur de tempore recreationis libero.* Quare propono, ut addatur pag. 27, n. 23, ad 6: Hodie innumeri homines gaudent de tempore recreationis libero. Saepe vel dicitur, nos in societate recreativa vivere. Quod tempus recreationis iterum duplicem habet aspectum, est simul adiumentum et periculum. Multi homines in divitiis de novo acquisitis sese gubernare non possunt. Mensuram rectam non inveniunt, immo ex perverso usu divitiarum pro permultis periculum degenerationis adest, cui periculo multi iam subiacerunt. Unde iterum scientia moralis nostra docere vult et rectum usum et rectam mensuram pro utendis mediis vitae. Hinc etiam medicos invitamus, ut secundum eorum artem magis magisque explorent, quales sint leges vitae biologicae et quo modo hisce legibus bene utamur in adhibendo tempore recreationis, ut homines per tempus recreationis non infirmiores, quod saepe accidit, sed saniores reddantur. Hoc enim solo modo impletur mandatum Dei: « Replete terram et subiacete eam » (*1 Mos.* 1, 28).

Unde peto, ut hic vel similis textus addatur ad n. 23: De cetero idem valet pro condicionibus operariorum in officinis. Medici saepe dicunt, laborem nocturnum contra leges vitae esse. Unde postulandum est, ut condiciones laboris humaniores fiant, adiuvantibus omnibus ad quos pertinet, medicis, patronis, technicis.

Per transennam notetur, maximi valoris esse, doctrinam ecclesiasticam de labore evolvere. Labor enim iam non tantum est medium ad vitam sustinendam sed ultra tendit et vel extramundana apprehendit. Qualis est sensus nostri laboris? Mundus exspectat responsum Ecclesiae.

Ad n. 22 aliqua magis concrete manifestanda sunt: Quare propono, ut pag. 25, n. 22, post lin. 35, sequentia inserantur: Pars essentialis vitae culturalis est vita iuridica. Vita iuridica veri nominis fundatur autem in lege naturae. Lege naturae neglecta multa iura conduntur quae sunt ipsa iniuria. Theoria iuris mere positivi nisi, nonnulli Status in periculo sunt ut excolant artem technicam homines mere administrandi sepositis iuribus in alienitatem civium.

Cui periculo aliud adiungitur: rectus ordo valorum invertitur, si valor rerum magis aestimatur quam valor personarum. Cui periculo multi homines hodie succumbunt aestimando magis prosperitatem vitae externae quam formationem personae internam. Ex quo facto sequitur *crisis culturae* hodierno tempore tam lamentabilis. Unde omnes quibus interest exhortamur, ut rectum ordinem valorum iterum stabiliant, ne per crisim culturae descensus humanitatis magis quam ascensus et progressus efficiatur.

Adnotationes ad pag. 30, n. 25, de pace firmanda: Finis ultimus ad pacem firmandam est universalis proscriptio belli, finis autem proximus est proscriptio armorum atomicorum, hinc diminutio et annihilatio horum armorum reciproca, et proscriptio belli atomici. Maximum autem periculum est libido dominandi orbem totum et medium ad hoc: bellum subversivum. Medium pacis nondum adhibitum est consilium pacis.

Hisce positis nonnulla in textu aliter disponenda sunt: 1. Pag. 31, linn. 33-35, post verbum « promovendum » clarius dicatur: « ita, ut condiciones praeparentur, in quibus bellum quodcumque pacto internationali proscribatur, pactum laedenti auctoritas universalis obsistat ». Et addatur: « Libido autem dominandi totum mundum, ex quibuscumque etiam ideologicis causis iustae libertati gentium adversatur, quare illicita est. Idem valet de bello subversivo, quod nonnumquam ad talem finem obtinendum tamquam medium adhibetur ».

« Ad omnia haec melius obtinenda apud S. Sedem consilium pacis in re mo-

rali, politica et militari peritorum constituatur, quo progressive per media apta ad hunc finem: proscriptio omnis belli, pervenitur. Hoc autem consilium adiuvetur per motum catholicum pro pace, cui nomen est *Pax Christi* ».

2. De fine autem proximo iam bene agitur pag. 31, linn. 1-12, de proscriptione armorum nuclearium, de quo textu melius disponendo iam optima in Aula dicta sunt.

3. Pag. 32, linn. 31-35, proponitur novus textus post verbum « benedicunt »: « Sed et exhortamur omnes qui religioni christianae adversantur, ne libertatem religiosam laedant. Sciant, conscientiam totius humanitatis hoc iam non tolerare. Omnis enim, qui tali modo agat, est progressus humani inimicus. Sed et orare non desinemus, ut ii omnes tandem inveniant plenitudinem veritatis, in qua sola felicitas hominum fundantur ».

Ratio: communistae in progressu primi esse volunt. Inde venit, ut nihil eos magis moveat, nisi id, quod eis revera dici potest, se tali modo agendi contra progressum humanitatis agere.

Et addatur: « Simul autem Concilium foederationi U.N.O. gratias agat pro omni conatu feliciter incepto ad religionis libertatem tuendam et recuperandam ».

22

Exc.mus P. D. ANTONIUS SANTIN

Archiepiscopus episcopus Tergestinus et Iustinopolitanus

Schema *radicitus* novum attendimus. Adiungo iam dictis, n. 21 non solum mihi non placere, sed necessarium esse iudicio Summi Pontificis hanc materiam relinquere, quam ipse sibi reservavit.

23

Exc.mus P. D. VILLELMUS SCHOEMAKER

Episcopus Purvokertensis

1. Valde gaudeo quia schema hoc proponitur. Est de necessitate morali, pro bene esse christianitatis in situatione historicae evolutionis, nostri temporis (Un tournant de l'Histoire).

E contra, ipsa situatio evolutionis implicat quod novae notiones et inventiones technicae-sociales-psychologicae, valde instabiles adhuc sunt, quamquam mundus in genere exspectat *aliquid lucidum* a parte Ecclesiae. Inde necesse est nobis omnibus « audacitas respectuosa » qui de thesauro Ecclesiae proferre audet *nova* et *vetera* in quantum bona et probata. Sed non inaniter inhaerendum systematis vel auctoritatibus humanae dictionis, quae hac in re « minimum exstant argumentum ». Ne deliberante Concilio, perit mundus, caveamus.

2. Inde audeo proponere aliquas observationes minus orthodoxas.

A. Audacitas respectuosa me inclinat ad proponendum ad modum « Cartesii » ut circa methodos et enuntiata scholastica hucusque vigentes pro tempore adhibeatur « dubium methodicum » ita ut omnia « de novo » recogitantur. Quae in

lumine criticismi moderni positionem suam servare queant, serventur, quae autem non amplius servare possunt in lumine inventionum novarum scientiarum certarum, recogitantur « ex fontibus eorum » (natura et gratia, ratio et fides, scientia humana et data revelationis).

Libertas inquisitionis magnum facere debemus in hoc schemate. Bene cogitantes de filiis « non conformistis » qui volunt ut in tempore hoc Mater Ecclesia etiam sit « sine ruga et sine macula vetustatis ».

B. *a*) Sicut ab ipsa commissione iam promissum est, idea *mundi* et relatio mundi huius ad Deum, et functio Ecclesiae *in mundo de novo* tractentur, et clarius declarari debet: quod pro mente et fide christianorum mundus iste est *donum* Dei Creatoris et caritatis effusivi Dei, aliquod *bonum* per se quamquam contingens et semper perfectibile, etiam cum quadam finalitate increata, ab ipso homine etiam dirigenda et evolvenda per laborem ingenii sui. Quod mundo autem inest ratio peccati et est sub lege peccati, nisi in quantum redemitur a gratia Dei per Christum, tum in personis quam in rebus et ordine rerum. Quod sit functio et obligatio Ecclesia Christi proclamare et evangelizare Redemptio mundi et hominum factum in Christo Iesu, una sua oblatione sanctificans sanctificatos.

Quod aliud est regimen mundanum, aliud regimen gratiae, quae ut anima animans est *in* mundo non vero *de* mundo.

Quod usque ad consummationem dierum, tensio inter duae componentes integrantes illae (gratia et natura sub lege peccati) erit dramatizatio sortis humanae usque dum Deus erit « omnia in omnibus ».

Viventes ergo in Fide, Spe et Caritate operosa, gaudeamus in Domino.

b) *Reflectio mentis de matrimonio et de familia.* Occasiones conferendi cum fidelibus in Neerlandia, per duas ultimas menses, comprobaverunt mutatio rerum in aestimationibus de valoribus, finibus matrimonii. Breviter aestimatio et opiniones vigentes describi possunt ut sequitur.

Matrimonium est institutum naturae intersexuale, inter personas humanas. Matrimonii « ratio » est *amor* mutualis, selectivus, in homine innatus ad sibi eligendum socium in intimitate vitae, cum exclusivitate.

Amor coniugalis iste est « amor incarnatus », et spiritualis et carnalis, ex quibus elementis coniunctis surgit verus amor coniugalis humanus.

Inde sic dicta « sexualitas », ut instrumentum amoris, non est despiciendum vel deprimendum, sed ut expressio amoris humanae evaluandum.

Sic dictae fines matrimonii in aestimatione humana ita experiuntur, quod nefas dicitur, matrimonium evaluare ut simplex instrumentum biologicae procreationis ut in ceteris animalibus mammiferis, sed « processus procreationis » in sexualitate humana *tantum* moraliter accipiendum sit, si in « totalitate relationis amoris coniugalis » ponitur et accipitur.

Inde distinctio inter finem primarium (procreatio prolis) et secundariae (mutuum adiutorium, remedium concupiscentiae) non amplius recipitur, ut quid digne hominis. Potius dicere deberet: quod adsunt in complexu situatione matrimonii, *duae* finalitates *aeque* principales: Mutuus amor coniugalis, *et* amor prolis ut fructum amoris incarnati.

Inde generaliter accipitur quod « amor prolis » sit elementum essentiale relationis coniugalis mutualis.

Accipitur quod « familia » quaeritur ex commeatu amoris coniugalis, sit elementum constitutivum « societatis humanae », quod ergo matrimonium non est

quid de « iure privato » sed de « iure communi » inde agnoscitur quod amor coniugalis non valet evanire « quid principaliter egoisticum » sed debet esse « quid sociale » tendens ad educationem prolis. Inde « etiam in iure naturali » iuventus hodiernus catholicus accipit ut norma moralitatis « unicitas et indissolubilitas » instituti matrimonialis.

Quoad numerum prolis et commeatu amorosa, in genere audivi opiniones minus orthodoxas.

Sexualitas et in specie actus coitalis accipitur ut principaliter esse « instrumentum actus amoris humanae » et secundarie quamquam inseparabile iunctum « actus procreationis physicae », sed nota specificans est in « amore » non in « actu biologico rite perfuncto ».

Quoad « numerum prolis » generalior opinio habet: quod est ius coniugum id determinandi, de conscientia bene formata, ratio habita rationibus medicis, sociologicis, demographicis, psychologicis (de consulto presbyteri, medici, psychiatrici, sed determinantibus ipsis coniugibus pro Deo et propter Deum).

Quoad « mediis limitationis » opinatur quod media ad limitationem plus minusve « indifferentia » sunt (abstinentia periodica, pillulus vel etiam media directa vel rubber-wares) quia finis actus sexualis completae aeque principaliter est in commeatu amoris quam in procreatione.

Quoad enuntiata Magisterii Ecclesiastici (Encyclica *Casti connubii*) opinio hodierna habet, quod enuntiata illa explicari debent in « contextu historico » sicut etiam e. g. evolutio enuntiorum de « iure iustitiae socialis » in diversis Encyclicis *Rerum Novarum, Quadragesimo Anno* et *Mater et Magistra* et quod Ecclesia hodierna, pro tempore novas applicationes « iuris sexualis » edicere debet, quamquam cum « aliquo scandalo pusillorum ».

Quia cogitatu isto generaliter subscribi volo, enuntiata generationis hodiernae, commissioni competenti, ad criticam et scientificam elaborationem propono.

Clarum autem etiam eis est, quod specialis evolutio personalitatis et conscientia eiusdem evolutionis, in systema culturali sic dictae culturae occidentalis, nondum applicat pro culturis nondum ita evolutis, etiam in rebus consortii viri et mulieris ut in culturis et consuetudinibus vitae Africae.

Inde idea proponitur, quod Ecclesia qui « dux vitae » stat inter populos diversae culturae et evolutionis civilisationis, ubique proclamare debet « principia essentialia ex natura et revelatione hausta » (basic morals), sed casuistica applicatio normarum accommodare debet situationibus humanis « ad captum et ad facultatem capiendi in situatione historica semper actuali ».

Quod implicaret: systema moralis pluralistica in tempore et loco « propter quamdam duritiam cordis » adhuc existente apud plurimos.

Quae omnia satis inusitata solent, sed digne mihi videntur ut explorantur cum sapientia et patientia.

c) *Reflectio de bello et pace.* Insistere deberemus quod *pax* desiderata ab omnibus hominibus sanae mentis est fructus et praemium, situationis moralis, apud totam humanitatem. Fructus iustitiae et caritatis qui consequentur *ad* omnes exercentur, et *ab* omnibus. Inde pax desiderata sit obiectum « educationis iuventutis in toto mundo », obiectum indoctrinationis per media intercommunicationis internationalis, et conversionis nationum ad iustitiam et fraternitatem per medium interventionis rationabilis auctoritatis competentis internationalis vel mundialis.

In libris scholarum, operibus dramaticis, bellum ne glorificetur ut quid gloriosum, aut tamquam fundamentum iuris. Coactio non creat ius.

Inde nos proponeremus humanitati expectanti non quaedam regulas concretas, sed *visionem* creativam novae societatis humanae, aut *tertiae revolutionis.* Postquam rebellio gallica instituit systema vitae civilis, cum visione de « libertate personali » quod crescit in « structuram socio oeconomicam, culturalem, spiritualem sic dicti Liberalismi », postquam Karl Marx coepit actionem ad redimendum operarios de captivitate capitalismi oeconomici, cum visione de fundamentali « aequalitate hominum » quod adhuc crescit in systema vitae sic dicti Socialismi et Communismi, christianitas forsan proponere posset idea et structura vitae nova, acquiperandam per revolutionem pacificam sed consequentem, cum visione de « fraternitate hominum » quod crescere deberet in systema vitae et institutionibus civilibus, non pro solis christianis.

Si « libertas personalis » habetur ut « thesis », « aequalitas socialis » Marxismi ut « antithesis », nova conceptio de « fraternitate omnium hominum » forsan deveniret « synthesin » pro tempore historico adveniente.

Visio creativa de fraternitate fundamentali omnium hominum, posset forsan spem novam generare pro intellectualibus huius temporis.

Systema Liberalismi et Marxismi semper in seipsis germen belli et lucti ferunt, systema fraternitatis si per duas generationes crescit in institutionibus civilibus et confortetur a lumine Evangelii pacis, esset aliquid dignum Concilii Oecumenici ad proclamandum et exhortandum, ad vincendum malum per bonum.

Hisce honor posthumum dare volumus hisce revolutionaribus idealisticis qui ideam « Libertatis, Aequalitatis et Fraternitatis » primo vice proclamaverunt tamquam idea matrix culturae et civilisationis formandae, pro nostris temporibus.

24

Exc.mus P. D. ARTURUS TABERA ARAOZ
Episcopus Albasitensis

Ad n. 17. Commissio Episcopalis Caritatis et Assistentiae Socialis, in Hispania, in sessione quam hac ipsa die sub praesidentia em.mi card. Quiroga et Palacios celebravit, unanimi sententia et voto, enixe petit ut in schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis* aliquid expresse dicatur de gravi obligatione qua omnis fidelis in Ecclesia adstringitur ad veram ac efficacem bonorum materialium communicationem.

Immo optandum esset ut, in quantum possibile est, expresse in schemate statuatur Conferentiarum Nationalium esse officium, attentis loci, temporum ac personarum circumstantiis, tum huiusmodi obligationem statuendi tum minimam summam determinandi quam unusquisque in remedium necessitatum egenorum erogare debet.

Unde proponitur ut in lin. 14 pag. 19 haec vel similis propositio inseratur: « ... fame vexatur. Hinc quilibet christifidelis qui, praecepto caritatis tenetur fratribus, eis egentibus, bona, quibus dispensatione divina fruitur, communicare, debet etiam illam bonorum propriorum summam erogare, quam Conferentiae Episcoporum Nationales cuiusque regionis, attentis loci et personarum circumstantiis, determinaverint ».

25

Exc.mi PP. DD. EPISCOPI POLONIAE

Episcopatus Poloniae Christi Vicario Patribusque Concilii Oecumenici Vaticani II arctissime coniunctus ardentissime participare desiderat omnia sollertia atque sagacia opera Concilii Vaticani quae id efficere volunt, ut Ecclesia Sancta semper perfectiorem acquirat cognitionem vivacissimorum problematum humani generis necnon eorumdem solutionis modum.

Quapropter episcopi Poloniae denuo communem afferre exoptant votum, hac in materia, quae appreciatione christianae moralitatis maximi est momenti. Ex omnibus temporalibus bonis doctrina revelationis, quae quam maxime cum omnibus sanis systematibus mentis humanae concordat, praecipuum dare solet locum bono vitae humanae.

I. *Rationes theologicae.* Doctrina Veteris Testamenti, iam in primis eius paginis consulte cogitateque demonstrat Divinum Opus creationis omnis vitae, eo fine ut tam accuratius manifestet donationem et propagationem vitae humanae esse particularem actum voluntatis Creatoris, qui uti talis exigeat singularem curam non solum profanam sed etiam religiosam. Theologica compositio permultorum aliorum textuum inspiratorum harmoniosam constituit summam divinae doctrinae de vita humana tamquam de inviolabili summoque fundamento universalis ordinis naturalis super quod divina Providentia ponit exordium salutaris ordinis largitionis hominibus aliorum bonorum superioris, quia supernaturalis ordinis.

Historia populi Hebraici ab Abele incipiens (*Gen.* 4, 2-16) testimonia affert Deum constanter scelerosum damnavisse sanguinis innocentium effusionem atque praeceptum Decalogi « Non occides » lapidem factum esse angularem ordinis a Creatore constituti (*Ex.* 20, 13; *Deut.* 5, 17).

Incarnatio Verbi Divini ex Beatissima Virgine per acceptationem humanae vitae effecta est, et ita dignitas omnis humanae vitae denuo exaltata est. Redemptione autem a Christo operata naturalis vita uniuscuiusque hominis fundamentum efficit praedestinationis investigabilium divitiarum supernaturalium.

Ita ergo, secundum ordinem a Creatore et Redemptore intentum, naturalis vita humana est indispensabilis conditio assequendorum bonorum aeternorum, quae bona sunt unus ex finibus creationis atque gloriae et divinae caritatis.

Unde et Ecclesia, infallibili Magisterio recta, tutelam omnis vitae humanae in difficillimis rerum adiunctis praeservandae et defendendae semper inter summa atque maxime obligatoria praecepta a Deo promulgata sibi habuit. Itaque peculiarem curam praebuit semper Ecclesia tuendae vitae infantis iam concepti sed nondum nati, recte cogitans violationem talis vitae sceleri homicidii addere qualificationem singularis mali, quia fit contra prorsus innocentes, privatque eos gratia Baptismatis. Quae autem praecipue nos afficiunt dolore, si cum consensu vel scientia fiunt genitorum, quos horribili aggravat culpa tamquam eos quibus ordo divinus imposuit proximam ac directam obligationem tuendae vitae ab ipsis ad esse evocatae.

Hanc divinam doctrinam Ecclesiae infallibiliter veram esse, hodie magis ac magis etiam disciplinae humanae scientiae probant: etenim plurimi sunt medici magna auctoritate pollentes, qui interruptionem vitae pro malo tam extremo aestimant ut hodie, attentis recentissimis remediis medicinalibus, omnino cessant loqui

de sic dictis « indicationibus therapeuticis abortus » immo semper solidiora afferunt argumenta ad probandam huius praxis extraordinariam nocivitatem pro vita matris ipsius.

Progressus humanismi communis, in quantum liber remanet ab inanibus consiliis et inspirationibus, ad condemnandam rigorosissime innocentium necem conducit atque scientia eugeniae contemporanea novos semper nefastos effectus in ordine sociali agnoscit. Historia autem in facie talis sceleris communiter commissi solet agnoscere signum societatis declinantis usque ad extinctionem culturae et civilitatis.

Ideoque salutare est, quoties Ecclesia cognitis talibus periculis et minis in memoriam revocat absolutam inviolabilitatem vitae infantium conceptorum sed nondum natorum, talemque doctrinam uti divinitus revelatam proclamando necnon omnem necem innocentium — ob quascumque causam patratam — omnino uti homicidium designando.

Clare scripsit Pius XI in Encycl. *Casti Connubii*: « Quae possit unquam causa valere ad ullo modo excusandam directam innocentis necem? De hac enim hoc loco agitur. Sive ea matri infertur sive proli, contra Dei praeceptum est vocemque naturae: Non occides. Res enim aeque sacra utriusque vita, cuius opprimendae nulla esse unquam poterit ne publicae quidem auctoritati facultas: *a*) ineptissime autem haec contra innocentes reperitur a iure gladii, quod in solos reos valet; *b*) neque ullum viget hic cruentae defensionis ius contra iniustum aggressorem, nam quis innocentem parvulum iniustum aggressorem vocet? *c*) neque ullum adest extremae necessitatis ius quod vocant, quodque usque ad innocentis directam occisionem pervenire possit ».

Eodem modo saepe locutus est Pius XII, in suo autem discursu ad obstetrices anno 1951 dixit: « Ora " uomo " è il bambino, anche non ancora nato, allo stesso grado e per lo stesso titolo che la madre. ... il bambino nel seno materno, ha il diritto alla vita *immediatamente* da Dio, non dai genitori, né da qualsiasi società o autorità umana.

Quindi non vi è nessun uomo, nessuna autorità umana, nessuna scienza, nessuna " indicazione " medica, eugenica, sociale, economica, morale, che possa esibire o dare un valido titolo giuridico per una *diretta* deliberata disposizione sopra una vita umana innocente, vale a dire una disposizione, che miri alla sua distruzione... » (*Discorsi,* vol. XIII, pag. 336).

Ioannes XXIII opportune iudicavit hoc in memoriam revocare in Encycl. *Mater et Magistra*: « Etenim hominum vita pro sacra re est omnibus ducenda: quippe quae inde a suo exordio, Creatoris actionem Dei postulat. Itaque qui ab his Dei constitutis discedit, non solum Dei ipsius laedit maiestatem, et sibi humanoque generi imprimit dedecus, sed etiam civitatis suae vires intimas debilitat » (*A.A.S.,* 53, [1961], pag. 447).

Ideoque quod publice de hac re censet et considerat Ecclesia omnino clarum et perspicuum esse patet, attamen in conscientia fidelium magnam existere discrepantiam inter publicam doctrinam et relative eximiam reprobationem permultorum, etiam a catholicis effectorum facinorum, quae ab Ecclesia « homicidium innocentium » declarantur.

II. *Gravitas praesentis conditionis.* Non obstante hac univoca doctrina Ecclesiae Dei, non paucae societates christianae experiuntur crescentem in dies minaciam inundationis scelerum contra vitam innocentium. Nec remanent immunes ab

hac minatione et a scelere isto, proh dolor, nonnullae catholicae nationes. Quod peius est, crimina ista favens inveniunt fundamentum in diffuso indifferentismo religioso et in relativismo ethico, praesertim quod attinet principia moralitatis vitae sexualis et coniugalis quae iterum relativismum ex parte sua adhuc augent.

Maximo cum dolore notare debemus, haec evenire in populis christianis, dum eodem tempore duae ingentes nationes socialistae et atheistae peculiarem tutelam praestant infantibus eorumque nativitatem quam maxime augere curant, ita ut ibidem numerus abortuum nonnumquam minor evadet quam in nonnullis catholicis populis. Nostris temporibus fere universum genus humanum bella in praeterito gesta condemnat tamquam malum, cuius effectus erat sanguinosa messis plurium decies centena millium innocentium hominum. Atque actualia rationaria demonstrant annuum numerum abortuum valde superare numerum victimarum singulorum annorum recentis immanis belli.

Hoc modo Ecclesiae abripi possunt non solum singulae familiae sed etiam totae nationes, ac si periodicae atroces caedes vitae religiosae in catholicis nationibus perficerentur.

Quae acriter timendo episcopatus Poloniae animum intendit crescentem numerum abortuum eorumque permultas nefastas etsi indirectas consequentias. Naturales seu terrestres effectus per se tam graves et multimodi evadunt, ut maiori cum sollicitudine timendae sint istae poenae in ordine supernaturali ex parte divinae iustitiae. Propterea episcopi Poloniae, fundamentali attento principio, imprimis dolent sortem plurium decies centena millium hominum, qui privantur gratia Baptismatis, qui hoc modo nequeunt assequi supernaturalem vocationem nefaria manu humana perenniter donis caelestibus privati (cf. *Decis. Innocentis III,* DENZ. 410; *Ioannis XXIII,* DENZ. 493, *Conc. Flor.* DENZ. 693: *Catech. Conc. Trident.* p. I, a, V. n. 4).

Atqui etsi privatio supernorum bonorum incomparabiliter superet omnia alia damna, oportet tamen ceteras quoque ordinis naturalis consequentias mali indicare: scelere isto conscientia eorum, qui illud patrant, ita obdurescit, ut ipsa fundamenta vitae spiritualis et supernaturalis magis ac magis everti videantur hoc crimine quam plurimis aliis peccatis: hoc crimen saepius patratum producit gradualem interitum sensus materni immo humanis: obdurescit conscientiam, perit animorum sensus socialis, crescit egoismus, desidia et cynismus: hae rationes decernunt de vita innocentium defendenda; in ordine sociali deinde haec facinora efficiunt in nonnullis regionibus, ut non solum celeriter diminuantur numerus et incrementum naturale populationis, sed omnino periit, simul autem vehementer augent periculosi morbi muliebres, saepissime diuturni.

Quae mala augentur praesertim ibi, ubi methodus depopulationis promoventur et adiuvantur ab internationalibus factionibus, quarum finis proprius est frangere et extinguere vigorem atque vim biologicam populorum catholicorum et nationum in coloniis positarum.

Quibus omnibus periculis et malis addendum est adhuc aliud perhorridum: in supra memoratis nationibus insidiose coacti et caute remunerati ministri aegrorum atque medici magis ac magis depravantur atque sensum fundamentalium principiorum humanitatis necnon professionalis dignitatis penitus amittunt.

III. *Opportunitas atque necessitas peculiaris enuntiationis.* Deus est fons vitae (*Ps.* 35, 10; *Deut.* 30, 20) deque hac fonte bona sua largiri vult secundum leges quas Ipse condidit, ideoque leges istae, per revelationem promulgatae, sunt

normae vitae et disciplinae (*Eccli.* 45, 6). Iesus Christus, Vita et Lux (*Io.* 1, 4), summam ipsam suae Incarnationis atque Redemptionis indicare volens, eam verbis enuntiavit quae immensam eius caritatem erga homines exprimunt: « Ut vitam habeant et abundantius habeant » (*Io.* 10, 10). Apostolus autem Gentium exsultat: « Lex enim spiritus vitae in Christo Iesu liberavit me a lege peccati et mortis » (*Rom.* 8, 2). Ecclesia ergo Christi in tantum munus suum adimplet, in quantum prospere patefacit « promissionem vitae quae est in Christo Iesu » (*2 Tim.* 1, 1).

Ab ordine aestimationis bonorum dependet ordo necessitatis agendi. Uti supra conati sumus demonstrare, in permultis nationibus christianis visum est evanescere reverentiam erga vitam humanam iam ab eius exordio, i. e. ab eius conceptione. In nonnullis regionibus crimina necis huiusmodi vitae modo usque adhuc numquam reperto et cognito diffunduntur.

Ideoque nunc singularis exstitit pro Ecclesia necessitas ut magna voce de hac re clamet. Occasione Concilii, praesertim occasione disceptationis XIII schematis, in qua permulti Patres conciliares ex toto orbe terrarum disserunt de hominum huius temporis problematibus gravibus, anxiis, dolorosis, difficilibus — ut e. g. de libertate religiosa, de fame, de armis atomicis, de Ecclesia silentii, de oecumenismo — Ecclesia nequit tacere neque in hac re immodicae caedis innocentium nec silentio praeterire factum cum ea coniunctum, increbrescentem nempe sic dictam « civilizationem anticonceptionalem ».

Episcopatus Poloniae conscius responsabilitatis suae de sorte nationis necnon simul cum aliis etiam de universa Ecclesia, gravem persentit obligationem conscientiae enixas Sanctitatis Vestrae atque Patrum conciliarium venerabili coetui porrigere preces, ut remedia quae iudicet opportuna atque salutaria ad hoc malum repugnandum adhibere velit. Episcopi Poloniae gratissimo suscipient animo omnem enuntiationem doctrinalem, quae de auctoritate Apostolica in memoriam reducat, elucidet atque inculcet gravitatem quaestionis. Sperare etenim licet, ut quanto gravior erit enuntiatio tanto fortior resistentia opponetur fluctibus huius sceleris necis innocentium necnon elidetur communis confusio moralis in quaestionibus vitae sexualis, quae confusio in dies magis ac magis diffunditur. Silentium autem Ecclesiae imputari possit ut desertio immo et proditio obligationis tuendi iura fundamentalia christiani sensus humanitatis, immo uti tacita approbatio supradictorum criminum, eo magis quia Ecclesia solet vocem extollere in omnibus gravibus quaestionibus praesentis temporis momento tam propitio et singulari, quod est Concilium Vaticanum II.

Omnis autem modus huius defensionis constituet laudabilem et meritoriam in oculis Dei continuationem missionis, quam ipse Divinus Redemptor designavit verbis: « Ego sum Via, Veritas et Vita » (*Io.* 14, 6). Populus autem Dei ad ipsum peregrinando sitit semper omnia, quae viam sternunt ad vitam plenam, quae veritatem de vita elucidant quaeque ipsam vitam praestant.

Enuntiatio atque condamnatio mali ipsius hisce modis opportunis videtur faciendae: in memoriam redigere obligationem observandi ius naturae de vita humana necnon dignitatem humanam tuendis; firmiter insistere in ius innocentium nondum natorum ad vitam; admonere fideles de necessitate continentiae in vita sexuali necnon educare eos ad suscipiendam voluntariam et consciam paternitatem; adhortari omnes nationes ad collaborandum in iusta distributione bonorum et in suffragio ferendo populis oeconomice minus evolutis. Hisce propositis, videtur etiam utile admonere coniuges, imprimis matres, de obligatione benevolentiae

et amoris erga unamquamque prolem conceptam; deinde: patres de officio genuinae caritatis erga uxorem, quae caritas fons erit generosae continentiae quando haec ad evitandam ulteriorem prolem necessaria esse deberet; uxores iterum de necessitate fusius cognoscendi methodum continentiae periodicae deque onere ea methodo utendi; denique utrumque coniuges de suscipiendis conatibus vitae commercium et relationem erga filios ad superiorem gradum caritatis christianae et paternae elevandi; deque necessitate suffragium hauriendi ex gratia sacramentali et ex gratia status per intensivam vitam religiosam. Hoc modo ad vitam recte agendam pervenire poterunt. Apostolatus autem talium coniugum in coetibus humanis fundamentum deveniet renovationis totius orbis, Ecclesiae, nationum, paroeciarum. Instruendi ministros aegrorum et medicos de perficienda et edocenda hac methodo necnon de necessitate coniuges educandi ad physiologicum non autem egoisticum modum moderationis vitae propagandae. Instruendi confessarios totius orbis terrarum de absolute tuendis iuribus ad vitam et salutem aeternam innocentium nondum natorum deque necessitate coniuges educandi ad « responsabilem paternitatem ». Suffragio erit hac in materia unaquaeque forma ad actum ducendi indicia, praescripta legalia necnon consilia pastoralia, quae ad praxim praesertim poenitentiae attinent relate ad vitam tuendam, quia facilius reddatur eo modo uniformitas pastoralis in cura animarum. Exhortandi Ecclesiam universalem atque omnes christianos de perficienda hominum vi morali ad prompte agendum, de restaurandis principiis moralibus in vita internationali, in favorem culturae communionis inter coniuges totius orbis terrarum necnon ad recte moderandam vitam coniugalem. Monendi medicos universi mundi de obligatione abolendi sic dictarum « indicationum » ad foetus occidendos deque liberandi professionem medicorum a « crimine professionali » perpetrando. Adhortandi communitates sociales totius generis humani, praesertim catholicas, ordines et congregationes religiosas de augendo servitio coniugibus praestando: ut suffragio materiali compensetur iniustitia socialis erga eos: ut serventur innocentes ad necem destinati: ut erudientur coniuges amore erga omnes infantes conceptos, ut educentur in rectam moderationem physiologicam secundum naturam necnon moralitatem altruisticam. Exhortandi Organisationem Nationum Unitarum atque omnes civitates, ut novum admittant argumentum in favorem iustitiae socialis: populi et familiae multa prole divites nequeunt dishonorari opinione publica nec divulgatione praxis neomalthusianismi, nequeunt versari in conditionibus peioribus quam coniugia volenter et egoistice prolem spernentia. Optandum videtur ut Communi Declarationi de Iuribus hominis adiungatur articulus de aequo iure ad vitam hominis vix concepti simul ac iam nati: ut hunc articulum Declarationi adiunctum singulae nationes confirment.

INDEX

CONGREGATIONES GENERALES

Congregatio Generalis CXXXIII

PAG.

Secretarii generalis monitum 9

Exitus suffragationis super integro cap. III schematis *de divina revelatione* 10

Patrum orationes (*de libertate religiosa*):
Exc. Wojtyla 11
Exc. Doumith 13
Exc. Grotti 15
Exc. Ancel 16

Patrum orationes (*de Ecclesia in mundo huius temporis*):
Card. Ruffini 21
Card. Siri 24
Card. König 26
Card. Döpfner 28
Exc. Amici 34
Exc. Jordan 36
Exc. Aramburu 39
Exc. McVinney 41
Exc. D'Avack 44
Exc. Rusch 45
Exc. De Proença Sigaud 47
Exc. Hermaniuk 50

Exitus suffragationum super capp. IV-VI (nn. 25, 26) schematis *de divina revelatione* 54

Animadversiones scripto exhibitae
quoad schema declarationis de libertate religiosa

Card. Bacci 59
Card. Journet 59
Card. Léger 61
Card. Richaud 72
Card. Rugambwa 72
Card. Siri 73
Exc. Ammann 74

PAG.

Exc. Attipetty 80
Exc. Austregésilo De Mesquita 81
Exc. Ayoub 82
Exc. Baudoux 84
Exc. Beitia Aldazabal 87
Exc. Bengsch 88
Exc. Bettazzi 89
Exc. Blecharczyk 90
Exc. Boudreaux 91
Exc. Bueno Couto 92
Exc. Builes 96
Rev. Butler 97
Exc. Carli 98
Exc. Carrasco 108
Exc. Carter 108
Exc. Castán Lacoma 110
Exc. Cogoni 115
Exc. Corso 116
Exc. Cuenco 117
Exc. Da Cunha Marelim 118
Exc. D'Almeida Trindade 119
Exc. Da Silva 120
Exc. D'Avack 121
Rev. Dayez 123
Exc. Deane 125
Exc. De Araújo Sales 126
Exc. De Cambourg 127
Exc. De Keyzer 127
Exc. Del Rosario 128
Exc. De Proença Sigaud 130
Exc. De Provenchères 132
Exc. De Roo 133
Exc. Devoto 135
Exc. Doumith 137
Exc. D'Souza 138
Exc. Dubois 140
Exc. Echeverria Ruiz 142
Exc. Enrique y Tarancón 143
Exc. Fady 146
Exc. Fares 147
Exc. Fernandez-Conde 150
Exc. Ferraz 152
Exc. Flores Martin 153
Exc. Franić 157
Exc. Frattegiani 159
Exc. Gad 160
Exc. Galea 161
Exc. Garcia y Garcia De Castro 162

PAG.

Exc. Garrone 164
Exc. Gonzi 165
Exc. Gouyon 167
Exc. Guerra Campos 168
Exc. Hacault 169
Exc. Haller 171
Exc. Henriquez Jimenez 171
Exc. Hermaniuk 173
Exc. Hervás y Benet 178
Exc. Heuschen 186
Exc. Himmer 188
Exc. Hurley D. 188
Exc. Hurley I. 190
Exc. Huyghe 191
Exc. Jubany Arnau 192
Exc. Köstner 198
Exc. Kramer 200
Exc. Krol 203
Exc. Kulik 204
Exc. László 205
Exc. Llopis Ivorra 206
Exc. López Ortiz 210
Exc. Lorscheider 211
Exc. Melendro 213
Exc. Mingo 220
Exc. Moro Briz 221
Exc. Motolese 224
Exc. Muñoz Duque 225
Exc. Nécsey 230
Exc. Nguyen Van Hien 231
Exc. O'Boyle 232
Exc. Oviedo Cavada 236
Exc. Philippe 237
Exc. Pildáin y Zapiáin 238
Exc. Pohlschneider 243
Exc. Primeau 243
Rev. Prou 245
Exc. Samoré 247
Exc. Santin 248
Exc. Schoemaker 249
Exc. Seitz 251
Exc. Senna De Oliveira 257
Rev. Sépinski 258
Exc. Serrano Pastor 259
Exc. Tagle Covarrubias 261
Exc. Temiño Saiz 265
Exc. Toolen 271
Exc. Tracy 273

PAG.

Exc. Vairo 274
Rev. Verzich 276
Exc. Veuillot 277
Exc. Vion 281
Exc. Vuccini 282
Exc. Wehr 286
Rev. Welykyj 287
Exc. Whealon 291
Exc. Wojtyla 292
Exc. Yañez Ruiz Tagle 294

Conferentia episcoporum Regionis Apuliae 294

Conferentia episcoporum Zambiae 295

Conferentia episcoporum Indonesiae 296

CONGREGATIO GENERALIS CXXXIV

Secretarii generalis monitum 301

Exitus suffragationis super integro cap. VI schematis *de divina revelatione* 301

Exc. P. D. Francisci Hengsbach relatio circa suffragationes quoad schema *de apostolatu laicorum* 303

Schema decreti *de apostolatu laicorum*. Textus prior - Textus emendatus. - Prooemium (n. 1). - Relatio generalis. - Relatio de singulis numeris. - Cap. 1: *de vocatione laicorum ad apostolatum* (nn. 2-4). - Relatio de singulis numeris. - Cap. II: *de finibus assequendis* (nn. 5-8). - Relatio de singulis numeris. - Cap. III: *de variis apostolatus campis* (nn. 9-14). - Relatio de singulis numeris. - Cap. IV: *de variis apostolatus modis* (nn. 15-22). - Relatio de singulis numeris. - Cap. V: *de ordine servando* (nn. 23-27). - Relatio de singulis numeris. - Cap. VI: *de formatione ad apostolatum* (nn. 28-32). - Exhortatio finalis (n. 33). - Relatio de singulis numeris 305

Kalendarium suffragationum schematis decreti *de apostolatu laicorum* . . . 365

Secretarii generalis monitum 366

Patrum orationes (*de Ecclesia in mundo huius temporis*):
Card. Rugambwa 366
Card. Shehan 368

Secretarii generalis monitum 370
Exc. De Castro Mayer 371
Exc. Baudoux 374

Secretarii generalis monitum 377
Exc. Morcillo González 378
Exc. Lourdusamy 380

PAG.

Exc. Renard 384
Exc. Mason 386
Exc. Kominek 387

Moderatoris monitum 389

Secretarii generalis monitum 389

Exc.mi P. D. Marci Gregorii McGrath, ep. S. Iacobi Veraguënsis, relatio pro « expositione introductiva » schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* 391
Card. Cardijn 394
Exc. Abasolo y Lecue 397

Exitus suffragationum I-VI circa schema *de apostolatu laicorum* 399

Congregatio Generalis CXXXV

Secretarii generalis monitum 403

Exitus suffragationis super quaesito circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* 403

Patrum orationes (*de Ecclesia in mundo huius temporis*: prooemium, introductio, pars I):
Card. Frings 405
Exc. Volk 406
Exc. Marafini 410
Exc. Elchinger 414
Exc. Himmer 417
Exc. Charue 419
Card. Meouchi 422
Card. Richaud 431
Card. Santos 433
Card. Šeper 435
Exc. Ziadé 437
Exc. Cantero Cuadrado 440

Exitus suffragationum circa schema *de apostolatu laicorum,* nn. 312-318 . . 444

Congregatio Generalis CXXXVI

Secretarii generalis monitum 449

Exitus suffragationis circa schema *de apostolatu laicorum,* n. 319 . . . 450

Patrum orationes (*de Ecclesia in mundo huius temporis*: pars I):
Card. Saigh 451
Card. König 454
Card. Florit 456
Card. Rossi 460

PAG.

Exc. Klepacz 465
Exc. Ruotolo 475
Exc. D'Souza 477
Exc. Elko 480
Rev. Arrupe 481
Exc. Guerry 485
Exc. Pildáin y Zapiáin 487
Exc. Corboy 495
Rev. Fernandez 498

Secretarii generalis monitum 501

Exitus suffragationum nn. 320-327 (circa schema *de apostolatu laicorum*) . . 502

Congregatio Generalis CXXXVII

Secretarii generalis monitum 507

Schema decreti *de pastorali episcoporum munere in Ecclesiae.*

1. Textus recognitus et Modi a commissione conciliari de episcopis et dioecesium regimine examinati:

Pars prior. - *Prooemium et cap. I.* Suffragationes. Textus. Modi propositi et examinati. Relatio generalis. Relatio de singulis numeris. Quaesita particularia. Quaesitum generale.

Cap. II. Suffragationes. Textus. Modi propositi et examinati. Relatio generalis. Relatio de singulis numeris. Quaesita particularia. Quaesitum generale 508

Pars altera. - *Cap. III.* Suffragationes. Textus. Modi propositi et examinati. Relatio generalis. Relatio de singuis numeris. Emendationes a commissione admissae. Quaesitum 597

2. Variationes in textu schematis decreti et in relationibus a commissione conciliari de episcopis et dioecesium regimine propositae 618
Addenda in relationibus generalibus 619

Patrum orationes (*de Ecclesia in mundo huius temporis,* pars I):
Beat. Batanian 621
Exc. Llopis Ivorra 623
Exc. Méndez Arceo 625
Exc. Hnilica 629
Exc. Marty 632
Exc. Garrone 634
Exc. Schick 636
Exc. Rusnack 639
Exc. Soares de Resende 643
Exc. Darmajuwana 646
Exc. Mosquera Corral 649
Exc. Kuharić 652

PAG.

Exc. Bengsch 653
Exc. Wojtyla 660
Exc. Romero Menjibar 663

Moderatoris monitum 665

Secretarii generalis monitum 665

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD SCHEMA DE ECCLESIA IN MUNDO HUIUS TEMPORIS
(in genere, prooemium, introductionem, partem I)

Card. Bacci 669
Card. Browne 670
Card. Confalonieri 670
Card. Conway 671
Card. Cushing 671
Card. Doi 672
Card. Duval 673
Card. Journet 674
Card. Urbani 679
Card. Zoungrana 681
Exc. Aufderbeck 683
Exc. Bézac 683
Exc. Bressane de Araújo 685
Exc. Brizcys 685
Exc. Builes 687
Exc. Carli 688
Exc. Castán Lacoma 696
Exc. Cazzaro 697
Exc. Chelucci 697
Exc. Cogoni 698
Exc. Costantini 699
Exc. Daem 701
Exc. Darmajuwana 703
Exc. De Provenchères 703
Exc. De Vet 710
Exc. Devoto 711
Exc. Esteves Dias 716
Exc. Evangelisti 717
Exc. Fady 718
Exc. Fernandes 720
Exc. Flahiff 723
Exc. Flores Martin 723
Exc. Franco Cascón 725
Exc. Franić 728
Exc. Frattegiani 735
Exc. Fustella 736
Exc. Gonzi 739

PAG.

Exc. Gran 739
Exc. Grotti 743
Exc. Haddad 750
Exc. Hallinan 754
Exc. Hamvas 758
Exc. Henriquez Jimenez 761
Exc. Hervás y Benet 764
Exc. Himmer 764
Exc. Hornyak 765
Exc. Huyghe 768
Exc. Iriarte 773
Exc. Jelmini 773
Exc. Jenny 774
Exc. Kaczmarek 776
Exc. Kramer 777
Exc. Kulik 778
Exc. László 780
Exc. Lebrum Moratinos 781
Exc. Lefebvre 781
Exc. Luna 784
Exc. Maccari 786
Exc. Malanczuk 788
Exc. Marengo 791
Exc. Melendro 793
Exc. Mennonna 795
Exc. Muldoon 796
Exc. Navarro Ramirez 798
Exc. Muñoz Duque 799
Exc. Nguyen Van Hien 800
Exc. Parente 801
Exc. Piña Torres 803
Exc. Pogačnik 804
Rev. Prou 805
Exc. Przyklenk 806
Exc. Pulido Mendez 810
Exc. Quadri 817
Exc. Rossi 819
Exc. Samoré 819
Exc. Santin 820
Exc. Sauvage 820
Exc. Schick 821
Exc. Seitz 824
Exc. Senna De Oliveira 839
Exc. Spülbeck 840
Exc. Staverman 842
Rev. Sudres 846
Exc. Tagle Covarrubias 847
Exc. Temiño Saiz 849

PAG.

Exc. Varghese Thangalathil 851
Exc. Vaivods 851
Exc. Van Hoeck 852
Exc. Van Peteghem 853
Exc. Venezia 853
Beat. Vieira Alvernaz 856
Exc. Vuccino 858
Exc. Weber 868
Exc. Wechner 870
Exc. Wehr 872
Rev. Welykyj 874
Exc. Whealon 887
Exc. Zaffonato 888
Exc. Zambrano Camader 890

Plures Patres conciliares 893

Conferentia episcoporum Italiae 901

Coetus episcoporum Scotiae 901

Conferentia episcoporum linguae Germanicae et Scandiae 902

Plures Patres conciliares Galliae 911

Exc.mi episcopi Algeriae 932

Plures exc.mi episcopi Brasilienses 935

Conferentia episcoporum Zambiae 938

Conferentia episcoporum Indonesiae 941

APPENDIX

I - Animadversiones scripto exhibitae quoad schema *de divina revelatione* inter III et IV periodum Concilii:

Card. Larraona 947
Card. Quiroga y Palacios 950
Card. Siri 951
Exc. Aufderbeck 953
Exc. Bonfiglioli 953
Exc. Bonomini 954
Rev. Calmels 955
Exc. Carli 956
Exc. Cogoni 963
Exc. Darmajuwana 963
Exc. Drapier 964
Rev. Dufault 968
Exc. Fustella 971
Exc. Garcia y Garcia De Castro 972
Exc. Garneri 972

PAG.

Exc. Jacq 972
Exc. Krol 973
Exc. Martin 975
Exc. Palazzini 976
Exc. Petralia 976
Exc. Philippe 976
Exc. Quadri 981
Exc. Raeymaekers 982
Exc. Santin 983
Exc. Schoemaker 984
Exc. Schoiswohl 985
Exc. Simons 985
Rev. Van Hees 988
Exc. Zaffonato 989

Conferentia episcoporum Regionis Apulae 990

Exc.mi Episcopi Regionis Apostolicae « Provence-Mediterranée » . . 991

Plures exc.mi Patres conciliares 991

II - Animadversiones scripto exhibitae quoad schema *de Ecclesia in mundo huius temporis,* inter III et IV periodum Concilii:

Card. Spellman 999
Exc. Badré 1001
Exc. Brizgys 1018
Exc. Brzana 1020
Exc. Butorac 1020
Exc. Cavagna 1026
Exc. Cogoni 1027
Exc. D'Avack 1028
Exc. De Castro Mayer 1029
Exc. Elchinger 1035
Exc. Florez Hernández 1047
Exc. Guerry 1047
Exc. Gufflet 1048
Exc. Helmsing 1050
Exc. Mason 1051
Exc. Nuzzi 1052
Exc. Pildáin y Zapiáin 1052
Exc. Pimiento Rodriguez 1057
Exc. Reuss 1058
Rev. Rubio 1059
Exc. Rusch 1061
Exc. Santin 1065
Exc. Schoemaker 1065
Exc. Tabera Araoz 1068
Exc.mi episcopi Poloniae 1069

INDEX 1075